

1615 · 13 · iul. l.

Valentini Paschalij sum.

SCHEDA REGIA,

IVSTINIANO IMPERATORI SACRATISSIMO ELECTO, IMPERIVMQVE IAM CAPESSENTI,

boni ominis iustæq; gubernationis ergò consecrata ab AGAPETO Diacono, &c. cum versione Latina duplici.

DISCVRSVVM, PROVT CVIVSQVE APHORISMI DVCTVS AVRIGATVR, VTILI varietate; Sententiarumque adeo, Exemplorum & Quæstionum Theologicarum, Politicarum & Philosophicarum (insertis etiam quandoque, obsoniorum vice, innoxie iocosis,) iucunda serie & concatenatione sic expressa, vt velut in vno eodemque Prato, cuicunque propemodum Facultati addictus, humori ac genio suo quod arrideat, absque ambage fastidiosa, scite atque vtiliter legere ac seligere possit.




VSQVE ADEO, VT VEL IPSI PICTORES ET STATVARII, EX VIRTVTVM AC VITIORVM, HINC inde inspersis & nunquam antehac visis, ὀνοματοποιΐαις, Inuentionum respectiue tædio mirifice subleuentur.

PRÆMISSA, AC APHORISMO I. INSERTA SVNT, EDVCANDORVM ad Principatus: Natiuitas, Educatio, Studia, &c.

Congerente

M. GEORGIO DRAVDIO.





FRANCOFVRTI
Apud Paulum Iacobi, Sumptibus Ioannis Berneri.
ANNO M. DC. XV.



ADMODVM ILLVSTRI ET GENEROSO COMITI, ET DOMINO, DN. HENRICO VOLRADO, COMITI IN STOLBERG, KOENIGſtein, Rutſchefurt, Wernigeroda & Hohnſtein, &c. Dn. in Epſtein, Mintzenberg, Breuberg, Aygemont, Lohra & Klettenberg, &c.

DOMINO SVO CLEMENTI;

CVIVS Generoſitas à prima ſtatim ætate, cum ſimplex adhuc & modeſtia candidata eſſet, innatum animi vigorem, mente libera, fronte aperta, lingua parca, vtrobique conſtanti, in viridi, quod aiunt, obſeruantia, & iucunda continuatione, vbiuis repræſentat, eoq; priuatum omnium affectum, ac publicum, etiam in ſcriptis, teſtimonium iudiciumque, exindeque omnium bonorum amorem pariter atque honorem prouocat: vſque adeo vt vel ad ſolam Generoſitatis ſuæ mentionem, læta facie, oculis, voce, applauſu quiſque ſuam teſtetur alacritatem, imo tota lætitiis exultet communitas: Si qui vero ſequioribus ſint ingeniis ac iudiciis, (qui enim inter homines viuit, amicos ſimul atque inimicos habeat neceſſe eſt,) ea ὡς ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων, *ne crepitu quidem digiti digna iudicat, ſic ſeſe gerens, vt accuſatorem exterius non pertimeſcat, pallereque adeo vultus neſciat, purus & ſerenus ſemper, ab animo puro & ſereno, id eſt, candido proficiſcens, eoque omnem ſibilantis fortunæ impetum excipiens, elidens, proſternens; adeoque vtrobique:*

Mens ſtabilis, tenor idem animo, moreſque modeſti,
Quique ſcit in dubiis præſentem oſtendere vultum.

Proinde: & Generoſiſſimi ipſius parentis, Domini ac Dn. LVDOVICI-GEORGII, Comitis in Stolberg, &c. beneuolentia, qua me hactenus,

dum ipsius Generositatis Pastorem ago in Ortenberg, præsens præsentem continenter complectitur, dulcedine; & ipsius filij Generosi, quem prædixi, Generosa humanitate morumque in tanto alioquin fortunæ fastigio, perrara mansuetudine, ego fretus, omni excusso timore, placidum hocce iter, quo amorem, honorem, obseruantiam, Generosiss:mi parentis generoso filio, indole hactenus, paulo post, seu iam tum potius, reapse Viro, in submissione debita debens defero, audacter ingressus, non dapsiles, adulatorum more, capturiens cœnas, sed amans sine fuco, venerans sine adulatione, pectore niueo, sereno vultu affectum meum iucunde susceptum lætus colo, libens testor, quem vt generoso fauore clementer alat, & in cæterum quoque, vt & parens Generosissimus, Familiæ decus, subditis tutela, bonis præsidium, improbis obstaculum vt fiet, cumprimis vero non minorem habeat curam horum, quæ sanctissimis prosunt Ecclesiis, quam ipsius animæ, (quæ vox Iustiniani Imperatoris memoratu digna extat Nouella 3. *cuius etiam dictaminis obseruantia parens Generosissimus tenaciter atque omnino mascule inhæret, æterno exemplo edocturus, quantum animus diuino accensus lumine in diuinis pariter atq; humanis rebus possit,) votum meum vtrobique magnum est. Sed nunc audaciæ gradibus propemodum superatis, verba premo, tesseram cæteris interim quæ restant, maturescentibus, promo, æterni signum amoris, honoris, venerationis.*

Generositati ipsius.

Ex { Amore / Honore / Obsequio }

Addictissimus
Subiectissimus
Obstrictissimus

M. Georgius Draudius, Pastor Ortenbergensis.

APHO-

APHORISMORUM HUIUS SCHEDAE REGIAE, *Dissertationumque, quae in illis continentur, Summaria.*

PRæambulum autorem Agapetum, quisnam is fuerit, exponit, cum annexa aliqua mentione Iustiniani Imp. & Triboniani Quæstoris, *fol.* 6. 7 8 9 Hinc

APHORISMO I. recensentur: Natiuitatis humanæ conditio per exempla, *fol* 14. Nominum impositio, *fol*. 15. Nutritio infantum vicaria, *fol*. 16. 17 nutricum regiarum officium, *f*. 18. Baptizationis Caroli V. historia, *f* 19 20. 21. 22 23 Educatio bona simul ac praua, *fol* 24. 25. 26. 27 28 29 Nutricationis vicariæ malum. *f* 30. Parentum quorundam erga filios rigor, *f*. 32. Imprecationes, *fol*. 33 34 πλεονεξία, *fol* 35 Amor nimius in liberos, *fol*. 36 37. 38. Indulgentiæ parentum fructus infelices, *fol* 39 Educatio pia, *fol* 40 41. Commonefactio ad parentes, de filiis, *fol* 41. Teneræ ætatis diligens informatio, *fol* 42 Literatum commendatio, *fol* 43. Aulicorum quorundam erga literas odium, *f*. 46 47. *&c*. Studiorum vtilitas, *f*. 50 Experientia rerum, & historiarum cognitio, *f*. 51 Studia literarum Principibus esse necessaria, *f* 53. Institutio paterna, *f*. 55. Præceptores Principibus quales adhibendi, *f* 56 57. *&c*. Informandæ iuuentutis asperitas, *f*. 62. Ingeniorum habendam esse rationem, *f*. 64. 65. Lectiones tumultuariæ, *f*. 70. Ablegatio ad Academias num necessaria, *f* 71. 73. Audaciæ in dicendo quomodo comparetur, *f* 74. Bonorum conuersatio. *f*. 75 Otij fuga, *f*. 76. Ingenij duri cultura assidua, *f*. 78 Ingenia præcocia, *f* 79. Degeneratio, *f* 80. Ingenia ex influentia astrorum, *f* 84 85 *&c*. Iusta à studiis recreatio, *f*. 90. Saltatio, *f*. 92 Luctatio, *f* 94. Equitatio, *f*. 95 96 *&c*. Venatio, 101 102 Venationes arenariæ & clericorum, *f*. 106 107 Musica *f* 111 112 115. 116 Pictura, *f* 117 Victus ratio atq; habitatio, *f*. 119. Perturbationes animi, *ibid*. Timor Domini ac Pietas, *fol*. 120. 121 *Atque hactenus quidem ad Principatum statuto demum tempore capessendum educandi, sequitur deinceps Principis Principatum gerentis, informatio, vbi Princeps commonefit*: Principatus non extitisse casu, sed à Deo esse, *f*. 121. 122 *&c*. idq; probatur exemplis, *f*. 127. & prodigiis, *f* 130. Principes mali quatenus à Deo, *f* 132. testimonia assistentiæ diuinæ in imperiis. *f*. 134 magistratus à veneficarum iniuriis esse immunes, *f*. 135. Principum animositas, *fol* 136. Oculorum ac faciei maiestas, *f*. 137. Corporum pulchritudo in Principibus, *Ibid*. Monstrosi ingenij indicia. *fol*. 139. Principum excellens notitia, *f* 140 Historiarum vtilitas, *f*. 141. 143. *&c*. Laude dignorum, mediocrium ac vituperatorum Principum veterum exempla, *f*. 146 147. *&c*. Principum laudatorum nostri seculi exempla, ordine alphabetico, *f*. 155. 156. *&c* Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ, *f*. 177. 178. *&c*. Impiorum Principum exempla. *f*. 186 187. Princeps successione an electione statuendus, *f*. 188 Regnandi sæua ambitio, *f*. 191. Iuris primogenituræ violatio periculosa, *f*. 193. Successionum diræ concertationes, *f*. 194. Successiones ex electione, *f*. 195. De electione & coronatione Caroli V. *f* 196. 197. *&c* Principis boni consideratio, *f* 126 Subditorum erga Principes probi affectus, *f*. 227 Dei agnitio, virtus Principum, *f*. 128. Prudentia Principum præsumptiua, *f*. 229. Religionis puritas conseruanda, *f*. 231. Religionis summum studium apud Ethnicos, *f* 232. Religionis contemptus, *f*. 234 Principes religionis curam habeant, *fol*. 236 242 Religionis Christianæ præcones in pretio habendi, *f* 241. Ecclesiarum per Germaniam [redacted] reformatarum catalogus, *f*. 244 Animi robur & auxilium Diuinum ex religionis Christianæ assertione, *fol*. 246. Persecutorum Ecclesiæ breuis catalogus, *fol*. 248. Illorum fata infelicia, *fol* 292.

APHOR. II. Socordia & Ignauia, *f*. 253 254 φιλοπονίας effigies, *f* 255. Gladius publice appensus, *f*. 256 Iustitiæ rigor, *f* 257 Iustitia Principum, *f*. 259. Iustitiæ effigies *f*. 262. Iustitiæ rigidioris exempla, *f*. 264 Pudicitiæ assertores ac vindices *f*. 266. 267. *&c*. Luxuria impiorum mors, *fol*. 271 Iniustitiæ detestatio, *fol*. 272. 273 *&c*.

APHOR. III. γνῶθι σεαυτὸν ludibriorumq; adeo fortunæ consideratio, *fol* 278. 279. Fatum-

482 &c. Sextum millenarium non ită completum, *f.* 490. Status Romanorum priscus laudabilis, *f* 492. Status Reip. degener, *f.* 495. Virtutes & vitia Romanorum, *f* 496. Autoritas labascens minatur ruinam, *f.* 499. Causæ euersionis rerumpublicarũ, *f* 501. 502. 503 &c. Repetundæ aduersus potentiores, *f.* 503. Reipubl. animal immortale, *f.* 506 Regni Gallici fatalia, *f* 514.

APHOR. XII. Adulationis, Hypocriseos, Inuidiæ & Calumniæ effigies. *f.* 517. 518. Adulatorum mores parasi ici, *f.* 520. Illorum noxæ, *f.* 521. Principum vitæ struuntur insidiæ, *fol.* 523. quomodo declinandæ, *f* 524 Exploratorum delationibus non promiscue fidendendum, *f.* 525. 526. &c. Calumniatorum pœnæ, *f* 536. Calumniæ detestatio, *f.* 540.

APHOR. XIII. Cur furibus abscindantur auriculæ, *fol.* 543 Adulatorum fuga, *Ibid.* Conscientiæ bonę testimonium *f* 544. Veritatis effigies, *f* 545. Veritatis triumphus *f.* 546. Candor, *f* 548. 549. Perfidiæ effigies, *f* 551. Veteratores, *Ibid.* Perfidiæ exempla, *f.* 553. 554 5[illegible] 4 565. Perfidorum & periurorum tragici exitus, *f* 555 556 &c. Periurorum posteritas extinguitur, *fol.* 560. Principi an liceat fidem fallere, *f.* 561 Iuramenta qualiter interpretanda. *fol.* 563. Fidem datam nemo violet, *fol.* 566. Princeps priuilegiis subd torum obstrictus, *fol.* 568. Fœdera Principum cum subditis. *fol* 568 569. Promissionis sub data fide vis, *fol* 570. Fœderum consideratio, *fol.* 571 Fœdera cum impiis vitanda, *fol.* 577 Fœdus Smalcaldicum, *f* 579. Transactio Passauiensis, *f.* 581. Confœderationes Heluetiorum, *f.* 584. Fidei ac iuramenta præstandi olim ratio, *fol.* 585. Iuramenta Principum, *f* 586 Amoris erga patriam documenta *f* 587 Animorum alacritas. *f* 588. Mulierum animositas, *f* 589 Constantiæ effigies, *fol.* 592. Animositas Principum *fol.* 593 Magnanimitas in afflictis, *f* 596 597. &c.

APHOR. XIV. Superbiæ effigies, *f* 604 Superborum mores odiosi, *f.* 607 Superbiæ effectus infelices *f* 613. Ambitionis effigies *f* 615. Ambitio ex scelestibus, *f.* 616 Ambitiosorum ingenia, *f* 618. Dominandi libidinis infelix exitus. *f* 620. Consiliorum humanorum vanitas. *fol.* 621. Astus in affectatione regni, *f* 623 Alienas facies ementitorum exempla, *f.* 625 Barbara regnandi cupiditas. *f* 629. Ambitionis & superbiæ remedia, *fol.* 636. Exauctoratio Henrici IV. *f* 638. Aureæ Bullæ promulgatio, *f* 640 Fragilitatis humanæ consideratio *f* 641.

APHOR. XV. Gloriæ effigies vna cum corona geminis insignita, *f.* 648 Gemmæ in pietatatis corona *f.* 649. Pietatis fructus & exempla, *f* 650 651 Pietas sine prudentia parum prodest, *f.* 653. Impietatis pœnæ *f.* 655 Impij instabiles & timidi *f* 656.

APHOR. XVI. Auaritiæ & exactionum vitia, *f* 658 Auaritiæ detestatio *fol* 659 Auaritiæ fructus infelix. *f* 660 Auaritiæ effigies, *f* 662 Harpyiæ, auaritiæ filiæ *f* 666. 667. Auaritia sordida, *f.* 668 Annis non deficit, *f* 669. Auaritiæ sugillatio *f.* 671. Auarorum exempla *f.* 671. 672. Diuitiarum vsus & abusus *f* 673. Auarorum tenaces manus. *f* 674. Petentium importunitas *f.* 675. Diuitiarum spretores magnanimi, *f.* 677. Auarorum monstrosa ingenia, *Ibid.* Auaritiæ rheda. *f.* 679. Vsuræ effigies, *Ibid.* Vsura an concessa *f.* 680. Vsuræ Germanorum, *f* 681. Ecclesiasticorum, *Ibid.* Vsurarij fures, *f.* 682. Vsurarum prohibitio apud Venetos, *fol.* 684 Vsurarum apud Romanos variatio, *f.* 685. Vsurarum osores, *f* 1.686. Seditiones ob vsuras. *fol* 687 Inopia plebs non fit mansuetior. *f.* 689. Vsuræ c barorum, *f* 690. Vsura an licita. *f* 692 An Constantinus mandet accipi vsuras, *f* 693 An vltra sortem accipere pensiones liceat. *f.* 694 Vsuræ maritimæ mercatorum, f. uctuum de p cunia pupillorum aut magistratus, *fol* 697 Judenspieß/ *f.* 698. Vsurarum remedium. *f.* 699 De vsuris Iudaicis, Iudæorumque subdolis inescationibus, *f.* 700 701. 702 &c.

APHOR. XVII Rerumpublicarum moderator Deus *f* 720. Princeps an debeat esse literatus, *f* 721. Regiorum liberorum apud Persas institutio, *fol.* 722 Præceptores Principum, *fol.* 723. Latinatum dictionum expressiones ridiculæ *fol* 724 Studiorum Principis interualla. *fol.* 725. Theodosij & aliorum ob studia & gubernationem commendatio. *fol.* 726. Historiarum praxis & vsus, *f* 729 Pomponij Attici commendatio *f* 731 732 Doctorum virorum amantes Principes, *f* 735 Imperatorum literatorum exempla *f* 739 Iuris Romani restitutio, *f.* 740. Virorum sancte doctorum apud Magnates olim autoritas *f.* 743. Artium humaniorum in diuersas nationes migratio, *f.* 744 Exempla, *f* 745. Bibliotheca Medica olim Florentiæ *fol.* 745. de

---

EPIGRAMMA

Anagrammaticum

in gratiam

REVERENDI ET DOCTISSIMI VIRI, DOMINI M. GEORGII DRAUDII DAVERNHEIMENSIS, PASTORIS ORTHODOXÆ ECCLESIÆ, QUÆ CHRISTO Ortenbergæ colligitur, vigilantissimi, fautoris, promotoris & amici sui dilectissimi.

GEORGIUS DRAUDIUS TAVERNHAIMENSIS.

ἀναγραμματιζόμενος

Arduus es Gigas / *In viro mens erudita,*	vel	Eruditus es Gigas / In viro mens ardua.

Elisa litera H.

ἐξήγησις.

ARDVVS ES, Draudi in scriptis, & in arte Magister,
Audes terrenos sode vocare Deos,
His audes scriptis certare GIGANTIS ad instar,
Herculeas vires atque probare libris.
Hinc si quis tua scripta videt, doctissime Draudi,
Quis non dicet? IN hoc MENS bene docta VIRO est.
Macte itaque hoc animo: quamplurima scribere perge,
Ingenij dotes prodere perge tuas.
Sic tua virtutis post funera gloria viuet,
Gloria in æternos non peritura dies.

Cudebat hunc Anagrammatismum properanter Melchior Deuender Giessensis, Scholæ Ortenbergensis præceptor.
Anno ab incarnatione τοῦ λόγου M. DC. XV. 10. Sept.

IN



IN SCHEDAM REGIAM AGAPETI DIACONI, &c. AD IVSTINIANVM IMP.

LXXII. Aphorismis Theologicopoliticis comprehensam,

THEOLOGI, PHILOSOPHI ET Equitis, ante ingressum ambulatorii,

PRÆAMBVLVM.

GESTIO & supra modum gestio, vos omnium mihi, quos suo orbe sphæricus complectitur orbis, charissimos, alloqui, quibuscum mihi magnus semper vsus, familiaritas optima, & per dilucida temporum interualla colloquium sæpenumero dulcissimum, sæpiusque cupide ac quasi de industria ob mirificam suauitatem protractum, gaudentes adeo & lætantes amantesque inter nos, ob Genii & ingenii similitudinem, honestum honestarum literarum & communium studiorum amorem iucundissimum, qui arctius sæpe hominum solet copulare animos, quam vlla cognationis aut affinitatis propinquitas.

PH. Gestio ego gestu ac voce, vtrobique lætis, reciproce. Tua namque consuetudine, tua familiaritate, amicitia tua sancta & sincera, tuis denique eloquiis simul & alloquiis ex niueo tuo pectore & purissimo corde profectis, me multoties à Genio meo excarnificatum & exagitatum, fortiter recreasti, subleuasti, roborasti, quæ vt dulcia, ita mihi vere consolationi & leuamini erant, adeo vt iis suffultus in tuo ac meo acquieuerim Genio ex animo.

EQ. Tales mihi (quales vos estis) in peregrinationibus meis, Orestes, suauitate fratres, tales prædulcissimos consortes, quando lubricam plurimorum fidem, summo meo sæpenumero cum damno iuxta atque ludibrio, & tantum non ignominia, apud exteros expertus fui.

E P I G R A M M A

Anagrammaticum

in gratiam

REVERENDI ET DOCTISSIMI VIRI, DOMINI M. GEORGII DRAVDII DAVERNHEIMENSIS, PASTORIS ORTHODOXÆ ECCLESIÆ, QVÆ CHRISTO Ortenbergæ colligitur, vigilantissimi, fautoris, promotoris & amici sui dilectissimi.

GEORGIVS DRAVDIVS TAVERNHAIMENSIS.

ἀναγραμματιζόμενος

Arduus es Gigas / *In viro mens erudita,* } vel { Eruditus es Gigas / In viro mens ardua.

Elisa litera H.

ἐξήγησις.

ARDVVS ES, Draudi inscriptis, & in arte Magister,
Audes terrenos sede vocare Deos,
His audes scriptis certare GIGANTIS ad instar,
Herculeas vires atque probare libris.
Hinc si quis tua scripta videt, doctissime Draudi,
Quis non dicet? IN hoc MENS bene docta VIRO est.
Macte itaque hoc animo: quamplurima scribere perge,
Ingenij dotes prodere perge tuas.
Sic tua virtutis post funera gloria viuet,
Gloria in æternos non peritura dies.

Cudebat hunc Anagrammatismum properanter Melchior Deuender Giessensis, Scholæ Ortenbergensis præceptor.

Anno ab incarnatione τοῦ λόγου M. DC. XV. 10. Sept.



IN SCHEDAM REGIAM AGAPETI DIACONI, &c. AD IVSTINIANVM IMP.

LXXII. Aphorismis Theologicopoliticis comprehensam,

THEOLOGI, PHILOSOPHI ET Equitis, ante ingressum ambulatorii,

PRÆAMBVLVM.

GESTIO & supra modum gestio, vos omnium mihi, quos suo orbe sphæricus complectitur orbis, charissimos, alloqui, quibuscum mihi magnus semper vsus, familiaritas optima, & per dilucida temporum interualla colloquium sæpenumero dulcissimum, sæpiusque cupide ac quasi de industria ob mirificam suauitatem protractum, gaudentes adeo & lætantes amantesque inter nos, ob Genii & ingenii similitudinem, honestum honestarum literarum & communium studiorum amorem iucundissimum, qui arctius sæpe hominum solet copulare animos, quam vlla cognationis aut affinitatis propinquitas.

PH. Gestio ego gestu ac voce, vtrobique lætis, reciproce. Tua namque consuetudine, tua familiaritate, amicitia tua sancta & sincera, tuis denique eloquiis simul & alloquiis ex niueo tuo pectore & purissimo corde profectis, me multoties à Genio meo excarnificatum & exagitatum, fortiter recreasti, subleuasti, roborasti, quæ vt dulcia, ita mihi vere consolationi & leuamini erant, adeo vt iis suffultus in tuo ac meo acquieuerim Genio ex animo.

EQ. Tales mihi (quales vos estis) in peregrinationibus meis, Orestes, suauitate fratres, tales prædulcissimos consortes, quando lubricam plurimorum fidem, summo meo sæpenumero cum damno iuxta atque ludibrio, & tantum non ignominia, apud exteros expertus fui.

Peregrinationes. PH. Ego peregrinationes susq; deq; fero. *Me meatellus* (potius cum Horatio,) *lare secreto tutoq; tegito*, in quo, dum à prima viriditate ac flore ætatis meæ in præclaras Musas me abdo, non minus animo, quam alii corporibus, terras finitimas longinquasque perlustro: totam Italiam latinamque gentem, tum antiquam illam, tum hanc recentem, obeo; recta hinc dein priscam in Græciam proficiscor, regiones quasque optimas & eloquentes Athenas circumspicio; illaque in vrbe omnium scientiarum laude florentissima, nunc fulminantem Periclem, nunc Platonem philosophantem, nunc permulcentem Demosthenem aures eruditæ plebis, grauibusque sententiis seniorum mentes permouentem, nunc orationem auream fundentem Aristotelem, & argutulas sophistarum conclusiunculas procella magnarum rationum obruentem attente & scienter audio.

EQ. Quid vero inde præclari, qui nil nisi intra priuatos parietes peripatum in deliciis habes? Si quis, inquit Victorinus Strigelius, plurimarum linguarum & scientiarum peritus esset, & nihil sciret præterea, is mihi non dissimilis videretur gestanti multas claues, neque tamen aperienti fores neq; peruenienti in conclauia seu penetralia domus.

PH. Degusto ex Philosophia, non vero in eam me ingurgito. Philosophari probo: τὸ ἴσον ἐν τῇ χάριτι, inquit Philosophus, nimium philosophari improbo. Nihil enim mihi cum cachinnis Democriti, qui (quam stulte?) vt magis magisque penetralia interiora naturæ posset permeare, oculis semet priuauit. Nihil mihi cum lacrymis Heracliti. Nihil cum austero illo ac rigido Diogene, qui nescio quas in dolio perrimabatur ineptias.

Disputantium gestus. EQ. Carthusianam equidem non præfers faciem; sermocinationibus ac dissertationibus interim bonas tuas insumis horas. At quid inde voluptatis? Egregium scilicet est, in disputando, bacchantium more agitare caput: dorsum obuertere: ronchissare: crispare supercilia: intueri torue: ardere oculis: non posse consistere lateribus: moueri huc illuc: pulsare cubito finitimos: cædere pugnis & concutere scamnum: ore spumare: ducere sannam: furere: rixari: clamare ad rauim: & illum qui tecla excipit deiecto vultu, capite interdum resupinato, continenter iactare manum alteram, pollice complicato cum indice, cubitum sustinente manu altera, voces aduersarii vt cramben bis positam repetere ad nauseam: &, quod spectaculum est indignius, cum vtrinque Andabatarum istorum iam pugna commissa est, cani classicum præpostere, subitoque receptui signum dari non voce, sed manuum pedumque clangoribus: ita sine victoria incerto Marte bellum dirimi.

TH. Tu hanc nobis squalorem indulgebis scio, tot annos præsertim rusticantibus, vbi rastra potius quam rostra sunt in oculis. Sunt hi, quos iam dixisti, mores importunorum, quos ipse ego sæpenumero, vt morari, id est, moros

moros agere desinant, commonui. Quod si & nos isto modo in congressibus nostris familiaribus disputaremus; sane spectantibus nos cæteris insanire & omnis humanitatis expertes esse videremur.

EQ. Nolite hæc quasi à me serio aut in contumeliam aduersum vos dicta interpretari. Amicitia nostra id non patitur. Volebam ego aliquantulum meo indulgere Genio, amori & ingenio, quibus in amicitia nihil est loquacius. Interim, cum sermo de peregrinationibus inciderit, intermittere non possum, quin aliquid de domi desidentium variis vt plurimum discursibus atq; indiciis attingam.

Multis Italis & Gallis, qui nunquam extra lares suos pedem extulerunt, persuasum est, Germanos vnam eandemque ciuitatem inhabitare. Quando enim vident, Germanos, quum studiorum liberalium vel mercaturæ causa ad eos veniunt, tam concordes esse & coniunctim viuere, eademque lingua eos vti, imaginantur sibi, hanc familiaritatem & coniunctionem studiorum & voluntatem, ex perpetua conuersatione ortum suum habere. Hinc & fit, vt sæpenumero ex Germanis apud eos degentibus serio scire concupiscant, quam late pateat ambitus illius vrbis Germanorum aut Alemannorum, quam ipsi vulgo *la Magna* vocant. Interim, si forte vnam aut alteram paginam in Hermete alio politico, siue de prudentia peregrinatoria, aut aliis huiusce generis libris leuiter lustrarunt, dici non potest, quantis verborum ampullis apud suos Admiratores de Antiquitatibus, monumentis, pyramidibus, obeliscis & quibus non discurrere soleant.

TH. Ita nimirum accidit hominibus, qui tanquam fungi vno in loco permanere solent, neque putant, tenus flumen ripam, vt est in prouerbio, habitabilem esse. Quamobrem Antisthenes ridere solitus est Athenienses inde gloriantes, quod essent αὐτόχθονες, hoc est, indigenæ, eo quod non aliunde eo commigrassent, nec patriam sedem mutassent vnquam, dicens, hoc laudis illis esse cum testudinibus cochleisq; commune.

EQ. Non frustra igitur Ægyptii in suis sacris notis, vt Orus obseruauit, hominem, qui nunquam solo natali relicto peregrinatus fuerit, significantes, Onocephalum pingunt, quia nec vllam audit historiam, nec quæ apud exteras gentes fiunt, cognoscit.

PH. Hæc inscitia priuatorum tolerabilior est, quam eorum qui Respublicas administrant, ideoque etiam in his plerunque exitum habuit infelicem & lamentabilem; accedentibus præsertim falsis opinionibus, quæ animos præoccupant, cæcq;, secundum Galenum, non tantum surdos, sed etiam cæcos efficere homines solent.

TH. Vtramque vt coniungant ii qui magistratum gerere volunt, & eam quæ in theoria, & eam quæ in praxi siue experientia consistit, operæ pretium est. Hinc non sine singulari Dei prouidentia omnibus seculis, per vniuer-

ſum terrarum orbem viri, virtute & ſapientia præſtantes, in eo elaborarunt, vt opera & labore ſuo, communi hominum ſocietati prodeſſent: atque alii quidem magno animo prædìti, & ad imperandum nati ſuſceptis rerum publicarum gubernaculis, earum rectores & conſeruatores extitere. Alii vero quietis & ocii amantes ac nihilo minus tamen ciuibus ſuis conſulere volentes, accurata animi obſeruatione, in ſuis & aliis populis perſpexerunt rationes reſpublicas bene & prudenter conſtituendi & gubernandi, quas poſtea literarum monumentis prodidere: quo in genere Plato, Ariſtoteles, doctiſſimiq; alii philoſophi fuere. Fuere etiam complures qui nullis præceptionibus additis, excellentium Rerumpub. formam rationemq; deſcripſere, quo in genere extant Xenophon. præclari commentarii de Athenienſium, item de Lacedæm. republica. Præterea Heraclidis ſcripta de rebuſpublicis Athenienſium, Amorgiorum, Corinthiorum, Cumanorum, Cyrenenſium, Eretrienſium, Lacedæmoniorum, Lepreatarum, Logrorum, Lyciorum, Moloſſorum, Phaſianorum, Samiorum, Tyrrhenorum. Ariſtoteles quoque, cuius ingenii acumine omnes philoſophiæ partes illuſtratæ & excultæ ſunt, reſpublicas vrbium CLVIII. deſcripſiſſe traditur. Noſtra vero ætate multi Turcarum Politiam, non pauciores magiſtratus & rempublicam Venetam deſcripſere. Quod ſi optima ratio eſt, vt Platoni viſum fuit, legum tradendarum & ciuitatis bene inſtituendæ, ſi omnibus omnium rerumpublicarum moribus ac legibus collectis, viri prudentes eas inter ſe compararent, & ex his optimum reipublicæ genus conflarent: certe laudandum eſt eorum ſtudium, qui in colligendis & deſcribendis celebrioribus rebuſpublicis operam ſuam collocarunt.

Theoria & praxis politica.

PH. Politicus quiſpiam iſthæc dicere debuerat. Sed ehem, qualis eſt liber iſte, quem tam impenſe manibus teris, fixiſque adeo perluſtras oculis; videtur è vetuſta illa Bibliotheca Alexandrina prodiiſſe, quum blattis & tineis tantopere ſit corroſus; qui ſi in aromatariorum perueniret manus, diſcerptum mox cucullarent. Vah, liber, vt video, politicus eſt. Verba videlicet facturus es de rebus politicis, qui nunquam in Republica es verſatus?

Theologico-politici.

TH. Et indignum me inſuper munere publico in Republica, aſſero, præſertim quum quod agam aliunde ſatis habeam. Fateor tamen interim, me ab ineunte ætate (opinor Genio inſtigante,) nil quicquam propemodum habuiſſe antiquius, quam de Republica bene mereri, quod vt legitimo aſſequar tramite, per remiſſionum interualla, à ſtudiis theologicis ſublimioribus ad ea delibanda deuoluor, quæ bonum concernunt ac promouent publicum. Quod ſane mihi nemo prudens vitio vertet. Si enim quam maxime ſalua olim fuit Reſpublica, cum Moſes & Aaron, Iairus & Regulus atque vna cum ipſis Centurio, mutuas ſibi præſtiterunt operas; hiſce certe turbulentiſſimis temporibus, ſi modo ſaluam habere velimus rempubli-

cam

eam Christianam, vt Theologi simul & politici vtrobique inuicem correspondeant, operæ pretium est. Proinde neutrum studium ab altero separari conuenit, cum vnum absque altero, rebus ita stantibus, perfectum, aut vsui publico satis esse possit.

PH. Miror vnde isthæc nunc demum enata per metamorphosin sit Theologorum & politicorum συμπάθεια. Bene enim memini, hactenus non vsque adeo vtrinq; ipsis conuenire, imo cane peius & angue sese inuicem vtplurimum odisse; quod quidem odium etsi politici pleriq; callida quadam prudentia norunt incrustare, ementitaque ac laruata humanitate atq; beneficentia palliare; Theologi tamen ex rigida quadam impatientia, quid de Politicis plerisque sentiant, aperte, imo publicis sæpenumero scriptis produnt. Hinc inuectiua illa Thomæ Stapletoni Angli, nimirum, An politici horum temporum in numero Christianorum sint habendi, in publicum edita, eaq; dubio procul apud Politicos eos præsertim qui pungi sese sentiunt, odiosa, Oratio; hinc illi, Leonhardi Lessæi, de prouidentia Numinis & animi immortalitate aduersus Atheos & Politicos libri duo, ita inscriptis, & quæ sunt huius generis alia.

TH. Exist mas nimirum, tibi potius quam mihi conuenire studium politices. Nec me latet, vnde hanc quam non audes prodere, rationem hauseris. Dicam igitur ego. Didicisti ex Themistio Philosopho, Platonē id passim euicisse; paribus nimirum, Principem & Philosophorum (vere tamen ita dictū) passibus ambulare, parique loco & pretio habendos. Vtrisque enim pari eodemque exemplo pugna est & pax: huic quidem circa orationem & scientiā; illi vero circa rempublicam probe administrandam: hic vniuersorum Rectorem agnoscit; ille eum imitatur. Hæc tua est sententia, quam ne in suspicionem animi elatioris incurras, silentio sopire mauis, interim dum mihi, quasi indignum mea professione. Politices studium exprobras, eo ipso quid velis, haud obscure innuis.

EQ. Bona verba quæso. Inter bonos bene agier oportet. Et nos proinde quam amici inuicem, diuersæ quantumuis conditionis iuxta ac professionis simus, omnia bene atq; in benignam accipiantur partem, votum nostrum vnanime esto. Nunc rem ipsam, quam paululum delibastis, quod attinet, è libello hoc ego colluctantibus interea vobis, Aphorismos aliquot attētius perlegens, nihil in eo superuacaneum contineri, sed tot fere sententias, quot verba, deprehendi; qui proinde dignus omnino est, vt à blattis & tineis, à situ, squalore & interitu, cui proximus haud dubie sæpenumero fuit, vendicetur. Et sane abstrusiores rerum omnimodarum scientiæ ex vetustioribus huiusmodi monumentis vtplurimum eruuntur.

TH. Diuina prouidentia laminas huiusmodi aureolas in posterorum emolumentum asseruari omnino mihi persuasum habeo, quæ dudum alioqui de-

titæ atque internecioni datæ forent; cuius asseruationis diuinitus ita factæ, inter alias, exemplar præsto est Historia illa Æthiopica, vtrobique nobis nota. Heliodori, de quo mirari ausim, amœniorem & iucundiorem addere etiam non verebor, doctiorem è Græcis autoribus (de profanis Historicis loquor) in manus deuenisse nunquam, seruatus is (Heliodorus) est ex clade ista Hūgarica, qua serenissimi quondam regis Matthiæ Coruini bibliotheca omnium instructissima superioribus annis à barbarie Asiatica vastata est. Hunc enim cum aliis nonnullis miles quidam plane gregarius, & ab omnibus tam Græcorum quam Latinorum disciplinis abhorrentissimus, illustrissimum Principem Casimirum, Marchionem Brandenburgensem, laudabilis memoriæ, in Vngariam tunc comitatus, forte fortuna (non sine numine Diuum reor tamen) sustulit, quia auro exornatus nonnihil adhuc splendescebat.

Heliodori historia.

PH. Noluit haud dubie Deus, vt tam tersus autor, & visus & lectus paucissimis, interiret; Sed seruatus multis adhuc & voluptati foret & oblectationi & vsui. Num vero hic quem præfers libellus inauditum hactenus aliquid ferat, valde subdubito, quum tot librorum politicorum extent hodierno die plaustra, proinde verendum, ne eadem de iisdem, adeoque crambem nobis apponas bis coctam; non enim dubium est eadem hæc ab aliis nostri seculi Politicis, & quidem elegantius multo & copiosius esse pertractata; Ampliora namque atque sublimiora sunt Acta atque Instituta politica, quam vt tam breui possint comprehendi compendio. Et tametsi nos collocutionibus nostris mutuis compendium hoc ampliare (haud secus ac si quis pumilionem veste laxa ac dilatata, pileo terete eoque eleuato, calceamentis grandiusculis, conspicuum atque grandiusculum facere velit) id quod velle videmini, adnixi fuerimus; nihil tamen quod multoties prius dictum non fuerit, in medium proferemus.

TH. Ecquando tandem desines, in hisce nœniis morari, id est, morum agere. Itaque ad hasce tuas ineptias hoc habeto responsi. Cum aliquando Ciceroni obiiceretur, quod ea quæ scriberet, è Philosophis mutuaret: Metuebā inquit ipse, ne à lenonibus diceres. Pari modo cum ei opponeretur, Socrates disputabat isto modo. Bene hercle narras, inquit. Nam istum doctum & sapientem virum fuisse, memoriæ traditum est. Nunc ad libellum hunc, quod attinet, docet is (quod Iustinus Curopalata Iustiniani illius Augusti ex sorore nepos apud Zonaram *lib. 3. annal.* monet ante omnia Tiberium,) τὰ περὶ Θεὸν εὐσεβεῖν, τοὺς ὑπηκόους εὐεργετεῖν, τοὺς ἀδικουμένους ἐκδικεῖν, id est, Deum pie colere, in subditos beneficientiam exercere, & oppressos ab iniuria vindicare. Abundatque tractatus hic dulcissimis paronomasiis, quas vberioribus sententiarum iuxta atque historiarum fragrantiis explicare atque dilatare, nemini non debet esse volupe. Cæterum autor huius libelli est, Agape-

Schedæ huius summa.

Agapetus, Diaconus, (eo quidem tempore, quo hanc parænesin exarauit,) magnæ & sacrosanctæ (vti seipsum profitetur,) Ecclesiæ, Constantinopolitanæ, vt puto, vrbis, vbi imperatoria aula erat constituta. Et videtur, sub imperii Iustinianei initium hic tractatus exaratus esse. Et fuisse in pretio libellum hunc, ex eo manifestum est, quod βασιλικὴ σχέδη, id est, regia scheda apud Græcos dicitur; neque id abs re. Orditur enim a cultu & honore, quem Principes viri Deo debent; ac de vigilantia, περὶ εὐγενείας, id est, de nobilitate, & de facultatibus opum disputans monet, principi operam esse dandam, vt quotidie in omni virtutum genere proficiat. I nunc, & me indignum Theologo præferre librum proclama. Agapetus quis.

PH. De Agapeto nihil ego habeo, quod commemorem. In Gesneri etiam Bibliotheca nihil annotatum video præter hoc quod iam subiicio: *Agapetus diaconus magnæ & sacrosanctæ DEI Ecclesiæ scripsit sententias pæreneticas numero LXXII. ad Iustinianum Cæsarem, quam Græce schedam regiam appellant. Disserit enim de Regis officio.* Et quoniam polyhistores viri nihil aliud addunt, suspicor, opusculum hoc authore ipso celebrius fuisse.

TH. In Tomis Conciliorum, volum. 2. legimus, Agapetum illum, vt legatum, anno Domini 534. 10. Calendar. Maii Constantinopolin venisse ad Iustinianum Imperatorem, Amalasunthæ reginæ, sibi commendatæ, à Theodato perpetrata cæde, offensum: quæ legationis illius à Theodato institutæ causa fuerit. Et partim ibi, partim alibi passim ab historiographis refertur, quod cum Anthimus, seu, vt alii scribunt, Anthemius, eo tempore Episcopus Constantinopolitanus, Acephalis esset deditus, & ab ipso etiam Imperatore Agapetus tentaretur, vt Eutychianam opinionem comprobaret, interque eos propterea contentio verteretur, Imperator indignatus, Pontificem meminisse iusserit, quod Imperatori se opponeret, penes quem esset summa potestas, insuper & minas addiderit, Agapetus vero in hæc verba responderit, Putabam me venisse ad Christianum principem, sed, vt deprehendo, veni ad Diocletianum: qui tamen minas tuas non pertimesco. Addunt quidam, quod tiserit & collum nudauerit, responso dato, se cædem æquo animo laturum esse, & beatum fore, si talis sibi vitæ exitus daretur. Tam libera voce delectatum tamen aiunt esse Imperatorem, & piis Episcopi consiliis & monitis cessisse, eiectoque è communione & in exsilium expulso Anthimo, quum ab Agapeto erroris esset conuictus, Mennam in locum illius substituisse. Defunctus autem est hic Agapetus Constantinopoli, & corpus eius Romam in loculo plumbeo in basilicam B. Petri translatum,

tum, & 12 Calend. Octob. est sepultum. Ad Synodos istas, anno Domini 518. & 536. antegressas secundum illud Concilium Constantinopolitanum, quod oecumenicum seu generale quintum est, anno Domini 553. celebratum, in subscriptionibus legitur non semel: *Agapetus miseratione diuina presbyter & archimandrita monasterii Dii.* Commemoratur ibi etiam *Agapetus Dei miseratione presbyter & archimandrita diuæ memoriæ Thalassii.*

EQ. Dicam ego breuius. Eodē tempore Agapetus hic vixit quo Iustinianus ille ex iuris ciuilis constitutionibus celebris, imperium administrauit, id quod sortitus est anno à nato Seruatore quingentesimo vigesimoctauo. Cæterum de Iustiniano nihil attinet pluribus perorare, cū sit celebratissimi nominis Imperator, vnde Iustinianus Magnus appellatur. Tria autem inprimis cum laude de eo recitari solent, quod nempe ius ciuile in certum ordinem redigi curarit, quod Christianum Concilium, quæ quinta Synodus Oecumenica dici solet, coegerit, quodque Imperii terminos contra irruptiones barbarorum munitionibus firmarit.

Iustiniani Imp. gesta.

TH. Suidas vetustus autor eum vocat ὀρθοδοξότατον hoc est, rectæ fidei studiosissimum, ἐπαχθῆ ... interim, καὶ ἀναλφάβητον, hoc est, rudem nullisque literarum disciplinis institutum.

PH. Habuit tamen etiam suos næuos. Zonaras enim Tomo 3. historiarum seu annalium hæc ei vitio dat, quod pecuniam & temere profuderit, & per fas ac nefas compararit, annua tributa exaggerando; quodque propter ædificationes suas, stipendia liberalium artium magistris olim constituta sustulerit, quas, vacantibus literarum studiis, vastitas inuaserit; Euagrius l. 4. histor. Eccles. c. 29. meminit, quod tam largus in eroganda pecunia fuerit, vt multa sancta & magnifica templa in multis locis extrueret, aliaque sacra ædificia, quibus tum viri tum mulieres & ætate tenera & exacta, tū qui variis morbis vexabantur, sedulo accurarentur: alia denique infinita exsequeretur opera, *Quæ*, inquit, *sane pia Deoque accepta essent, si modo illi vel alii, qui talia moliuntur, de suis ipsorum bonis efficienda curarent, suaque vitæ actiones vacuas à sceleris labe, tanquam hostiam, Deo offerrent.* Atque hic porro scriptor historiam de eo suam minime laudabili epilogo terminat, dum sub initium libri quinti sic scribit: *Iustinianus igitur quum omnia omnino turba ac tumultu compleuisset, mercedemque his rebus debitam in extremo vitæ suæ tempore re[portaturus] ... ad supplicia, iusto Dei iudicio apud inferos luenda, profectus est.* Quod quidem si ita est, hæc Agapeti exhortatio magis illi necessaria, quam fructuosa extitit, vt qui cum fide doctoris suum non cōiunxerit obsequium.

Tribonianus auarus.

EQ. Sane de Triboniano eius quæstore non pauca Suidas habet vituperationis plena, vt, quod fuerit gentilis & impius, à Christiana religione omnibus modis alienus, adulator, & impostor, eruditionis quidem summæ, ἐς δὲ φιλοχρηματίαν δαιμονίως ἐσπουδακώς, hoc est, pecuniæ mirum in modum

dum

dum, diabolico quasi impetu, auidus, sed τῆς φιλοχρηματίας τὸ νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανώτατος τῇ τῆς παιδείας περιουσίᾳ, hoc est, ingeniosissimus, & solertissimus ad auaritiæ morbum amplitudine doctrinæ tegendum & quasi obscurandum. Is quidem si talis fuit; & ea de re constitit Imperatori, non erat sectioni paræne sis. 12. 22. 32. 56. consentaneum in tanto illum habere precio. Sed de Iustiniano melius quid sperauero: etsi suis quibusdam etiam vt homo vitiis laborarit. Sunt enim alii in Iustinianum æquiores quam Euagrium fuisse meminimus. Franciscus Hotomannus in vita ipsius, quæ commentario in quatuor Institutionum iuris ciuilis libros est præfixa, hæc de eo habet: Religionem Christianam pie sancteque coluit: siquidem errantium opinionum quibus tum Ecclesia Christiana tanquam tempestatibus quibusdam agitabatur, vindicem se acerrimum & inimicissimumq; præbuit. *Nam & Porphyrij & Eutychetis, Nestoriique impias & [illegible] opiniones repudiauit, ac religionis nostræ de triplici in Deo persona sententiam integerrime constantissimeque defendit. Postremo, quæ in Concilio Nicæno eadem de religione conuenerant, arctissime retinuit. Imperauit annos XXXIIX menses VII. dies X. vixit circiter octoginta quatuor annos, mentisque errore multo ante affectus, Iustino ex filia nepote Imperatore designato, vita est functus.* Hæc Hotomannus. Quin etiam quo in religionem fuerat studio, planum est ex illo edicto, quod tertio sui imperii anno promulgauit, vt nulla videlicet esset religio, nisi Christiana, in suis regionibus & prouinciis, ac idololatris dedit inducias tres menses ad conuersionem, vt refert Paulus Diaconus *lib. 16. rerum Rom.* Et huius Imperatoris vitam, saltem pro isto tempore quo hæc scribebat, Agapetus passim commendat capitulis 5. 8. 17. 18. 19. 20. 34. 49. Eum autem ipsum & suæ doctrinæ immemorem, & assentationis turpitudine inescatum fuisse suspicari nolim. Sed neque hanc sinistram suspicionem admittit libertas illa, qua passim in tanto principe monendo vtitur.

PH. Absit a me, vt tanti Principis nomini turpitudinis notam inurere velle præsumam. Allegaui [illegible] quam vero approbaui, quæ vnus [illegible] de Iustiniano [illegible], probe integræ memor, vbi in iudiciis [illegible] in [illegible] concedendum [illegible] totius vitæ cursu æstimare quis velit, [illegible] de optimis, [illegible] Dei testimonio in sacra scriptura laudatis regibus. Nimirum iniqua est, [illegible] sepositis bonis, malorum commemoratio, vitiorumque selectio [illegible] naeuorum exaggeratio, virtutumque obscuratio, & denique iniquissima in innocentes [illegible] calumniandi rabies.

TH. Ergo [illegible] non vereor Iustiniani memoriam cum laude vsurpare, proindeque honorifice de eo [illegible] sentio, qui cum in celsissimam augustæ [illegible] atque honoris sedem ascendisset, & in multos populos dominatum obtineret, a Christiana doctrina ob potestatis sublimitatem non de-

flexit: sed animum ad hoc cogitandum instruxit, regnum sibi non ad contumeliam & iniuriam in Deum & homines, sed ad beneficentiam & ad promouendam veram religionem, in recta fide & sincera sanctimonia positam, traditum & commissum esse. Quapropter eius animum confirmaturus Agapetus, hoc scriptum cordate ad ipsum quasi ex tempore fudit: qui certe videri queat exquisitis elaboratus meditationibus libellus, propter sententiarum suauem elegantiam, pietatemque & prudentiam, quæ ex ipsis admonitionibus elucet. Porro non est obscurum, quod ad duas decalogi tabulas respiciat, & quæ ibi omnibus vniuerse edicuntur, speciatim ad regiam vocationem accommodet. Interdum vero etiam admonitiones laudationibus variat, & commendatitias quasdam narrationes aspergit, vt opinor, diluat suspicionem; quasi parum verecundus esset & modestus, aut animo in regem non satis æquo, celsitatemque ac existimationem Imperatoriam exhortationum audacia obscurare cogitaret, aut parui duceret virtutes illas, quæ de ipso vera cum gloria prædicari poterant. Et sane prudentis iuxta ac iusti hominis erat, talem virum non modo idoneis consiliis ad officii sui munus instruere, sed & debitis laudibus prosequi. Optimus enim est eos, qui integritatis & honestatis serio studio ducuntur, cohortandi modus, si vera eorum præconia non prætereamus silentio, & institutionis austeritatem commendationis dulcedine molliamus & quasi fallamus. Sicut etiam lupini, alioquin amarissimi, dulcescunt macerati: ita etiam, qui admonentur, interposita commendatione, euadunt obsequentiores.

Cæterum Aphorismos hosce Theologicopoliticos Agapeti quod attinet, habet Græcus textus in illis vsurpatus peculiarem quandam, in breuitate gratiam. Duas autem adiunxi versiones, veterem vnam, recentiorem alteram; quarum illa ad verba, hæc ad sensum propius accedit, vtraque legentium vsibus inseruitura.

Legite & iudicate.

EXPO-

EXPOSITIO CAPITVM ADMOnitoriorum, edita ex tempore ab Agapeto diacono sanctissimæ Dei magnæ Ecclesiæ. Quorum apex literarius sic pote habet.

ἜΚΘΕΣΙΣ ΚΕφαλαίων παραινετικῶν, σχεδιασθεῖσα παρὰ Ἀγαπητοῦ διακόνου τῆς ἁγιωτάτης τοῦ θεοῦ μεγάλης ἐκκλησίας, ὧν ἡ ἀκροστιχὶς [illegible] ἔχει.

TRACTATVS, IN QVO BREVITER EXPONVNTVR monita quædam de officio regis, fusus ab Agapeto, magnæ & sacrosanctæ Dei Ecclesiæ diacono; quæ Arithmeticis à capite notis, velut in versus distincta, hoc modo se habent.

Diuo & pientissimo imperatori [illegible]stro Iustinian[illegible], Agapetus minimus Diaconus.

Τῷ θειοτάτῳ, καὶ εὐσεβεστάτῳ βασιλεῖ [illegible] Ἀγαπητὸς ὁ [illegible] διάκονος.

A[illegible]ctoritate [illegible] concessa sacratissimo & religiosissimo regi nostro Iu[illegible]ano, Agapetus diaconorum minimus omnem D E I benedictionem exopto.

APHORISMVS I.

Cum omnis Magistratus, à Deo [illegible] sit; proinde vt omnis Præeminentium gubernatio voluntati diuinæ sit conformis, eiusque honori subseruiat & gloriæ, par est.

HONORE quolibet sublimiorem quum habeas dignitatem, o Imperator, honora supra omnes qui hoc te dignatus est Deum: quoniam [illegible] similitudinẽ cœlestis regni tradidit tibi sceptrũ terrenæ potestatis, vt homines edoceres iusti custodiam, & eorũ qui aduersus ipsum rabiũt insectaueris latratũ, [illegible] ipsius contemperando legibus, tum subditos tibi regendo pro iure-

Τιμῆς ἁπάσης [illegible] [illegible] βασιλεῦ, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

QVVM, optime rex, honore quouis eminentiore in obtineas dignitatis gradũ, merito præ omnib. eũ, qui [illegible] te exornare est dignatus, Deum nempe summum, sancte colis: quandoquidem ad cœlestis regni similitudinẽ [illegible] [illegible] tibi dominationis sceptrum ille tradidit, vt homines [illegible] æquũ & bonũ colere, ac [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] stimulantur, [illegible] per-sequaris, vt [illegible] nempe & te regendum D E I legibus [illegible] & populos tibi [illegible] legibus conuenienter regas.

DISCVRSVS.

PH. Animaduerto ego primo mox intuitu elegantem Acrostichin. Principes namq; siue initiales literæ, 72. Aphorismorum, quæ in hoc libello continentur, inscriptionem hanc: τῷ θειοτάτῳ, totidem Elementis continent.

Acrostichis

TH. Est hic modus, per capitales nimirum vocularum literas vocabulum aliquod aut sententiam colligendi, non infrequens, vnicum ex Lauterbachio ex infinitis aliis allegabo exemplum, ad voculam *Ebrietas.*

Si iungatur Equo Briareus R[illegible], Ibis, Echinus,
Taurus, Aper, Satyrus: quid fieri inde putas?
Monstrum quo toto nihil est deformius orbe,
Delitiæ iuuenum, delitiaque senum.

EQ. Ego indulgente Genio, sæpenumero huiusmodi Acro[illegible] (nescio tamen, an felici vena, aliorum esto iudicium,) soleo fundere ex tempore. Hem faciam modo periculum.

Lux Verbi Diuini Omnes diVerberat Imbres,
Concidit Vrbs, Su[illegible]bit Gens, Extinguitur Orbis,
Religio Gliscens, Verbo Stans Continet Orbem.
Macte Ergo Subsiste Animo Sacrumque Tuere.
Olim L[illegible]e Beatus Eris Reparata Gubernans.

PH. Vtrumque feliciter. Sed facile condonandum tibi homini Equestri, Ephippiis magis quam Poetarum otiosorum logogriphis assueto. Esse [illegible] ex affectu probe [illegible] possum, frontem video, & in fronte mentem illam liberalem & verecundam, hanc ingenuam atque beneuolam, Candor non moratur verba grandiloqua. Sed & hoc: *Qui nunquam male, nunquam bene,* passim decantatum te facile excusabit.

TH. Memini ego, me puero, cum adhuc in scholis triuialibus degerem, quempiam è commilitonibus meis amor ad[illegible] libo[illegible]are, vt egregiam aliquam sententiam, quæ literas duntaxat initiales sui [illegible] nominis exprimeret, atq; repræsentaret, erant [illegible] nomi[illegible]is, cognominis & patrii [illegible] plius literæ initiales, I. C. A. Tandem [illegible] macerasset, (vah quam [illegible] exultans!) hanc [illegible] omnibus[illegible] parietibus inscribebat [illegible] *C[illegible] A[illegible].* In[illegible] [illegible] simplicitas.

EQ. Facell[illegible] [illegible] capessere in[illegible] [illegible], Aphorismis agit, qui [illegible] endos, ne [illegible] esse didic[illegible] commodior. Est enim [illegible] publicæ [illegible] summa in eo constituta, proinde que eadem, quæ [illegible] virtutis [illegible]. Sed [illegible] quid [illegible] quoque [illegible] dixit [illegible] iam dudum [illegible], ne [illegible] de iisdem ad nauseam [illegible] [illegible].

PH. Non omnino eadem de iisdem. Noua secula nouos subinde pariunt discursus, id quod in omnibus scientiis vsu venire compertum nobis est. Exemplo duntaxat sit ars militaris & medica. Nam si Iulius Cæsar rediuiuus operam & opera bellica, quæ hodie extant, videret, attonitus puto ob disciplinæ & prudentiæ militaris [illegible] mari que incrementum, redderetur: cuius magna pars ipsum latuit. Quod si Hippocrates & Galenus olim Medicorum Principes varios thesauros & recessus naturæ occ[illegible]ariter hodie introspicerent, forte naturam transmutatam esse, aut saltem DEVM opt. max arcana Macrocosmi & Microcosmi iam demum hominibus aperuisse, sibi persuaderent. Vt taceam de aliis rebus nouiter perfectis & adiectis. Quod artium & scientiarum Methodum attinet, illa hodie DEI beneficio ita comparata est, vt etiam [illegible] tempor[illegible] spatium generosum ingenium artium præceptarum [illegible] possit. Quod olim ob præceptorum confusionem & ἀταξίαν ne per totum vitæ curriculum alicui licuit. Et sane indubium est propediem vniuersas & singulas artes toti orbi terrarum vna eademque Methodo [illegible] singulari & nono miraculo fore. Methodum in Theologia videtis [illegible] in Iure, in Medicina, in artibus Logicis, Metaphysicis, Physicis, Mathematicis, [illegible] &c. ordine naturæ conformatam: qua quis [illegible] non poterit modico annorum interuallo rerum diuinarum & humanarum potissimam theoriam [illegible] consequi: postea maturiori praxi ad vitæ tempus vsque percolere & perficere.

EQ. A[illegible] ergo [illegible] At ordiemur tamen altius, quam Agapetus. Siquidem is [illegible] Principem constitutum; nos vero constituendum [illegible] constitutum [illegible].

PH. [illegible] parentum connubio, congressu [illegible] remotum, addo etiam ordinem.

TH. [illegible] dicam in aurem. Christianum [illegible] Christianum [illegible] precibus hoc propositum [illegible]

PH. Ita sane est. Sed [illegible] ergo.

[illegible]
Nost[illegible] omnia tua.

TH. Aliquid [illegible] plurimis. Quem plerunq; nobis scio ita comparatum [illegible] mellifluum quærelam quæ maxime [illegible]us, in [illegible] tate maxime [illegible] maxime ad orationis siue elegantiam siue vbertatem reposita [illegible], vbi vsus postulat, nec [illegible] sub [illegible] gamq; verum [illegible] ipsam nunc inchoatum [illegible] dinis [illegible], in [illegible] exordium, in ipso [illegible] loqui exordio, cum Synesio Episcopo Cyrenaico procumbimus: [illegible]

 [illegible]

Noua, Noua ingenia.

A precibus fiat initiũ.

γέσθω παντὸς ἔργου καὶ λόγου. *Deus omnis actionis & sermonis autor atq; dux esto*; tuamque omnino gloriam patiaris nobis lucem illuxisse hodiernam & crastinam, & quæ reliqua erit, omnem tuis mancipato officiis, vt perpetua tibi cum spiritibus castissimis deuincti maneamus λειτουργία. adeoq; omnia quæ dicturi sumus, ad tui cum primis nominis gloriam tum etiam ad vtilitatem proximi nostri vergant.

EQ. Recte omnino commonefacis. Principum namque liberi non tam vt nascantur, quam vt viuant, pieque ac feliciter educentur, cautio est, idq; subditorum piis votis ac precibus à Deo exorandum. Siquidem propter peccata grauia sæpenumero ipsi etiam paruuli in lucem editi, atque adeo fœtus in vtero, publicis malis & pœnis inuoluuntur, qui tamen nobis videntur esse innocentes. Sic enim Oseas cap. 9. *Auolabit gloria eorum à partu, ab vtero, à conceptu.* Item: *Ephraim ducet ad interfectorem filios suos.* Et rursus: *Da eis vuluam orbantem & vbera arentia.* Item: *Interficiam amantissima vteri eorum.* Estque adeo verum, quod in lege Dominus verbi sui contemptoribus comminatus est: *Maledictus tu & fructus ventris tui.*

Communis humana conditio. TH. Paribus omnino passibus in hoc quidem genere non minus atque etiam in ipsius natiuitatis conditione ambulat Princeps simul & subditus. Id quod etiam ipse Salomon rex lubens fatetur Sap. 7. *Sum quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis & delectamento somni conueniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo. n. ex regibus aliud habuit natiuitatis initium.*

EQ. Ethnicorum reges, infantulorum suorum natiuitates longe iudicarunt quam cæterorum ex communi hominum fæce natorum, augustiores. Id quod inter cæteros testatur Alexander Sardus de moribus gentium lib. [illegible] cap. 11. de Persarum rege eiusque institutione, itemq; de regibus Æ[illegible]

Persi. *Qua die, inquit, Persarum rex nascitur, hanc quasi Deorum* [illegible] *solemne celebrat.* [illegible] *curam habent* [illegible] *re* [illegible] *doceitur anno agitare equos* [illegible] *magistris, ex Persis omnibus* [illegible] *lectis* [illegible] *Magiam institutam à Zoroastre* [illegible] *& instituta regia, veritatem colere,* [illegible] *comprimere,* [illegible]

Arsacidæ. PH. De Arsacidarum vero regibus [illegible] est [illegible] atque sententia. Nam [illegible] inquit Alexander Sardus *de moribus gentium, lib. 2. cap.* [illegible] tur, qui natus ex turpi nefarioque matre [illegible]

[illegible]

tum reges sint ex Sacerdotibus. Si forte aliquando ex militibus fuerint, primum discunt à sacerdotibus rerum diuinarum scientiam, quod turpe putét, Regem, qui Deus si nulchrum sit, ignorare Deos. *Hac Sardus.*

TH. Hæc obiter duntaxat delibasse nobis sufficiat. Cæterum Augustinus lib. 4 de ciuit. Dei, priscum Romanis morem fuisse scribit, vt infantem natum statim humi deponerent ac continuo leuarēt, vnde Leuanam Deam quidam finxêre: quod, attestante Plinio, non antea vocem dari putarent, quam terram attigissent. Et talis fetus, teste Varrone, ab obstetrice mox exceptus, in terram [illegible] ebatur, vt rectus esse inciperet. Porro nomina infantibus die lustrico, hoc est, puellis quidem octauo, masculis autem nono die imposita antiquitus fuisse scribit Plutarchus, & Macrobius *Saturn.* 1. *cap.* 16. Alii maribus nomina ante virilem togam, fœminis autem non prius quam nuberent, imposita fuisse, nomina scribunt. *Romanorum* *Nominum impositio.*

EQ. Ridiculosa admodum est parasitica illorum garrulitas, qui procerum ac diuitum [illegible] paruulos vixdum bidua[illegible] vsque adeo [illegible] suspiciunt, adblandi[illegible] alloquuntur, arrident, quasi non infantes, sed fantes ex vtero prodiessent.

PH. Parasiticam huiusmodi garrulitatem Athenæus aliquando egregie perstrinxit. Cum enim audisset partum matris Timothei regis: *si*, inquit, *opifi[illegible] ens peperisset, non Deum, quales edidisset voces?* irridens nimirum quorundam fœdam adulationem, qui regum filiis [illegible] buebant diuinitatem, quum vox parientis regem æque [illegible] sit, ac parturientis cuiuslibet plebeium.

EQ. Edito in lucem infantulo primum ac potissima plerumq; apud locupletiores præsertim, solet esse cura de nutrice; quam quidem lactationem ac [illegible] vicariam muliercul[illegible] admodum [illegible] sapientes ac rerum gnare [illegible] dictæ rationibus, egregiis scil[illegible] [illegible] (inquiunt) cum summo [illegible] molestia infantuli namq; [illegible] exugunt. *Nutritio infantum vicaria.*

PH. [illegible] valde admodum excogitata. Cæterum optandum esset [illegible] cerebelli [illegible] D[illegible] [illegible] pellam [illegible] non [illegible] gerent, adeoque non Dura magis, quam Pia [illegible] cerebrum. Sed remisso, in senat[illegible] onquæstionem rationi nuncio, quid viri graues [illegible] vicaria illa nutricandi [illegible] sentiant, audiemus. Plutarchus certe illam admodum improbat. Dandam est, (inquit *in tractatu de instit. puer.*) [illegible], vt matres filios educent, eisque vbera porrigant, maiori enim cum charitate & impensa magis diligentia nutrient. Nutrices vero [illegible] quandam & ascriptitiam beneuolentiam habent, vtpote mercedis gratia diligentes. Extat de hoc [illegible] apud Gellium *lib.* 12 *cap.*

12. cap. 1. epistola monitoria, his verbis: Phauorinus philosophus nato filio Auditori sectatorique eius. Nihil inquit dubito, quin filium lacte suo puella nutritura sit. Sed cum mater puellæ parcendum ei esse diceret, adhibendasq; puero nutrices, ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, munus quoque nutricationis graue ac difficile accederet. Oro te (inquit) mulier, sine eam totam integram esse, matrem filii sui. Quod est enim hoc contra naturam imperfectum atque dimidiatum matris genus? peperisse ac statim à se abiecisse? Aluisse in vtero sanguine suo nescio quid, quod non videret, non alere lacte suo, quod videat viuentem iam hominem? iam matris officia implorantem? An tu quoque (inquit) putas, naturam fœminis mammarum vbera, quasi quosdam næuulos venustiores, non liberorum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? Sed nihil interest (hoc enim dicitur,) dum alatur & viuat, cuius id lacte fiat. Non frustra quidem creditum est, sicuti valeat ad fingendas animi corporisque similitudines, vis & natura seminis, non secus ad eandem rem, lactis quoque ingenia & proprietates valere. Neque in hominibus id solum, sed in pecudibus quoque animaduersum. Nam si ouium lacte, hædi aut caprarum agni alerentur, constat ferme in iis lanam duriorem, in illis capillum gigni teneriorem, in arboribus etiam & frugibus maior plerunque vis & potestas est ad earum indolem vel detrectandam vel augendam aquarum atque terrarum quæ alunt, quam ipsius quod iacitur seminis, ac sæpe videas arborem lætam & nitentem in locum alium transpositam, deterioris terræ succo deperiisse. Quænam igitur ratio est, nobilitatem istam nati modo hominis corpusque & animum, bene ingenuis primordiis inchoatum insitiuo degenerique alimento lactis alieni corrumpere præsertim si ista (quam ad præbendum lac tunc adhibebitis) aut serua, aut seruilis, & vt plerunque solet, externæ & barbaræ nationis, si improba, si informis, si impudica, si temulenta est. Patiemur ne igitur infantem hunc nostrum pernicioso contagio infici? Et spiritum ducere in animum atque in corpus suum ex corpore & animo deterrimo? In moribus enim inolescendis magnam fere partem ingenium altricis & natura lactis tenet, quæ iam à principio imbuta paterni seminis concretione, ex matris etiam corpore & animo recentem indolem configurat. *Hæc Gellius.*

EQ. Sunt hæ Philosophorum sententiæ, qui sibi quidem egregie, at fœminis delicatulis minime sapiunt. Et hi ipsi, qui hæc senserunt, Philosophi fortassis liberorum multitudine (vti plerunque) & cum his domesticis obruti, adeoque non voluntate, sed necessitate & penuria adacti, aliarum fœminarum [illegible] proponunt. Fuit enim fere vbiuis, quod

[illegible] puer in pedes.

Et quidam [illegible] apud amicum de liberorum pariter atq; vxoris intolerabili onere Philologus vxoratus, male vexatus conqueritur.

Dic

Hic canit, ille gemit, monstrosa hic carmina pangit.
Vapulat hic lacrymans, plangit at ille pedes.
In cunis infans suspirat ad vbera matris,
Lacte carens mater, lumine torua crepat.

PH. Mamillas certe Deus fœminis prope cor apposuit, vel hoc potissimum fine, vt quum cætera animantia procul à corde disiita habeant vbera, eoque fœtus sui facile obliuiscantur, solus homo fœtus sui, quippe qui lac quasi cordiale exugit, memoriam minime abiiciat. At vero, quia plurimæ matres non à corde & gremio tantum, sed plane ex oculis prolem suam amandant, hinc adeo fit, vt postquam adoleuerunt, vera procurandæ sobolis ratio apud plerasq; non constet, omnino fere in hunc qui apud Iuuenalem extat modum:

Hospite venturo cessabit nemo tuorum,
Verre pauimentum nitidas ostende columnas.
Arida cum tota descendat aranea tela.
Hic lauet argentum, vasa aspera tergeat alter.
Vox Domini fremit instantis, virgamq; tenentis.
Illud non agitas, vt sanctam filius omni
Aspiciat sine labe domum filioq; carentem.

EQ. Audi quæ in hoc negotio Plato de Cyro literis prodidit: *Diuino*, inquit, *nunc de Cyro in reliquis quidem Ducem exercitus præstantem, & ciuitatum amantem fuisse: verum ad domesticam gubernationem animum non aduertisse, videtur à iuuentute per omnem vitam militasse, traditis liberis mulieribus, vt ab ipsis educarentur. Illæ velut beatos ac nullius rei indigos educabant: Et vt ne quis ipsis aduersaretur, prohibebant, & quod ab ipsis diceretur & perageretur, omnes laudare cogebant: atq; sic tales educarunt. Plato dialogo 3. de legum latione.*

Recens igitur natus infans continuo nutricibus castis, bonis, cordatis, honestis atque robustis tradatur, vt vna cum lacte virtutem exemplo edisc ere incipiat, firmusque pariter & robustus fiat. Difficile quidem erit, eiusmodi fœminam inueniri, quæ & probitate & constantia & sanitate corporis recte nutrire principem possit: sed inquirenda studio omni, & labore est, cum magni referat recta principis educatio non tam ad corpus, quam ad animi probitatem, & cultum. Videmus enim infantes quosdam morosos, difficiles, clamosos, querulos: alios timidos, trepidos, stupidos: alios imbelles, morbidos, alios nimium robustos: alios demum aliter affectos: ob id videlicet, quod à nutricibus hæc vna cum alimento, cui sese corporis temperatio accommodat, capiant, cum ætas tenera capax cuiusq; rei sit. Quo nomine bene quidem Plato, qui hac in re omnium, qui de republica scripserint, diligentissimus fuit, præcipit vt quando in tenera ætate dolor, atq; voluptas (quæ perturbationum animi capita sunt) maxime vigeant, eaque nisi principio cohi-

beantur, grauissima scelera procreent: ita infantes educentur, vt statim moderationem, & firmitatem animi ac corporis capere incipiant. Id autem fiet, si, quod antea dixi, nutrices robustæ, firmæ, ac moderatæ sint, si infantes frigoribus assuefiant, cum calida eorum natura id poscat, si motu frequenti agitentur, vt tenera, & alimenti perpetuo affluxu crescentia corpora corroborentur, ac indurescant. Et quoniam terreri diuersis rebus iidem solent, propterea quod accessio materiæ frequens imaginationem perturbat, sicuti accidit ebriis hominibus: itemque aut morosi, aut difficiles, aut iracundi, aut queruli fiunt, si nimium eorum cupiditati indulgeatur (indicatur autem ipsorum cupiditas fletu, aut silentio, dum flent, quod quid denegetur, quo dato, statim tacent) videant diligenter nutrices, ne quando deserantur, aut pauidi relinquantur: neue illorum cupiditati semper indulgeant, ne timidi, intemperantesque fiant. Dum enim ii timere ab infantia permittuntur, imbelles postea existunt, & imbecilles: dum item deliciis, luxuque aluntur, voluptarii mollesque fiunt. Ergo illis nequaquam, quod plorent, nimis est indulgendum, & sæpe plorare sinendi sunt: cum fletus augendo corpori, vt ait Aristoteles, maxime prosit, eo quod corpora velut agitatione quadam exerceantur, sicuti contentione item spiritus vires augentur. Atqui hoc modo infans triennium à nutrice alatur, quemadmodum Plato præcipit, quod ætas illa indicium sequentis sit, & robustior ac firmior priori, tametsi apud quasdam nationes minori spatio, aut longiori infantes lactentur. Interim etiam cum data illis iam sit loquendi facultas, atque (vt sunt loquaces natura pueri) cœperint garrire, discant à nutricibus proprie apteque materna vti lingua, & proferre commode verba, ne vitium aliquod negligentia edíscatur. Nouimus enim multos aut blæsos, aut balbutientes, aut hæsitantes ob negligentiam nutricum, quæ vel exemplo suo illa doceant, vel seueritate non vetent. Hic porro monendæ illæ ipsæ sunt, & accurate obseruandæ à prudentibus grauibusque viris, aut fœminis, quæ hac de causa iis sint adhibitæ, vt nullum infanti verbum aut blandum nimis & adulatorium dicant, ne statim se reges fore intelligant, neve, vt sunt elati pueri omnes, insolescere ac superbire incipiant. Quam imprudenter, Dii boni, ac pueriliter illi faciunt, qui infanti tenero, atque inscio adulantes regem eum esse, potentem, diuitem, opulentum, regum potentissimorum filium dicant, prius illorum animis semina insolentiæ infundant, quam probitatis & moderationis. Ergo nutrices, ministri aut huiusmodi homines alii hæc dicere infanti prohibeantur, caueantque diligenter, ne regem se ille aut regum filium tunc temporis audiat, vt iisdem obedientior fiat & quæ præcipiuntur, edíscat facilius tumore ac fastu deposito. Cumq; hoc modo Princeps à teneris enutritus ad puerilem ætatẽ peruenerit, protinus pædago-

De nutricum regiarum officio.

dagogis atque magistris artium diuersarum tradatur, vnaque ad animi cultum capiendum deducatur, adiunctis praeceptoribus aliis, qui simul cum illis, diuersis temporibus conuenientia aetati cuiuis tradant praecepta.

TH. Heus boni viri; Annon initiationis quoque quae fit per Baptismum facienda mentio atq; habenda ratio est? De hac enim altum apud vos video esse silentium.

PH. Curam hanc demandamus Theologis, qui vt omnia fiant probe, sedulo debent dispicere ac prouidere. Memini enim multa saepenumero leuia apud sacros huiusmodi initiationis actus dici atq; committi.

TH. Vera narras, nam & ego nefanda plurima, planeque Christianis indigna apud actus huiusmodi perpetrari ab aliis audiui. Non enim possem non, si praesens forem, grauiter in profanatores huius sacri actus inuehere, hasque nequitias non tam lingua ac verbis acerbissimis, quam fulmine vindicandas esse, iusto feruore pronunciarem. Audiui aliquando Pastori cuidam porculum fasciis inuolutum à spurcis huiusmodi generis porcis allatum fuisse baptizandum, dirarum vero, quas ille iustissima indignatione aduersus illos egessit, imprecationum, nemo bonus voluerit esse particeps; quae tamen interim in illarum causatores absque vllo dubio redundant.

PH. Memini ego aliquando magni nominis infantulum vino affluentes super ipsum infuso ab huiusmodi ganeonibus per iocum rebaptizari. Is infans postea alienae petulantiae paenas luens, per integram vitam, quam in multos produxit annos, animi fuit inops; cuius quidem dementiae animique inopiae ipse etiam non rogatus saepenumero cum audientium stupore, adde etiam commiseratione ac gemitu, enarrauit causas.

EQ. Satius est silentio ista sopire, sunt enim odiosa apud eos praesertim qui pungi sese, huiusmodi narrationibus existimant. Ego interea pomposam Caroli V. summi illius Imperatoris, per baptismum factam initiationem recensebo, ex qua, qua pompa apud alios quoque summos Proceres, actus huiusmodi celebrari soleat facile ferri potest iudicium. Celebrabatur autem Genethlia Caroli V. hoc qui sequitur modo.

Gandaui ex Palatio in aedem Diui Iohānis porticus erat productus ambulatorius variis columnis, basibusque suffultus, opere concamerato. Ter mille & quingentos pedes communes longus, septem pedes latus. Septem pedes à terra subleuatus & altus, vt infra commode vbilibet transiri posset, flauo, rubro, albo, colore tripliciter picturatus. Quadraginta arcus triumphales, portarum magnarum instar, his porticibus impositi fuere. singuli arcus singulas habebant nominum variantium appellationes, ex depictis dynastiis, & Regnis futuris Principis Caroli. Earum autem Qua- *Baptizationis Caroli V. historia.*

draginta dynaſtiarum, & Regnorum, arma, & inſignia arcuum culminibus imponebantur, Flandriæ Gandauiq; imaginibus, dextra, ſiniſtraq; vtrimq; additis. Ex iis arcubus, porticiſque vrbicis tres erant portæ eminentiores, grandioreſq;. quarum vna ſapientiæ, altera iuſtitiæ, tertia pacis, & concordiæ vocabatur, iiſq; portis Auſtriæ, & Hiſpaniæ, vtrimq; dextera læuaque inſignia arma præpoſita viſebantur. Ter ſeptem centuriæ ardentium facium in his porticibus viſebantur, eo ordine, & modo: vt ſinguli quingenti pedes ternas haberent facium centurias. Septem figuræ apparebant præ cæteris præſtantiſſimæ, quarum quatuor ex veteri inſtrumento, tres ex nouo erant translatæ: ex quibus quatuor ſigna veteris teſtamenti, in quatuor ſigna noui teſtamenti fuerant per Chriſtianam metamorphoſim commutata.

Alius erat ex funibus porticus in aere iactus, ex faſtigio templi Nicolaici, ad faſtigium turris Capitolinæ (quam Belfortem vocant) plenus colligatis facibus, & lucernis ardeſcentibus: in quo aereo, & ſuſpenſo porticu funiculato, multi mortales ambulatutiebant, architecti ingenium induſtriamq; ſuſpicientes.

Nauis erat plena facibus, & periſtromatis, aureoque abaco inſignis, vexillis variis, & taratantararum claſſicis concentibus ex mali, antennarumque lateribus exhilarata: ſepties quinquaginta faculas illuminatas, à prora ad puppim oſtentans.

Cæterum in lucem luciſq; huius vſuram editus fuit Carolus V. idque Gandaui, anno Iubilæo 1 5 0 0. qui annus gratiæ dicitur, idque Gandaui, die 24. Februarii (qui ſolus inter omnes menſes, quatuor ſeptenos dies continet) hora diei decima quinta, hoc eſt, poſt mediam noctem tertia, & cum ſepties ſeptem minuta horæ quartæ tranſiſſent (quæ dimidium ſeptenarii horarum, & ſeptemdecim minuta conficiebant.)

Cumprimis autem Martii Bennini Scauriani toparchæ extitit illuſtris ad Principis natalem condecorandum animus, qui in aureum hunc & diuinum partum exornandum multis ſericis, damaſcenis, oloſericis, coccineis, purpureis, argenteis, aureis pannis, viam militarem (quam à Burgo Gandenſes Capitolinam viam nominant) deducta in heptagonam formam exedra: ſeptifariam vſq; ad fanum diui Iohannis veſtiri vtrimque iuſſit. Qua ſola in re, præter alios ab eo ſumptus, per id tempus factos: in tabulas expenſi relatos ſcio mille quingentos aureos Carolinos. Quæ quidem tanti viri alacritas, tantaq; priuatim in officio præſtando liberalitas, multum & admirationis, & popularis lætitiæ, voluptatiſque, apud omnes patricii & equeſtris ordinis collegas ſuos excitauerat. Decimo tertio die à tempore natiuitatis Caroli Maximi, fuit puer in ædem diui Iohannis per porticum illum ambulatorium ad baptiſterium ductus. Hoc multi ſunt admirati, & annotatione dignum cenſuere. Nam cum nemo qui puerum ferret, terram contingeret, ſed per aera in porti-

tici-

ticibus infans deferreretur, partum diuinum & aureum fore sapientes augurabantur: Eo magis, quod similis apparatus maioribus eius, nec ibi, nec alibi factus fuisset: vnde enim ista nouitas? vnde exempli raritas? vnde pompæ immensitas?

Cum iretur ad baptisterium, præcedebant Consules, & Senatores Vrbici ter centum quinquaginta viris & facibus comitati. Secundo loco procedebat Præses cum Senatu Flandrico, multis pragmaticis & Forensibus viris succinctus. Tertio loco patricii ordinis viri nobiles quamplurimi. Quarto loco illustres, vestri aurei velleris equites septem. Quinto loco ibat Margareta Britannica Caroli Valesij Burgundiæ Ducis vidua, Carolum infantem vlnis suis gestans, duobus Principibus, eam vtrimque deducentibus stipata: erat autem Eduardi Quinti Angliæ Regis soror. Sexto loco progrediebatur Margareta Austria Maximiliani Cæsaris filia, Philippi Hispaniæ Regis soror; infantis matertera. Septimo loco Eleonora ferebatur Philippi Hispaniæ Regis filia infantis Caroli soror.

Bis septem Archimandritæ mitrati, sacro baptisterio peragendo incumbebant: ex quibus Neruiorum Episcopus, tribus Episcopis incinctus, primas in baptisterio partes desumebat, vt qui infantis esset Episcopus Diœcesanus.



Carolus à Croia Symai princeps perillustris, & Bergensis Satrapa, duo Dynastæ, velleris aurei equites consummatissimi cum duabus Regii stemmatis fœminis Margaretis, illa Britannica, hac Austriaca sponsores in baptismate pueri Caroli fuerunt. Ac stipulante Nerniorum Pontifice, Caroli nomen infanti indiderunt. Nomen hoc illi suum dante Carolo à Croia principe Symaico viro, & heroe fortissimo.

Septem muneta infanti Carolo in baptisterio donata fuerunt die natiuitatis suæ decimo tertio. Inter donatores munera sua afferentes, tres fuerunt Regia dignitate insignes.

Philippus pater, Lucemburgi dynastiam infanti Carolo, principio donauit, illumque Ducem Lucemburgi nominari iussit.

Ex ea dynastia, cum multi clarissimi Cæsares prodiissent, qui omnes huius Caroli infantis maiores fuissent: inter quos Sigismundus Carolus quartus, & Wencelaus incliti Bohemiæ Reges, & celeberrimi Cæsares fuerant, cœperunt proceres dicere: Hunc & Cæsarem, & clarissimum fore belli, domique principem.

Carolus à Croia Symaicus Satrapa secundo loco illi argenteam galeam, aureo phœnice insignitam, affabre, & magnifice elaboratam donauit. Galea Martialem & bellicosum principem fore præsignificabat. Phœnix raritatem, & præstantiam Principis fore admirabilem denotabat. Et sicut hæc auis ab Indis huc venit (vt veteres dicunt scriptores) ita infantem hunc Indis

Dominaturum quidam diuinitus præscinserunt. Et quia qui phœnicem donauit, Caroli quoque nomen, vt præcipuus in baptismate sponsor infanti (sicuti dixi) imposuerat: Hunc ex Augustorum Romanorum numero, tertium phœnicem fore multi augurabantur, argumento à phœnicis ætate desumpto, quæ ætas septingentorum annorum esse à multis perhibetur. Singulis enim septingẽtis annis nouum, & ex cineribus eisdem rediuiuum phœnicem enasci aiunt. Et ceu vnicus & solus est, totis septingentis annis phœnix, ita solum & vnicum talem Cæsarem totis septingentis annis visum fore coniiciebant. Primum autem phœnicem Octauium Augustum fuisse, qui septingentesimo anno ab vrbe condita elapso, teste Velleio Paterculo, & Solino, primus Augustorum Cæsarum phœnix fuit, sub quo Christus natus est. Secundum Carolum Magnum fuisse Phœnicem, sub quo Christiana lex longe lateque, terra marique propagata est. Tertium Phœnicem hunc Carolum infantem futurum, sub quo longius, latiusque hæc eadem promulganda foret in Oriente, Occidente, Septentrione, & Austro.

Eas autem coniecturas tres Aquilæ, caput Caroli infantis ter præteruolantes adiuuabant. Et quod crucibus, & sanguine, multis in locis tum pluit, maximeque in Germania. Soles per id tempus tres in cœlo visi idẽ iudicium ferebant, triplici corona & Thiara caput huius pueri ornandum, quæ imperatoria dicitur. Mathematicorum, & Astrologorum rationes variæ, plurimęque in medium adferebantur, dicentium: Octauium Augustum, & Carolum Magnum, & hunc Carolum puerum, capricornum in ascendente habuisse. Et nescio quid simile (vt est illarum artium scientia curiosa) in Christi genesi animaduersum fuisse. Non est autem capricornus Christo dominatus: sed Christus cum ipsi capricorno, tum cæteris astris omnibus à principio mundi est dominatus, &c.

Bergensis Dynasta aureum puero gladium tertio donauit, qui iustitiæ vindex, & Imperatoris est proprius. Ex illo enim omnis iustitiæ ciuilis honos, tanquam ex fonte effluxit. Ac hinc iusticiæ publicæ amantissimum fore Carolum affirmarunt.

Margareta Britannica capacissimum puero poculum aureum lapillis plenum pretiosis quarto loco obtulit.

Margareta Austriaca amplissimam pateram puero auream margaritis & vnionibus refertissimam quinto loco dedit.

Hæc duo signa, vt multi tum senserunt, præsignificabant, capacissimas, amplissimasque Prouincias, auri, margaritarumque feracissimas huic puero, labente æuo, obuenturas.

Gandauum vrbs Belgicæ maxima (augusta Belgarum dicta prius, cum puer nasceretur) Carolo hoc Cæsare designato, Augusta Caroli à multis vocari cœpit, & quidem à viris spectatissimis, ornatissimisque. Ea autem vrbs natalitia,

talitia, puero in baptismatis honorem eodem die xiij. post natiuitatem pueri, qui fuit dies septimus Martii mensis, sexto loco nauim argenteam pro munere ciuico dedit. Ac propterea quod Augustæ Belgarum natus esset, non solum Regem, aut Cæsarem, sed Augustum fore, Romanæ linguæ callentissimi & amantissimi ciues sui dicebant.

Ex naui noua argentea, noui orbis argentei, & aurei nauigationes prosperrimas fore passim diuinabant: iam enim quidam apparebat earum nauigationũ odoratus. Et præconis antecedentis vox septẽnio prius audita fuerat.

Quemadmodum autem Christo post natiuitatis diem, die xiij. munera à tribus Regibus oblata fuisse legitur, ita hic tres Regum, hoc est Regio stemmate ornatorum, ac satorum, donationes fuisse dicebant. Idque eo magis, quod Margareta Austriaca, quinta Martij ex Hispaniis per Oceani Gallici, Britannicique vndas, præter omnem spem, appulerat, vidua Regiæ prolis in Hispaniis effecta, hoc est biduo ante diem baptismatis. Et quia tribus ex orbis partibus oriente, occidente, & septemtrione, munera afferebantur, Austria videlicet quæ ad Eurum est, Hispania quæ ad Notum, & Britannia quæ est ad Boream. Hæc autem vt priora prouidentiæ Dei laudi, non Caroli gloriæ attribuenda sunt: sed sunt tamen notatu digna, quia nec vbique nec passim, nec omnibus eueniunt.

Archimandritæ septimo loco sacra munera vetus nouumque testamentum compræhendentia illi offerebant. In quibus hoc fuerat inscriptum septisyllabum: SCRVTAMINI SCRIPTVRAS; & fidem ac religionem pueri sponsoribus eruditissima & grauissima oratione vsi commendarunt. Fuit hoc præceptum Archimandritarum, summa dignum admiratione, ob controuersias in religione enatas tempore huius Caroli.

Vnum admirabile accidit, quod pax, sicut olim tempore Octauii Augusti, cum Christus natus est, fuit, ita tunc fuerit toto orbe nostro, cum Carolus natus, & in hanc lucem editus est. Eaq; in Belgica sua septem annos durauerat.

PH. Video te non minimum tribuere Mathematicorum & Astrologorum prædictionibus, quos ipsius Caroli V. natiuitatem sedulo obseruasse, multaque insignia ex positu tunc temporis syderum diuinasse dictitas. Ac sane, etsi heroica virtus & felicitas non à syderum, nascenti fulgentium, positu, sed à Deo bonorum omnium fonte præcipue donatur, tamen vt alioqui magna in Cæsare Augusto & Carolo, ingenii, morum, consiliorum, rerum gestarum & varietatis euẽtuum, similitudo fuit: sic vterq; Capricornum ὡρ σκοπῦντα habuit, qua de causa monetam Augustus Capricorni rosa percussit, & vtrique Saturnus cum Marte in Tauro coniunctus fuit. Caroli etiam Genesis, insignem Solis, Iouis, Veneris & Mercurii in cuspide secundæ coniunctionem præstantis ingenii, fortunæ & gloriæ significatricem habuit. *Caroli V. horoscopus.*

TH. Ego

TH. Ego vero hominum mores & ingenia non ex aspectu syderum cœlestium, sed terrestium; nimirum ex proba parentum educatione metior; cuius quidem tanta vis est, vt etiam vitiosos naturæ influxus alio deriuare, ipsumque adeo humidum radicale, naturæ vitio fœtidum, dulcorare possit. Exemplis quod dico, fit illustrius: Themistocles adhuc iuuenis tanta luxus atque libidinis dissolutione diffluxit, vt matrem ad suspendium adegerit, is tamen naturæ hoc vitium ita correxit, vt ad summum honoris fastigium euectus, ac princeps Græciæ vniuersæ constitutus fuerit. Stylpo Megarensis, quem ipsius familiares & ebriosum & mulierosum fuisse scribunt, vitiosam hanc suam ipsius naturam ita edomitam & comprehensam habuit, vt nemo vnquam vinolentum illum, nemo in illo libidinis vestigium postea agnouerit. Socrates (quod & Zopyrus Physiognomon cognoscebat) stupidum se fatebatur, & bardum, adde etiam mulierosum fuisse; is ita tamen Naturæ vitium, & doctrina ab alio profecta, & studio proprio matre adhibito superauit, vt oraculi Delphici testimonio sapientissimus mortalium sit proclamatus. Hi certe omnes naturam superarunt, nec tam obstinata apud illos natura fuit, vt noluerit, vel tam morosa, vt nequiuerit doctrinæ ac institutionis vi corrigi atque expugnari. Fatendum certe est, hac naturæ correctione ex indoctis doctissimos, ex insipientibus sapientissimos, ex vitiis corruptis, virtutibus ornatissimos esse factos.

Educationis vis.

EQ. Mirum itaque videri non debet, si nostræ ætatis liberi ab omni morum honestate recesserint, & velut impudentes, ac inuerecundi ganeones vnicuique iam virtuti dixerint extremum vale. Neque enim fieri potest, quin quum à nobis infantuli, & ab ipsis quidem semper astris corruptelam & improbitatem imbiberunt, adulti quoque tenacissime retineant. Nos authore Fabio (quum adhuc repunt) infantiam deliciis soluimus: gaudemus, si quid turpe & impudicum dixerint: verba ne abiectissimis quidem porcariis, aut mulionibus permittenda, risu & osculo excipimus: aut (quod turpius est multo) aliis dicenda in aurem susurramus. Quid, huic innutriti contagio, vbi adoleuerint flagitiis non experientur? qui priusquam hiscere, aut recte proloqui possint, turpissimis, & impurgabilibus maculis iam se totos, & aurium tenus immerserunt: voluptatumque deliciis concitauerunt, priusquam quid esset voluptas, agnoscerent. Deinum quam illis mercedem rependent, à quibus licenter adeo & molliter sunt enutriti? Eos, vt suæ turpitudinis authores arguent, & insimulabunt, nedum eis non assurgent. Prudenter quocirca fecerit, cui aliena iactura melioris consilij suggeret argumentum.

PH. Qui nullam in educandis ad honestos mores liberis, sed in coaceruandis duntaxat pecuniis atque opibus, curam adhibent, similes illis sunt, inquit Plutarchus, qui magnam calceorum curam habent, & interim

terim pedem negligunt. Et Aristides cuidam viro opulento, rationem, cur filium ad mores honestos educare & assuefacere debeat, hanc infert, ne, inquit lapis lapidi insideat. Idemque Aristippus, quid inter doctum & indoctum discriminis esset, rogatus respondit: *quod est inter equum domitum & indomitum*; addens, satius esse fieri mendicum quam indoctum, quod ille pecuniis egeat, hic humanitate. Crates Thebanus Cynicus, ex alto & prærupto monte proclamans: *Quorsum* (inquit) *ruitis homines, qui omne studium in pecuniis collocatis, filiorum vero, quibus eas relinquitis, nullam curam habetis?*

TH. Apostolus in epistola ad Eph. 6. post eruditionem filiorum, docet etiam parentes, ipsorum officium. Debent enim parentes amare filios suos prout etiam ad id ipsa natura compellit, accurate fouere, diligenter custodire, ab initio conceptionis vsque ad robustam ætatem. Debent filii lacte nutriri materno, non alieno. Ex hoc enim fit, vt & mater filium, & filius matrem minus diligat, vt pote generatione tantum, & non lactatione sciens se esse filium. Sara Gen. 21. Anna Samuelis 1. Regum 1. Mater Macchabeorum 2. Machab. 7. & ipsa Dei genitrix proprios filios lactasse leguntur, videmus vt in ouium tam copioso numerosoque grege, è stabubilis exiliens agnellus, matris suæ continuo percipiat vocem ad eamque properet, atque lactis fontes proprios recta petit, mammillisque maternis contentus fit, etiamsi vbera modico lacte sint distenta, quem proinde mater ipsa, inter tam multos numerososque agnos, eum internoscit, vt proprium. Et non videtis quomodo herbæ ex humore nascuntur & crescunt? Ad hunc etiam modum homines ex parentibus generantur, & lacte matrum nutriuntur & crescunt. Humor siquidem de radicibus ascendit in herbam, de herba autem non reuertitur ad radices, sed sursum transmittitur ad semen, sic & amor de parentib. descendit in filios, de filiis autem non remittitur ad parentes. Ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur à filiis. Parentes (inquit Arist. *8 Eth. cap. 12.*) diligunt natos, vt aliquid sui, nati vero parentes, vt aliquid ex illis. Debetur præterea & liberis à parente secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ prouidentia siue prouentus. Parentum n (inquit Apostolus 2.*Corinth.12.*) est thesaurizare, siue recondere liberis, vt præter hoc quod ad vitam illos genuerunt, etiam viuendi subsidium subministrent. Quod profecto à parentibus præstatur liberis non solum in reditibus annuis aggregandis, verum etiam cum eos curant artibus imbui liberalibus, in quibus vitam transigere queant. Quapropter male agunt illi, (inquit Augustinus *Epist. 199. ad Dictam*,) qui filiorum suorum neglecta prouisione, bona sua dilapidant: aut tam multa extraneis conferunt, vt filios suos sustentaculis huius vitæ nudent, aut illos sine causa exhæredant. Basilius in Hexam. Hom. 9. *Ille quoque pater* (inquit) *naturam suam adulterat, qui ob secundarum nuptiarum societatem priorum obliuiscitur filiorum.* Et detestabilis

D est eo-

est eorum negligentia, qui nulla arte ad conquirenda vitæ præsentis subsidia, filios suos pauperes instruunt. Itaque procreantur filii à parentibus, non quidem vt negligantur, sed vt instruantur. Qui (inquit) Apostolus *1. Timoth.5.* suorum maxime domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior. Debent ergo parentes filiis disciplinam, hoc est, eos erudire debent, in recta fide & Christianis moribus: Vos patres (inquit Apostolus ad Ephes. 6.) educate filios vestros in disciplina & correptione domini: Et sapiens Eccles. 30. *Qui docet filium suum, laudabitur in illo: & in medio domesticorum in illo gloriabitur, mortuus est pater, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Duo namque sunt in nobis corpus & anima: vtrumque in suis liberis parentes curare debent, quoniam vero anima præstantior est corpore, animæ curam inprimis habere oportet. Est anima pueri instar tabulæ rasæ, in qua nihil est depictum, & instar nascentis virgulti, quod potest ad quodlibet flecti: facile igitur erit huiusmodi animo vitia, vel virtutes inserere, quas retinebit ad senectam vsque. Adolescens iuxta viam gradiens, etiam cum senuerit non recedet ab ea. *Prouer.22.* Et poeta dicit:

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem Testa diu.

Optimum ergo foret à teneris annis puerum assuefacere pietati. Est enim puer (teste Platone Dial. 7. de legibus) omni bestia inrractabilior: nam cum prudentiæ fontem non habeat, obstinatissimus, acerrimus & petulantissimus omnium bestiarum, ideo multis quasi frenis vinciendus est. *Arist. lib, 8. polit. cap. 3.*

Educatio. PH. Sola nimirum educatio absoluit id quod parentes imperfectum reliquerunt. Imo si vera fateri volumus, plus ad virtutem disciplinamque omnem consequendam Educatio, quam parentum generatio confert. A parentibus enim, quod natura necesse est, progignimur, ab Educatione vero libero quodam instituto reformamur. Illi nudos omnino nos in lucem abiecerunt, hæc omnium virturum atque honestatis cultu ornatos nos reddendos suscepit. Illi corpus vestimentis, hæc animum sapientia induit: Ab illis animum quidem accepimus, ab his animum vere animum possidemus. Illi homines nos inhumanos quodammodo procrearunt; hæc homines vere humanos ex nobis refingit atque reformat, sola itaque Educatio atque institutio id præstat, quod nec Natura, nec parentes, nec animus ipse per se præstare atque efficere possit.

EQ. Mos educationis pro ratione gentium ac linguarum admodum variat. Id quod præter alios Alexander Sardus *lib. 1. de moribus gentium.* Laconica

nica breuitate attingit. Galli, inquit, liberos, antequam adoleuerint ad se venire non permittunt. Persæ patres non eos ante quadriennium vident, qui nec in conspectu matris sedent, nisi illa permittente. Docentur vsque ad 17. ætatis annum mores optimos, iustitiam, temperantiam, mittereque sagittas: inde septem, vel octo annis, (non à Strabone differt Xenophon) sese in armis atque venatione exercent, mox milites sunt vsque ad quinquagesimum annum, quo redacti inter seniores domi manent Remp. Administrantes: Palam spuere, vngi, meiere aut huiuscemodi alia facere dedecus est. Lacedæmonii septennes diuidunt in classes, quibus fortior prudentiorque præest, qui dicitur εἴρην. is pueris in furto deprehensos (Spartæ enim pueris licet furto obsonia parare,) castigat, canere iubet alios laudes eorum qui fortiter pro Sparta occubuerint, alios eorum vituperationes, qui id recusassent, propositas alias quæstiones soluere in gymnasiisque exerceri, ludicra curabant quinque Bidiæi. Literas discebant pro necessitate, sed eorum disciplina tolerantia laborum erat & arma. Natu maioribus cedunt de via, & assurgunt, more sumpto ab Ægyptiis. Omnibus qui iusserint, obtemperant, audiunt omnes qui reprehenderint, amantes maxime. Post duodecimum annum nudis pedibus incedunt, vnico tantum pallio singulis annis contenti, in thoris harundinaceis cubant, decimo quoque die ostendunt se Ephoris, qui cædi iubebant, qui molliores pinguioresque essent. Post pubertatem dicuntur sphæret, & suo arbitratu viuunt. non descendunt in forum ante vigesimum annum, sed peragebant necessaria propinquorum opera & animantium. *Hæc Sardus.* Cæterum cum ex Alexandro Sardo me allegantem vos videam attentiores, non molestum vobis, vt opinor erit, ex eodem plura huius generis si allegauero. Is autẽ *li. 1. de morib. gentium ca. 12.* porro ita scribit. Alii Græci iuuenes, qui Spartani non essent, nobilitate & dignitate illustres liberalibus disciplinis omnibus instruebantur, & Macedones, qui Philippi instituto, Regis ministerio tradebantur, omnesque in singulis Græciæ vrbibus ab vno præceptore, qui & Comes erat; quod & in Italia fecere Falisci.

Athenis vbi puberes facti essent, publice illis ostendebantur omnium artium instrumenta, quæ quis apprehendisset, illam artem tanquam inuitante natura, exercebat. Mox primam barbam comamque deponebant; id faciebant Romani altero & vicesimo anno, conuiuio acceptis amicis, vini mensura quadam in templum Herculis illata, propinantes conuenientibus quæ dicebantur οἰνιςήρια. Plures tondebant primā comam prope fluminibus, alii adducebantur in Delum; primitiæ enim istæ fluminib. vel Apollini consecrabantur, quod corporea constent incrementa ex humore & caliditate. Capillus ipsi Deo dicat⁹ appellatur ab Æschyli θρεπτήριος. Cutti vero

barbam, crinem & ferreum annulum nonante deponebant, quam hostem interfecissent.

Indi pueri cibum sumpturi, adibant Gymnosophistas, & referebant, eo die qua bene fecissent: qui nihil haberet quod diceret, impransus ad opus mittebatur. Arcades ad tricesimum vsque annum Musicæ operam dabant, canebant pueri hymnos, Deorum laudes & heroum continentes; grandiores Philoxeni & Timothei disciplinis instituti annuos ludos libero celebrabant, cum cantu & choreis: iuuenes ludos viriles: omnino apud illos turpe ignorare Musicam. Parthi vero inprimis docebantur arcus tendere, Germani hastam vibrare, Lucani venari: viuebant enim venatu in Syluis citra seruorum operam: Romani equitare & pugnare cominus: ij olim probatæ anus curæ demandabantur, quæ eorum verba & lusus obseruaret, ne præter honestatem aliquid agerent; Postea vero ancillæ Græcæ & seruo pædagogo filiorum cura demandata, quare mores corrupti putantur; quod docebantur in ludis literariis, qui quondam in foro erant, simul etiam virgines: nam Appius Virginiæ amore captus dicitur, cum legentem vidisset in ludo. Inde Massiliam mittebantur in Galliam, Græcam vrbem Phocensium ad sapientiæ præcepta perdiscenda. Adulti bullis penatibus consecratis, reposita prætexta, 17. ætatis anno in templo Iouis Capitolini liberalibus; die Libero patri sacro togam sumebant, & petebant cum amicis Deorum templa. Qui futuri Oratores erant, à patre vel propinquis ducebantur ad eum Oratorem, qui princeps in foro esset, quem iuuenes obseruarent, ab eoque discerent eloquentiam. Primum docturi, in forum producebantur à consulari viro, Vt ab Augusto legimus C. & L. filios eorum tyrocinio in forum productos. Principum liberi & alii eiusdem ætatis nobiles sedentes vescebantur in propinquorum conspectu, propria & parciore mensa. Ex publico trigemini vsque ad pubertatem alebantur, propter Horatios, qui cum Curiatiis pugnarunt pro Imperio Romano, inde ius trium liberorum institutum. *Hæc Sardus.*

E Q. Fabius Quintilianus (*de Oratoribus*,) veterum Romanorum seueritatem ac disciplinam circa educandos formandosque liberos, cum sui temporis liberorum educatione atque informatione conferens, quantopere à pristina illa maiorum suorum in educandis liberis consuetudine degenerarint, ostensurus: *Iam primum* (inquit) *cuiusque filius ex casta parente natus, non in cella empta nutricis, sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius præcipua laus erat tueri domum inseruire liberis Eligebatur autem aliqua natu maior propinqua, cuius probatis spectatisque moribus, omnis cuiuspiam familiæ soboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat, quod turpe dictu, ne-*

Educatio praua.

&u, neque facere, quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modo curasque, sed remissiones etiam lususq; puerorum sanctitate quadam ac verecundia temperabant. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Attiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus. Qua disciplina & seueritas eo pertinebat, vt sincera & integra, & nullis prauitatibus detorta vniuscuiusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas, & siue ad rem militarem, siue ad iuris scientiam, siue ad eloquentiæ studium inclinasset, id solum ageret, & vniuersum hauriret. At nunc natus infans delegatur Graculæ alicui ancillæ, cui adiungitur vnus aut alter ex omnibus seruis plerumque vilissimus, nec cuiquam serio ministerio accommodatus. Horum fabulis & erroribus teneri statim & rudes animi imbuuntur. Nec quisquam in tota domo pensi habet, quid coram infante aut dicat, aut faciat, quando ipsi parentes nec probitati, neque modestiæ paruulos assuefaciunt, sed lasciuiæ & libertati, per quæ paulatim impudentia irrepit, & sui alienique contemtus. Iam vero propria & peculiaria huius vrbis vitia pene in vtero matris concipi mihi videntur. Et quæ sequuntur.

TH. Hinc grauissima illa Quintiliani ac votiua exclamatio: *Vtinam,* inquit, *liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus. infantiam statim delitiis soluimus, mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, neruos omnes & mentis & corporis frangit. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? Nondum prima verba exprimit, iam Coccum intelligit. Ante palatum eorum, quam mores, instituimus. Gaudemus si quid licentius dixerint. Verba ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, risu & osculo excipimus, nec mirum, nos docuimus, ex nobis audierunt nostras amicitias, nostros concubinos vident, omne conuiuium obscænis canticis strepit, pudenda dictu spectantur, fit ex his consuetudo, deinde natura. Discunt hæc miseri antequam sciant vitia esse, inde soluti ac fluentes non accipiunt in scholis mala ista, sed in scholas efferunt.*

EQ. Extat prauæ huiusce educationis infelix partus in historia Dionis, cui Dionysius Syracusanorum tyrannus male volebat, & cum aliter nocere non posset, Areten eius vxorem alii nuptum dedit, filiumque eius sic educari iussit, vt indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priusquam pubes esset, scorta adducebantur: vino epulisque obruebatur, neque vllum tempus sobrio relinquebatur. Is vsque eo vitæ statum commutatum ferre non potuit, vt postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum à pristino victu deducerent) se superiore parte ædium deiecerit, atque ita interierit. Cui germana est illa historia, quæ refertur à Suida. Zeno, inquit, Romanorum Imperator, filium suum, admodum adolescentem, imperii successorem relinquere cupiens, & dignitatibus ornabat, & corpus exercere iubebat, ad staturæ incrementum. At Imperatorii proceres potestatem nacti fisci affatim exhauriendi, curabant, vt adolescens Sybaritico luxu corrumperetur, & lenocinio suo, ad infamos eum amores æqualium incitabant. Itaque vitæ ratione ad superbiam & voluptatem comparata ab-

omni honestate remotus, & iam tum arrogantiam ob expectationem Imperii, è vultu elucentem, præ se ferens, sublimis incedere, & erigere ceruices cœpit, ac, vt paucis dicam, erga omnes, non alium se præbere, quam aduersus seruos. Verum inspector omnium rerum, & natiua, & edocta eius improbitate perspecta, ita illum mulctauit, vt alui profluuio, multos dies, sine sensu lectum inquinans, immatura ætate, rebus humanis eximeretur.

TH. Plato sane vt huiusmodi illecebrarum scintillæ, (quæ vbi flammas semel conceperunt, difficilime possunt restingui,) maturius extinguantur iuxta atque sopiantur, prudens hoc dat consilii (lib. 7. de legib.) vt nimirum post annorum sex ætatem, fœminæ ab maribus discernantur, puerique: deinceps cũ æqualibus maribus, & puellæ cum fœminis æqualibus conuersentur, & ad scientias vtrique se vertant. Mares quidem ad magistros equorum, arcuum, telorum, & fundæ, fœminæ quoque ad eadem si concedatur vsque ad scientiam tantum, & maxime ad armorum vsum. Hæc Plato prudenter sane atq; grauiter monet. Sed quotusquisque est, qui ad illud Platonis consilium, liberorum suorum educationem conformare sedulo ac serio intendat.

Nutricationis vicaria malum.

PH. Prauarum huiusmodi educationum causam adiuuãtem, seu tacito quodam naturę ductu instigantem dixi, vicariam illam liberorum nutricationem. Eandem nunc denuo repeto. Sæpenumero, inquam, nati infantis animus simul & corpus, bene ingenitis primordiis inchoatum, insitiuo degeneriq; alimento lactis alicui corrumpitur, præsertim cum adhibetur nutrix impudica, temulenta, barbara, aut eiusmodi malis moribus prædita, vt hodie fieri solet, malo cum reip. detrimento. Quo quidem argumento etiam Homerus vtitur ad arguendos mores ferinos, quod videantur tales aliti à feris:

Non eques ipse pater fuerat tibi mehercule Peleus:
Non Thetis est genitrix: glaucum te protulit æquor,
Aeris & rupes: mens quod tibi dura feroxq; est.

Et apud Virgilium, 4. *Æneid.* Dido in Æneam:

Nec tibi diua parens generis nec Dardanus auctor,
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens,
Caucasus Hircanæq; admorunt vbera tigres.

Et Ouidius cum sæuitiam cuiusquam increparet ait:

Natus es ex scopulis, nutritus lacte ferino,
Et dicam silices pectus habere tuum.

Vnde quotidie cernimus, nonnullos temulentos esse ac seruiles; quod seruam aut temulentam nutricem habuerunt. Proinde non permittat optima mater alieni lactis cõtagione filium suum infici. præstetq; se integram parentem, optime etiam de filio meritam: quem proniorem ad referendam gratiam reddet cũ adoleuerit, si se materno lacte non defraudatum in primordiis vitæ suæ senserit. Beneficium enim materni lactis tanti meriti fuit apud veteres, vt impe-

impetraturæ durius quippiam à filiis matres; per lac quod illis præbuerant, semper poscerent: nefasq; habebatur, nisi filios exorassent. Vnde Antipater Macedo crudelior habitus est, quod matri mortem per vbera materna deprecanti, non pepercit. Quinetiam hac ex re non modo gratiam & vtilitatem consequitur mater, sed voluptatē etiam pe ingentem. Quæ enim delitiæ iucundiores lactante filio? cuius blæsa locutio, difficilis verborum conatus, suauis risus & vernacula illa festiuitas, omnes scurras ac mimos longe anteire mihi videtur.

TH. Non simiæ certē aut catuli ad animi relaxationem quærendi sunt, vbi pueri repunt: quod & indicauit Iulius Cæsar: Nam cum Romæ diuites quosdam peregrinos cerneret catulos ac simias gremio, magna cum oblectatione circumferre: rogauit eos, nunquid eorum coniuges liberos parerent? qua voce ostendit, nullas alias delitias quærēdas esse, vbi filii adsint. Cæterum solent nonnullæ venenis pessimisq; medicamentis sanctissimum illum fontem, humani generis educatorem arefacere, non sine periculo aduersæ etiam valetudinis: quo venustæ magis esse videantur, & amatoribus gratiosiores fiant, quo sane quid matronas magis dedeceat, non video.

PH. Hoc est quod antea dixi, pia mater ne de cerebro per liberorum exuctiones eximatur, metuentes, dutam interim matrem in duplo superinducunt. Sed faciant id muliebri arbitrio. Sara equidem summi illius Patriarchæ Abrahami vxor sancta, plus quam trecentos, domi suæ alebat atque in obsequio suo habebat seruos, totidemque seruas, neque tamen cuiquam illarum filioli sui Isaaci vicariam illam lactationis demandabat prouinciam, quin propriis ipsam quantumuis annosa admodum adeoque ad infantulorum lactationem, per naturam ineptior, lactauit vberibus. Cæterum dici vix potest, quantum conferat ad ingenii formæq; similitudinem, lactis alimonia: quod quidem vel ex brutorum lactatione vicaria cernere licet. Nam si hædi ouium lacte aluntur, vel agni caprarum: in his lanam duriorem crescere, in illis autem capillum teneriorem, constat. Ac sane Regulæ vicem apud quamplurimos rerum gnaros sermo hic obtinet: *Degenerant à parentibus, qui aliena nutricis traduntur.* Neq; id abs re est. Sanguis enim ille opifex humani generis in penetralib. nato puero maternum pectus irrigat: & spiritu ac colore confotus albus fit: alimoniamq; similem illi lactenti puero præbet, quā paulo ante in visceribus tradiderat. Quibus ex rebus sic similis plerunque matri partus oritur: vt propter semen ipsum, in quo maior est potentia, patris similitudinem ducit.

EQ. Ingens sane est amoris incentiuum lactationis beneficium. Hinc Marci Catonis vxor cum peperisset, & ita proprio lacte nutriret infantem, frequēter quoq; seruorum pueros admouebat mammæ, quo beneuolos eos ex educationis consortio erga filium redderet, quod allegat Greg. Tholos. *lib. 14. de republ. cap. 4.*

PH. Cre-

PH. Credibile est, ἀστοργίαν illum rigorem simul & immorigera liberorum ingenia apud illustres etiam sæpenumero familias ex violenta isthac parentum & liberorum ab inuicem diuulsione emergere. Sophitæ (inquit Curtius *lib.8.hist.*)genitos liberos non parentum arbitrio tollunt aluntq;, sed eorum, quibus spectandi infantium habitum cura mandata est. Si quos segnes aut aliqua membrorum parte inutiles notauerũt, necari iubent. Sophitarum mores verbis improbauimus. Vtinã vero nõ ipso opere quandoq; exoscularemur, dum non tantum nullam omnino animæ liberorum nostrorum habentes rationem eo, vbi præsentissimum animarum discrimen incurrunt, sæpenumero detrudimus atque mancipamus, sed etiam corporis iuxta atque animæ perniciem diris execrationibus haud raro imprecamur.

EQ. Detrusionem illam cum præsentissima animarum pernicie coniunctam, quam innuis, nunquam probaui, sed vna tecum execror. Ac dolendum sane est, repertiri in tanta verbi diuini luce, qui corporum duntaxat filiorum suorum curam diuinitus sibi demandatam arbitrantes, imo non arbitrantes solum, sed palam dictitantes, cuiusuis obsequio, dummodo id lucrosum sit, liberos suos mancipant. Horum nimirum Deus venter est. Ad astorgiam vero quam dicis, quod attinet, distinguendum est inter astorgiam & rigorem. Non enim omnis rigor astorgia est; ille enim sæpenumero necessario adhibetur, neque tamen omnis subito στοργὴ ex animis parentum concidit. Extat in Horologio principum, fol.440. quod Claudius Imperator proprium filium, eo quod monile aureum ipsi clam surripuisset, à successione regni penitus exclusit, quinetiam præceptorem huius furti conscium decollari iusserit, cæterosque eius collusores in exilium omnes eiecerit. Maiorem (inquiens) coronam princeps vitia ex domo sua exterminando, quam hostes sedibus eiiciendo promeretur. Rigor hic fuit; astorgiam, iustitiæ rigorem si spectes, haud dixeris? Sic Aristippus cum degeneres filios adeo negligeret, quasi ex ipso nati non essent, accusatus à quodam, qui seueritatem eius improbabat: *Annon*, inquit, *& pituitam & pediculos è nobis natos, velut inutiles procul à nobis abiicimus?* Sensit Philosophus eos nequaquam habendos pro filiis, qui à parentum & maiorum suorum laude dignis virtutibus degenerarent. Extat superioris quem dixi rigoris etiam exemplum in Iunio Bruto. Is enim filios suos tyrannidi fauentes, comprehensos, ipsemet pro tribunali sedens interrogauit, dicens: Quid vos ad crimina hæc? Vbi ter interrogati nihil responderũt: Iam reliquæ, inquit, vestræ sunt partes. Eorum deinde supplicia fixis oculis est intuitus. Exuit patrem, vt consulem ageret: orbusque viueret, quam publicæ vindictæ deesse maluit, *Liu.lib.2.Valer.Max.lib.1.cap.8.* Et A. Fuluius filium ingenio, literis & forma florentem, quoniam in Catilinæ castra properabat, ex itinere retractum occidit, dicens: Ego te non Catilinæ aduersus patriam, sed patriæ aduersus Catilinam genui, *Eras.lib.6.apoph.*

Parentum erga liberos rigor.

PH. Con-

PH. Congruit id cum lege diuina, quæ extat aduersus contumaces, Deut. 21. *Si genuerit homo filium contumacem & proteruum qui non audierit patris ac matris imperium, & coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentq; ad eos: Filius noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri & vniuersus populus audiens pertimescat.*

TH. Audiamus tamen desuper etiam D. Paulum Apostolum: *Patres* (inquit) *Ephes. 6. nolite ad iracundiam prouocare filios vestros, vt non pusillo animo fiant.* Moderatum igitur debet esse parentum in filios imperium; qui si quando delinquunt, sic eos obiurgent, vt correptos malint quam punitos.

Pessime vero agunt parentes, qui filiis etiam leuissimis de causis maledicunt, ac dira imprecantur. Fit enim haud raro, vt eiusmodi imprecationes insperatum sortiantur effectum, in ipsorumq; adeo redundent perniciem.

PH. Diræ parentum nunquam sunt irritæ: sed tristes calamitates liberis accersunt. Quinetiã paterna aut materna maledictio, etiãsi sit iniusta, nõ tamen est contemnenda. Imo solam & parentũ indignationem inauspicatam esse, ac non raro infortunium afferre compertum est. Et de hoc extat versus memorabilis, qui Orpheo tributur: *Parentum imprecationes.*

δεινὰ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐρίννυες εἰσὶ τοκήων, Id est:

Valde grauant natos dira & maledicta parentum.

Sunt enim diræ istæ quasi furiæ, quæ exigunt pœnas à liberis immorigeris & contumacibus: quando enim parentibus sunt causa mœrorum & solicitudinum: tunc sunt vltrices istius inobedientiæ.

Vidimus, inquit Melanthon *in locis Manlii*, hic quandam matrem ducentem secum miserrimam puellam obsessam à Diabolo. Hoc mater confessa est filiæ accidisse ex imprecatione sua. Cum enim dixisset ad illam: Inuolet in te Diabolus; statim eadem hora actam esse in furorem. Et nostra accidit memoria Neoburgi, vt mater filio suo dirum imprecans exitium, irata in hæc verba proruperet: Vade, faxit Deus, vt viuas ad me nunquam reuertaris. Eodem die adolescens frigidas ingressus aquas, submersus est. Et Mediolani contumax & impius filius, porrectis digitis, oreque oblique intorto, contumeliose matrẽ irridebat. Mater grauiter filio succẽsens, Vtinã, inquit, in mala cruce sic os intorqueas. Diebus parum multis elapsis, filius iste in furto deprehẽsus, crucis supplicio damnatur: vbi cũ per scalas subueheretur à carnifice, visus est pari modo, quo matrem irriserat, os suum intorquere. Noui ego homines (inquit Olaus Magnus) adhuc ætate mea, paterna benignitate exclusos: qui continuo omnem infelicitatem, inopiam, calamitatem, & infamiam sunt experti. Extat etiam in vetustis exemplis imprecatio Oedipi. Imprecatus is fuit Eteocli & Polinici filiis, ex incestu susceptis, vt stricto gladio diuiderent hæreditatem

E pater-

paternam; atque hi etiam paulo post mutuis vulneribus conciderunt.

TH. Sane Fribergi oppido Misniæ adhuc conspiciuntur vestigia, in quibus stetit superioribus annis filius contumax aliquot annos, neq; viuus loco moueri poterat, donec peste moreretur; Huic pater, prouocatus ab eo ad iram, imprecatus fuerat, vt quamdiu viueret illo in loco immobilis staret. Viuūt adhuc huius rei tragicę oculati testes; quorum quidem ipsum filium immorigerum viuum quidam vestigia pedum mortui, in ædiculis parentis imprecatoris, in pauimento ligneo impressa, vbi is ni fallor, per sexennium steterat, & pulpitum, in quo se brachiis; inclinare potuit, viuo adhuc parente imprecatore, viderunt; attestanturq; animaduersum esse, parētem illum, alioquin bonum & simplicem hominem, admodum fuisse perturbatum, si quis locum illum, ex sua imprecatione inconsulta, filio fatalem, videndi causa, cubiculum ingressus esset; quare eum vestigia illa pedum & pulpitum libenter & cupide amouisse, si non illi à magistratu, vt testimonium perpetuum, huius memorabilis, licet tragici facti, extaret, hoc interdictum esset.

EQ. Non mirum est, parentes sæpenumero, quando deploratam liberorū, quos adeo impense educarunt, vident inobedientiam, admodum indignari, & cum indignatione in diras quoque execrationes prorumpere. Quę quidem execrationes excusationem quandā mereri possunt. At vero execrationes, quę haud raro à parentibus maliciosis euomūtur in fœtus suos nondum in lucem editos, nullam omnino patiuntur excusationem; quales sunt quæ euomuntur per iram impatientiamue, aut etiam sæpenumero à grauidis in prætensam veritatis atq; innocentiæ. Prioris extat exemplum apud Wierum libr. 4. cap. 18. de præstig. dæmonum, quod contigit circa annum Domini 1575. in Geldria, de quo sic Wierus: Quidam inquit, non obscuri nominis, Regi Hispaniarum apud Geldros militans, quum è familia nobili honestam duxisset coniugem, quam & durius tractabat, intelligeretq; tandem ipsam vterum ferre, indignanter veluti sinistre precatus, ait illi: Tu infernalem gestas dæmonem. quem gladio confodiam. Non longe post filiolum genuit, dimidia corporis inferioris parte bene formata: verum superior pars lituris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro, vt Satyrus, auribus longis veluti canis venatorius: in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea.

Posterioris exemplum recitat D. Ioach. Camerarius recensente ex ipsius Ioachimi ore, Phil. Camerario: Nuper, inquit, apud Illustrissimum Principem VVilhelmum Landgrauium Hassiæ, vidi puerum mutum & surdum, adeo ingeniosum, vt mirari eius solertiam in exequendis rebus sibi commissis non satis potuerim: siquidem ex vnico nutu mox deprehendere is certo potuit, quid Princeps & alii vellent. Landtgrauius cum ita me admirabundum videret, Ecce, ait, mutus ille, quidquid inter ciues & aulicos noui accidit, quā-

pi-

primum resciscit, id omne, qualecunque sit, suis gesticulatoriis notis dextertime indicare solet. Sed audi præterea insigne diuinæ iustitiæ exemplum. Mater eius furti fuit accusata, quæ cum videret, se alio modo purgare crimen non posse, confugit ad imprecationes, cumque esset eo tempore grauida, vt maius pondus verbis suis adderet, inter alias imprecationes dixit: si vera essent, quæ illi obiicerentur, se optare, & à Deo petere, vt fœtus ille, quem gestaret vtero, in lucem editus, ne verbulum proferre posset, sed dum viueret, mutus maneret. Quod postea, vt vides, factum est, & ipsamet sese suis imprecationibus prodidit, furtoq; periurium adiecit; quę enormia delicta etiam in filio fuere punita.

TH. Imprecationes huiusmodi, quam dira in imprecantium animis, præsertim quando infelici se produnt effectu, post se relinquant spicula, facile est coniecturari. Proinde ab huiusmodi imprecationibus, si modo saluam volunt habere (id quod omnino debent) filiorum suorum salutem, abstinere cumprimis parentes decet, quippe qui ex mandato diuino thesaurizare filiis suis non iram, non maledictionem, sed fauorem, sed benedictionem iubentur.

PH. Sed & in hac ipsa thesaurizatione, quam aliunde æstimant, identidem vtplurimum peccant. Suo namq; se satisfecisse muneri autumant, quando liberis (quod etiam paulo ante est à nobis dictum) thesaurizant magnam opum vim. Vidit id iam tũ olim Crates ille antiquus, quem allegat Plutarch. Quamobrem etiã, cum in altissimam turrim conscendisset, (si liceret) vociferaturum se aiebat: *Quorsum ruitis homines, qui omne in comparandis pecuniis studium facitis, filiorum vero quibus eas relinquetis, nullam sane curam suscipitis.* πλεονεξία.

Quibus congruit, quod Socrates apud Xenophontem: *Qui filiis*, inquit, *multis opibus prospiciunt, vt autem boni & egregii euadant, negligunt, simile quid agunt equos alentibus, quos belli disciplinam non docent, multum vero pabuli exhibent. Sic enim equos habituri sunt pinguiores, sed rerum, quas præstare oportebat, imperitos. Eodem modo peccant, qui filiis agros multos comparant, ipsosmet vero negligunt. Possessiones enim magni pretii æstimationem habebunt, ipsi autem viles erunt, cum contra oporteret custodientem re possessa pretiosiorem esse. Itaque si quis filium magni pretii hominem effecerit, quamuis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus est. Animus enim facit, vt res multæ aut paucæ appareant; quippe bono quicquid possidet, moderatum est: rudi autem & inepto modicum.*

EQ. Vanæ sunt eiusmodi parentum curæ; aitque Plutarchus, videri sibi patres huiusmodi haud aliter facere, quam qui magnam calceorum curam gerant, cum interim pedes ipsos, quibus illi destinati sunt, parui pendant.

TH. Vanitatis huius exempla passim in historiis, imo in quotidiana experientia obuia sunt. Quanto opes fuerunt Darii regis Persarum, qui

ab Alexandro Magno victus, & in fuga à Besso proditore interfectus est? Sed huius opulentię possessio non ad posteritatem Darii, sed ad Macedonas translata est. De regno Alexandri Magni inquit Daniel cap. 11. *Diuidetur in quatuor ventos cœli, sed non in posteros eius, neq; secundum potentiam illius qua dominatus est, lacerabitur enim regnum eius & in externos.* Quis M. Crasso ad rem attentior? quis locupletior fuit? Hic vero vna cum filio, quem hæredem fore sperauerat, à Parthis interfectus est.

PH. Nihil itaque vanius est, quam omni cura & cogitatione in id incumbere, vt liberis amplum patrimonium tradatur: cum nemo hominum sciat vtrum fortuna sit sui similis mansura vsque ad vesperam. Obtemperandum potius Regulæ à Christo traditæ: *Quærite primum regnum Dei, & cætera adiicientur vobis.*

TH. Sunt huiusmodi parentum, bonis aliorum tantopere inhiantium, liberi omnibus exosi. Hinc etiam fit, vt quemadmodum scorpionis filium, quicunque aspexerit, metuit, ne vbi per ætatem licuerit, patris venenum imitetur. Sic etiam & ex te descendentes liberos, vt paternæ iniquitatis hæredes futuros, priusquam ad ætatem veniant, omnes cauebunt, illisque insidiabuntur. Male parta præterea male dilabuntur, & ad filios transmissa, non subsistent: sed eo, vnde parta sunt, reuertentur. *Thesaurizat,* inquit Psalmista) *& nescit cui congregabit ea.* Filius namq; eorum est sæpe occasio, quæ cumulantur: quæ tamen deinde, aut furis rapacitas, aut parasitorum sycophantarumque nugæ, siue hostium prædæ diripiunt, aut fames, aut pestis, aut ignis grassando absumit.

PH. Est mirum hæc profunda illa vanitatum vanitas, quam tantopere ipsa rerum experiētia edoctus exagitat rex Salomon regum omniū, qui vnquam vixerūt sapiētissimus, dum homo, qui Dei ipsius munere gratioso iudicio valet atque discretione, minus quam trium aut quatuor annorum puer temperare sibi, sollicitamque cordis intemperiem cohibere potest; quo fit, vt liberorum causa quiduis subeant, imo ipsum decorum atque honestatem sæpenumero prostituant.

Parentum nimius in liberos amor.

EQ. Ptolemæus certe primus Ægypti rex, tametsi adhuc prospere ageret, & optima frueretur valetudine, lubens tamen ac sponte imperio se se abdicauit, filio natu minori, regno cessit, & inter vigiles eius numerari voluit, se Regis patrem quam Regem malle appellari dictitans.

Æneas Syluius Histor. Bohem. *cap.* 33, de Carolo IV. indignum hoc Maiestate Cæsarea tradit: Illud quoq;, inquiens, nomini Caroli IV. non paruam inussit maculam, quod Wenceslaum ex filiis suis natu maiorē in Imperio sibi successorem adhuc viuens ordinare conatus est, idq; pecunia. Nam cum principes Electores haud facile ad eā rem trahi possent; quod virtute obtinere nō potuit, pretio cōparauit, pmissis cuiq; Electori centū millib. aureis. Quos cū

præ-

præsentare nõ posset, publica illis Rom. reip. vectigalia obligauit, perpetuum imperij malum. Hinc Romana potestas ad nihilum redacta, nec posthac extollere caput imperium potuit, cum principes Electores omnia sibi retinerent: Imperatoremque iureiurando adegerunt, ne pignora reuocaret. *Hæc Syluius.*

PH. Ego ad vetustiora rursus transeo. Rarissimum profecto Seleucus, qui Alexandro mortuo Syriæ præfuit, lateque plurimis imperauit populis, paternæ charitatis in filium præbuit exemplum. Is ex Apamea vxore filium susceperat Antiochum. Ea mortua, Stratonicen duxit. Cuius amore captus: cum esset Antiochus, tacitus mœrensque, hinc pudore, illinc amoris conficiebatur impotentia. Qua è re lethalem contraxit morbum, qui eo erat periculosior, quod eiusmodi affectus medicis erat incompertus. Erasistratus igitur inter omnes, qui ægroto astabant & primus, & solertissimus medicus, cum adolescentis corpus syncerum videret, nullisque illud malignis vexari humoribus, ægritudinis causam ad ægroti animum referre secum cœpit: decreuit igitur assidere Antiocho, & ad salutationem, ingressumque singulorum intra cubiculum illius notare commotiunculas. Permultis igitur diuersi generis quotidie eum inuisentibus, cum in illorum siue aditu, siue abitu, non oris, non venæ spiritalis, signum aliquod commotionis appareret, sed iaceret Antiochus mœstus, languescensque, ac semitorpidus, nec tamen ipse ab incepto desisteret, continuaque animaduersione, deprehendit tandem, & dum cubiculum ingrederetur, & dum languenti assisteret Stratonice, intingi rubore Antiocho faciem, venamque subsilire, ac corpus ipsum vigorem resumere, confestimque abeunte illa labascere, spiritumque ipsum concidere. Idque cum non semel animaduertisset, vt erat naturæ sciens Erasistratus, sensit hinc amorem morbi esse causam, illinc pudorē, ac paterni tori reuerentiam, atque infamiæ metum, hancque inter contentionem, affectuumque concursationem, tacitum illum, languentemque tabescere, atque occulta cura confici, pudore, metu amore, desperationeque obluctantibus. Huius igitur rei tam occultæ & raræ deprehensio, quanta in Erasistrato inesset ingenii vis, quam magna etiam mentis, intelligentiæque eius, siue prudentia, siue sagacitas, aut perspicientia, rarissima quadam cum admiratione omnium declaraui. Sed inuenta morbi causa, longe maior prudentia eius extitit, comparandis atque adhibendis remediis adeo difficilibus, cum ea quæ amaretur, patris, & amantissimi quidem patris esset vxor. Itaque multa secum animo cum agitasset, tandem his Seleucum est aggressus: Compertam habeo rex morbi causam, amorem scilicet muliebrem. Verum quam deamat filius, ea est, vt desperandum sit illi, posse ea potiri. Ad ea rex: Dii, inquit, boni, quænam hæc est mulier, quam siminus donis, at certe coniugio, & parte regni etiam potissima in dotem tradita, traducere ad voluntatem filii, & eius quidem vnici ne-

 que:

quęcamus? quando nihil est, quod non libentissime pro eius sim salute præstiturus. His auditis Erasistratus, regem cum vidisset maxime incensum: Atqui, inquit, ô rex, ne diutius frustrere, mea est vxor, filius quam deperit tuus. addiditque & verbis vultum quam aspernacissimum. Tum Antiochus precabundus: O amicissime Erasistrate, medicæque facultatis cumprimis experiens, quando ad eximiam rerum cognitionem summam etiam bonitatem adiunxisti, nonne vno tempore & patris senis miserebere, & vnicum filium tali ingenio præditum, tantique imperii successorem arte tua, tuo item beneficio, munereque in vitam restitues, an passurus es per summam etiam iniustitiam tabescentem illum confici, eiusque rei desiderio, quæ in manu tua est, miserabiliter expirare & emori? Ad hæc aliaque tum precum, tum pollicitationum plena, perinde ac indignaretur Erasistratus, vim sibi regem afferre velle, videlicet ô Seleuce, tuam si eam filius amaret vxorem, esses illi traditurus? Ad ea benigno vultu rex: Et vxorem, inquit, & regnum. Sed tu iniustior, qui cum & morbum deprehenderis, & morbi causam, sitque penes te vnum remedium, tamen & patrem vna & filium eadem opera velis perdere, peruetus noster cum sis & amicus, & medicus. Tum rursus Erasistratus: Ne tu rex maxime, qui me iniustiorem vocites, iureiurando affirmaueris tuam te vxorem, quamuis & vnico, & charissimo nato traditurum si ob eius amorem is iaceret, vt quidē de meæ iacet, quod vides, quam grauissime. Hic rex cum & per regiam fidem, & per deos immortaleis iurasset pro Antiochi salute, quem vnicum haberet, eundemque continentissimum pariter, ac maxime prudentem cognosceret, animo quam libentissimo, vxorem se illi suam esse concessurum, facturumque longe etiam maiora salutis illius ergo. Tum Erasistratus, regem cum cerneret nihil simulanter loqui, verum ex animi sententia, composito admodum sermone, & qua opus erat, adhibita prudentia, rem omnem patri sic aperuit, vt hoc cognito Seleucus lætatus fuerit mirificum in modum: quodque reliquum in autoritate sua intelligeret collocatum, operam primo adhibuit, vti filio vxorique à viris grauissimis maximæque autoritatis connubium persuaderetur. Quo ab vtroque impetrato, conuocatis vndique amicis dynastisq; ac ducibus exercitus, orationem huiusmodi ad illos habuit. Senem esse se, suamq; ætatem indigere nepotum præsidiis, minime vero passurum, tantum se imperium sua præsertim vnius culpa, Macedonum è iurisdictione ad alias manus ditionemque prolabi. Hisque, atque aliis in eam sententiam explicatis, de nuptiis filii & parte regni ei permittenda, quid decreuisset, aperuit, summaque cum lætitia & amicorum, atque exercitus voluptate nuptias celebrauit.

EQ. Conuenit hoc propemodum cum illo Alexandri; is namque delato ad eum, aliquid sorori cum formoso iuuene intercessisse, non excanduit, sed ait: permittendum illi quoq; nonnihil frui regno. *Plut. in polit.*

TH. So-

TH. Solent parentes in mascula, vt pote sexus perfectioris, sobole potissimum fiduciæ ac spei solent reponere. Hinc cum Eua exclamaret: *Acquisiui, seu possedi virũ à Domino, seu virum Domini:* exprimitur hac Euæ exultantis animæ lætitia materni pectoris, & fœcunditatis suæ primitias: quod vidit primum hominem in mundum natum: cum quidẽ perpetua sterilitate & interitu digna fuisset: itemq; ob masculam, vtpote sexus perfectioris, sobolem editã.

PH. Fuit hic quidem Euæ affectus erga recens natum filiolum absque peccato. At Seleuci illius affectus cum grandi peccato fuit coniunctus; quippe huiusmodi indulgentiam quomodocunq; etiam palliatam ipsa sanguinis necessitudo, quæ hic omnimodo concurrit, minime admittit. Atque hinc etiam plerunq; fit, vt procerum liberi propter eam quam experiuntur, indulgẽtiam parentum, sibi quoq; & cupiditatib. suis indulgeant, suo & parentum & reip. interitu. Indulgentia n. secũ trahit contemptũ disciplinæ: contẽptus disciplinæ parit audaciam: audacia confirmat libidinẽ quiduis agendi: libido illa miserabilẽ accelerat exitium. Horũ dictorum veritatẽ exhibet libidinosa temeritas Sichem, quippe quæ sibi pariter ac suis exitiosa fuit, *Gen* 34. Atq; hæc ipsa libidinosa Sichemi temeritas, etiam patris ipsius Hemor indulgẽtiam arguit. Nisi enim adolescens hic potens ac nobilis indulgentissime à patre habitus esset, tantum facinus non admisisset in vicinũ & hospitem virum sanctũ: in puellam simplicem & innocentem: in familiam denique suam, quæ virtute exornanda erat, & cuius defensione tuta esse debebat pudicitia. *Indulgentiæ fructus infelix.*

EQ. Tanta est insuper parentum erga liberos amor atq; indulgentia, vt nunquam fere iudicib. de filiorum capite statuere, si possint permittant. Quã difficile est, inquit Seneca, pati membra sua sibi amputare? quæ suspiria ducit, secando? quoties amputata luget? quoties eadem restituere conatur. Cõtigit (inquit Bodinus *lib. 1. de republ. cap.* 4. anno 1565. Castilione, patrem à filio, quem leuiter castigare vellet, lethale vulnus accipere. Pater metuens, ne filius à magistratu comprehensus capite lueret: ad extremum vsq; spiritũ cohortari non destitit, vt fuga saluti suæ consuleret. Iudices comprehensum & confessum pedib. ẽ sublimi trabe aliquandiu pendere, graui saxo ad collum alligato, deinde viuum flãmis comburi iusserũt. Ac paulo ante in agro Tolosatũ mater quædã omnes filii contumelias, verbera, iniurias prius perpeti maluit, quã filium accusare apud iudicẽ: qui ad extremum re turpissima cõmotus, quod sc. filius in matris cibarium ventrẽ exonerasset, pecunia mulctatũ relegauit: qui cum prouocasset ad curiam Tolosatẽ: iudices iniq; iudicatum rescinderũt: hominem perditum viuum cremari iusserunt; matre misertima querelis legũ ac iudiciorũ atrocitatẽ recusante. & cõmiserationẽ iudicũ nequicquã implorãte.

PH. Nimirum isthæc parentũ erga liberos indulgentia, incentiuum est liberorũ, quam deinceps ẽt erga ipsos parentes vsurpãt atq; exercent, tyrãnidis exempla sunt in historiis obuia. Extat in Horologio principum *fol.* 84. quod

Belsazar cui plurima pater indulserat, patrem Nabuchodonosorem in trecenta frusta secari, & totidem falconibus deuorandum obiici iusserit. Et de Neronis matre proditum est, cum prædictum fuisset, Neronem factum Imperatorem, occisurum matrem; Occidat, inquit, modo imperet; quæ quidem vox nimiam matris erga filium indulgentiam satis prodit.

TH. Hoc nimirum est, quod Salomon: *Indulgentia*, (inquit) *parentum corrumpit liberos*, Prouerb. *13*. & quod Franciscus Petrarcha de republ. lib. *9*. ca. *2*. *Indulgentia* (inquit) *homines ad vitia proniores facit*. Vtque simia catulos fere complexu necat: ita nonnulli parētes immodico erga liberos affectu & indulgentia corrumpunt; atque vt Coccycis pullus, vbi adoleuerit, cum sit nothus, tamen legitimos deuorat, vnaque matrem ipsam; ita quidem magna indulgentia stultoque amore quorundam educati, subuertetunt eos, inquit Plinius *lib*. 10. *cap*. 9.

PH. Proinde recte monet Horologium princ. fol. *679*. Non vel sita est vel sita esse debet patris gloria in eo, vt faciem filius sit candidissima, & vt vitam agat quam emendatissimam.

TH. Chrysostomus certe sua etiam ætate de incuria parentum in educandis atque ad honestatis studium informandis liberis valde conqueritur. *Magnum* (inquit) *depositum habent parentes, filios, si ingenti illos seruent cura, atque omnia faciamus, ne fur id nobis astutus auferat. At vero nunc contra facimus. Nam vt fundus quidem sit optimus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus, & agasonem atque mulionem procuratoremque ac dispensatorem, qui nobis magna beneuolentia afficiatur, inquirimus: cæterum quod nobis omnium charissimum est, omnino negligimus, neque curamus quo pacto filium nostrum fideli cuipiam viro committamus, qui ipsius tueri ac seruare pudicitiam possit. Et certe nullus fundus, nulla possessio, æque nobis gratus atque charus esse debet: quippe hæc omnia filiis quaeruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est quam eorum, quorum illa gratia comparantur: quod profecto absurdissimum est. Exerceamus igitur ad virtutem atque pietatem molles filiorum animos: cætera omnia secundo loco quæramus. Nam si quidem illi improbi fuerint, nihil eis pecunia proderunt: sin autem probi, nihil ex paupertate lædentur*, Hom. 9. ad Hebræos. & c. 10. ad Heb.

PH. Rectissime itaque apud Aristeam, (licet eius authoritas à Iosepho, Scaligero, & aliis in dubium vocetur) Ptolomæo Philadelpho, Ægyptiorum regi, quadragesimus primus, ex septuaginta interpretibus, interroganti, quæ esset maxima negligentia? respondit: *Si quis non curat liberos nec eos educando quā diligentissime informat. Nam oramus* (inquit) *Deum semper, non tam pro nobis, quam liberis nostris, vt illis assint omnia bona.*

Educatio pia. TH. Pie itaque Iob egit, quod quotidie orabat & sacrificabat pro filiis suis & admonebat, ne quando Deum offenderent *Iob 1*. & Dauid moriturus, Salomonem instruxit de omnibus quæ erant illi facienda, *3. Reg. 2. & 1. Par.* 18.

Matathias

Matathias quoque distributis regiminis officiis filios suos ad Dei timorē perpetuo colendum & legis obseruantiam vehementer animauit, *1. Machab. 2.* Et parentes Susannæ cum essent iusti erudierunt filiam suam secundum legem Moysi, *Daniel.* 12. Estque insignis Tobiæ senioris ad Tobiam filium admonitio atq; commonefactio: *Corpus meum* (inquit) *sepelies. matri tuæ semper honorem habeas. Ne præter mittas aliquod præceptum Domini, sed ex integro omnia obseruato. In proximum misericordiæ opera exerce. Abstine à fornicatione, tua vxore contentus. In te superbia nulla appareat, operariis atque mercenariis statim redde mercedem. Ne feceris alicui, quod tibi non vis fieri. Sine consilio nihil facias, &c.* Tob. 4. & Salomon rex: *Erudi* (inquit) *filium tuum & refrigerabit te, & dabit delitias animæ tuæ.* Prouerb. 29. *Filius enim sapiens lætificat patrem, filius vero stultus, mœstitia est matris suæ.* Et quia peccatum indulgentiæ nimiæ valde frequens est in parentibus & admodum nociuum filiis, ideo scriptura *Prouerb. 23.* illud detestatur, *qui parcit virgæ* (inquit) *odit filium suum, qui autem diligit instanter erudit.* Et iterum, *noli subtrahere à puero disciplinam: si enim percusseris eum virga, non morietur Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis, curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne forte induretur, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ,* Ecclesi. 30.

EQ. Hæc nimirum summa est parentum gloria, quando liberos educant ac post se relinquunt omni virtutum genere conspicuos. Prædicatur insignibus suis factis apud Athenienses Miltiades, sed felicior habetur, quod Cimonem filium reliquerit summum virum, per quem Athenienses imperium maris recuperarunt. Lucius Manlius, etsi laudibus clarus suis euasit, filii tamen Torquati gloria celebrior factus est. Nam cum non existat, nisi in consummata virtute vera felicitas, merito in gloria sunt parentes illi, qui insignes ipsi, insignes virtute liberos reliquerunt, & ad parentes redundat filiorum laus, ita splendor parentum recidit ad filios. Præsertim si ipsi filii non modo parentum titulo se efferant, sed etiam propriis ornamentis possint relucere.

PH. Iucunda hæc admodum est gloriæ paternæ, virtutisque filiorumq; reciprocatio. Proinde, quod grauiter monet Plutarchus (*de instit. liberorum*,) ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaque pro officii rationibus agendo, euidens sese liberis exemplum præbere, vt in illorum ij vitam tāquam in speculum intuentes, à turpibus dictis factisque auertantur. Etenim qui peccata filiorum increpantes ipsi in eadem prolabuntur vitia, ii se non sentiunt sub illorum nomine semetipsos accusare. Et vbi senes sunt impudētes, necesse est, ibi adolescentes quoque inuerecundissimos esse. Et quod apud Xenophontem, *lib. 7. Cyr. pæd.* Cyrus: Ipsi, inquit, meliores erimus si nos ipsos tanquam longe optima exempla exhibemus: Et liberi nostri, etiamsi velint, non facile mali euadent, cum nihil, quod turpe sit, vel visuri vel audituri sunt,

Parentes filiis sint exemplar.

F sed

sed in virtutis & honesti studio totos dies contereret. Et Plato dialogo de legib. *liberis nostris (inquit) non auri, sed pudoris multum oportet relinquere: Sint ergo patres coram filiis verecundi, & summopere caueant, ne quis filiorum eos aut videat, aut audiat agentes turpe aliquid, aut loquentes. Nam vbi patres minus pudici sunt, necesse est ibi filios impudicissimos esse. Praestans igitur filiorum & parentum disciplina est, non verborum increpatio, sed vt quae increpando quis diceret & monendo, eadem esse in omni vita sua facere videatur.* Haec Plato.

EQ. Extat hac de re grauis admodum atq; insignis commonefactio Bapt. Manc. ad Ludouicũ Fuscar. *Est profecto (vt videre videor) magnum virtutis adiumentum, claris ortum esse parentibus. Solent enim iuuenes, qui aliquid indolis habent, ne degenerare videantur, maiorum suorum dignitatem aemulari, & ad paternarum laudum aspirare felicitatem: Sic Philippi nomen Alexandrum; sic maioris Africani gloria minorem Scipionem: sic Caesaris Iulij fama Octauianum excitauit: sic deniq; Pyrrhus Achilleides animosus imagine patris. Te quoq;, Ludouice, quanquam Deo & natura ducente, tuisque annitentibus studiis, virtutem amas: non parum antecessorum tuorum te iuuare possunt imagines, quorum mores aequare vt arduum & difficile, sic certe pulchrum & laudabile.* Et sane etiam ipsi principum filii à regni proceribus, ipsisque quinetiam subditis promptiora assequuntur vota atque obsequia, si parentes principes rẽpublicã laudabiliter administrarunt. Hinc scribit Dithmarus, *lib. 2.* quod mortem Henrici II. qui anno Christi 936. obiit, Principes imperii, eo aequiori tulerint animo, quoniam is filium vestigiis paternis gnauiter insistentem post se reliquerit: *Indoles (inquit) relicta posteris, tristia principum corda laetificat, & certos voluntariae electionis hos facit. Nec pluribus, quibus regnandi spes in subsecutura dominorum sobole non relinquitur, & inter se facta dissensione & longa contentione aliquod consilium & solamen cito non prouidetur si in consanguinitatis linea aliquis tali officio dignus non inueniatur, saltem in alio bene morigeratus omni odio procul remoto assumatur. Quia maxima perditio est, alieni genus regnare Hinc depressio & libertatis magna venit periclitatio.* Haec nimirum est, ꝙ Bodinus *lib. 4. de Rep. c. 1.* Si quis, inquit, virtutibus clarus extiterit, quasi fax in altissimo loco posita suo lumine ac splendore omnia complet: nec tantum viuens ac spirans laudib. cumulatur, verum ẽt mortuus suauissimos suae virtutis odores liberis ac posteritati relinquit, cui etiamsi scelerate vixerit, patriae virtutis gratia indulgetur. Sic Cambyses multa crudeliter ac turpiter gessit: hunc tamẽ ab odio & inuidia populorum ac principum vindicauit summa virtus Cyri patris: cuius imago & oris dignitas in hominũ animis ac mentib. tam alte hęserat: vt ẽt gnati essent, qui nasum aquilinum, qualis in Cyro fuisse dicitur, haberent. Et commodum Imperatorem Aurelii patris virtus amabilẽ fecit: tametsi patri omnino dissimilis, gladiatorẽ morib. ac vultu referret; quinetiam populum Romanum ludos in Circo spectantem vno iusserat & eodem occidi momento: quod risum tenere non potuisset, intuentem in arena pro Imperatore tam strenuum gladiatorem.

TH. Saepe nimirum Deus temporaria beneficia etiam liberis & domesticis

confert

confert propter maiorum pietatem. Generatio enim rectorũ, teste Psalmo, benedicetur; & patris virtus liberos commendat Sed è cõuerso, posteri quoq; punientur propter delicta maiorum. Cum igitur piorum liberis melius sit, & impiorum deterius: sic viuant parentes, vt non tantum sui, sed et totius posteritatis rationem habeant. Vtriusq; exemplum præbet nobis historia Iosephi & Ruben. Filii Ioseph accipiunt ius primogenituræ propter patris pietatem. Cõtra posteri Ruben luunt delictũ patris. Sic n. Iacob Patriarcha *Gen. 49.* inquit, *Ruben primogenitus meus tu virtus mea, & principiũ roboris mei, excellentia oblationis & potestatis: diffluens sicut aqua, non excelles: quia ascendisti lectum patris tui: ibi stratum meum profanasti ascendendo.* Et Moses *Deut. 33.* inquit, *Viuat Ruben, & non moriatur, & populus eius sit catus exiguus.* Ac tota sane posteritas Ruben priuata fuit & regno & sacerdotio propter patris incestam cum nouerca consuetudinem.

EQ. Propter parentũ scelera grassantur pœnæ publicæ in totas familias, nõ vno tẽpore, sed multis interdũ seculis; adeoq; peccata seminis puniuntur in semine, id est, in posteritate, & de hac diuina iustitia, ipsa Decalogi vox concionatur: *Visitant iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.*

Propter Saulis scelera tota familia & posteritas deleta est, præter filium Ionathæ Mephiboset: imo & virum sanctum Ionathan, alienum à paterno scelere, tamen vna interfici Deus voluit. Mansit tamen posteritas Ionathæ vsque ad tempus exilii Babylonici.

Cur rex Salomon indulgeat amorib. & genio, & in idololatriam delaberetur, & delubra ethnica in gratiam concubinarũ suarum extrueret, spreto vero cultu Dei & templo: puniebat Deus filium ipsius stultis consiliariis, vt decem tribus Israelis ab eo deficerent.

Achabi posteritas propter ipsius idololatriam tollitur, interfectis à Iehu septuaginta viris.

A filio Sennacherib Assarthaddon aufertur regnum & transfertur ad Chaldæos, propter blasphemias, quas pater Sennacherib contra Deum effuderat.

Audiui, inquit Melanthõ in locis Manlii, sapientem & excellẽtẽ virũ summo genere natũ, sed qui non modeste viuebat, cũ periisset ei filius incẽdio, dicentẽ: O me miserũ, mea peccata Deus punit in semine. Postea cum se occultaret in aliena domo, vt illius viri coniugẽ vitiaret, ipse interfectus est. Sed hæc cum cuiuis plana sint, non amplius illis immorabimur. Matura mature ætas quæ & quomodo informanda sit, (quod præambuli in his nostris discursibus loco est,) vlterius dispiciemus.

PH. Mature plane. Quemadmodum enim Asparagi, si teneri sunt, saporosi sunt & vtiles: quod si indurari sinantur, spinis innatis pungunt apprehendentem eos, & vix frangi possunt.

TH. Adolescẽs (inquit Salomõ *Prou. 22.*) iuxta viã suam, et cũ senuerit, nõ recedet ab ea. Cũq; adulta hominũ ætas ad omnia minus docilis tractabilisq; sit, quam rudes illi iuuẽtutis anni, qui instar ceræ quãlibet impressionẽ facile admittunt: *Ætatis teneræ informatio.*

tum generosi mores, vt ille ait, imbuendi sunt, cum tener est animus: tum optimis assuescendum, eaque discenda, quæ nec grandinem, nec vim, nec Iouem ipsum, vt Plato inquit, extimescant: quæ quoque cum naufrago salua enatare, nec à latronibus eripi queant, cum ad quæuis cereum adhuc est ingenium. Nam postquam annis iam quasi diriguit animus, partim ægre, quorum praua consuetudine fuimus infecti, dediscimus: partim, quæ noscimus, non nisi maxima nobis inculcari difficultate possunt. Quo elegantissima metaphora hac respexisse videtur Ouidius:

Quæ præbet latas arbor spicantibus vmbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure reuelli,
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

Et Vergil. 3. Georg.

Tu quos ad studium atque vsum formabis agrestem
Iam vitulos hortare, viamque insiste domandi.
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Idem ad Messalam.

Sed quoniam ad tantas non primum nascimur artes
Nunc primum teneros firmamus robore neruos.

EQ. Egregia admodum est, quæ hac de re extat de arbore sumpta similitudo in Horologio principum *fol.* 194. his verbis: *Non potest fieri si radices arboris aridæ sint, vt viridia videamus in ramis folia.*

PH. Sunt ingeniis nostris (inquit Cicero) *semina innata virtutum, quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perducerent. Nunc simul atque editi in lucem & suscepti sumus, in omni continuo prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur, vt plane cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Postea magistris traditi, tam variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas & opinionibus natura vel præoccupata cedat.* Sed enim, vt inquit Thriuerus *apophth.* 7. vt ad literas, ita ad virtutem pueritia promptissima est: & raro in ea promouet adolescentia, nisi fundamentum iecerit pueritia.

TH. Socrates idem in optime natis ingeniisque vsu venire dicebat, quod in equis, in quibus, qui feroces sunt ac generosæ indolis, si statim à primis annis recte instituantur, egregii & ad omnem vsum accommodi euadũt, sin minus, efferati, intractabiles & ad nihil vtiles. Eoq; fit, vt felicissima quæq; ingenia corrumpantur inscitia instituentium, qui mox equos vertunt in asinos, quod erectis ac liberis imperare nesciant. Hinc Themistocli pædagogus dicere solebat, *nihil mediocre futurus es ô puer: nam aut magnum bonum eris reip. aut, magnum malum.* Generosa namq; indoles, si accedat recta institutio, magno bono est patriæ: sin ad vitia degeneret, ingens affert malum. Docet idi, sum Iuuenalis *Sat.* 14. exemplo ciconiæ & aquilæ, quæ quia mox, quamprimum

mum pullos ouis excluserunt, eos ranis, serpentibus ac lacertis, itemque leporibus, capreis, &c. pascunt, hinc adeo fieri dicit, vt deinceps enati pulli easdem sectentur escas, iisque vescantur; atque eandem esse hominis conditionem ait, qui si honestis artibus probisque moribus imbuitur, ad eorum dictamen vitam degat, sin vero improbis imbuatur moribus, improbe etiam eundem viuere compertum sit.

EQ. Lycurgus illam diuersam morum conditionem scite monstrauit; Catulos duos ex eadem matre & patre produxit atque hunc domi relictum gulæ assuefecit, alterum secum trahens ad venationem exercuit, positisq; gulæ irritamentis leporem simul emisit. Hic cum vterq; consueta peteret, & alter leporem cepisset; cernitis, dico, ciues, hos licet ex eadem stirpe, vitæ tamen disciplina longe inter se euasisse diuersos: atque efficaciorem ad recta esse exercitatiorem natura. *Plutarch. in apophtheg.* Quamobrem etiam Macedoniæ Rex *Philippus*, vbi resciuit Alexandrum filium conqueri, quod pater ex pluribus fæminis gigneret liberos, sic illum hortatus est: Ergo quum plures habeas regni competitores, da operam vt honestus ac probus euadas, vt non per me, sed per teipsum regnum obtinuisse videaris. Vir prudentia vere regia præditus, non consolatus est filium, sed metum illius auxit, quo magis extimularet ad virtutem. Iudicans, illi non aliter sperandum paternum regnum, nisi se successione dignum præberet: nec tam magnum esse regnum adipisci, quam regnum promeruisse. *Plut. in apoph.*

PH. Et quomodo verbo innata eiusmodi morum prauitas citius ac felicius, quam per studia literarum ac sapientiæ humaniora emendari potest? Ab illis certe omnis in terris felicitas manat, & publice priuatimque confirmatur, quod venustissime Callimachus indicauit, cum de Apollinis capillo salutem & incolumitatem destillari, & eas esse ciuitates beatas ait, in quibus guttæ illæ ceciderint; sic enim inquit in hymno Apollinis: *Literarum commendatio.*

οὐ λίπος Ἀπόλλωνος ἀποστάζουσιν ἔθειραι.
ἀλλ' αὐτὴν πανάκειαν ἄστει ἐνθ' ὤκεις ἐκεῖναι
πρῶκες ἔραζε πίπτουσιν ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.
τέχνη δ' ἀμφιλαφής.

Qui sunt capilli Apollinis? crinitum enim hunc faciunt Poetæ & *ἀκερσεκόμην*. Profecto species hæc est atque pulchritudo eruditionis & optimarum disciplinarum atque artium & literarum. Inde cadunt illæ præclaræ guttæ & salutares rebus tam publicis quam priuatis operum, sapientiæ atque doctrinæ, quæ vbicunque locorum atque gentium apparent & conspiciuntur, illinc absunt pestes & exitia ciuitatum atque familiarum, quæ sunt barbariei & inscitiæ germina. Neque vero moror centaurorum illorum, parasitorum & adulatorum aulicorum voces, qui literas Principem dedecere; pauperculis-

quę tantum & infimæ sortis hominibus relinquendas clamitant; huiusmodi namq; voces, quas inter canum venaticorum latratus, equorum hinnitus, vitamque prodigiosam eructant, cum Alphonso, Aragonum rege, non hominum, sed boum esse, quum à rationis iudicio non proficiscantur, sed insulso beluinæ ruditatis instinctu effundantur, pronuncio. Est alioquin propemodum regulare: *Paucos in aulis bonos inueniri.* Hinc illud vulgo decantatum.

In aula regis non est multum legis:
Si qui sunt boni, coguntur esse ὄνοι:
Si qui sunt mali, sunt in gratia regali:
Si qui sunt cæteri, ferme sunt bibuli.

Accessi in aulu. Quæ etiam haud dubie olim causa fuit, quod Iustinianus Imperator Episcopis seuere interdixit, ne aulam adirent; & admissi negotio expedito statim discederent.

EQ. Bona verba quæso. Si enim aulicus quispiam, conditioni præsertim tuæ non admodum æquus isthæc dicentem te audiret, metuendum foret, vt pugnum sex librarum in faciem tuam dirus stringeret, facilime enim crabrones eiusmodi aulici irritantur.

PH. Sic nimirum meo demum malo, at sero, sapiens instar canis illius aurā aulicam capturientis fierem cautior. Cum enim aulici cuiusdam canis herū suum in aulam adeoque in palatium etiam secutus, à canibus aulicis misere exciperetur, nunquam postea palatium illud, vestigiis territus, vt ingrederetur, persuaderi neq; etiam minis cogi potuit, herum & dominum suum ad portam vsq; duntaxat secutus. Ex quo etiam prædictus aulicus plus prudentiæ inesse cani, quam propriæ menti deplorabat, quippe qui in aula male & inique sæpius acceptus, neq; mores neq; conditionem ac statum mutarit. Sunt nimirum hæc obsonia aulica. Noui ego quosdam amusos, quibus literæ literatique eaque omnia quæ ad rem literariam spectant, vsq; adeo sunt exosa, vt ea pestem & virus reipublicæ appellare haud erubescant. Fuit ex horum classe ac numero, (vt odiose hodiernos nominatim non perstringam,) olim C. Valerius Licinius, qui patre natus rustico & inter rusticos educatus, rusticis & omnino barbaris fuit moribus, imprimis autem æquus rusticis & agrariis hominibus, inter quos cum aratro & sarculis in Dacia consenuerat. Literarum vero & bonarum artium hostis acerrimus: cum per inscitiam immodicam, pestem, & calamitatem publicam literas & literarum studiosos, maxime vero Rhetores & Philosophos, quos inprimis odio habuit, virus & venenum Reipublicæ appellaret. Mirum autem non est, ipsum odisse literas, quarum adeo fuisse expers dicitur, vt ne suum quidem nomen decretis subscribere posset.

EQ. Sed neque mirum est imperitos sic sentire, quum ipsa peritorum schola haud

la haud aliter sentiat. Nam ipse Epictetus admodum peritus hoc genus hominum (Scholasticorum subintellige,) inquiebat esse ζῶα ἐκ πάντης ἐπιγελᾶσθαι: & Plinius *in Epist.* scholastico homine nihil aut esse simplicius; à quorum morbus, quosuis qui inepte quid aut dicunt aut faciunt, ipsimet phantastas vulgo nuncupamus; nimirum sanctissimum sapientis nomen (à Phantasia deriuatum) ad stultos per ludum ac iocum traducentes; quinetiam, teste Felice Fabri in sua Sueuorum hist. *lib.* 1. *cap* 8. quum Franci dicantur antiquitus illi, qui sunt compti moribus; nunc ironice Francos eos qui sibi sapere videntur, neque tamen bene morati sunt, vocamus. Iidem aliis nominibus dicuntur vulpes scholasticæ, quod in vmbris scholarum veluti vulpes in cauernis latitent; à nonnullis, Calamysii, id est (nam Græce melius exprimitur) μύες καλαμοτρώγοι, quod instar murium in antris scholarum calamos arrodant; qui vt Satyricus in eodem negocio loquitur, in culina habitant, in puluere vitam degunt, nec magis sapere possunt, quam bene olere. Suntq; vt ipsa petitorum schola loquitur, simplicissimi; in mortalium cœtu inepti, infaceti, insulsi, stupidi inertes, deniq; ad omne opus aggrediendum inhabiles, quos vbi videris in congressu, risum vix est vt comprimas, ita salutati tergiuersantur respondere, cum animo suo (opinor) prius disputantes, manus porrigenda sit an attrahenda, pes dexter an sinister flectendus, an vterq; simul, quod in rusticis obseruamus. Hic aliis confabulantibus veluti truncus adstat, ore hiante picturas aliamve rem, obiectam cum stupore contemplatur: alter, nemine aduertente clam sese subducit, &, vt est apud Horatium, statua taciturnior exit: alius in mensa tamquam absens assidet, profunde cogitabundus quasi enthusiasta quidam (phantasta certius & verius dixerim) in sublime cœlum raptus, nihil eorum quæ agũtur vel dicuntur pensi habens, vnde cum ordo eum tangit vel sors vel si obiter rogetur, fere οὐδὲν πρὸς ἔπος, tãtum abest vt ad aliorum qua gestuum qua morum formulam sese componere periclitetur. Quum econtra, qui in aulas magnatum amandantur, moratiores inde ciuilioresque reuenire constet. Ac sane inficias ire nemo potest, Aulas optimas esse officinas, vbi adolescentum expoliantur mores, vrbana inditur astutia, in ipsa humana conuersatione amabilitas, & quæ non?

PH. Aulas dicis, at num post *aulas*, an vero post *optimas*, comma inseri velis, penes te esto. Interim vel tandem etiam de toto hoc negotio Theologi mentem audiamus.

TH. In hac sane morum corruptione satis esse putant aulici, si ad negocia adferant quandam ingenii dexteritatem, aut calliditatem, quæ fortasse etiam sufficeret, si nihil differrent ii, qui rerum maximarũ consilia regunt, à seruis in Comœdiis. At Aristot. definit Magistratũ his verbis, ὁ ἄρχων φύλαξ ἐστὶ τοῦ νόμου, id est, *magistratus est custos legis*. Breuis est, sed vera & apta descriptio, ac prolus

oracu-

oraculi similis, si quis euoluat ea, quæ complectitur. Fingite enim ob oculos stantem Magistratum, cui Deus tradat vtranque Decalogi tabulam, eumq; iubeat esse custodem harum legum, quantas illi res commendari existimabitis. Religionis & ciuilis disciplinæ custodiam ac defensionem suscipit: Quomodo autem custodiet, hoc est, reget, conseruabit, propugnabit, si non mediocriter intelliget? Quid quod ne amare quidem potest quisquam illud, quod ignorat, vt vere dicitur: *Ignoti nulla cupido.* Itaque indoctis tradere magnarum rerum gubernationem, quid aliud est, quam legum tabulas trunco aut parieti affigere?

Princeps sit literatus.

PH. Experimento simul & ratione constat, habere nescio quid latentis energiæ vocem loquentis principis viuam; hæc tamen eo est præstantior, cum ab arte suisque præceptis perficitur. A teneris itaque vnguiculis vt ad literarum studia animus principis assuefiat, cautio est. Ægre namque deinceps dediscitur, quod didicit ætas tenerior. Estque (quod *Ecclesiast.* 21. scriptum extat) ornamentum aureum doctrina prudens, & quasi brachiale in brachio dextro. Quinimo satius est, fieri mendicum quam indoctum; quod ille tantum pecuniis egear, hic humanitate. Nam vt recte Ouidius *1. de Ponto ait: Artibus ingenuis, Pectora mollescunt, asperitasq; fugit.*

EQ. Quod si intra dierum aut etiam mensium aliquot spatia, studiorum cursus absolui posset, tum sane non ægre admodum fortasse capistra inirent scholastica. At vero in ergastulo illo ad aliquam multos detinentur annos, idque cum summo tædio & tantum non puerili incommodo. Deducitur namque ad Grammaticum ingemiscens, ac plorans puer, eripitur illi ludus, qui eius ætatis est proprius, sentit sæpius doctoris atque correctoris ferulam, obiurgationesque grauissimas, cogitur vigilare ad multam noctem, matutino tempore expergisci, in librum incumbere, & omni fere vigiliæ ac diei tempore, nunc ingenium exercere, nunc memoriam, post & vocem, dum recitare quæ à doctore accepit cogitur inter increpationes, & scuticam. Quid vero his omnibus molestius, grauius, tristius, addam & lacrymosius?

PH. Sane si per infundibulum captare posset intellectus humanus literarum studia, non dies aut menses, sed horæ duntaxat aliquot, eæque pro studentium humore atq; arbitrio, ad hanc rẽ deligerentur. Verũ qui sic sentiunt, admodum sunt ridiculi, magis vero qui ita in medium consulunt & loquuntur. Ridetur merito ille Marcus qui inuitarat hospites, & eo ipso die quo celebrari conuiuium debebat, iubebat filium ire ad lyticonem, & artem chordis ludendi discere, vt vesperi conuiuas posset exhilarare. Magis ridebatur rusticus ille, qui medicamentum sibi dari à viro apprime docto petebat, quod filio cuius, opera domestica per tot scilicet dies carere non posset, euacuãdum propinaret, cuius nimirum medicamenti beneficio ac viribus doctus subito euaderet. Atque illum quidem egregie vir doctus delusit. Exhibuit namque illi

illi pilulas quasdam nimis ac cito purgantes, iussitque vt subito rustici filius (quippe non vna secum tunc tẽporis habebat rusticus,) eas deglutiret, addita graui interminatione, ne aluum, donec domum remearit, exoneraret, alioqui omnia fore frustranea. Rusticus itaque mox vna cum filio in pedes se coniecit domum propere iturus. Aberat autem domo sua ad tria ferme miliatia. Verũ proh dolor? vix ad quadrantem miliatis extra vrbem in itinere processerant, murmurare primum filii venter, mox pulsare fores posticas, occipit, clamat filius, se admodum murmurationibus illis torqueri, nec diutius posse sustinere atq; reprimere; rusticus parens grauiter inhibet ipsius damnum & interesse in pilularum cohibitione præsentissimum versari dictitãs. Inter hæc cum precibus simul atq; inhibitionis mixta iurgia, densatim agmine facto artes omnes in caligas pueri prolapsę rusticum omni, quam hactenus conceperat, spe plane frustrarunt.

EQ. Sunt isthæc hominum stolidorum vesana iudicia, quæ ad suos ablegamus autores. Id vero est, quod quibusdam inuisa sunt literarum studia, quia nimirum potissimum florẽtis ætatis tempus studiorum nęniis quibusdam ludicris insumi existimant; Nam inquiunt, exquisitissima plerunq; ingenia, sophisticas ostentationes, mendaciis innixas facile consectantur, interim quasi officio suo probe sint defuncti, admodum exultant, sibiq; mirifice blandiuntur; ad quas quidem nænias sophisticas, vt eo facilius incitentur, ipsius Philosophorum principis Aristotelis, quem de captionibus inscripsit, Liber, aliique libri Sophistici legendus sedulo ac serio ipsis propinatur.

PH. Meministi opinor, quod abusus non tollit verum rei vsũm. Ad Aristotelem quod attinet, non is inscripsit librum de captionibus, siue de sophisticis syllogismis, sed *de confutatione sophistica*, posuitque Aristoteles in eo libro cauillationes, vt euitarentur potius, quam doceret. Cæterum definitur sophista is esse, qui non vera, sed simulata quadam doctrina, ostentationis aut quæstus gratia philosophatur. Hinc Plato eum modo veteratorem, modo nugatorem venditoremque disciplinæ censuit appellandum, diuisitq; eius artem in eam, quæ disserendo captiunculis quibusdam & præstigiis auditores decipit, vt eos qui cum ipso disputant, sibi ipsis contradicere cogat, in eam quæ continuata oratione populum ad se conuertit, vt ignorans asserat quod ipse vult. Quale illud Demosthenis, qui contra Æschinem concionando fecit, vt maior populi pars asseueraret probrum illud quod ipse in aduersariũ obiecit. Erat enim mos Athenis, vt si quis in concione siue in syllaba, siue alio quouis modo erraret, à populo emendaretur. Itaq; Demosthenes ex composito pronunciauit μίσθωτος, quod latine dicitur mercenarius, sed posuit accentum in penultima, vt populus emendando ingeminaret, acclamaretq; μισθωτὸς, μισθωτὸς, quod esset, ac si Demosthenes errando dixisset *mercenarius*, producta penultima syllaba, vt populus emendando ingeminaret eadem syllaba corre-

pis *mercenarius*, vnde ad Æschinem conuersus ait, *αἰσχίνη ἀκούεις*, hoc est, audis tu Æschine? quasi dicat. omnes isti etiam dicũt, te esse mercenarium. Sed quid hæc ad genuinum Philosophiæ vsum ac finem.

EQ. Sed quid tandem ex otioso illo labore literario lucri? Vsu namq; atq; vtilitate labores & impensæ sunt metiendæ.

PH. Munere meo sat probe defungerer, si tantundem tibi responderem, quod Aristippus cuidam nimis anxie desuper sollicito. Cũ enim quæsisset quidam ex eo, quid boni filio suo allatura eruditio esset: si nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non sedebit. Itemq; alteri, qui cum sibi nimium magnam mercedem posci pro institutione videretur, dixerat. Ista pecunia seruum mihi emere possum. Tu vero, inquit iocans, etiam non amplius: si vnũ emeris, duos habebis. Significauit videl. quorum collustratus doctrinarum luce nõ esset animus, eos lapidũ, non hominum, aut si forte inter homines, seruorum, non ingenuorum loco & numero esse habendos. Quid? quod etiã literarum studia & iis quibus clari, & iis quib. obscuri parentes obtigerunt adiumento sunt atq; honori. Nam neq; illi maiori aut illustriori ornamento cõdecorare, & vt Homeri verbo vtar, coronare possunt nobilitatẽ à maiorib. acceptã; neq; hi ex tenebris vlla ratione facilius emergere, seq; in luce atq; oculis omniũ collocatos, à contemptu atq; ab obliuione in perpetuũ vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Magnus: & viam sibi ad summam claritatem ac potentiã armis quotidie muniebat. At is & plus se debere Aristoteli, à quo eruditus, quã Philippo, à quo genitus fuerat, & cuius in regnũ successerat, prædicabat: & cũ ab illo diuulgatos esse libros quosdã arduis de reb. scriptos accepisset, ægre tulit ac generosa quadam indignatione motus, epistolã ad eũ scripsit, in qua hæc verba sunt: *Nam qua re post hac cæteris præstabimus, si qua à te edocti sumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum scientia, quam opibus & potentia cæteris antire.* Hæc ille regum stirpe ac sanguine editus.

Studiorum vtilitas.

Obscurissimo aũt genere ortos quã multos nominare possumus, quos supra omnes omniũ fumosas imagines literæ collocarũt? Obstetricis filius erat Socrates. Nũ igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrẽ vẽdẽdis olerib. vitã tolerasse literis proditũ est; at ipse & Regũ familiaritate vsus est, & ita clarus fuit, vt hodie magis Archelaus ex Euripidis, quã Euripides ex Archelai familiaritate noscatur. Tympanistria fuit Æschinis mater, et ã si Demostheni credimus, vulgati corporis; at cũ rex Macedonũ Philippus quãtopere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracusanũ regẽ Hieronẽ fuit? Sed quid huius rei exẽpla plura conquirã. Signantur eruditorũ hominum nominib. tẽpora; vt minus sæpe, quibus illi regnantib. vixerint, quã qui eis florentibus regnauerit, quærere soleamus. Neq; tamẽ hæc præcipua sunt eorum bonorum, quæ percipiuntur ex literis: sunt alia longe maiora longeq; diuiniora. Literæ insitos à natura honestatis igniculos excitant: luxuriantes quasiq; fruticantes cupiditates stringunt ac coercẽt, easq; rationis finibus regunt: abducunt à vitiis; duces & magistræ sunt ad virtutẽ: prosperis in rebus ornamento

ſunt, ſolatio aduerſis:neq; illis exſultare,atq; efferi ſuos, neq; his frangi ac deprimi ſinunt:eam deniq; tranquillitatē animi efficiunt, quā multi ſinē bonorum eſſe dixerunt. Crates quidā Thebanus interrogatus, quid ſibi ſupereſſet ex Philoſophiæ ſtudio, nouiſſimo verſu reſpondiſſe dicitur; Chænix lupinum,& mētis à curis quies. Magnū certe & excelſo animo virum? Quod enim aliis regna & imperia nō adferūt, vt ſoluto ac libero animo ſint,idipſi,propter literarū & philoſophiæ cōmerciū,chœnix lupinorum afferebat, ſed neq; ſunt artes humaniores ad coaceruandas diuitias infrugiferæ. Nota eſt hiſtoria de Thalete Mileſio, qui cum à propinquis obiurgaretur,quod omne tēpus in ſapiētię ſtudio poneret,quod ad faciendā pecuniam,in qua illi poſita putabant omnia,nulli vſui eſſet:vultis,inquit, oſtendā vobis, poſſe hominē huic ſtudio deditum,ſi ei commodum ſit,diuitem fieri,& hanc eſſe, ſi quis velit ad quæſtū ac cōpendium vel maxime compendiariam viam? Cum illis ſe velle dixiſſent; homo,qui ex aſtrorum ſcientia,magnam eo anno olearū vbertatē præuideret fore,multo ante exiguo pretio, eū contra licitaretur nemo, omnia Chiorum ac Mileſiorum præla ac trapeta cōduxit: quæ cum poſtea ſuo tempore, quanti voluit,elocaſſet,magnamque vim pecuniæ ex eo collegiſſet, oſtendit Philoſophus, magnū etiā ex philoſophiæ cognitione in re familiari lucrū naſci.

TH. Quid attinet tantopere hinc inde conquirere rationes,quibus permoti Principes ad ſtudia literarū applicare cūprimis animos debeant? Sufficiūt nobis vel ipſa Imperatorū deſuper iuſſa. Iuſtinianus in principio proœmii Inſt. *Imperatoriā maieſtatē non ſolū armis decoratam, ſed etiam legib. oporter eſſe armatam: vt vtrunq; tempus, & bellorum & pacis recte poßit gubernari: Et Princeps Romanus nō ſolum in hoſtilib. prælÿs victor exiſtat. Sed etiā & per legitimos tramites calūniantiū iniquitates expellat.* Et in authen. de iud. in prin. *Neceſſe eſt per ſe ſciat, quod iuſtum eſt, nec alium de hoc emendicare neceſſe habeat. Quomodo enim* (addit Imperator ibidē) *nō maximū vitium erit Reipublicæ, non ijs qui ex ſe, quod agendum ſit ſciunt, lites trahere: ſed ſinere eos quærere, alios, à quibus liceat diſcere, quæ ipſos in iudicando eloqui decet.*

EQ. Non legum duntaxat debet habere exactam cognitionem, Princeps, ſed etiam rerum omnimodarū vtrobiuis geſtarū vndecunq; indefeſſo ſtudio hauſtarū ſcientiā ex qua per ſeipſe ideā quandā Principis excellētis efformare ſeq; ad eandē,non tā præſentiū intelligentia quā futurorū etiā proſpicientia, conformare prudē er queat. Vix enim quicquā eſt,quo animi generoſi ad res præclare gerēdas vehementius excitātur,quā memoria atq; imagine rerū præclare geſtarū quotidie illorū oculis obuerſātiū. Hinc illa Sabę Regina,in ſacris decātata, Salomonis Cōſiliarios, Adminiſtroſq; aulicos deprędicat beatos: qꝫ iis Regē ſuū,abſolutū illud inauditę exēplar ſapiētię,indies cotā liceret intueri. Alexāder Magnus,iuuenis adhuc, in ſpeculū paternarum virtutum oculos defigens,quoties à Patre Philippo inſignem aliquam v. bem captam, aut illuſtrem Victoriam reportatam audierat;omnem ſibi quidem rei bene gerendæ occaſionem præreptam queritabatur: interim tamen hoc excitatus ſtimulo *Experientia rerum & hiſtoriarum cogni- tio.*

ad maiora conandum tacite &rebatur. C. Iulius Cæsar, cum in Hispania Quæstor, Gadibus imaginem Alexandri conspexisset, lachrymas vberius effudit, reputans secum, quod ea ætate, qua Alexander pene totam subegerat Asiam, ipse nihil dum præclari gessisset: hoc ipso seipsum ad strenuam tanti Herois, rerumq; ipsius fortissime gestarum imitationem tacite extimulans. Cæs. Augustus, annotante Plutarcho, sæpius precatus est à Diis, Scipionis fortitudinem, beneuolentiam Pompeii, Iulii Cæsaris fortunam. Vtque Magni illius Alexandri magnanimitatem & heroica facta oculis animoque indies haberet exposita: in signandis epistolis, imagine ipsius diu vsus scribitur: quanquam, si Cœlio credimus, potius inueteratæ superstitionis, quam imitationis & memoriæ causa. Quo etiam pertinent antiquissimæ virorum & stemmatum Illustrium Genealogiæ, Imagines, Historiæ, exempla & monumenta, literis ad posteritatem transmissa: in quibus ceu speculis, Maiorum heroica facta ad posterorum memoriam & æmulationem vno quasi obtutu conspicanda repræsentarentur.

PH. Sane Basilius Orientis Imperator, Leoni filio suo (qui sapientis cognomen adeptus est,) sedulo ac serio suadebat, ne legere vel euoluere historias vel minimum grauaretur; paruo labore quod illi magno congesserant perspecturus, bonorum virtutes, malorumque vitia, tum varios humanæ vitæ casus, rerumque ac temporum vicissitudines, ac denique Regnorum & Imperiorem mutationes, ex mutis quam ex consiliariis viuis rectius cogniturus. Verba Basilii hæc sunt: *Per veteres historias ire ne recusa, ibi enim reperies sine labore, quæ alii cum labore collegerunt: atque illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia, varias humanæ vitæ mutationes & rerum in ea conuersiones, Mundi huius instabilitatem & Imperiorum præcipites casus, & vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugies, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris, vt præmiis quæ ea comitantur potiaris.*

TH. Extat etiã breuis quidẽ, sed neruosa S. Greg. Nazianzeni ad Nicobolũ de legenda historia admonitio, his verbis: Præclarum est mentem historiarum cognitione instructam ac refertam habere. Historia enim conglobata quædã & coaceruata sapientia est, hominumque multorum mens in vnum collecta. Et sane constat, eos qui ad clauum Rerumpublicarum sedent, ex lectione historiarum magnos semper fecisse progressus, animumque ad res magnas inchoandas & perficiendas erexisse. Quis enim ignorat potentissimum Regem Assuerũ ex historia, quid virtuti, quid sceleri deberetur, accepisse, summoq; iustitiæ libramento suũ cuiq; tribuendo, periclitantẽ sub gladio Dei populũ liberasse, atq; superbissimũ Aman infami supplicio condemnasse? Quis nescit (vt de innumeris aliis nihil dicã) Dariũ Regẽ vna historiarũ inspectione pietatẽ didicisse: Cũ ex Cyri Regis præscriptio nõ solũ aduersarios Iudæorum

Dei-

Dei templum ædificantium cohibuit, verum etiam vniuersæ molis opus suis sumptibus adsoluendum, & sacrificia immolanda (vt dignum erat regia munificentia) curauit. Hac de caussa Augusti Cæsaris factum non potest non à sapientibus plurimum commendari, qui in euoluendis vtriusque linguæ auctoribus nil æque sectabatur atque spectabat, quam præcepta & exempla publice vel priuatim salubria, eaq; ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum prouinciarumque Rectores, aut ad vrbis Magistratus plerumque mittebat.

EQ. Sæpe narrauit Capnio vir doctissimus, adeo fuisse auidum historiarum Palatinum Philippum, vt contexi sibi integram seriem Monarchiarum à Rudolpho Agricola curarit, qui aulam Heidelbergensem diu secutus est. Tunc enim Monarchias descriptas ab Herodoto paucissimi norant.

PH. Prudenter sane. Quid enim historia aliud est, quam exemplaris Philosophia, in qua, vt Liuii verbis vtar, *Omnis exempli documenta in illustri posita monumenta intueri possis, inde tibi tuaque Reipub. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites, Illa enim monstrat, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusq́ue artibus domi militiaque & partum & auctum Imperium sit.* Et vt summatim dicam, Illa est dux & lux vitæ humanæ publicæ & priuatæ. Qua de causa M. Cicero in Orat. recte monet, *Plus laboris esse conferendum historiis, è quibus exemplorum vis suppetit, quam Philosophorum disputationibus legendis.* Atque hinc Demetrius ille Phalereus frequenter admonere consueuit Regem Ptolomæum, vt libros de Regno conscriptos sedulo compararet & lectitaret; quod de quibus Amici Reges admonere non auderent, in libris vtiliter forent comprehensa. Cæterum vt huiusmodi admonitiones fructu suo minime careant, à primis mox annis animi illorum variarum rerum cognitione imbuendi sunt, hi namque deinceps grata exinde oblectamenta captantes, ad conatum atque industriam sponte feruntur.

EQ. Semper magni principes & Heroes traditi sunt in disciplinam præstantibus magistris & præceptoribus. Nihil enim magis ornat nobilitatem, quam literæ & Musæ. Sicut enim poma aurea in lance argentea sunt conspectiora: sic Nobilitas literata est conspectior & multo illustrior. Et nemo etiam, sine varietate artium ad vllam rem illustriorem satis ornatus potest accedere. Quanquam enim in heroicis & generosis naturis acres ad virtutem impetus sunt, tamen si non regantur doctrina, sæpe aberrant. Exemplis id quod dico fit illustrius. *Studia literarum principibus necessaria.*

Etsi in Hercule maxima vis erat ingenii, tamen ad Doctores deducitur. Nec adolescens tantum literas & Musicam docuit, sed senex etiam Atlantis doctrinam de siderum motibus percepit. Quali doctrina institutus fuerit Achilles, significat Homerus, cum ait, cum laudes clarorum Principum ludentem cytharæ decantasse.

TH. Certe Constantinus Magnus, nisi ad pietatem adiunxisset magnam eruditionem; non potuisset controuersiam ab Ario motam vel intelligere, vel iudicare. Ille vero nequaquam erat in cætu Episcoporum muta persona: sed cum in disputatione Arium dextre refutauit sua oratione, collectis Apostolorum & probatorum autorum testimoniis: tum plerasque alias Episcoporum contentiones eruditis sermonibus mira comitate diremit. Et cum Dauid rex Salomoni filio, regni successionem despondisset, recte erudiendum curauit, vt non solum ciuilem disciplinam tueri, sed etiam gubernare religionem posset: eamque ad rem delegit Magistrum maxime idoneum Nathan prophetam: qui cum religionis doctrina haud dubie coniunxerat vniuersam Philosophiam, & regendæ reip. scientiam. Fuerunt enim prophetæ non tantum Doctores, sed etiam gubernatores consiliorum pacis & belli.

EQ. Ager nimirum (inquit Cicero 2. *Thusc.*) quantumuis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest. Sic principum puerorum animi quantumuis per bonam indolem fertiles, sponte tamen non fructificant. Et quemadmodum nutrices cibum præmansum dentulis in os ingerendo, hoc laboris auferunt præmium, vt infantes in cunis vagientes tali edulii genere saturentur, saginentur: ita præceptores pubescentem iuuentam informantes, neutiquam Penelopes telam retexunt, aut Sisyphi saxum volutant: Sed maximam vtilitatem ad omnes humani generis classes vberrime diffundunt. Hoc ipsum continua totius mundi gubernatio testificatur. Vt enim iam non dicam de vtilitate, quæ ex ferula scholastica, in Ecclesiæ emolumentum redundat; dum exinde feliciter ac facilime hæreses & sophismata ex augustis militantis Ecclesiæ limitibus profligare, & saluificæ fidei sinceritatem propugnare possumus, insuper etiam totam Reipub. σωτηρίαν ἐν τῇ τῶν νέων τροφῇ in ea consistere veneranda docuit canities. Quoties enim exorta factionis tempestate Rerumpub. moderatores per acuminatam quasi cuspidem ingredi coguntur, toties scientiarum & artium beneficio, imperitam ac promiscuam plebem ab omni immani feritate retrahunt, & Reipub. nauem mersam, non submersam, prospero cursu in placidum & exoptatum portum transuehunt. Hoc Cicero tersioris Eloquentiæ princeps *lib.5. de finib.* hisce verbis attestatur: *Sapientia præceptrice in tranquillitate viui potest, omni cupiditatum ardore restincto.* Neque vero institutio proba & iusta in œconomica administratione suo caret fructu & fœnore: etenim ad virtutem, per se laudabilem, omniumque humanarum actionum aurigam, à teneris assuescere multum est: siquidem simul atque editi in lucem ac suscepti sumus, in omni continuo prauitate & densissima morum, errorumque caligine cæspitantes palamur, vt pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Hanc, morum prauitatem præceptores corrigunt: Et licet illam radicitus euellere nequeant, tamen, de sede

sua

sua dimouent, dum recte facientes præmiorum dulcedine ad bene viuendum allicere; male autem agentes formidine pœnæ deterrere anhelant, ne prorsus degeneres facti in iumenta tandem transformentur. Exinde quiuis, qui modo dextram à sinistra discernere potest, facile animaduertit, præsidiis Scholarum, Ecclesiæ, Reipubl. & œconomiæ salutem ita contineri, vt illæ vix possint corruere, quin hæ eodem motu labefactatæ concidant ac intereant.

PH. Qui vero & quales debeant esse cultores, dispiciendum nunc nobis est. Sane de M. Catone refert Plutarchus, quod ipse liberos suos instituerit. Sic namque de eo: M. Cato, inquit, filium, quum primum per ætatem intelligere potuit, literis erudiuit, tametsi Chilonem gratiosum seruum Grammaticum haberet, qui compluribus pueris ludum aperuerat, indignum (vt ipse perhibet) ratus filium, si discendo tardiusculus esset, ab eo qui seruiret, reprehendi, ac aurem distorqueri. Doctrinæ huius quoque causa mancipio debere gratias noluit. Ideoque ipse literarum præceptor fuit, ipse leges edocuit, ipse exercendi corporis magister non modo iaculandi, tractandi arma, & equitandi, sed etiam pugno dimicandi, & calorem & frigus tolerandi, ac rapidos gurgites & asperrimos fluuios intrandi artes instruxit. Ab verborum turpitudine præsente puero sic temperauit, quasi vestalibus virginibus arbitris locuturus esset. Nec cum eo vnquam lauit, id quod à Romanis factitatum est. Generos enim cum soceris balneum ingredi vitio dabant, quoniam membrorum nudationem inspectantibus illis cum decore fieri non posse iudicarent. Omnia igitur quæ ad ingenium & solertiam filii pertinerent, Cato ex sententia perfecit. Hæc Plutarchus. *Paterna institutio.*

TH. Sane paterna institutio etiam sacrarum literarum autoritate nititur. Sic enim Salomon rex: *Noli*, inquit, *subtrahere à puero disciplinam. Si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis. Nam virga atque correptio tribuit sapientiam: stultitia enim colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. At vero dolor patris, & mœstitia matris est filius stultus. Et seruus sapiēs dominabitur stultis filiis. Corripe igitur filium si peccauerit. Qui parcit virgæ, odit filium, qui autem diligit illum, instanter erudit.* Hæ admonitiones sparsim extant apud Salomonē in prouerbiis. In eandem ēt sententiam Syracides: *Filij tibi sunt*, inquit, *erudi illos, & curua illos à pueritia eorū. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarū. Nec ostendas hilarē faciem tuam illis. Trade filiam, & grāde opus feceris, & homini sensato da illam. Vtilius est mori sine filiis, quam relinquere filios impios. Curua filij ceruicem in iuuentute, & tunde latera eius, dum infans est. Filio & mulieri fratri & amico non des potestatem super te in vita tua*, & si quæ sunt aliæ commonefactiones. Hæc tamen liberos coercendi potestas non est indefinita, sed certis limitibus circumscripta. Namque identidem Syracides cuique patrifamilias, ne leo sit in domo sua, grauiter inhibet. Et Diuus Apostolus in Episto-

Epiſtola ad Ephesios: *Vos patres* (inquit) *nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini.* Et niſi iuſta moderatio à parentib. adhibeatur, inſtitutiones iſtæ paternæ, rigoroſę nimirum, nihil aliud pariunt quam ſtupiditatem ac timorem, qui duo defectus tantas ſæpenumero in liberis agunt radices, vt etiam per omnem ipſorum vitam illis non poſſint eximi. Huc ſpectauit elegans illa Plutarchi commonefactio: *Parentes* (inquit) *omnino aſperos & natura eſſe duriſſimos, nolo, & prateritorum nonnullis peccatorum concedendam interdum eſſe veniam ducant, ſeque iuuenes aliquando fuiſſe meminerint. Quemadmodum medici amara quadam venena dulcibus miſcentes humoribus, comitem vtilitatis amœnitatem inuenerunt, ita & patres increpationum rigorem manſuetudine temperent eſt neceſſe, puerorum namque deſiderijs remittenda interdum habena nonnihilque laxanda, quandoque rurſus intendenda. Leuia praſertim delicta melliferant animo.*

EQ. Extat huius rei Epiſtola inſignis Plinii *lib. 8. Epiſt.* his verbis: (*Plinius iuniori ſuo ſalutem dicit, caſtigabat quidam filium ſuum, quod paulo ſumptuoſius equos & canes emerit; huic ego, iuuene digreſſo: Heus tu, nunquam ne feciſti, quod à patre corripi poſſet? Feciſti dico; num autē interdum facis, quod filius tuus. Si repente pater ille tu filius pari grauitate reprehendas is. Nonne omnes homines aliquo errore ducuntur? Nōne hic in illo ſibi, in hoc alius indulget? Hac tibi admonitus immodica ſeueritatis exemplo, amore mutuo ſcripſi, ne quando tu quoque filium tuum durius acerbiuſque tractares. Cogitate illum puerum eſſe, & te fuiſſe. Atque ita hoc quod es pater, vtere, vt memineris te hominem eſſe, & hominis patrem.* Hactenus Plinius.

PH. Inſtitutio paterna ſemper mihi diſplicuit, ſolet enim plerunque eſſe rigoroſa. Sane in artibus mechanicis ſolet eſſe interdum felix, ſed in artibus humanioribus non item. Sunt enim artes liberales, proinde liberam requirunt mentem liberum exercitium; quæ quidem parentes quippe quorum mores à filiorum iuuenum moribus plane ſunt diuerſi, ferre ac ſuſtinere difficulter admodum poſſunt. Proinde, quum liberos ſuos, delphinorum inſtar, aſſiduo comitari non poſſint, adeoque alieno ipſis opus ſit præſidio, diſpicere omnino opus habent de tali liberorum ſuorū cultore atque informatore, cui tuto eoſdem committant. Multum enim refert in quos & quales incidant præceptores, principum & magnatum liberi. Nec minus intereſt, quos nacti ſunt parentes, quam quos adſciſcant præceptores. Etenim vt libri ferme referunt maiorum, vnde prognati ſunt, ingenium: ita præceptorum vitia demigrant in eos, quos inſtituunt. Et honeſtæ vitæ inſtitutio potiſſimum ab illis petenda eſt, qui virtutem ipſis factis præſtiterunt, non ab iis qui compoſitis ante verbis de virtute nugantur. Eſtque principi non minus indecorum ſimul & pernicioſum ab inhoneſtis inſtitui, quam naſci.

Praceptores principibus quales adhibendi.

Plutarchus: *Querendi ſunt* (inquit) *liberis Magiſtri, quorum & inculpata ſit*

vita & mores iustæ reprehensioni non obnoxii, & qui peritiæ sint minime vulgaris. Fons enim & radix virtutis, atque honestatis vitæ, est institutio proba. Vtque agricolæ stirpibus pedamenta apponunt: sic probi magistri, accuratis præceptis admonitionibusque adolescẽtes suffulciunt, vt mores recti inde germinent. Nunc vero etiam despuas in contumeliam quorundam parentum, qui priusquam futuri magistri vllum fecerint periculum, ignoratione aliquando, aut etiam imperitia decepti, non spectatis, adeoque etiam malæ notæ hominibus filios suos committunt, &c.

EQ. Certe Leonides Alexandri pædagogus (vt à Babylonio Diogene traditur) quibusdam eum vitiis imbuit, quæ robustum quoque & maximum regem ab illa institutione pucrili sunt prosecuta, vt Quintilianus tradit. Non propterea abs re M. Aurelius filio suo Commodo quatuordecim adhibuit præceptores, è quibus tamen quinque, eo quod vitæ essent dissolutæ, denuo amouit: *Nam idiota (inquiens) non plus quam vnum gladio per iram iugulat, sapiens vero multos malo vitæ exemplo perimit.* Et alibi, *Tunc ad ruinam inclinare cœpit Roma infelix, quando relegata ex curia columbina simplicitate calliditas cœpit serpentina dominari.*

PH. Tanta, authore Cicerone, corruptela est malæ consuetudinis, vt ab ea igniculi exinguantnr à natura dati, exorianturque & confirmentur vitia contraria. Declarat hoc exemplum Iuliani apostatæ; qui, puer, non modo philosophicis, sed etiam veræ pietatis præceptis imbutus, multum in eis profecit. Sed cum postea à magistris gentilibus, ex quibus (vt scribit Eutropius) Ephesius ille maximus fuit, maximus superbæ impietatis dux; non doctrinæ morumque paritati mancipatis, sed Magicis artibus deditis auscultaret, illorumque consuetudine delectaretur: cœpit etiam eorundem imitari religionem: atq; à fide Christiana deficiens, in paganorum castra transiit, Christi & Christianæ religionis factus est irrisor superbissimus & persecutor acerrimus.

TH. Si quis, inquit Ælianus, Calliæ auscultauerit, potorem eum efficiet Callias: Tibicinem Ismenias: arrogantem Alcibiades: Helluonem Crotylus: eloquentem Demosthenes: imperatorem Epaminondas: magnanimum Agesilaus: Bonum Phocion: Iustum Aristides, sapientem Socrates. Quemadmodum, vt ait Clemens Alexandrinus *li. 7. stromat.* Si quis Ischomacho studuerit, agricola fiet: si Lampidi, nauclerus; si Charidemo, Imperator: Si Simoni, eques: si Crobylo, coquus: si Perdici, caupo: si Archelao, Saltator: si Homero, Poeta: si Pyrrhoni, vicilitigator: si Chrysippo, Dialecticus: si Aristoteli, Physicus: si Platoni, Philosophus.

PH Extat elegans apud Plinium ad Corneliam Hispullam desuper admonitio, quam recenset Plinius Nepos *libr. 3. Epistol.* his verbis: *Plinius Corneliæ Hispullæ suæ salutem. Cupiam necesse est, vt filius tuus auo similis existat, iam circumspiciendus est rhetor. Latinus, cuius schola seueritas, pudor, inprimis castitas constet. Adest enim adolescenti nostro cum cæteris naturæ fortunæque dotibus eximia corporis pulchri-*

tudo, cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modo, sed custos etiam rectorque quærendus est, proinde fauentibus diis, trade eum præceptori, à quo mores primum, mox eloquentiam discat, quæ male sine moribus discitur. Hæc Plinius. Quo referri etiam potest; quod extat apud Hieronymum de probi præceptoris conditione his verbis: *Magister probæ ætatis, & vitæ conditionisque est deligendus, ipse enim elementorum ordo & institutio præceptorum aliter de erudito, aliter de rustico ore profertur. Nec discat in tenero, quod ei postea dediscendum sit. Difficulter raditur, quod rudes animi imbiberunt. Lanarum conchilia quis in pristinum colorem reuocet? Rudis testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primum imbuta est. Græca narrat historia, Alexandrum potentissimum regem, orbis dominatorem, & in moribus & in incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitiis, quibus adhuc paruulus fuit infectus, procliuis est enim malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia.*

PH. Extat Epistola M. Aurelii ad Commodi filii sui præceptorem valde memorabilis, his verbis: *Natus est filius meus Commodus pridie Calend. Septemb. in oppido ad Danubium; cuius vt quotannis natalem, quo mihi à Diis datus est, celebro, ita quotidie eius diei, quo vobis ipsum in disciplinam tradidi, meminisse decet. Imo illius me diei, quo docendum ipsum dedi, quam quæ nascentem vidi, recordari iustius est. Nam & dij mihi, & ego vobis illum dedi mortalem tanquam hominem: vos vero mihi & ego diis ipsum reddam immortalem tanquam sapientem. Quid amplius dicam, nisi vt si magni penditis, quod dixi pluris æstimetis quod dicturus sum. Quandoquidem diis placuit, vt filium è coniuge susciperem, & in fatis fuit, vt talis mihi esset filius, qui à diis quidem animam, qua homo inter homines, à me vero carnem, qua brutum inter bruta esset, accepit: vos si volueritis, vt Deus sit inter deos. famam illi conciliando faciatis, &c.*

TH. Theodosius, recensente Nicephoro filios suos, Arcadium & Honorium, antequam eos præceptoris traderet disciplinæ, sic affatus est: *Mei filij, delegi vobis præceptorem eum, qui optimus, & sapientissimus nostrorum hominum, censetur, cui ego, vobis audientibus miunxi, vt vos ea maxime doceret, quæ principi fingendo, & omnibus virtutis officiis instruendo necessaria sunt, vt vos, si in posterum ita imbutos præceptis, virtuti conuenienter vitam agere videam, meorum bonorum, & Imperij, relinquere hæredes possim. Alioquin nec iure possum, nec debeo, tum nostri, tum subditorum commodi causa, vos mihi Imperatores substituere.*

EQ. Eiusdem intentionis, (quamuis in tenore variatio fit,) est Epistola illa Amalasuntæ, reginæ quam ad Atalaricum filium, Gothorum regem scripsisse perhibetur (recensente Cassiodoro) his verbis: *Nihil vnquam, inquit, mihi antiquius fuit, quam te doctrinis & moribus optimis instituere. Sed, procerum ducumq; tuorum improbitate, id nunquam licuit, ex sententia mihi efficere. Existimarunt enim rudes homines, regem suum sub præceptore minime esse debere, arma tibi magis, quam omnes disciplinas, vsui futuras prædicant. Hæc satu iniquo animo tuli. Nam scientiarum optima-*

rum cognitionem tanti, quanti amplissimos thesauros, semper feci. Veruntamen cum animaduerterem ætatem, simplex ingenium tuum, ac vtriusque fortunam, perditorum hominum audaciæ obnoxiam esse, iniuriæ quamprimum obuiam eundum duxi, perditissimaque quorundam hominum consilia anteuerti, qui odia & simultates, inter nos, insigni pietate coniunctos, disseminabant, quæ, quasi præsentissimum venenum, nos, vna cum Imperio, facile perderent, ac euerterent. Rauennam igitur, maximis itineribus contendi, captisque aliquot noxiis, de iis supplicium sumpsi: nihilque prius duxi, quam de iis omnibus te certiorem facere, monereque, vt ab huiusmodi viris, & insidiis, quantum per ætatem posses, caueres. Lubrica est ætas, amplitudo Imperij ea est, vt sapientissimum virum, multis etiam septum consiliis, præcipitem agere possit. Tu autem, fili, caue, existimes, te vlli, quam mihi, chariorem esse, Vale.

TH. Non possum, quin hic recitem insignem gratulationem magni illius Erasmi Roterodami, ad Adolphum Comitem, de Præceptore, qui illi felicissime contigerit, Iacobo Batto, grauissimo: Illud, inquit, spem de te nostram vel maxime confirmat, quod præter istam naturæ bonitatem, domi contigit habere vtriusque virtutis magistros egregios, bellicæ quidem auum tuum, in quo viro nihil eorum desideres, quæ solent à fortissimo duce requiri, Philosophiæ vero ac veluti Musices illius Platonicæ, Iacobum Battum, Deum immortalem, quam rara doctrina, quam eximia vitæ totius innocentia, quam singulari facundia virum. Quid iam sit quod suis de te votis patria non audeat permittere, posteaquam tam fœlici indoli, formator tam egregius contigit? Contigit autem non iam exoleto, parumque per ætatem tractabili, id quod plærisque solet accidere, sed quemadmodum phœnix ille Homericus Achilli puello adhuc, peneque infantulo datus est, διδασκέμεναι τάδε πάντα μύθων ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρα ἔργων. itidem tuam infantiam vix dum à lacte depulsam, statim Battus excepit, nutricandi munus cum nutricibus ex æquo partitus, vt illæ corpusculum tuum curarent, hic animum fingeret, videlicet hoc iam tum agens e matre, vt ipso prope cum lacte, auriculis tenellis præclara illa sapientum dogmata instillaret, mentisque tuæ recentem testulam, cuius odorem & in omnem vsque vitam esset reddditura, Philosophiæ balsamo imbueret, neque lingulam istam sineret vulgari stribiligine pollui, sed purissimo Musarum irrigaret succo, ac pectusculum istud rude adhuc, & in quemuis habitum sequax, præceptis formaret amicis. Nam ad virtutis institutionem, vt aliqua sera sit ætas, nulla certe non matura est. Hæc alius aut præteriret, aut summis vix digitis attingenda putaret. Ego vero vel sola commemoranda duco, vt in quibus veræ felicitatis puppis & prora (quod aiunt) sit homini. Siquidem natalium splendore, reliquisque fortunæ muneribus, non pauci te mortales, vel æquant, vel superant. Hæc tua propria pene fœlicitas est & haud

ſcio an cum vllo noſtratium principum communis,quod rudis adhuc in eum incidiſti virum,qui mentis tuæ vacuam tabellam,caſtis ac ſalutaribus occupare poſſit opinionibus,poſſit autem quia doctiſſimus, velit quia optimus, efficiat quia diligentiſſimus,quique te veluti præſens Mercurius, Moly quodam efficaciſſimo,id eſt optimis rationibus, contra aulicorum illecebras, & voce; moribus peſtilentiores, tanquam contra Circes pocula præmuniat: Rara profecto noſtris in terris auis, homo non triuialiter eruditus. Rarior autem,qui moribus ſit vſque quaque ſanctis & inculpatis.Rariſſima porro,ac plane Phœnicis inſtar,qui cum exquiſita doctrina, ſummam morum innocentiam copularit.Quibus omnibus ſic abſolutus tibi contigit,vt non verear aſſeuerare,neque Achilli Phœnicem, neque Dionyſio Platonem, neque Alcibiadi Socratem,neque Alexandro Ariſtotelem,neque Neroni Senecam pari felicitate contigiſſe. Quanquam iſto nomine, non tam fortunæ, quam parentibus debere te puto, quorum prudenti delectu talis aſcitus eſt. Alioqui vel vna hæc fœlicitas optanda magnatibus, qua ſola fere carent. Quid autem retulit bene natum fuiſſe,niſi & bene inſtituatis? Princeps autem non temere inſtituitur ad virtutem, niſi tum cœperit, cum ſe nondum eſſe principem intelligit.Ego vero fortunatiſſime Adolphe,tibi non impendio gratuler,qui quidem domi aſſidue videas,audias,totumque ac proprium poſſideas eiuſmodi moderatorem, in quo non vel mores eruditione,vel eruditionem moribus, vel vitia quædam virtutibus compenſes, gaudio geſtire,videre iam videor ſorores illas Heliconias, ſibi plaudere, te dulciſſimum alumnum certatim ſinu rapere, exoſculari, complecti, cum tu fortunatis iſtis articulis, calamum per æquor chartaceum ductitas, dum blæſa ac vix dum firma lingula, Græce pariter ac Latinæ linguæ verba meditaris, dum formoſulo iſto & generoſo ore, ac vocula amabili, iam nunc orationem & liberam pronuntias, & numeroſam modularis. Macte indole puer, Deum optimum maximumque precor,vt iſtam mentem, iſtos egregios impetus ſeruet fortunetque, velitque quaſi iam herbeſcentem virtutem tuam, ſui ſyderis afflatu, ad maturam ſegetem prouehere, vt idem auctor ſimiliter & ætatis, & honeſti propoſiti, incrementa fœlicia largiatur, ne videlicet, quod in aliis fere conſpicimus, in te abominemur, de iſtis tuarum virtutum quaſi cunabulis, velut Adonidis hortorum delitiis, breui & inani voluptate deliniti videamur. Caue ne tibi tua fœlicitas ſecuritatem adducat. Hactenus Eraſmus.

EQ. Scio ego,Præceptores iſthæc ad rauim vſque declamitare & in ſui iterato allegare commodum,interim quid ſui itidem ſit muneris, parum ſæpenumero attendunt,quinetiã quãuis inire Spartã dũmodo lucroſa ſit, haud veren-

vereetur, nihilo magis quàm asinus ad lyram, illam obeundā apti; quos idcirco Quintilianus vt suo sese prius metiantur pede, admonet: *Pædagogi, inquit aut sint eruditi planè, quam primam esse curam velim, aut se non esse eruditos sciant. Nihil enim peius est his qui paulum aliquid vltra primas literas progressi falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt. Nam & cedere præcipiendi peritis indignantur, & imperiosi, a que interim sæuientes stultitiam suam perdocent. Nec minus error eorum nocet moribus.*

PH. Sunt econuerso etiam multorum parentum mores atque ingenia nimis illiberalia, qui plurima quidem à præceptoribus exigunt, atq; vt ipsorum liberi ex sedula præceptorum institutione omnibus numeris euadant absoluti expetunt, quos si opinioni suæ ipsorum minus respondere comperiunt, grauiter cum præceptoribus expostulant, cum ipsi econtra raram eamque admodum exilem ac tenuem præceptori soluant laborum mercedem.

TH. Non nostrum inter eos tantas componere lites. Faciat quilibet, quod est sui muneris, & sopitum est dissidium. Facundissimum præceptorem, inquit Ludouic. Viues, *requirimus, & quod magis exigitur, acuto ingenio, iudicio integro ac sano, versatum in omni genere disciplinarum atq; eruditionis, quiq; vitiorum animaduersor sit subtilis & acer: quod Ciceroni vehementer profuisse testatur ipse idem in Bruto, cum ait, se Milonis Rhodio operam dedisse homini in notandis animaduertendisque vitiis, & in instituendo docendoque prudentissimo. Nihil est scilicet perinde difficile, vt orationis lapsus & flagitia animaduertere primū, hinc velut indicare digito, tum exprimere, postremo corrigere* Iohannes Ludouicus Viues de tradendis disciplinis lib. 4. pag. 324. Et: *Sumat* (inquit Quintilianus,) *Præceptor ante omnia parentis erga discipulos suos animum, ac succedere se in eorum locum, à quibus sibi liberi tradantur, existimet. Ipse nec habeat vitia, nec ferat. Non austeritas eius tristis, non dissoluta sit comitas, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus ei de honesto ac bono sermo sit. Nam quo sæpius monuerit, hoc rarius castigabit. Minime iracundus: nec tamen eorum, quæ emendanda erunt, dissimulator.* Hactenus Quintilianus lib. 2. Institut. Oratoriar. c. 2. *Omninoque danda est opera,* inquit Baptista Guarinus in tract. de puer. instit. *ne pueri propter literarum disciplinam grauiter & acriter verberentur. Habet enim ea res seruile quiddam, & generosus sæpenumero animus ita indignatur, vt plagarum caussa iam tum literas oderit, cum nec dum gustare cœperit. Adde, quod metu verberum declamationes, vt propositas, non ingenio proprio componunt, sed ab aliis occulte compositas afferunt, quod capitale & perniciosissimum est. Nam vtrumque vehementer fallit, & præceptorem, qui spem falsam præsumit, & discipulum, qui id non intelligit, quod à se factum mentitur. Honestius igitur & vtilius erit vel blanditiis agere, vel interdum solo verborum terrore, ita vt plagæ statim subsecuturæ videantur. Nam, si securus fuerit, maximam negligentiæ fenestram licentia illa præbebit. Si vero paulo adulti fuerint, vt honoris cupiditate excitari possint, admonendi erunt, quando dedecori id futurum sit, si operam luserint, si reliquis ignauiores tardioresque apparuerint. Et vt magis eos nescire, quam discere pudeat, placet etiam, vt pueris ipsis aliquis ad disciplinam socius adiungatur, cuius æmulatione quibus-*

Præceptores quales esse debeant.

dam quasi igniculis accendantur. Est enim nobilibus animis quædam insita generosa inuidia, vt in eodem studii genere versantibus postponi, & quasi hebetiores relinqui erubescāt. Ex quo sequitur, vt certatim æmulantes alter alterum reddat alacriorem. Hactenus Baptista Guarinus. Nam vt vere ait Hieronym. *in Ep. st. ad Tit.* nihil est fœdius præceptore furioso, qui cum debeat esse mansuetus & humilis ad omnes, ex diuerso, toruo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrenatis conuitiis, facie inter ruborem & pallorem variata, clamore prostrepitat, errantes non tam à bono retrahit, quam ad malum sua sæuitia præcipitat. Et credibile est, plurimos, qui alioqui sunt ingenii capacioris, simul ac moratioris, morosa illa atque inconsulta Præceptorum quorundam acrimonia degenerare sæpenumero in ingenia barda atque incapacia: Hincq; fit, vt tanquam inepti ac bardi digitis demonstrentur à populo.

Præceptorũ fidelitas.

Informanda iuuentutis asperitas.

EQ. Certe Fabius olim haud vulgaris formandæ pueritiæ artifex non vno in loco præcipit, iuuenum studia non asperitate deterrenda, sed blandis applausibus modestisq; laudibus alenda atq; exacuenda, vultq; doctorem abire in parentis affectum: contra discentes præceptorem non horrere vt carnificem, sed obseruare veluti parentem. Sunt enim, inquit Christoph. Hegendorphinus, qui sua sponte, quæ optima sunt, faciant, in quos si quis verberibus animaduertere vellet, non minus stulte ageret, atq; auriga, qui equos, citra calcaria vltro præcurrentes, calcaribus ad cursum incitare velit. Sunt, qui suapte quidem sponte cessatores sunt egregii. Ceterum si à præceptoribus verbis admoneantur, pudore suffusi, quoquo volumus, statim se inclinant, & hos verbis magis corrigendos, quam verberibus ad honestatis studia impellendos existimo. Sunt vero quidam adeo frontis perfrictæ, vt nec pudore natiuo, nec à præceptoribus obiurgati id, quod suarum partium est, præstent. Sunt adeo duri, vt nullis verbis molliri queant: quos si quis liberalitate & pudore in officio continere velit, nihilo plus agat, quam si Agazo asinum ad clitellas ferendas exstimulare conetur. In hoc ergo adolescentum genus virgis animaduertendum est, & faciendum periculum, an metu tandem coacti officium suum facere velint: quod si actum esse videbitur, rus, vt inquit *Fabius*, ablegandi sunt. *Hactenus Christophorus Hegendorphinus, in præfat. Parænesibus de instituenda vita & moribus corrigendis iuuentutis, præfixa.* His consonat, quod Paulus Vergerius: *Alii*, inquit, *laude & per spem honoris, alii munusculis, blanditiisque alliciendi. Minis alii flagrisque cogendi erunt. Atq; hæc quidem omnia ita rite pensanda, rationeque moderanda, vt in eodem ingenio vicissim his artibus præceptores vtantur, & cauendum ve neque nimium illis faciles, neque nimium seueri sint. Nam vt nimia licentia bonam indolem soluit, ita grauis & assidua castigatio ingenium eneruat, naturaque igniculos in pueris extinguit, qui dum timent omnia, audere nihil possunt, fit vt pene semper errent, dum in singulis rebus errare se timent. Itaque indulgenda sunt adolescentibus quædam, neque omnia eorum peccata seuera sunt animaduersione punienda.*

da. Hinc ſcite admodum Quintilianus: *Non ſum*, inquit, *adeo ætatum imprudens, vt inſtandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. nam id imprimis cauere oportebit, ne ſtudia, qui amare nondum poteſt, oderit, & amaritudinem ſemel præceptam etiam vltra rudes annos reformidet. Luſus hic ſit, & rogetur, & laudetur, aliquando ipſo nolente doceatur alius, cui inuideat, contendat interim, & ſæpius vincere ſe putet, præmiis, quæ cupit illa ætas, euocetur. Hi quoque verſus, qui ad imitationem ſcribendi proponentur, non otioſas velim ſententias habeant, ſed honeſtum aliquid monentes, proſequitur hæc memoria in ſenectutem, & impreſſa animo rudiuſque ad mores proficiet. Etiam dicta clarorum virorum & electos ex poetis maxime, namq; eorum paruis cognitio gratior eſt, locos ediſcere inter luſum licet.* Hæc Quintilianus.

PH. Summa rei eſt. Requiritur à præceptoribus in educationis munere, Fidelitas, eaque omnino talis ne vel ſubdole aliquid fiat, ne quod maxime monſtrandum erat, occultetur, vel quod occultandum; operoſe inculcetur, ne aliquid interuertatur, deprauetur, ſiniſtre explicetur, ſed ita omnia adminiſtrentur, vt ſint præceptores ii erga hos, quos inſtituere debent, quos velint eſſe præceptores ſibi, ſi illi diſcipulorum loco futuri eſſent, ſecus qui commiſſum ſibi negotium gerunt, eos lynci, pauoni aut ceruo non iniuria comparauero. Lynx enim, vt autor eſt Plinius, ex vrina ſua factam gemmam terra obruit: Pauo ſuum fimum reſorbet: Ceruus dextrum cornu defodit, abiectum ſtato tempore: omnes hominum vtilitati inuidentes. Eodem plane modo inuidi quidam præceptores, quæ omnino tradere atque inculcare debebant, malitioſe ſopiunt, eaque, quam de illis boni viri conceperunt, fiducia, eos defraudant.

Cæterum Fidelitati deinde labor & ſtudium indefeſſum accedat, neceſſe eſt. Non enim ſufficit, animum ad alterius ſtudia iuuanda gerere promptiſſimum, ſed neceſſe eſt quoque animi promptitudinem ac deſiderium reipſa opere & labore complere. Vt enim rerum neceſſariarum indigenti parum prodeſt, qui dare ſaltem deſiderat, nunquam autem quod deſiderat, exhibet; ita & ignaro parum prodeſt, qui ruditatis inopiam ſubleuandi ſaltem animum habet, nunquam vero inſtitutionis laborem ſtudio atque diligentia iuſta adhibet. Cum fidelitate denique laboriſque ſtudio prudentia quoque, ac præſertim peculiaris ea requiritur, qua, quæ diſcipuli indoles, animus ac natura ſit, perſpicit exactiſſime, & quæ illi adhibenda ſit inſtitutionis ratio, cognoſcit optime. Nam vt terra alia alium cultum requirit, ſic quoq; ingenia diuerſa diuerſam educationis rationē poſtulant. Hinc Plato Ariſtoteli frenum, Neocrati vero calcaria addere opus habebat. Porro, ſunt interdum equidem Præceptores ſatis fideles, eruditi, diligentes, neque tamen conſequuntur ea, quæ & optant ipſi, & optarunt ii, qui diſcipulis eos præceptores præfecerunt. Sed neq; raro etiā accidit, vt diſcipuli ſua cōferāt pceptores

res

res vero ea quæ sunt sui muneris, sæpe intermittant. Tum demum igitur in scientiarum cognitione præclari quid præstatur, vbi hæc tria scilicet, naturæ fertilitas, Disciplinæ autoritas, exercitationis propriæ vbertas trino trium instar Charitum mutuo sese amplectentium vinculo inter sese sunt deuincta & colligata.

TH. Omnia huc recidunt; oportere nimirum Præceptorem esse valde discretum. Cum enim, quod aiunt, ingenium quisq; suum ad mercatum ferat, vt iisdem sigillatim probe se accommodare norit, hoc opus hic labor est. Non enim vlla vnquam fuit ætas, quę nō nisi bonos ac morigeros produxerit. Sunt, quos mordet obiurgatio: Quos laus excitat: Qui paulo dans rigidius admoniti non ringunt: Quos gloria iuuat, Qui flent studio victi, Qui deniq; nullum diem sine fructu sinunt effluere.

Sunt è conuerso, quorum ingenia sunt hebetiora plumbo, Qui veterinosi grauatim trahunt indigestam corporis molem. Quorum agrestior natura, bonis à disciplinis abhorret, Qui præceptoribus honesta monentibus non obtemperant, sed oppedere præsumunt, Quorum animi, prælegente Magistro, solent peregrinari, & non tam in studio, quam in patinis esse, Qui nunquam cogitant cur à parentibus in scholam missi, Qui ad bibendam ceruisiam, atq; vina sunt valde fortes, ad scribendum pigri, ad studendum tardi, ad diu sterten dum accommodi, Quorum denique frequentior circa forum, circa sepes, item & hortos, obambulatio, quam domi literarum meditatio. Magistros itaque (inquit Ludouicus Viues) oportuerit esse oculatos in admittendis discipulis, qualem fuisse Alabandensem illum Apollonium dicendi Magistrum accepimus, de quo Cicero *in libris de Orat.* scribit, quod quum mercede doceret, non tamen patiebatur eos quos indicabat non posse oratores euadere, operam apud se perdere: dimittebatq;, & ad quam quemque artem putabat esse idoneum, ad eam impellere atque hortari solebat.

EQ. Verum ille vnus ex omni memoria. Cæteros qui quidem mercede docent, pretii cupiditas exoculat, sine delectu vllo recipiunt ad se discipulos, & quo frequentius habuerint Auditorium, hoc se rati maiora facturos opera pretia.

TH. Fabius *in institutionibus oratoriis* non μικρόψυχον, segnem, tardum, remissum & frigidum: sed eiusmodi sibi erudiendum dari exoptat puerum: quem laus exciter, quem gloria iuuet, qui victus fleat. Hunc ambitu alendum mordendum obiurgatione, tum honore excitandum putat: atque in eiusmodi adolescente nullam desidiam vereri se ait. Quemadmodum igitur in agrorum cultura considerandum est diligenter, quæ primum sit soli natura, quæ deinde agricolæ, & denique spargendi seminis qualitas: sic in liberorum institutione parentes, & omnes, qui horum tuendi vicem, partesq; sustinent, accuratum faciant iudicium oportet de singulorum ingenio & natura, de erudi-

ruditione & moribus illius, qui præfi. iebatur mag'stri, & de doctrinis præcepisse, quibus primis, quibus grandioribus imbuantur animis. Quod si hæc diligentia & cura non fuerit adhibita, periculum est, ne optimæ etiam ac felicissimæ indolis adolescentes corrupti, ad eos se accommodent mores, qui ipsis non tantum, sed toti etiam ipsorum genti ac familiæ labem aspergant. Lubrica enim est adolescentiæ via. Labuntur multi, cum aliquo vsque iam sunt progressi: Cursum vero conficit is vnus, qui nititur optimis cogitationibus, ducemque sequitur naturam, non qua parte malum, sed bonum appetit ac prosequitur: eademque cotidie vtil bus adiuuat præceptis, quo vim insitam promoueat: vsque omnium magistrorum præcepta superante, confirmat. Nam etsi largimur cuipiam adeo bonam inesse naturam, vt humanam videatur excedere conditionem: nisi tamen disciplina, teste Xenophonte, qui in cineribus quasi latent igniculi naturæ exuscitentur & crebra exercitatione perficiātur, omnis eius pereat fructus necesse est.

PH. Natura repugnante, inquit Quintilianus, omnia frustra suscipiuntur. Vt n. Medicus nullam spem vel ipse concipere, vel aliis polliceri potest, de sanitate illius recuperanda, cuius naturam adeo morbi viribus superatam, vitiis inf. ctam, aduersis consumptam videt, vt medicamentum nullum admittat (Medicus enim naturam non creat, sed creatam conseruat, non amissam aut prorsus abiectam producit, sed productam adiuuat, labefactatam confirmat,) sic simili quoque omnino ratione, si animus omni vi & facultate ad disciplinam percipiendam est orbatus, si nulla bonitate instructus, ac ne mica quoque salis in toto corpore inest, quis spem solidæ eruditionis de hoc homine concipiet? Licet præceptores habeat doctissimos, educationem diligentissimam, institutionem ac doct. inam plane diuinam, manebit tamen Thersites, quem natura Thersiten produxit, manebit Corœbus & Morychus, quem talem parentes sinistro omine progenuere, nec Platonis aut Aristotelis acumen attinget, qui ad extremam stupiditatem fato quodam suo prognatus est. Non quidem quod constitutionis ad doctrinam vis sit nulla, vel quod impossibile sit, Naturæ vicem superare aut corrigere: sed quod ii qui naturæ vi destituuntur, non ad eam perueniant excellentiam, ad quam peruenire possunt ii, qui à felici felicis naturæ benignitate maxime adiuuātur.

TH. Sane obstinata quædam ac torua ingenia non nisi plagis coercentur, potiusque verberibus quam verbis emendari volunt: quæ quidem illiberalis ingenii sunt indicia; siquidem vt Salomon ait, equo frenum, asina flagellum, stulto virga adhibetur. At generosus animus, dicente Seneca i rectius ducitur quam trahitur. Quos enim tormenta non vincunt: interdum vincit pudor, & ingenia liberaliter educata facilius verecundia superat quam metus vt Hieronymus scribit ad Pammachum. Longe vero aliter Euclides vir disciplina Platonica celebratus, de quo ita Taurus Philosophus: Decreto, inquit, suo Athe-

thenienſes cauerant, vt qui Megaris ciuis eſſet, ſi intuliſſe Athenas pedem prehenſus eſſet, vt ea res ei homini capitalis eſſet. Tanto Athenienſes, inquit, odio flagrabant finitimorum hominum Megarenſium. Tum Euclides, qui indidem Megaris erat, quique etiam ante id decretum, & eſſe Athenis & audire Socratem conſueuerat, poſtquam decretum ſanxerunt, ſub noctem, priuſquam aduesperaſceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio verſicolore amictus, & caput & ora velatus è domo ſua Megaris Athenas ad Socratem commeabat, vt vel noctis aliquid tempore conſiliorum ſermonumque eius fieret particeps; rurſuſq; ſub lucem millia paſſuum paulo amplius viginti, eadem veſte illa intectus redibat. At nunc, inquit, videre eſt, Magiſtros vltro currere vt doceant, ad fores iuuenum diuitum, eoſque ibi ſedere atq; operiri prope ad meridiem, donec diſcipuli nocturnum omne vinum edormiant.

PH. Imo vero reperies interdum ſtultos quoſdam & ſtolidos vſque adeo obſtinatos: & incapaces prudentiæ: vt nullæ etiam apud eos plagæ, nulla flagra, nulla virgarum caſtigatio, aut ξυλοκοπία proficiat ad tollendam ſtultitiam: necdum liberalis & ingenua inſtitutio: de quibus verum eſt Salomonis illud Prouerb. 27. *Si contundas ſtultum in mortario, cum mola paſtillo, non recedet tamen ab eo ſtultitia.* Sunt præterea quidam inſtar Anthracithis, carbunculorum generis, cui id peculiare eſt, vt cõiectus in ignem velut intermortuus extinguatur; contra aquis perfuſus, exardeſcat: Ita quoſdam contraria mouent; ſi exhorteris, magis langueſcunt: ſi dehorteris, magis accenduntur; ſi bene merearis, redduntur inimici, ſin male, pluris te faciunt.

EQ. Ridiculum eſt, quod de Polemone iuuene, diſciplinæ literariæ impatientiſſimo narratur: Quintilianus Proconſul quidam torquebat præconem, cumque dubitaret quodnam ſupplicii genus de ipſo eſſet ſumpturus, ſuperueniens forte fortuna Polemon, filius Philoſtrati, iuuenis luxui deditus & valde petulans, Iube, inquit, ediſcere ipſum veterum ſcripta. Ipſe enim Polemon multa coactus fuerat ediſcere, ac nihil ducebat laborioſius ac moleſtius ediſcendi labore.

TH. Eximenda igitur eſt prudenti quadam diſcretione, pueris antequam ſtudiis literariis mancipentur, iſta impatientia. Hinc, quum Antiſtheni philoſopho Ponticus quidam adoleſcens adduceretur, quem in numerum diſcipulorum ſuorum reciperet, & parens interrogaret: quibuſnam rebus ipſi opus eſſet? Sapientiſſimus Philoſophus his ſuæ linguæ verbis reſpondit: δεῖ αὐτῷ βιβλαρίου καινοῦ, καὶ γραφίου καινοῦ, καὶ πινακιδίου καινοῦ, τὸν νοῦν παραμφαίνων, h. e. opus eſt ipſi libro nouo, ſtylo nouo, nouaq; tabella; animum ſignificans; qui à Philoſophis tabulæ raſæ nonnunquam comparatur. Qua comparatione, in libro ſententiarum Salomon quoque vtens doctrinam verbi Dei à collo ſuſpendendam, tabuliſque cordis inſcribendam præcipit. Cæterum, cum dicente Se-

te Seneca omnium honestarum rerum semina animi getant, quæ admonitione excitantur: non aliter, quam scintilla flatu leui adiutat ignem suum, explicat, *Lib.14. Epistolarum.* Proinde incutiendus primum est pueris metus, adhibenda est pœna, vt timore ducti praua relinquant. Improbum enim voluptatem affectantem, dolore afficiendum, perinde atque iumentum, legumlatores instituere. *Aristot.lib.10.Ethic.* Et qui adolescentum peccatis ignosci putant oportere, falluntur propterea, quod ætas illa non est impedimento bonis studiis. At hi sapienter faciunt, qui adolescentes maxime castigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri possint, eas in ætate maturissima velint comparare, *Cic.lib.3.ad Heren.* Nam vt inquit Lactant. Iræ affectus nobis datus est ad coercenda peccata eorum, quæ sunt in nostra potestate, id est, vt arctiore disciplina minor ætas ad probitatem, iustitiamque formetur, quæ nisi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus euadet. Manus autem nostras supra minores semper habeamus, hoc est, vt peccantes eos assiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili & indulgentia nimia educentur ad malum, & ad vitia nutriantur. Hæc Lactantius *6. cap.19. diuin.institut.* Et idem in lib. de ira Dei, *c.16. Peccata non coercere peccatum est, euadent enim ad maius malum per impunitatem. Hic non cohibenda ira, sed etiamsi iacet, excitanda est.* Et: *Tum demum recte agitur, cum nulli prorsus peccanti, quisquis ille sit, parcitur, Socrat.in Euthyph.* Nam vt idem Socrat. in Georgia, inquit, *Qui luit pœnas, à grauitate & turpitudine animi liberatur, quæ tamen quandoque tantas egit radices vt quum alioquin nobilis equus vmbra quoque virgæ regitur, ignauus ne calcaribus quidem concitari potest.* Curtius *lib.6.* Filius ergo monitis minime obsequens verberibus acriter est cædendus etiam atque etiam, donec emendetur. Nam vt Chremes ait Terentianus in Heau. *Deteriores omnes sumus licentia.*

Institutio discreta.

PH. O quam compositum reddit omnem corporis statum, necnon & mentis habitum disciplina. Ceruicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum, inquit Bernhardus *Epist. 113.* Et extat hac de re Epistola Augustini his verbis: *Dilecto filio in Christo Fabiano, Augustinus Episcopus salutem. Congratulor vna tecum, quoniam te prolem nuper habere cognoui. Sed deprecor, vt dum tempus affuerit, castigare prolem non differas. Nam sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit, sic & in seue viro, qui nisi à patre tempore adolescentiæ in bono nutritus fuerit, tempore senectutis fructus bonorũ operum non apparebunt. Castiga igitur quem debes dum iuuenes sit. Vale. Si delinquant,* (inquit Rauisius) *si mendacii conuincantur, si iugum detrectent, si vel tantillum quidem remurmurent aut mugientur, acerrime vapulent; neque prius parcatur flagellis, aut animaduersioni temperetur, quam & arrogantia cognoscatur emollita & tranquilliores oleo, aut pepone molliores facti sint. Quod si verborum lenociniis*

 iram

iram præceptorum velint exanimare, adulabilis eorum sermo omnino dandus est ventis. Ante omnia cauendum puto maxime, ne eorum delictu conniueant, neu consulto dissimulentur errata, vbi palam sceleris comperti fuerint. Si bene fecerint, laus eorum quandoque non est supprimenda: vt eo velut gloriolæ fumo pellecti, acrius solito virtuti dent operam.

TH. Cyprianus: *Aperiendum*, (inquit) *est vulnus & resecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. vociferetur & clamet licet & conqueratur æger impatiens per dolorem. Gratias aget postmodum, vbi senserit sanitatem.* Et eleganter Poggius Florentinus in Epistola quadam: *Mihi iucundæ esse debent non detrahentis, sed amice monentis atq; arguentis voces. Ille est asper monitoribus: qui per ætatem est insolens veritatis audiendæ. Ego autem ea sum iam ætate: vt acerbæ esse non debeant bonorum virorum castigationes. Cum & verum audire vtile sit, emendare pulchrum. Si enim emendatio morum omnibus est annis necessaria, illorum est tamen maxime meliorem vitæ cursum sequi qui iam vergunt in maturitate.* Hoc posito fundamento, metuq; teneris animis incusso, assuefaciendi sunt ad ea, quorum studio paulatim ad honestarum actionum exercitaméta præparátur; paulatim inquam, sunt enim ipsorum animi similes angusto ore vasculis, quæ superfusam humoris copiam respuunt: sensim autem influentibus, vel instillatis facile complentur: vt itaque imbecillitati ipsorum consulatur, studiorum multitudine non sunt obruendi. Firmius enim tenemus paucis verbis compræhensa, ait ille apud Laertium. Maiora autem intellectu velut parum aptos ad percipiendum animos non subeunt.

PH. Semper apud prudentes hanc rationem in erudienda iuuentute inierunt viri prudentiores, vt initio breuia dicta proponerent pueris, quæ mandarent memoriæ tanquam. Regulas vitæ, aut initia aliarum artium, quæ postea discendæ erant. Sic legimus olim pueris propositos esse Hesiodi versus ediscendos. Et Cicero scribit, antiquum institutum fuisse apud Romanos, vt à pueris ediscerent Leges XII. Tabularum, sicut nos Catechismum, & initia doctrinæ Christianæ discimus à pueris, donec paulatim integrum corpus doctrinæ complecti possumus. Imo & apud adultos & grandiores natu, postea sæpe maiorem vim habent breuia & celebrata dicta collecta ex sermonum clarorum hominum, quam longæ conciones. Hinc grauis illa Rauisii ad præmaturam ambitiosi cuiusdam ad alteriora quam pro intellectus ratione, inhiantis præsumptionem cōmonefactio: Quum, inquit, certo videas ad nullius rei summam, nisi præcedentibus initiis, peruenirí posse: miror maxime, quod minores disciplinas, (sine quibus tamen non est maioribus locus) adeo spreueris, vt earum studio tibi omnino interdixeris. An quia procul ab ostentatione, pedisequæ sunt, inutiles propterea, & infrugiferæ tibi videntur? Vsu venit, vt qui minoribus primum elementis exerceri vel recusant, vel erubescunt: in his quæ sublimiora sunt, infirmum

inge-

ingenii sui captum præbeant, & expectantur. Neque enim credibile est, firmum fore ædificium, quod in ualidis ruinosisque nititur fundamentis: aut eos magno oneri non succubituros, qui permodico fatiscunt. Si saperes, altiora non molireris: sed potius imitareris auiculas, quæ nidis suis nunquam egrediuntur implumes: neque prius aeri corpuscula committunt, quam facto primum periculo, sese idoneas ad volatum didicerint.

EQ. Qui sumptuosa ac illustri, sed longiuscula veste Principes tenellos induunt, eorundemque pedibus inauratos, sed magnos induunt calceos, non quidem ideo sunt inepti, quod illos precioso, sed qui ad paruitatem corporis haud apte amictu vestiunt: Etsi enim status atque ordo ille vestitum splendidissimum requirit, alio tamen habitu perfectæ ætatis Principes, alio tenellos, & iustam viri staturam nondum assequutos vestiendos esse nemo nescit. Æque autem atque illi pro ineptis sunt habendi, qui teneris Principibus absque vlla methodo res gratissimas proponunt: Etsi enim hæ pretiosæ per se, & cum quouis auro comparandæ esse videantur: Tamen tenellorum ingenia tanquam vascula angustioris, liquorem illum linguarum atque artium latissime diffusum rectius capere non possunt, quam si Methodo in angustum coactus, sensim illorum animis instilletur, & quasi pedi calceus adaptetur; Alioquin nihilo plus fructus ex traditione scientiarum referre, nec plus gratiæ sibi conciliare poterunt, quam Nani in Gigantum vestibus. Proin maxime spectandum, an quod illis discendum proponitur, perceptu sit facile, & quid fructus inde sint relaturi: Alias laboriose maleque disci quod non intelligitur, nec percipitur, omnes vna mente consentiunt.

Sunt ingenia quorundam valde præcocia, quæ intentiori quodam naturæ pruritu mature euolare gaudent; valent ingenio, valent memoria, vno alterutro ve aut vtroque quanquam id rarius. Raris namque concessum est, vt qui ingenii acumine excellunt, iidem fœcunditate memoriæ lætentur

TH. Miror ego sæpenumero Naturæ, quam in distribuendis suis muneribus contrahere consueuit, paucitatem, vt summa omnia vni non attribuat, sed plerunque, si in vno loco quid effundit, aliud in altero vel instillet guttatim, vel detrahat auara, veluti nouercæ manu, non parum. Quid enim familiarius in hominum ingeniis vsuuenire videmus, quam vt qui memoria valet, iudicio careat, aut qui iudicii acumine cæteros superat, ipsi in comprehendendis rebus promptitudo desit celeritas Seneca quidem memoria tam felici fuit præditus, quam felici paucis vnquam præditis fuisse contigit. Nam vt ipse de se testis est, duo millia nominum, quo semel erant recitata ordine, ita vt protsus nihil aberraret, repetere potuit: Versus ducentos à singulis datos, & nomina recitantium, vt semel modo audierat, complexus est; imo quod mirandum est magis, ab vltimo incipiens, ad finem vsque inuerso quoque ordine eadem promptitudine enumerauit. Sunt hæc magna ac pene incredi-

Memoria & ingenium raro coniuncta.

bilia, quæ memoriæ felicitate potuit Seneca, at interim iudicii acumen, & cum iudicio veram dicendi rationem in eo maxime desiderari, Erasmus est attestatus. Portius Latro tanta historiarum memoria valuisse dicitur, vt si alicuius res gestæ proponerentur, is illius auos & prauos plane ex tempore narraret. Verum omnes hi, quid iudicii acumine præstiterint, nemo est qui consignare potuit. Arias Montanus (vt de nostro quoque tempore aliquid addam,) fuit vsque adeo stupendæ memoriæ, vt linguas duodecim perfecte calluerit, lectionis tantæ extitit, vt opera quamplurima præter versionem Bibliorum à se conscripta ediderit. Verumtamen Memoriæ excellentiam, iudicii acumine eum non adæquasse quamplurimi non obscure testantur. Mithridates duabus & viginti diuersis quibus imperabat nationibus, sua cuique lingua ius dicere, & pro concionibus, singulos sine interprete affari solitus fuit. Themistocles omnium ciuium suorum nomina memoria tenuit; Huiusmodi memoria in Lucio quoque Scipione, Cyro & aliis nonnullis celebratur.

Lectiones tumultuaria.

PH. Ingenia istiusmodi Mercurialia, quæ Mercurii instar hinc inde diffluunt, viris cordatis non admodum arrident. Hinc illud Sidonii *Epistola 1.* egregium simile: *Vitam*, inquit, *in peregrinatione agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias: idem accidit his, qui nullius ingenio se familiariter explicant, sed omnia cursim & properanter transeunt. Non prodest cibus, qui statim sumptus emittitur. Nihil ita sanitatem impedit sicut remediorum crebra mutatio. Non conualescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil ita vtile est, quod in transitu prosit, sed modo (inquiunt) hunc librum euoluere volo, modo illum, fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ vbi varia sunt & diuersa, inquinant, nō alunt. Quū igitur multa percurreris, vnum excerpe quod illa die concoquas.* Et Plinius *lib. 18. cap. 23. Sicuti*, inquit, *vtilius est crebro stercorari agrum quam multum: ita plus habet fructus assidua lectio, quam auida. Ager namq; nimium stercoratus, aduritur, nō stercoratus alget: Ita moderata lectione vegetandum erit ingenium, nam lectione saginatur animus non aliter quam aruum stercore.* Huc etiam optime quadrat illud Polybii *Quemadmodum gulosus conuiua, vbi primum discubitum venit, appositos singulos quosque cibos degustans, neque in præsentia voluptatis aliquid capere, neque in futurum vtilitatis potest, quādo nec saporem vllum perfecte sentit. & omnia simul congesta stomachum digestionemq; impediunt: Ita qui hoc ipsum in legendis authoribus faciunt, nec in præsens aliquam percipiunt voluptatem, nec vtilitatis quippiam retinent in posterum.* Recte itaque Aristippus cuidam iactanti se, quod esset πολυμαθὴς, hoc est, multiplicis eruditionis, quasi nihil non didicisset: *Quemadmodum*, inquit, *non hi qui plurimum edunt, excernuntque, melius valent his qui sumunt quantum opus est: ita non qui plurima, sed qui vtilia legerunt, studiosi & eruditi sunt habendi.* Grauiter taxauit eos, qui tumultuaria immodicaque lectione semet ingurgitant: nec ea quæ legunt traiiciunt in animum: sed tantū reponunt in memoria, quare & doctiores euadunt, nec meliores *Laer. li. 2. ca. 8*

Cæte-

Cæterum quum hactenus Puerum, quantum ad ipsius ingenium & existentiam aliqualiter contemplati sumus; & vero constet ex pueris enasci succisiuis veluti horis, ac pueritia prius finita quam animaduersa, adolescentes, eosque indole primum, progressu demum temporis, siquidem honeste sese gerant, reapse viros; Proinde adolescentem nunc porro contemplabimur, & quænam ineunda illi sit via, cum iam suo ipsius relictus est arbitrio, præeunte veritatis face, considerabimus. Cum vero ab ipsa cuiusque rei, de qua tractandum, vel aliquali saltem descriptione, faciendum sit initium, sciendum adolescentiam, secundum Ciceronem *in Topicis* esse florem ætatis, vel, vt alii volunt, extremam pueritiam, dictam ab adoleo, quod significat accresco, quia crescentes pueri, cum primum puberes fiunt, olere hircum incipiunt: propter quod hirquituli sunt appellati, hinc adolesco, adolescens, & adolescentia, cuius prima ætas ephebia dicitur. Vnde ephebus, qui in prima est adolescentia. Hinc Terent. in Andria: *Nam is postquam excessit ex ephebis Sosia.* Ephebus dicitur, quod iam sit impube, quæ Græce ἥβη dicitur. Vnde & ἔφηβος, qui iam ad pubertatis annos peruenit.

Quemadmodum autem industrii agricolæ primum semen in terram deponunt cupressi, aut aliarum arborum similium, deinde vbi conspexerint è semine factam arborem, non relinquunt in eadem terra, sed inde reuulsam plantulam, in aliud transferunt solum, vt terra recens in gremio suo exceptam illius radicem, puram & integram vim suam, proferat ad nouam educationem. Ita etiam industrii parentes prolem suam, quam in agro domestico per annos aliquot nutriuerunt, atque educarunt, demum vbi iam adolescit, atque anni discretionis paulatim succrescunt, ex agro domestico in alium transferunt agrum aut fundum, vbi non minus vberes, imo vberiores fructus, quam in solo patrio proferant. Cuius etiam inter cætera, prima solet fieri commonefactio in Academiis, per primam initiationis tesseram, quam Depositionē vocāt. Hoc namq; fine, haud dubie Depositionis ritus in Academia, à Maiorib. nostris introductus est, vt non solum ingenia puerorū & adolescentum à præceptoribus explorarentur: Sed vt & ipsi eiusmodi vexationibus commonefacti, depositis veteribus illis feris & beaninis morib. animum purum, castum, diuinaque gratia innouatum, ad sanctissimæ huius Disciplinæ studium afferrent. Vetant enim doctissimus Synesius & Lysis Pythagoræus ne arcana Philosophiæ impuris adhuc animis communicentur. Quamuis aliquam multi in ea sint opinione, vt si quis in scholis triuialibus atq; adeo in patrio solo fundamenta aliquatenus artium iecerit, illum nō necesse habere, vt discendi gratia alio sese conferat, atq; ad vnam vel alterā Academiam ablegetur, posse namq; illum intra priuatos parietes, extra strepitum concursantium Academicorum, tantundem, imo plus præstare, quam si

Depositionis ritus.

Ablegatio ad Academias an necessaria.

pompo-

pompofis declamationibus, friuolisque ac rixosis disputationibus ex Academiarum pulpitis ebuccinatis aures ipsius quotidie oppleantur. Sed hanc quaestionem grauiter ac neruose Quintilianus Orator eloquentissimus decidit, his quae sequuntur verbis: *Hoc potissimum loco*, inquit, *tractanda quaestio est: Vtilius ne sit domi atque intra priuatos parietes studentem continere, an frequentia scholarum, & velut publicis praeceptoribus tradere. Ante omnia futurus Orator, cui in maxima celebritate, & in media repub. viuendum est, assuescat iam à teneris non reformidare homines, neque illa solitaria, & velut vmbratili vita, id est, domestica pallescere. Excitanda mens, & attollenda semper est, quae in huiusmodi secretis aut languescit, & quendam velut in opaco situm ducit, aut contra tumescit inani persuasione. Mitto amicitias* (in schola sc. contractas) *quae vsque ad senectutem firmissime durant, religiosa quadam necessitudine imbuta. adde quod domi ea sola discere potest, quae ipsi praecipientur, in schola etiam quae aliis. Audiet multa quotidie probari, multa corrigi, proderit alicuius obiurgata desidia, proderit laudata industria, excitabitur laude aemulatio, turpe ducet cedere pari, pulchrum superasse maiores, accendunt haec omnia animos, & licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen causa virtutum est* Hucusque Quintilianus. Et certe huiusmodi αὐτοδίδακτοι, cum plerumque singulares sint, seu potius videri velint, opinionumque, quas animo semel conceperunt, impendio tenaces sint, hinc fere factum est, vt saepenumero, multarum abstrusarum opinionũ, quas mater erroris infelici abortu peperit, semina iecerint, aut earundem etiam omnino autores atque antesignani fuerint. Sed subest alia ratio, quam parentes silentio quidem supprimunt, quae ipsa tamen non est adeo irrationabilis. Volunt nimirum, parentes qui sunt genii atque ingenii tenacioris, hac ratione parcere sumptibus, qui alioqui necessario in sumptus Academicos impenduntur.

TH. Summum profecto beneficium Deus humano generi contulit, quod scholas atque Academias passim orbe terrarum enasci atque efflorescere fecit in hunc potissimum finem, vt essent seminaria Ecclesiae & rerumpublicarum. Hinc scholae illae atque Academiae passim etiam in sacris literis decantatae, *1. Sam. 1. 6. 10. 2. Reg. 9. v. 1. Matth. 11. v. 15. Matth. 22. v. 15. 16. Luc. 6. v. 13. & cap. 10. v. 1. Ioh. 1. ver. 8. & 28. Act. 6 v. 9. & cap. 13. ver. 14. & cap. 17. v. 18. & cap. 19. v. 8. & cap. 22. v. 3. Rom. 16. ver. 5. 1. Corinth. 16. v. 19. 2. Timoth. 3. ver. 3. 10. 14.* Et Scholam Alexandrinam Alexandriae ab antiquo fuisse testatur Eusebius, *lib. 5. cap. 9.* Et extant huius rei documenta passim, Negari tamen interim non potest, illam ad Academias ablegationem haud vacare periculo. Verendum namque parentibus est, non tantum impensarum dispendium, verum etiam, ne prauorum hominum consortio seducti ganeis potius quam libris inuigilent. Nam vt inquit Hugo lib. 3. didasc, *Tria sunt, quae praecipue studiis legentium obesse solent: Negligentia. Imprudentia. Fortuna. Negligentia est, quando ea quae discenda sunt, vel prorsus praetermittimus, vel minus studiose discimus. Imprudentia est, quando*

congruum

congruum ordinem in his, quæ discimus non seruamus. Fortuna est, in euentu casuum siue naturaliter contingente: quando vel paupertate, vel infirmitate, vel naturali tarditate, siue etiam doctorum raritate, à proposito nostro retrahimur Hactenus Hugo.

EQ. Extat colloquium quoddam patris cũ filio, quem in Academiam studiorum gratia, ablegauerat, in quo & ratiocinium, quod filii vbi pecuniam turpiter abligurierunt, parentibus fumose exhibent, & parentum etiam iusta desuper indignatio adumbratur. Historia autem illa siue narratio hæc est: Reuerso, domum post vnum annum filio, qui studiorum bonorum atq; artium discendarum gratia abfuisset. Quid, inquit pater, mi fili de tanta pecunia factum est, quantam tibi misi? Quanta? inquit adolescens, non enim memini. Ter, inquit, senex hoc anno à me tibi curata pecunia est, bis vno & altero mercatu, semel inter hos. Atq; priore quidem mercatu dedi nostro vicino aureos sexaginta, quos tibi renumeraret, altero totidẽ, postea tabellarius huc nuper missus, sexaginta & ipse attulisse tibi debet, tot.n.tum petieras Ita factum est, inquit adolescens, sed hoc nihil est. Nihil ne hoc est? inquit senex, an nihil videtur, summa aureum centum octoginta? Pro debitis quidem nihil est, inquit filius, quæ reliqui foris. Nam tua, mi pater, meis verbis obligata fides est in centum alios, & insuper quadraginta. Hæc, inquit pater, iam summa fuerit, aureum. vt opinor, trecentorum & viginti. Fuerit sane, inquit filius, sed tu cogita, mi pater, multis mihi apud externos rebus opus fuisse, quid enim, quod vno asse venire solet, gratis datum? At cibo, potu, habitatione commoda, cubili, vestib. libris, charta, calamis, atramento, carere certe tua quidem etiã voluntate non debui. At magna, inquit iam iratior pater, ista summa est, quanti igitur illic cibus datus? quanti habitasti? quanto conducti lectuli fuere? & cætera quãta pecunia sunt parata? Referam, inquit filius, rationes, si postulas. Ita enim fieri, inquit senex, oportet. Inchoemus igitur à minimis, inquit. Ac pone pro atramento & calamis aureolos decem. Hoc audito: satis, inquit senex, superq; est rationum: iam ad hęc, si, vt alia omittam, chartæ modo æstimatio ponenda sit, iam vltra illos trecentos ego tibi amplius debiturus sim. Hucusque historia. Non mirum fuisset, si bene hæc senex occipite ex continua haud dubie sceptione, contraxisset caluitiem. Dolorifica enim est parentibus immodica atque inconsulta eiusmodi pecuniarum profusio.

PH. Quod si omnino nullum aliud emolumentum ex Academiis domum reportarent ἀυλοδίδακτοι illi, quam quod audacius eloqui animi concepta didicerunt, certe ne sic quidem, quod de impensis quiritarentur, haberent; hoc enim elocutionis beneficio qui caret, etiamsi alioqui profunde doctus sit, nec tamen plurimum sibi ac præcipuum deesse lubens agnoscit ac profitetur. Hinc Isocrates cum intelligeret, quantum obesset animi timiditas, sæpenumero dicere solitus est, se suos quidem discipulos docere decem minis: verum qui ipsum docuisset extra omnem timidi-

tatem in concione loqui, mercedis loco daturum decem millia. Sola enim timiditas & vox exilis reddebant hominem inutilem ad dicendum, quod de eo scribit Erasmus *lib. 8. Apoph.*

TH. Audacia sane perorandi non in vmbratili discitur aut imaginario consessu, qualem sæpe confingunt atque adornant, ad populum propediem pro concione declamaturi. Vidi ego, qui ollas inuersas palis dependentes hinc inde statuerent, audientium esse capita, sibi imaginantes, atque ii quidem, qui omnes Musarum fontes iam dudum sese epotasse sibi videntur; ac sane pro captu ollarum omnis illorum vox erat grandiloqua, sibi similem omnino nescia. Quamprimum vero in conspectum non ollarum subsidentium, sed capitum humanorum sese hinc inde motitantium, prospicientium, attente omnia & singula obseruantium, declamaturi prodierunt, ampullosi illi verborum screatus in fauillas & cineres conciderunt. Prudenter sane Socrates Alcibiadem adolescentem, ad primum tyrocinium ob imperitiam, vt fit trepidantem apud tantam multitudinem verba facere hac lepida εἰσαγωγῇ animauit. Annon putas, inquit, ô Alcibiades, contemnendum sutorem? Annuit. Annon præconem? cum & hic annuisset, annon contemneres, inquit, tabernaculorum opificem. Cum similia quædam proposuisset, & is fateretur, hos esse contemnendos, tum Socrates: Atqui, inquit, ex his constat Atheniensium populus, quem tu vereris. Quorum si singulos putas contemnendos, quo minus etiam contemnis condensatos? Fit nimium hoc miro modo, vt quos singulos quis despicit, reuereatur congregatos: Sicut è conuerso & illud miro modo fit, vt quem vnum quis reuereretur, in turba mixtum contemnat; huius hanc habetote historiolam: In conuiuio Platonis Socrates admiratur Agathonis audaciam, qui coram tot hominum millibus præsenti animo suam recitasset trugœdiam: cui cum Agathon respondisset, se citius velle coram multis hominum millibus, quam apud vnum Socratem, dicere: Atqui in illis millibus, inquit ille, & Socrates erat; quem in tanta multitudine minimum, extra multitudinem vero solum summopere formidabat ac reuerebatur.

Audacia in dicendo quomodo comparetur.

PH. Ad hos itaque audaciæ gradus nemo nisi per crebram publice perorandi exercitationem atque assuefactionem, facile ascenderit, quantumuis cum Demostene, quod plus olei quam vini consumpserit, & cum Zenone nimium studendo mortuis concolor factus sit, gloriari possit. Cæterum vel tandem in Academiam ablegatus, vt bonis associetur, omnino prouidendum est. Bonorum namque conuersatio, vt recte Socrates inquit, virtutis est exercitatio.

Bonorum conuersatio

TH. Vulgo, idque verissime dicitur: Gemmascens vitis pluribus exponitur malis, quam vuis iam onusta; consimili ratione iuuenis quum primo quasi vere virtutum protrudit gemmas, deflorescat. Fierique adeo potest,

vt etiam sapientissime extructi per maleuolorum proteruiam diruantur, conquestus est desuper sapientissimus rex Salomon. Cum enim ingenium ac mores filii sui Rehabeami, & quo potissimū consortio delectaretur, animaduerteret, facile illi animus præsagiebat, futurum aliquādo, vt leuitatis illius pœnas lueret. Id quod etiam euenit. Etsi namque omnem opum suarum magnificentiam, regnumq; e illud suum amplum filio suo Rehabeamo relinquebat, is tamen adeo stolidus ac infelicis mineruæ erat, vt decem tribuum populi Israelitici, mox in ipso portu nōdum nauta, naufragium committeret, ita vt tantum duæ tribus ex omni Israel non deficientes se regem agnoscerēt. Recte itaq; Hippocratides, cū illi aliquādo obuius fuisset adolescēs, q · ē amator sequebatur, erubescēti adolescentulo: *Cum, his* inquit, *oportet ambulare, cū quibus conspectus nō mutes colorē.* Docuit ex improbis conuictorib. nihil capi fructus nisi probrum & ignominiam. Cumq; inter cætera superbia, vt ait Ludouicus Viues, supremam & celsissimmam mentis lucem perstringit & à recto itinere abducat transuersam. Ideo Psaltes ait: *Ne veniat mihi pes superbiæ:* Superbi itaque profani ac praui socii vitandi sunt, ne illorum contagio inficiantur. Vbi enim semel impudentiæ fines transiluerunt, non erubescunt tunc cum ganeonibus, perditissimisq; patrimoniorum decoctoribus conuersari, qui omnia prandiorum gurgitibus absumunt & abliguriunt; adhærentq; perditissimis & libidinis compertæ nebulonibus, qui neq; Deum timent, neque homines reuerentur. Hinc fit sæpenumero, vt parentes turpiter admodum decipiantur, dum domus ipsarum ruinam sperant propediem virtute filiorum restauratum iri, cum illi interea ludis & conuiuiis omnia absorbeant, quæ pertinaci labore parentes collegerunt. Hæc scilicet est illa egregia de filiis expectatio.

EQ. Quo generosiora sunt ingenia, eo faciliis, teste Plutarcho, corruptioni (quemadmodum ligna dulcia vermium erosioni,) obnoxia sunt. Ne igitur ab Acolocasto-Cornelis & prauis Ductoribus, qui optimis quandoq; ingeniis insidiantur & imponunt: atque à pietatis, honestarumque artium studiis ad otium: à virtute ad voluptatum illecebras facile retrahunt, circumueniantur, & seduci se patiantur, cautio est. Hi namq; licet studiosi titulo glorientur, nihil minus tamen quam de studiosorum debitis officiis sunt solliciti quippe in quorum Musæis lagenæ sæpius & amphoræ, canthari, tesseræ, tabulæ chartæque lusoriæ, atque puellarum instrumenta, quibus crines torquent, quam Codices & sacra Biblia, quam γραφεῖδια & calami: quam astrolabia, Sphæræ, globique cœlestes conspiciuntur.

Huius rei, nisi erit molestum cuiusdam Astronomiæ studiosi exemplum, cuius iam inopinato recordor, referam, à quo cum Professor propositionem Euclydis demonstraturus, ad formandos linearum ductus, cretam posceret; ille suo se indicio quasi sorex prodens, ridiculo errore, pro creta tesseram

ex sacco depromebat, seque in lusoriis magis quam Geometricis quæstionibus exercitatum esse ostendebat.

Quidam lagenam vini plenam veste occultans, Præceptori quidnam turgidi sub pallio gestaret, percontanti: Sphæram se materialem gestare respondit.

Alius quidam filiusfamilias sumptibus probe instructus in Academiam missus, omnes suos libros, magna pecunia à parentibus emptos, solis Amadisianis & Grongoschirianis seu Garagantuanis retentis fabulis (ne tota scilicet Bibliotheca spoliaretur) divendit. Libris & nummis ita dilapidatis, in prodigalitatis suæ solatium, dictum Senecæ de varietate lectionis Musæi sui parietibus inscripsit: *Distrahit animum librorum multitudo.*

Otii detestatio & fuga.

PH. Optanda equidem iuuenibus prudentia senilis ante senectæ annos, cuius beneficio mature secum expenderent, breue esse & perexiguum vitæ humanæ curriculum; proindeq; omnibus horis, monente Seneca, operi insistendum esse, sic enim fieret, vt minus ex crastino penderent, si hodierno manum iniicerent; quum summa ope eo niti debeant homines quosuis, ne vitam silentio transigant veluti pecora; vtque in corpore humano cor & arteriæ sunt in continuo motu, alioquin enim corporis humani membra torpescerent, sic homo ipse in continua actione atque exercitatione, si se resque suas saluas esse cupit, sit oportet. *Otium* namque vt Horatius canit, *prius & bonas perdidit vrbes.* Atq; vt Mantuanus lib. 2. Sylu.

Ocium clari fugiunt honores,
Nobiles ducit labor ad triumphos,
Sudor insignes iter ad coronas
Monstrat apertum.

Sique quod verissime dici solet, in solio segnities & inertia sedeat, etiam leones rege ceruo vincuntur.

TH. Otii ignaui causa plerunque est felicitas, cuius comes est arrogantia; arrogantiæ vero comes est stultitia; stultitiam denique rursus comitatur infelicitas.

PH. Nihil certe turpius iis aut abiectius, qui torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? Qui vt Phæaces illi Homerici,

Non pugnis, duraue exercent membra palæstra:
Sed mensam & cythara strepitum dulcesque choreas.
Stragulaque & molles curant post balnea lectos.

Margitæ illi simillimi, de quo idem Homerus:

Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arua
Vertere, non vlli viuebat idoneus arti.

Sic enim & hi neq; domi, neq; militiæ, neq; priuatim, neq; publice, neq; sibi neq;

neque aliis vtiles, ita vitæ curriculum conficiunt, vt veluti naues nullum sui vestigium relinquant. Atq; hi quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati sunt, nobis maiorum nostrorum virtute est, vnde otiosi laute splendideque viuamus.

TH. Egregia scilicet de maioribus gloriatio, qui si illis similes fuissent, illi (exorbitans ipsorum progenies) in postremis iacerent. Præclare itaq; Cicero, *Mihi quidem*, inquit, *qui nihil agit, esse omnino non videtur.* Nam & physici docēt, quæ cuiq; rei causa est, vt sit, eandem ei esse causam vt aliquid agat.

EQ. Sed interim quiritantur plurimi de suo ipsorum ingenio, cuius infausto sydere non edocti sed nati atq; procliues ad desidiam sint atque torporem, nihilque adeo fructuosum, reluctante subinde ingenii genio sese præstare posse obtendunt.

PH. Nugæ sunt. Ingeniosi equidem pari passu ac lance esse non possumus, at industrii omnes esse possumus; compensandum ergo industria, quod ingenio deest. Nec reciprocandum est cum ingenio industria. Ingenium namque (vt id obiter dicam,) ab industria in hoc differt, quod ingenium aut acutum dicimus, aut obtusum; neutiquam autem industriam, sed aut magnam, aut paruam, etsi ingenium quoq; & magnum & paruum dicimus. Quinetiam ingenium omnino inest à natura, industria vero ab exercitatione magis atque ab vsu. Hinc mercatores & agricolas industrios potius dicimus, quam ingeniosos: & Poetas, Oratores, Philosophos, ingeniosos magis quam industrios. Quid quod industria absque ingenii bonitate vix est aliqua, at ingeniosi permulti absque industria aut ea omnino perexigua. Præterea ingenium in aliis est versutum, & callidum, in aliis lene, mansuetum: aut contra, asperum, atq; insolens. Quis vnquam dixit aut lenem, aut asperam, ac versutam, simplicemue industriam? Inest ingenio celeritas, aut tarditas. Industriæ expeditio potius & explicatio, quasi quædam in rebus impeditis atq; perplexis in inopia, in necessitatibus, in difficultatibus, vt videatur industria quidem ab ingenio ortum ducere: cæterum agendo atque experiendo ali, formari, perfici: nam ingenium si defuerit, qui nam potest esse industriæ locus? Rursus exercitatio nisi accesserit, atque vsus, ea quoque nulla est futura. Atque vt callidorum, astutorumque consortia, & societates fugiuntur, sic contra delectat industriorum: & plerique ad illorum se exempla libenter adiungunt, similesque eorum esse student, quorum profecto hominum maxime amica & peculiaris est solertia: atque ea, quæ extemporalitas dicitur, diuturnum enim ob vsum ilico, atque ex tempore, & capiunt consilia, & quid expediat, vident: & pro loco, atque occasione modum statim, aut remedia adhibent. Horum etiam assidua comes est vigilantia, cum sit industria ipsa minime desidiosa. Itaque vis hæc & natura ab ipsa excita, & vsu, exercitationeque confirmata, in rebus hominū plurimum confert, maximaque est laus eius

Ingenii & industriæ differentia.

atq; commendatio: Cum eius sit proprium, excogitare, atq; adinuenire in susceptis aut suscipiendis negotiis viam, modum, ordinem ad ea explicanda atq; perficienda: atq; vbi alii cal gant, aut intepescunt, ipsi & incalescunt abunde, & perspiciunt acute, & explicant se facile, & nouas ineunt rationes, nouaque consilia, nouas etiam vias ingrediuntur, siue mercibus alienandis, siue lucris excogitandis, siue damnis sarciendis, siue è difficultatibus seipsis explicandis, ac liberandis, &c.

Ingenii duri cultura assidua.

TH. Quod si excellens alicui defuerit ingenium, ne propterea despondeat animum, nam étiam mediocri datur locus; quod quantulumcunque sit, institutione atque exercitatione multum augebitur atque acuetur. Et ne abeamus longius, communis hoc experientia confirmat, quod dotibus animi mediocribus instructi, non raro felicius in studiis progrediantur, quam vel excellentissimis præditi ingeniis, qui naturæ confisi viribus insolescunt, rarissimeque ad frugem perueniunt: ita vt Thucydides ingenia hebitiora præferat acutioribus: & humiliora melius quam solertiora Rempublicam administrare affirmet. Cuius sententiæ Franciscus Petrarcha subscribens, malle se ait bonum habere ingenium, quam excellens: quod illud in malum flecti nequeat, hoc in diuersum volubile sit. & post pauca hæc verba subiungit: *Magnum ingenium sæpe magnorum initium fuit malorum.* Raro autem magni errores, nisi ex magnis ingeniis prodiere. Id quod Gracchorum Catilinæ atque aliorum, necnon Hæreticorum, qui semper maximorum in Ecclesia motuum causæ fuerunt, exemplis comprobari potest: vt non frustra Plato scripserit: Magna ingenia plerumque habere mixturam dementiæ. Hinc apud Græcos nobilissimus ille atq; doctissimus vir, ingeniorumque censor grauissimus Lascares, de ingenio felici & fidenti Adolescentis ad Syriacum dixit: οὗτος ἢ μέγα ἀγαθὸν ἔσται, ἢ τοὐναντίον, hoc est, hic aut magnum dabit bonum aut quod ei contrarium.

De Cleanthe Stoico memoriæ proditum est, quod hebetudinem ingenii ad studium & vigilantiam tanquam ad cotem acuerit. Sic ipse Cicero & Demosthenes quædam naturæ vitia industria correxerunt. Multi contra quibus naturę bonę indoles est, torpore ac voluptatibus lumen ingenii patiuntur extingui. Vtrumq; tangit illud Nasonis.

Vidi ego iactatas mota face crescere flammas,
Et vidi nullo concutiente mori.

PH. Terra referta saltubus, feris & herbis syluestribus multoq; limo, protinus quidem displicet imperito colono: at peritus agricola ex ipsis coniectat soli mollitiem ac feracitatem, tantoque impensius dat operam, vt eam repurget. Sic magnis ingeniis magna vitia solent innasci, quæ non conuenit statim tollere, sed potius istis mederi; expectanda ætas, donec ad frugem bo-

nam reducatur. Poteſt enim (vt Seneca inquit Epiſt. 97.) ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub qualibet cute latere, poteſt ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus ac magnus exire. Non enim deformitate corporis fœdatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur. Cæterum ſunt è conuerſo quædam ingenia nimis præcocia, hæc tamen tam in animalibus, quam in plantis aliiſque rebus tanquam minus diuturna & veluti radice carentia deprehenduntur. Quemadmodum enim animantibus contingere videmus, quod ea quæ celerius excreſcunt, & ad perfectionem ſuam properant, citius labantur & intereant, quam quæ lento paſſu & gradatim quodammodo ad ſuam perfectionem tendunt, ideoque perfectiorem & pulchriorem maturitatem acquirunt :(Exemplum, vt alia omittam, inter bruta animalia præbet equus, ex arboribus ſalix, quæ non durant: Ceruus autem & olea per gradus lente & tarde tendentes ad maturitatem longioris æui ſunt. Sic leonis catuli informes naſcuntur, vix ingrediuntur ſemeſtres non mouentur niſi bimeſtres,) ita quæ egregia futura ſunt, ſero proueniunt, & lentis ductibus abſoluuntur. Vnde etiam ad homines eiuſmodi ratiocinationes traductæ ſunt. Quid enim aliud ſibi vult prouerbium: *Odi puerulos præcoci ſapientia.* Nam vulgi inualuit opinio, vt credat puerulos mature ſapientes aut non fore vitales, aut dementes futuros, ſimulatq; ad ætatem maturam peruenerint, quamobrem Plinius refert, Catonem Cēſorium velut ex oraculo prodidiſſe, *Senilem iuuentam prœmaturæ mortis eſſe ſignum.* Quo reſpexit Iulius Scaliger ſuis hiſce elegantibus verſibus:

Ingenia præcocia haud diuturna.

Aſſius pueri præpropere explicata virtus,
Segnem aut fatuum aut terribilem indicat ſenectam.

Præterea apud Senecam, Ceſtius de ingenia Alſii Flauii prædicare conſueuit; tam mature magnum ingenium non eſſe vitale. Talem puerum Sophocles ἀνδράπαιδα vocat. Sed hæc obiter volui inferre. Porro non dura tantum, ſed & praua ſæpenumero ingenia ſe paſſim offerunt: hæc quomodo corrigi queant, diſpiciendum eſt.

EQ. Magna indoles non eſt ſine vitiis, proindeque non ſtatim pro deplorata habenda. Præſtantes namque atque excelſæ naturæ, vehementi quaſi æſtu atque feruore, fluctuumque procellis huc illuc iactantur, donec mores ſtabiles & compoſitos ſibi aſciſcant.

Themiſtocles laſciue commeſſando petulāterque per forum, dies noctesque iunxit.

Scipio Africanus, in quo ſe virtus per omnes numeros efficaciter tandem præreptis prius & diſiectis nequitiæ, qua obſidebatur, clauſtris, oſtendit, iuuentutis aliquam partem in ganea exegit.

PH. Iſæus

PH. Isæus Sophista Assyrius, cum primam ætatem dicasset voluptatibus simul, vt ad virilem peruenit, velut alius subito factus, miram induit morum seueritatem. Itaque percontanti cuidam, num illa, fœminam ostendens, videretur formosa? πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμιῶν, id est, desii laborare ab oculis. Ab altero quopiam interrogatus, Quis piscis aut quæ auis esset ad vescendum suauissima? πέπαυμαι, inquit, ταῦτα σπουδάζειν, id est, ista curare desii. Et adiecit: ξυνῆκα γὰρ τοὺς Ταντάλου κήπους τρυγῶν, id est, sensi enim me è Tantali hortis fructus colligere; subindicans, omnes eiusmodi voluptates, quibus iuuentus capitur, nihil aliud esse, quam vmbras ac somnia, qualia de Tantalo fabulantur poetæ.

Nimirum adhibitio labore cum bonis disciplinis, imbuta ingenia adolescentium à pueris incipiente institutione, dum tenera sunt, facile ea, ad quæ natura inclinat & deflectit, corriguntur: si non in omnibus, tamen in quibusdam.

Alcibiades ingenio ad virtutem duro atque effreni, quippe qui partim superbe, partim abiecte, partim libidinose viuere instituerat, propter Socratis tamen institutionem multa in sua vita correxit, cætera magnitudine rerum gestarum occultauit.

Polemonem Philostratis filium, cum adolescens esset, Diogenes narrat, adeo fuisse impudicum & corruptum, vt omnes vitiis superaret & voluptatibus: verum cum aliquando ebrius coronatus cum sodalibus, in Xenocratis irrupisset scholam, loquentis de temperantia: ea oratione sensim adolescens seipsum collegit, ita vt industria & studio cæteros postea vinceret: atque Xenocrati in regenda schola successerit.

Degeneratio. *TH.* At interim & hoc verum vtique & dolendum est, haud raro etiam optima ingenia, annorum decursu, turpissime degenerare. Exempla de Absolone, Dauidis filio, Alexandro Magno, Nerone, (qui, *se malle nescire literas*, quoties sub regiminis initium, sententiæ seueriori erga noxios subscribere, à iudicibus implorarетur, ingemuit,) & aliis, sunt satis nota.

PH. Vt arbores quædam belle florent, verum nullum adferunt fructum, ita quorundam puerorum indoles magnam vitæ frugem pollicetur, qui simulatque adoleuerint, ad ineptissimas conuersi voluptates, omnium fallunt expectationem.

EQ. Plinius de hoc negotio differens eleganti hac vtitur similitudine: Est Indiæ gens dicta Pandora, quæ in pueritia cano est capillitio, in senecta nigrescunt capilli: ita nonnulli primis annis sobrii ac modesti, grandiores iam ad nugas & ineptissimas voluptates abiiciunt sese & repuerascunt. *Plin lib.7. cap.2.*

PH. Multum omninо nauat atque efficit, non solum in his male à primo ortu institutis, sed & heroicis, & mediocribus, & imbecillioribus naturis, inge-

ingeniorum cultura diligẽs, atq; educatio operosa. τροφὴ γὰρ καὶ παίδευσις: (vt recte Plato ait) χρηστὴ σωζομένη, φύσεις ἀγαθὰς ἐμποιεῖ, καὶ αὖ φύσεις χρησταὶ τοιαύτης παιδείας ἀντιλαμβανόμεναι, ἔτι βελτίους τῶν προτέρων φύονται: id est; *Educatio enim & institutio commoda ac bona, si conseruetur, efficere ea in ciuitatibus solet bona ingenia: itemq; ingenia commoda ac bona, talem admittentia disciplinam, meliora etiam, quam ante fuere, euadent.* *Educatio caput est rectæ institutionis.*

In distortis motus incompositos, ἀτάκτους, & efferos, si nõ extinguit prorsus aut supprimit, tamen velut in gyrum rationis ductos, frenoque vinctos, & septos carceribus, tum cogit in ordinem, tum ad eum modum tempore domat, hebetat, atque emollit, vt tractationem ferant deinceps, atque culturam, aut certe minus ferociant: eoque id magis præstat, si adhibetur teneris adhuc animis & flexibilibus, in quibus plus est loci disciplinæ, quam in adultis. Κεφάλαιον γὰρ ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή, καὶ κυριώτατον ἐμφύεται πᾶσι τὸ πᾶν ἦθος διὰ ἔθος: id est; *Caput enim rectæ institutionis est recta educatio, & assuefactione pueris mores maxime firmi inseruntur*, vt Plato ait.

Vt plantulæ teneræ, si vbi ex radice prodierunt, plusculum in alterutram sese partem incuruent, facile aut furculis retorquentur in aduersum latus, aut deligatæ vinculis reflectuntur, aut circum defixis fulcris coguntur in rectum assurgere: si curuior inueterarit & obduruerit, extendi amplius æquarique nequeunt: Sic feritas connata atque enormitas, quantacunque sit, si natura tenera ad rectiora assuefiat, remittit aliquantulum & mitescit: si obriguit ætate, & velut occalluit, postea adeo in contrarium traduci nequit, vt frangatur citius, quam flectatur, aut mansuescat.

In heroicis naturis, generosos, feruidos, & nimis acres impetus, non exspirat, sed retusos aliquantum, immo velut delinitos contrahit intra metas rationis, atque ita moderatur, vt fiant rationi σύμμετροι, *attemperati*, & lege aliqua, atque ordine conueniente procedant, non tyrannice tumultuentur.

In mediocribus ea quæ natura inseuit semina, euocat & producit, ac velut conueniente enutrita & rigata succo, fotaque calore, vegetat & maturat. In imbecillioribus, quibus nihil à natura tributum est, nullaque sunt ad virtutem incitamenta vel adiumenta addita, velut aliam naturam, suis quoque instructam atque expeditam facultatibus induit. Sunt enim, vt recte ab Hippocrate dictum est ἐπίκτητοι φύσεις τὰ ἔθη, id est, assuefactio est aduentitia quædam natura.

Contra disciplina eneruis, indulgens, laxa, ac delicata, acres etiam ac firmos ad virtutem in natura stimulos, aut obtundit prorsus, aut (vt sic dicam) ad eum modum eliquat, vt diffluant: Eadem propensionem ad libidines, luxuriam, & vitam voluptuariam alit ac fouet, aut, si nulla

L adsit

adſit talis propenſio, faſtidioſas, delicatas, difficiles, & moroſas reddit naturas.

Sic è contrario adſtricta nimis & coacta educatio alacritatem animoſum frangit.

Præclare Plato de vtraque: ἡ μὲν τρυφὴ δύσκολα καὶ ἀκρόχολα, καὶ σφόδρα ἀπὸ σμικρῶν ἐπιφερόμενα, τὰ τῶν νέων ἤθη ἀπεργάζεται: Τὸ δὲ τούτων ἐναντίον ἡ σφόδρα καὶ ἀγρία δούλωσις, ταπεινοὺς, καὶ ἀνελευθέρους, καὶ μισανθρώπους ποιοῦσα, ἀνεπιτηδείους ξυνοίκους ἀποτελεῖ: id eſt; *Delicias, puerorum mores reddere difficiliores, moroſos, iracundos, & qui leuibus occaſionibus vehementer percelluntur; contra vero, nimiam & feram ſeruitutem, eorundem mores reddere humiles, illiberales, ab humanæ ſocietatis commerciis abhorrentes. ac proinde tales, qui ad omnem conſuetudinem & familiaritatem plane ſint inepti.*

Praua vero ad feritatem aſſuefactio efferat naturas, bonas etiam & acres, eaſque exacuit in hominum perniciem. Veriſſimum eſt enim ἄνθρωπον παιδείας ὀρθῆς τυχόντα, καὶ φύσεως εὐτυχοῦς, θειότατον ἡμερώτατόν τε ζῶον γίγνεσθαι, μὴ ἱκανῶς· ἢ μὴ καλῶς τραφέντα ἀγριώτατον ὁπόσα φύει γῆ. *Hominem, ſi cum natura felici rectam quoque nactus ſit diſciplinam, in diuiniſſimum manſuetiſſimumque animal euadere: ſi vero non ſatis aut bene educatus fuerit, omnium, quæ in terris naſcuntur, fieri ferociſſimum.* Et omnino eo, quod recte à Phyſicis cauſis adornatum atque conſtitutum eſt, euerſo aut labefactato, animos ſua natura in vitia procliuiores agit in contrarium. Οὐ μικρὸν οὖν (vt recte Ariſtoteles inquit) διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, id eſt, *non parum igitur refert, ſic, aut aliter, ab ineunte ætate aſſuefactum, ſed valde multum imo omnia in eo ſunt poſita.*

EQ. Sunt quædam ingenia natura mitia, placida, moderata, & liberalia, quæ laxiore diſciplina ac liberaliore regi tractariq; poſtulant, ſeruilemque coactionem oderunt. Et horum rurſus diſcrimen varium eſt & multiplex. Quædam enim adeo ſunt delicata, mollia & faſtidioſa, ſi paulo compellantur & coerceãtur aſperius, aut ſi paulo aſtrictius ea quæ circumdata ſunt eis vincula, intendantur, ſtatim offendantur, & animum deſpondeant. Atque hæc prorſus indulgentem exigunt inſtitutionem. Alia rurſus, niſi aſtringantur nerui diſciplinæ atq; adducantur, leui quauis occaſione, vbi conceſſam licentiam & patefactam feneſtram ad nequitiam ſenſerint, exorbitant atque degenerant.

Sed miſcentur hæc ipſa diſcrimina analogiis pene infinitis. Ita reperiuntur ingenia præfracta, obſtinata ac pertinacia, diſcrimine non minus vario. Nonnullæ enim ſeueritatem omnem reſpuunt, ceu ferrum adamas, & indulgeri ſibi laxatis vinculis diſciplinæ poſtulant: his arctatis magis exaſperantur: indulgentia vero velut hircino ſanguine adamas, liquefacta molleſcunt.

Alia è diuerſo, niſi ſeuera admodum atque aſpera diſciplina multum mace-

macerentur, tundanturque plagis, subigi nequeunt. Hæc naturarum diuersitas, quam communis vita ostendit, multum disciplinæ effectus variat.

PH. Ingenium existit ex ipsa corporis, animæq; compage & constitutione, atque ex humorum, è quibus constamus, temperatura. Ii enim plurimum ingenio valent, quorum in corde ac sanguine maior inest, atque agilior calor. Torpescunt illi contra, quibus sanguis frigore concretus subest, abundeque multum lentescit. Ad hęc ingenium præ se fert insitam tantum à natura siue vim, propensionemq;, siue aptitudinem atq; habilitatem.

Propter diuersitatem igitur concretionis corporeæ, quæ commistio infinita quidem est, nec omnino comprehensibilis, eueniunt tam multæ varietates, applicationesq; ingeniorum: multiplices ipsę adeo, vt quot homines, tot etiam sint ingenia. Quo fit, vt in vtenda etiam prudentia, ingenium quisq; sequatur suum. Celeritatem Cæsar, cunctationem Fabius, astū & calliditatem Annibal, tarditatē ac taciturnitatem Pompeius, animi generositatē Pyrrhus, contentionem Alexander, simplicitatem & lenitatem Marcus Antonius Augustus, seueritatem Cato, duritiam ac tolerantiam Caius Marius. Ac ne vetusta semper nobis sint in ore, in Ferdinando rege Neapolitano, inerat summa taciturnitas, incredibilis rei cuiusq; simulatio ac dissimulatio. Contra, in Alphonso eius filio apertissima simplicitas, nuda etiam veritas. Laurentio Medicees sermo admodū erat latebrosus, latebrosiora consilia. In Ludouico Sfortia, dominabatur ambitio, atq; honoris cupiditas liuore infecta. In rebus bellicis Friderico Vrbinate, nemo ex omni parte agendas ad res eo pensitatior erat, atque circumspectior, Xysto Pontifice Maximo vix alius fidentior, audentiorque, Innocentio qui ei successit, nemo diffidentior. Alexandro Sexto nemo vnquam cupientior atque auidior. Caroli V, ingenium à prima statim pueritia fuit humanum, mite, prudens, graue, magnanimū, placabile, moderatum, verax, iustum, semper sibi constans & tranquillum ac serenum, triste tamē magis & taciturnum, quam & hilare & lætum: cunctabundum magis quam pręceps; deniq; natiua bonitate & indole vere heroica, & ad omnia summo rege digna præuolante excellens: arma tamen magis quam libros amans; vt armis potius quam literis natum sit. *Caroli V. ingenium.*

EQ. Non intempestiuum videtur hoc loco recensere, quod in castris ad Witenbergā Lucas pictor senex Carolo V. sciscitanti narrauit, cum ex oppido in tentoriū euocato Carolus exposuisset, sibi à Duce Saxoniæ Ioh. Friderico nuper à se capto tabulam egregiam, à Luca pictā in conuentu Spirensi dono datam fuisse, cuius aspectu aliquoties delectatus, picturas ipsius magnifecerit. Est autem, inquit, Mechliniæ in conclaui meo tabella, in qua effigiem meam, cum puer essem, depinixisti. Scire igitur ex te volo, quæ fuerit tunc ætas mea? Respondet Lucas, octo annorum erat ætas tua, cum Imperator Maximilianus te dextra circumducens iuberet Belgi-

eam nobilitatem & ciuitatis iuramento promittere obediētiam. Cum autem picturam ordirer, Maiestas tua sæpe ad diuersa loca respiciebat, vt solent pueri. Ibi præceptor, qui tuam naturam norat, dicebat te mirifice delectari aspectione teli, iussitq; ad parietem aduersum collocari egregie fabrefactum telum: cumque tu abeo non deflecteres oculos, ego feliciter absolui picturam, Cæsar hac narratione valde delectatus blande Lucam compellauit. Ibi tum bonus senex cogitans de fortuna & patriæ & Domini sui, flens procumbit coram Cæsare; & pro suo captiuo hero fit supplex. Cæsar placidissime perficiam inquit, vt Dominus tuus, captiuus princeps, experiatur meam clementiam, ornatumque munere Lucam in vrbem remittit.

Ingenia ex influentia astrorum.

PH. Diuersimoda ingeniorum ratio etiam variationi seminis ascribitur, cuius quidem etsi magna vis est, non minor tamen cœli & astrorum, quæ non solum cerebri crasi conuenienter temperata sensus acuunt ac vegetant, sed etiam temperamentis ipsis certo positu, certas ἐπιτηδειότητας, *habilitates*, & acumen quoddā ad peculiaria studia, ad Musicen, Poeticen, artē Medicam & alia huiusmodi imprimunt. Estque verissima Ptolemæi sententia, ὅστις τι πρᾶγμα ἐπιτήδειος ἕξει πάντως καὶ τὸν δηλοῦντα ἀστέρα τὸ τοιοῦτον ἐνδυναμοῦντα ἐν τῷ οἰκείῳ γενεθλίῳ, *qui ad rem aliquam idoneus est, habebit omnino, in themate natalis sui, stellam, quæ facultatem illam significet.* Vt vero seminum varietas est infinita, sic non in omnibus nascentibus, iidem astrorum positus contingunt: hinc illa, & naturarum, & ingeniorum varietas.

Accedunt deinde extrinsecus aliæ causæ, quæ formata in cerebri temperamenta, alias conuenientibus viribus roborant, alias contrariis hebetant atque infringunt: nimirum locorum natura ex dispari terrarum exhalatione diuersa, & diæta ætatis teneræ. Crassum cœlum & pingue ingenia gignit hebetiora, acriora contra purum & tenue. Excipit enim, quos aquæ terræque expirant halitus, hic circumfluus aer, & halitu attractus eosdem in hominum corpora inuehit. Attracti vero aeris pars non minima sursum rapitur in cerebrum, vbi cum animalibus tum sese miscet spiritibus & suis cerebrum qualitatibus velut tingit. Cumque idem aer continuo succedat, atque in idem subiectum allidatur, euenit, vt quemadmodum qui multum in Sole obambulant, infuscantur, sic cerebrum ex eodem aere, ceu frequenter illito, nouarum qualitatum velut lineamenta, aut colores concipiat atque inducat.

TH. Habent præterea excellentia ingenia dotes peculiares, neque à stellis insitas ipsis, neque ex causis Physicis ortas. Tales absq; omni dubio confert immediate Deus ipse.

Cum enim artium veritas, erroribus deformata ac prægrauata, ruinam minatur atque interitum, excitat Deus ingenia heroica, eaque conuenientibus dotibus ornat atque instruit, vt laboranti atque inclinatæ ar-

tæ artium veritati opitulentur, & hanc erroribus exterfis de integro instauratam ab interitu vindicent; Ac cum in politiis leges & disciplinam constituit ac sancit, vel ipsis principibus, vel iis, quorum consilio & opera reguntur principes, dotes largitur tantæ rei idoneas ac necessarias. Talis fuit sapientia Dauidis, Danielis, Iosephi, & plurium aliorum. Tales fuerunt præstantissimorum artificum dotes omni tempore. Verissimum est enim neque vllum vnquam magnum virum extitisse sine afflatu diuino: neque aliunde, quam à solo Deo, excellentiam ingeniorum, & motus heroicos proficisci.

Adeo autem certum est & conspicuum, præstantium virorum excellentia & singularia dona, neque ex astris deriuari, neque ex parentum nasci seminibus, sed diuinitus inseri, vt hoc fateri Ethnicos quoque res ipsa cogerit. Neque vero tamen his donis eam lucem, quam Spiritus sanctus verbo accendit in cordibus credentium, sed sapientiam, quæ artes politiasque condit ac conseruat, intelligo, quam etiam non sanctificatis largitur Deus, eo quod disciplinas & imperia consistere vult ac perdurare ad extremum vsque interitus mundi momentum.

Cyri aut Alexandri felices ac heroici impetus, actionesque plane diuinæ; at Neronis, vel similium, tetra, immania, & abominanda scelera, non oriuntur ex his causis.

Longe enim superat omnium Physicarum causarum vim ea præstantia, quæ excellit in Alexandro iuuene: Et è diuerso non cadit in humanam naturam tam portentosa, & plus quam belluina immanitas, quam Nero exercet; immo expauescens humanus animus ad conspectum eius, & ad solam cogitationem, obstupescit.

Præstantes viros Deus exuscitat, acerrimis ad res gerendas stimulis subditis, cuiusmodi nulla qualitatum commoderatio, nulla gignit astrorum dispositio. Et donat hominum generi tales, cum aut tyrannide quassata, aut luxu, mollitieque fracta, ac diffluentia, aut alioquin segnitie principum, atque socordia soluta imperia, vindices requirunt atque instauratores.

Alexander (qui postea Magnus dictus fuit) puer etiamnũ, cũ vidisset, quã feliciter parens bella gereret, nequaquam gaudebat, sed ad pueros æquales dicebat: Pater nihil mihi relicturus est. Illis contradicentibus: Imo ea omnia, quæ bello iam subegit. Quid profuerit, inquit Alexander, si multa hæreditario iure possideo, ego autem nihil habeam, quod agam, & militem patri similem me esse ostendam? Vides indolem in puero ad imperium plane pronam? *Plut. in apopht.*

Iulius Cæsar, cum Syllam fugeret, etiamnum adolescens, incidit in piratas Cilices: ac primum, vbi pro redemptione summam, quam ab eo peterent, pronuntiassent, derisit prædones, velut ignaros quem cepissent, seque duplum daturum pollicitus est. Deinde cum asseruaretur, donec afferretur pe-

cunia, imperauit illis, vt silerent, nec sibi dormienti obstreperent. Eisdem orationes & carmina, quæ scriberet, recitare solebat, quæ cum illi non satis probarent, stupidos ac barbaros appellabat: cum risu minitabatur, se illos acturum in crucem, quod & perfecit. Apportatis enim pecuniis, quas piratæ pro redemptione pacti fuerant, dimissus, contractis ex Asia viris ac nauibus, comprehendit eosdem prædones, ac suspendit, sed prius iugulatos, ne seueritas careret clementia. An non hic statim agnoscis indolem Alexandri Magni, cui nihil mediocre satis esse posset? *Erasm. ex Plut. in Rom. apophth.*

Scipio super cœnam interrogatus, quam egregium esset habitura respublica, si quid ipsi humanitus accidisset? *Vel huius*, inquit, (Marium intuens) iã tum in illo perspiciens ingenium maximis rebus natum, *Eutrop. lib.5. Plut. in Mario.*

Cassius etiamnum puer, Faustum Syllæ filium inter æquales de patris monarchia gloriantem non tulit, sed ei colaphos impegit. Eius rei cognitionem cum Pompeius in se recepisset, accitis ambobus pueris, Cassius ausus est dicere: Eia, Fauste, aude rursum coram hoc ea verba proferre, quibus irritatus in te fui, vt rursus percellam os. Inerat Cassio natiuum quoddam odium tyrannidis, vt iam tum appareret, illi non defuturum animum ad interficiendum Cæsarem. *Plutarchus.*

Cato Vticensis, cum puer adhuc à Druso auunculo educaretur, Latinique Romam Drusum tribunum plebis eo tempore venissent. de ciuitate imperãda acturi: Quintus Pompeius, Latinorum Princeps, Catonem orauit, vt pro sociis apud auunculum intercederet, vt id, quod peterent, facilius impetrarent. Verum Cato puer facturum se hoc negauit, cumque semel iterumque, interpellatus eadem de re omne denegasset officium, demum Pompeius in excelsam domus partem eleuatum se præcipitaturum minatus est, nisi precibus & toties efflagitatis obtemperaret. Verum cum ciues intelligerent, nec sic puerum moueri potuisse, egregiam eius indolem laudantes, altissima voce clamarunt, Gratulemur Latini, nobis hunc esse tam paruum, quo Senatore ne sperare quidem ciuitatem licuisset. *Historiam hanc recitat Plutarchus in Catone.*

De Origene scriptore Ecclesiastico produnt historici, quod puer parẽtem suum Leonidem (qui Episcopus fuit) sæpe de abditis scripturæ sensibus interrogauerit, ita vt pater ab eiusmodi præcoci sapientia retrahere illum cogeretur; sedulo monens, ne supra ætatem saperet. Verum noctu accedens, & pectus intuens quasi sancti Spiritus templum deosculabatur, seq; tali filio beatum iudicabat. *Euseb. lib.6. cap.3. & Suidas.*

De heroica Herculis indole Ouidius sic scribit:

Ingenium cœleste suis velocius annis
Surgit, & ingratæ fert malè damna moræ.

Con-

Contra, sunt quædam ingenia tam distorta, sophistica, veteratoria, & plena veneni, vt tantæ deprauationis nullæ neq; in astris, neque in materia, causæ ostendi possint. Oderunt, & extinctam cupiunt sacram veritatem, delectantur sophistica, & quicquid recte dicitur, student veteratoriis præstigiis aut eludere, aut conuellere, atque infringere: polluunt & conspurcant artes, etiam principia de æternæ atq; immotæ sapientiæ Dei radiis accensa, & cum ipsis nata hominum animis, omnibusque concessa, quæq; ex his consequentia irrefragabili deducuntur, impetere ac labefactare, & constantem perpetuamque experientiam in dubium vocare & controuertere, non erubescũt: excogitant consilia perniciosissima, pulchra specie, valentique ad omnem malitiam.

Talia format & armat ingenia, non natura ipsa, non Deus *δημιουργὸς*, *opifex*, naturæ, sed mendaciorum & scelerum architectus Diabolus: qui, vbi naturas mediocriter à Physicis causis & sua voluntate ad malitiam instructas, ac præparatas adipiscitur, eas in suos vsus conuertit, hocque quod naturæ deest ad summam atque absolutam peruersitatem, explens ac cumulans, adornat organa perniciosa sibi met & aliis. Cuiusmodi fuerunt Ahitophel, Catilina, Nero, Caligula, Arrius, Manichæus & alii plures infiniti: quorũ quosdam non instruit tantum, sed regit ipse & incitat: alique omnino & confirmat malitiam in improbis. Iis vero, quibus sophismatum præstigiis illudere veritati volupe est, tum effascinat animos imposturis intricatissimarum opinionum, quibus excæcati ad eum modum circumducuntur, vt vnquam amplius consequantur, in quo tandem consistant & acquiescant; tum consuetudinem quoque cauillandi in iis auget.

Prorsus enormia scelera, immo & alia multa à Diabolo sunt, qui, vt toties dixi, efficacissime *ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας*, *vires suas exerit in hominibus contumacibus*. & autores scelerum sæpe se à Diabolo impulsos, aut occasionum commoditate inuitatos, ac velut in nassam illectos, Diabolo simul incendente, ac velut protrudente ipsos, fatentur.

Quapropter etsi voluntas libera actionum domina, ex sese *ἱκανότητα ἀκριβῆ*, *aptitudinem satis exactam*, habet ad deligenda, & complectenda, vel recusanda obiecta proposita: tamen cum saucia sit, & languida sua natura, præsideatque contumacibus admodum atque indomitis appetitionibus, neq; in omnibus eodem modo, aut à natura sit confirmata, aduersus præcipites ac violentos appetitionum impetus, aut saniore doctrina roborata, aut præsidio durioris ac seuerioris disciplinæ circumdata ac munita, quorum ope, & foris occurrentibus illecebris, & intrinsecus seditiose ferocientibus motib. repugnet, sæpe victa, & vel à principio, priusquam, quo se inclinet, statuat, vel posteaquam decreuit, à proposito detorta, rapitur atq; incitatur alio.

Sed q̃a mira *φυσικῶν δυνάμεων καὶ ἐπικτητῶν*, *naturaliũ & acquisitarũ facultatũ*, mira

mira subito exardescentium & erumpentium motuum, est varietas, quam temperamenta efficiunt, astrorum & seminum vi procreata atque elaborata, assuefactione vero confirmata: multum refert, quibus quisque nascatur parentibus, quo cœli situ in lucem prodeat, ad quæ à teneris exerceatur atque assuefiat.

Fortes creantur fortibus & bonis, inquit Poeta: Nec degenerem procreant aquilæ columbam. Id etsi de seminum natura verum est suo loco atque ordine, propagantur enim semina virtutum, & ceteri impetus, à parentibus in natos: Vt recte Plutarchus dixerit, ἐν ταῖς σπερμάτων ὀλίγαις σταγόσι, καὶ αἱ τῆς ἀρετῆς ἀγαθαὶ ῥοπαί. *In paucis seminum guttis, etiam virtutis bona confluunt*, tamen quantum cœli positus mutent informatam iam à seminibus crasin, atque illis inditam vim, in confesso est.

Ex iisdem nati parentibus, dissimili astrorum constitutione, adeo discrepant, vt nulla, ne minima quidem sanguinis cognatione iuncti videantur: & quanquam seminum quoque vis, quæ corporum naturis respondet, mutatur in iisdem, vel ætate attenuatis viribus, vel morbo eneruatis, vel diæta non cõueniente afflictis: tamen nunquam hæc sola diuersitatem tantam atque dissimilitudinem parerent, nisi alia ex astrorum & cœli tractu accederet efficacia maior. Ex languefactis seminibus imbecilliora omnia lege naturæ oriri debebant: At corporibus firmioribus ac venustioribus ornatos, animisque præditos maioribus, senes parentes sæpissime gignunt iis, quos florente ac vigente ætate ediderunt.

EQ. Vel tandem colophonem huic materiæ imponetis. Me dudum enim (qui tamen alioqui, per naturam ad res quaslibet propositas sum attentus) audiendi istius cœpit fastidium. Vel tandem igitur rem ipsam auspicabimur, aut si mauultis paulum adhuc hisce immorari, etiam de aliis Principum in iuuenili ipsorum ætate honestis exercitiis, quæ per remissionum à studiis grauioribus interualla libere ineant atque vsurpent, conferemus.

PH. Si talia vsurpant exercitia, è quibus magni viri à scriptoribus aliisque bonis viris summopere commendantur, satis tunc suo ipsorum defunctos munere illos arbitratus fuerim. Commendatur Alexander Magnus, quod in castris lectitare plurimum solebat. Iulius Cæsar, quod cum exercitu proficiscens, libros scriptitabat. Augustus quod in bello Mutinensi semper in castris legere aut scribere, quotidieque declamitare consueuerat.

TH. Seneca *in 8. ad Lucill. Epist.* de se ait: *Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium studiis vendico, non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo.* Atque hoc exemplo Aristoteles cum se ad quietem componeret, pilam æneam in manu habebat, cui suberat vas æneum, vt si pila è manu excidisset, sonitu ad sua studia & contemplationes excitaretur.

Incredibili studio simul ac exercitatione celebratus fuit *Demosthenes*, qui duos aut tres sæpe menses continuos domi inclusus, ingenium vigilanter exercuit, abrasa parte capitis, vt exeundi facultatem sibi ipsi praeriperet. Et cum inter initia artis quam adsectabat, primam literam dicere non posset, oris sui vitium tanto studio expugnauit, vt ea à nullo expressius referretur. Vadosis etiam littoribus insistens, declamationes fluctuum fragoribus obluctantibus edebat, vt ad fremitus concitatarum contionum patientia duratis auribus, in actionibus vteretur.

Carneades ita se literarum studiis addixerat, vt cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhærens manum ad mensam porrigere obliuisceretur. Sed cum Melissa, quam vxoris loco habebat, temperato inter studia animo non interpellandi, sicut inediæ succurrendi officio, dextram suam necessariis officiis optabat.

Cato sextum & octogesimum annum agens, maximam Græcis literis operam impendit. Et mirifica proles eius Cato, ita doctrinæ cupiditate flagrauit, vt ne in curia quidem, dum Senatus cogeretur, sibi temperaret, quo minus Græcos libros lectitaret.

Democritus luminibus oculorum sua sponte se priuauit, arbitratus cogitationes, commentationesque animi sui in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, si eas videndi illecebris, & oculorum impedimentis liberasset. Et quo magis vacuo animo studiis literarum esset operatus, parua admodum summa retenta patrimonium suum amplissimum patriæ donauit. Athenis autem compluribus annis moratus, omnia temporum momenta ad percipiendam, & exercendam doctrinam conferens, ignotis illi vrbi vixit, non (vt nostro tempore discipuli solent) per omnia plateарum loca perreptando, quibuslibet lippis etiam ac tonsoribus innotuit.

De C. Plinii senioris auunculi sui indefessis lucubrationibus ac studiis, C. Plinius iunior, *lib. 3. Epist.* 5. sic scribit: Erat illi (Plinio seniori) acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare à Vulcanalibus incipiebat non auspicandi causa, sed studendi statim à nocte multa: hyeme vero ab hora septima, vel cum tardissime, octaua, sæpe sexta. Erat sane somni parcissimi, nonnunquam etiam inter ipsa studia instantis, & deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem: nam ille quoque noctibus vtebatur: inde ad delegatum sibi officium. Reuersus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu leuem & facilem veterum more sumebat, æstate, si quid otii, iacebat in sole; liber legebatur, adnotabat, excerpebatque. Nihil enim vnquam legit quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, vt non aliqua ex parte prodesset. Post solem plerunque frigida lauabatur. Deinde gustabat, dormie-

batque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus. Super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim. Memini quendam ex amicis, cum lector quædam pronunciasset perperam, reuocasse, & repeti coegisset: huic auunculum meum dixisse: Intellexeras nempe: quum ille annuisset, Cur ergo reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta erat parsimonia temporis. Surgebat æstate à cœna luce, hyeme intra primam noctis, sed tanquam aliqua lege cogente. Hæc inter medios labores, vrbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Cum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur, tergiturque audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic vni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus; cuius manus hyeme manicis muniebantur, vt ne cœli quidem asperitas vllum studiis tempus eriperet. Qua ex causa Romæ quoq; sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cum ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere. Perire enim omne tempus arbitrabatur quod studiis non impartiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, electorumque cōmentarios CLX. mihi reliquit, &c.

Palemonem cū maxima indignatione desidiam & ignauiam auersatum fuisse cōsignarunt historici. Is enim dum curasset, vt viuus inferretur sepulchro, quum laboribus subeundis amplius non esset idoneus, ac familiares, quibus datum fuerat negotium occludēdi monumentum, cunctari & moras nectere videret, *Obde, obde*, inquit, *ne me Sol cernat iacentem*. En senex sapientissimus, quē ob ætatem decrepitam emeritum esse decebat, industria tamen inflammatus otium turpissimum sibi existimabat.

Iussa à studiis recreatio.

EQ. Dandum tamen est animo aliquod interuallum. Hinc Statius li. 4. Syl.

———— ———— ———— nostra fatiscit
Laxaturque chelys, vires instigat alitque
Tempestiua quies, maior post ocia virtus.

Alexander Magnus tametsi studiis, Homero præsertim, cuius carmina non ad citharam vt aliorum, sed ad tubam carmina eius cantari voluit, plane fuit immersus, iucundis tamen recreationibus ab illis subinde respirauit. Fuit illi Cherilus Poeta non satis felix, qui fertur ita pactus, vt pro quoque bono versu acciperet Philippeum aureum, pro malo colaphum, hoc Cherilo plurimum ad recreationes vsus fuit Alexander.

TH. Erasmi desuper hæc extat similitudo. *Vt vitis, nisi subinde amputetur, ipsa sua fœcunditate gracilescit & perit: ita cohibendum est immoderatum studium felicibus ingeniis, ne parum moderato labore consumantur. Vtq; vino modico nerui & oculi iuuantur, eodem copiosiore læduntur: sic literis modice gustatis adiuuatur vita; eadem læditur, si quis immodice incumbat.*

EQ. Anaxagoras Clazomenius Philosophus publice decretis honorib. animo magno repudiatis; id sibi omnino postulasse perhibetur, vt quo die mortem

tem obiret, pueris qui diſciplinis & artibus operam darent, permitterentur feriarum otia & ludi. Senſit nimirũ vir doctiſſimus, ingenia adoleſcentũ nimio ſtudio frãgi, refocillatione autem aut recreatione ad nouos labores agiliores fieri.

Amaſis Ægyptiorum rex ab amicis reprehẽſus, quod perfunctos negotiis forenſibus potaret, omnique voluptatum genere ſolueretur; reſpondit: qui arcus habent, eos non intendunt niſi, cum opus eſt; quos ſi ſemper intendant, rũpendos eſſe, ac ne tum quidẽ fore vſui, cũ vſus exigit: ita qui nulla relaxatione curas ſuas ſoluũt, aut mẽte captos aut corpore male affectos euadere.

PH. Tritum eſt in ore Doctorum prouerbium: *E libro gubernatores.* Quod Imperator ille probe cum intelligeret, librorum magis quam cæterarum voluptatum ſtudiis delectatus erat:

ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι
θηρίων ἐρῶσιν· ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως
ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος hoc eſt:

Alii quidem equorum, alii vero auium, alii ferarum ardent amore: me vero poſſidendi libros, ingens à pueris tenuit cupiditas.

EQ. Lubens largior ſtudia literarum ac morum eſſe ἔργα ac principalia, quibus imbui principum animi cumprimis debent. Sed quum non ſemper poſſit mens eſſe ſeueris intenta ac iuuet à ſummis deſcendere ad ima, Quandoquidem recreet grata hæc variatio mentem, alternando vices. Itaque haud male mihi conſulere videntur, qui vna cum rigore ſtudiorum ac morum, etiam corporis quædam iucunda eaque honeſta præſcribunt exercitia. Honeſta inquam, quæque ætatem iſtam maxime deceant; omnino enim debent remoueri à ſeruulorum, clientium, leuiumque mulierum conſortio, colloquiis prauis & turpibus ſpectaculis, aut inhoneſtis picturis, à mendacio & ſimulatione & ab omni demum petulantia; facile enim per praua hæc irritamenta, vitiorũ ſemina quædam ipſorum animis poſſunt inſeri, q̃ adulta poſtea in grauiſſima ſcelera & inſanabiles animi morbos abeunt.

PH. Quum, authore Ariſtotele, duæ ſint ætates, in quibus inſtitui homines oporteat, à ſeptennio ad pubertatem, atque hinc ad vigeſimum primum annum; ætati puerili ac teneræ, quæ iucunditate maxime ducitur, & inquieta atque leuis eſt, muſica & motus corporis congruunt: quandoquidem illa multum animum mitigat & delectat, hic corpus roborat agiliuſque reddit; quas quidem duas res Plato huic ætati adſcribit: has vero quatuor Ariſtoteles: literas, muſicam, palæſtram ſiue gymnaſticam, pingendique artem: Plato autem picturam reiicit, qui eandem in libris de republica, ſicut poemata, etiam vituperat, quod multa aſpectu inhoneſta, quæ prauo exemplo eſſe poſſint, proferat. Cæterum Gymnaſticæ cumprimis per magnas vtilitates Plato & Galenus non vno in loco commemorant, quoniam nihil magis augeat atque confirmet corpora, quam motus. Eſt autem Gymnaſtica duplex; Athletica vna, altera moderata & ſalubris: illa quidem, quod va-

sta, dura, robustaque nimium corpora faciat, animoque obsit, valetudinem lædit, ac corporis temperationem vitiet, est (pueris præsertim) perniciosa, ideoque omittenda: hæc vero secunda, quæ vtilis est, duplex esse eidem Platoni dicitur, aut luctatio: quibus permultæ aliæ formæ non minus vtiles atq; exercendo corpori aptæ adiungi possunt, vt equitatio, pedestris cursus, pilæ lusus, hastiludia, aliaq; huiusmodi exercitationum cuiq; regioni aut genti vsitatarum genera multa.

Saltatio eiusque forma.

EQ. Saltationem Plato pueris tradere primam videtur, tum quod eiusdem si modus moderatior, tum quod musicæ affinior, quæ illi est ætati congruentissima. Ea vero cum iucunditatis, exercitationisque plurimum habeat, pueris apta est: quorum corpora sine molesta defatigatione exerceri debent. Quapropter cauendum est, ne quod saltationis genus nimis iucundum, leue, aut turpe afferatur, neve difficile, ac violentum, quod corpora fatigatione nimia debilitet. Alterum enim animo nocet, cuius cum corpore simul habenda cura est, alterum corpori, cuius est valetudini consulendum. Saltationem autem moderatam, atque decoram Persæ, ac Lacedæmonii pueris exercendis belloq; vtilem putauere, vnde Epaminondas vir bello strenuissimus probe saltasse sæpe dicitur: existimans nimirum, saltatione homines agiliores fieri, vt si quando serio pugnandum esset, eo promptiores forent. Summa vero ab eisdem decori honestatisq; ratio semper habita fuit. Itaq; quum saltare iucunditatis honestæ corporeæq; exercitationis causa, vtile principi sit, prohibendus illi est à magistris motus omnis turpis, indecens, mollis, scenicus, vehemens, impudens.

PH. Saltent alii quod lubet; Ego, cum Platone vt saltem mihi persuaderi haud patiar. Cum enim Dionysius Syracusanorum tyrannus in conuiuio iussisset, vt singuli in veste purpurea saltarent, Plato id facere recusauit, his trimetris è fabula quapiam vsus:

ὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στελὴν.
Ἄῤῥην πεφυκὼς, καὶ γένους ἐξ ἄῤῥενος.
Muliebri ego haudquaquam indui queam stola,
Vir natus ipse, ex virili germine.

Et apud Antiochum regem, non amici solum regis pyrrichiam saltabant in cœnis, sed ipse etiam rex. Quum vero ad Hegesianactem historicum ordo choreæ peruenisset, assurgens dixit, Nunquid ô rex, me male saltantem mauis aspicere, an potius mea quædam scripta bene pronuntiantem audire? Qui cum dicere iussus esset, ita regi placuit vt inter amicos eius & familiares cooptaretur, Athen. lib. 4.

EQ. At diuerso omnino, à Platone & Hegesianacte exemplo Aristippus Philosophus indutus purpurâ saltare haud erubuit; quin grauiter hoc ex tempore, saltaturus, recitauit versus,

καὶ γὰρ ἐν βακχώμασιν
ὁ νοῦς ὁ σώφρων οὐ διαφθαρήσεται, id est,
Nam in Liberi patris sacris
Mens quæ pudica est, nesciet corrumpier.

Sane Demetrius Cynicus damnabat artem saltatoriam, velut inutilem gesticulationem ad tibiæ modos. Cui gesticulator quidam non imperitus, cupiens artis suæ vindicare gloriam, iussit vt submotis tibicinibus spectaret ipsum saltantem. Assensus est Demetrius. Ille saltauit Homericam fabulam, adulterium Veneris ac Martis, ambos Vulcani vinculis irretitos adamantinis, ac sole prodente, diis cæteris exhibitos. Venerem erubescentem, varios Deorum astantium affectus, Mercurium optantem talia vincula, Martem damnatum vt penderet mœchagria, ac præterea quicquid ad eam fabulam pertinet. Ibi Cynicus artem admiratus, dixit: Audio homo quæ facis: non video tantum, sed mihi manibus ipsis loqui videris.

Hinc Lesbonax histriones ac gesticulatores appellare solebat χειροσόφους, quod manibus saperent, non lingua. Erat enim saltationis genus quo graues etiam historiæ citra vocem vel recitantis, vel tibicinis, solo corporis gestu sic repræsentabantur, vt spectatores prope plus intelligerent ex saltatione, quam si quis recitasset. *Eras. l. 6. 8. apoph.*

PH. Viri certe graues, gesticulationes in saltationibus vsurpari solitas, ipsasque adeoque saltationes, non susque deque duntaxat tulerunt, verum etiam prostitui autoritatem atque obseruantiam virorum grauium iisdem sese mancipantium, verissime indicarunt. Audiamus desuper iudicium vel vnius Clisthenis. Is nimirum quum nobilem filiam haberet, per præconem edici iubebat in Olympiis, qui se dignum esse Clisthenis generum existimaret, ad sexagesimum diem is ad Sicyonem veniret. Quo quum multi proci conuenissent, ex omnibus videbatur magis idoneus Hippoclides Atheniensis Tisandri filius: sed cum supra mensam Laconicos Atticosque modos ad tibias saltasset, cruribusq; ac brachiis modulatus esset, stomachatus Clisthenes: Tisandri, inquit, fili, desaltasti matrimonium. *Brus. lib 3.* Dion quoque in vita C. Caligulæ hoc inter cætera Maiestate Imperatoria indigna in ipso improbat, quod saltatores vrbe à Tiberio exactos, non tantum reuocauit, sed etiam ipse plurimum saltauit: & cum aliquando (addit Dion,) de nocte accersiri diligenter principes senatus iussisset, tanquam de rebus necessariis ab iis esset consilium capturus, postquam conuenerunt, nihil aliud quam saltationem instituit.

TH. Albertus Imperator (quod de eo scribit Æneas Syluius *lib. 4. comm. in res gestas Alphonsi regis*) dicere solebat, venationem esse exercitationem virilem, saltationem autem muliebrem. Notabat autem (addit Syluius) molli-

tiem quorundam principum, qui quum se Hercule fortiores esse iactitent, & Hannibalis scientiam militarem sibiipsis adscribant, maiorem tamē vitæ partem, Sardanapalum imitantes, in conuersatione nobilium matronarum virginumq; aulicarum inuenientur ludentes, molliterq; saltantes. Et de Friderico Imperatore, Eum (inquit idem Sylvius *lib. 1. com. de rebus gestis Alphonsi*) sæpenumero dicere solitum accepimus: Mille se febri teneri, quam saltationi operam dare. Atq; hinc Alphonsus rex Gallos potissimum leues esse dicebat, qui quo magis ætate prouecti essent, eo magis saltationis insania se oblectarent. Cumq; forte mulierem quandam impudentius saltantem aspexisset: expectate, inquit, mox Sibylla edet oraculum; sentiens saltationem insaniæ genus esse. Sibylla enim vates non edebat oraculum nisi furore correpta. Cumque aliquando idem Alphonsus argueretur, quod quum à saltatione tantopere & Leonora Augusta saltitare palam visus esset, respondit: Eum quidem qui luxuriæ causa saltet, stultum & insanum merito esse: sed si honoris alicuius gratia fieret reprehensionem aliqua ex parte effugere, quandoquidem cum magnis viris insanire aliquando decorum videtur. *Panormitanus libro 2. de rebus gestis Alphonsi.*

EQ. Sane, si turpius, aut leuius, aut vehementius in saltationibus princeps moueretur, dignus omnino foret reprehensione: honestas vero, graues & iucundas, eas præsertim quæ corpus confirment, reddantq; habilius, non dedecere principem vulgo existimatur. Cæterum Luctationem quoque puero siue adolescenti principi, Plato supra allegatus concedit; cuius quidem exercitationes magnas afferunt vtilitates, si recta ratione instruantur.

Luctatio.

PH. Sane arbores infæcundæ, vt inquit Erasmus, firmiores sunt fæcundis: Ita robustius est corpus his qui nihil pariunt in literis, quam qui sese laboribus exhauriunt; satius itaq; tuo fortassis consilio foret eos animo abstinere à literarum studiis, quo nimirum fiant robustiores. At memineris illius quod Isocrates ait, robur prudentiæ iunctum demum conducere, sine ipsa vero plus lędere possidentes; Et; robur corpora quidem exercentium se ornare, animi vero studia obtenebrare. Hinc recte anus olim quædam videns Iouinianum Imperatorē Rom. corporis proceritate atq; mole excellētem, sed mēte captū: O crassam atq; pinguem stultitiam? exclamasse fertur, vt testatur Nicephorus *lib. 19. cap. vlt.* Et Maximini Imper. insanum robur vnus è tribunis ipsius masculè perstrinxit; quod his verbis recitat Capitolinus: Maximinus, inquit, exercebat lucta milites suos, multos ad terram prosternens. Itaque cunctis inuidentibus; tribunus quidam vasti corporis, notæque virtutis, atque ob hoc ferocior, dixit: Quid magni facis, si tribunus tuos milites vincis? Tum Maximinus: Visne congrediamur? Qum prodisset, palma pectori impacta supinum reiecit, dixitque: Date alium, sed tribunum.

EQ. Non quamlibet luctationem Plato (neque ego aliter cum Platone) intel-

intelligit, non Athleticã illam, quæ vehemens sit & violẽta, sed alteram moderatiorem: illa vituperatur, & pueris principibus prohibetur, hæc commendatur studiose. Cum enim id eius sit institutum, vt corporum sanitas, vires, valetudo, roburque firmetur, habita semper, vt Plato idem ait, animi cura: vt idem vna cum corpore moueatur: ea est luctandi forma quærenda, quæ vtilis, & moderata existat. Neque enim laudanda est, quod prudenter Aristot. monet, Athletica illa, & ferox Lacedæmoniorum luctandi forma, quæ robustiores, quam sanos atq; prudentes illos reddebat, sed moderata quæuis alia commoda, decens, atq; salubris, Huius generis eam esse Plato censet, in qua collum, manus, latera, & totum corpus studio alicuius præmii, & honesto habitu moueatur. Huc item peculiaria illa Romanæ iuuentutis exercitamenta adiicere licet, quæ & vsum armorũ, & corporis vires augeant: vt hast. ludia, lapides in altum iacere. sudem aut globũ torquere, arma tractare, equũ agitare, multis modis salire. Ex omnibus autem his exercitationũ generibus vtilissima illa corporis sanitati, atque bellicæ disciplinæ sunt: equitatio, venatio, pedestris agitatio, quæ cursu, saltu, pilæue ludo fit. Equitatio equidem Parthis, ac Persis vsitatissima fuit, eiusque permagnus vbiq; fuit, estque adhuc vsus, non solum decori, & honestæ exercitationis causa, sed etiam necessitatis. Quare cõmodum erit etiam, quod in plerisq; Beticæ Hispaniæ populis fit, puerũ principem equitandi arte, atque forma instrui, vt equum venuste, apteque incitare, agitare, flectere, retinereque possit: tum freni, ac ephippiorum, stapedarũ, totius deniq; rei equestris rationem, atq; vsum teneat: postremo ingenia, præstantiam, aut vitia equorum certis ex signis, quæ multa, & aperta sunt, noscat. Hæc enim singula prosunt, iucundaque cognitu sunt, præter id, quod ad bellicam disciplinam maxime conferunt: siquidem multos vel equi lapsu, vel imperitia illius flectendi, incitandi, aut retinendi captos, cæsosue ab hostibus, aut periclitatos legimus, vt Septimium Seuerum Imperatorem Romanorũ, qui in graui pugna illa cum Albino tyranno, equo lapsus vix est hostium manibus liberatus. Ad publica item spectacula, & pompas, quæ in principum aula quotidie eduntur, multum & gratiæ, & decori venusta, & expedita equitatio addit: qualis in hastiludiis, conflictu cataphractorum equitum, atque Troiano ludo est. Iis enim rebus commodior equitandi ratio inest, quod iuuenes hi ludi ad bellum quodammodo instruant, quam si, quod aliqui faciunt, in gyrum equus agatur, doceaturve insilire, ad sonum aliquem, sese erigere, pedibusve duobus insistere: ne quod Sybaritis contigit aliquando, principi eueniat. Qui cum, vt erant voluptati dediti, equos etiã ad musicum sonũ flectere, ac saltare assuefacerent, essentque cum Crotoniatis depugnaturi: hi adhibitis musicis ita edoctos equos excitauerunt, vt inutiles conserendo prælio essent, itaq; leui negotio superarentur. Ergo periti equitãdi artifices, & expediti puero regi adhibeantur imprimis: tum ii, cũ tempus exercitationi cõmodũ sit, eundem

dem ita instruant, vt equum venuste, expediteque ascendere, descendere, insilire, moueri, hærere firmiter, agitare, incitare, flectere, gyrare, habenis vti, exerceri demum omnibus modis bello, pacique aptis possit.

PH. Sat scilicet saluti Principis prouisum arbitraris, si equo agili eoque ferocissimo imponatur? Vah? Non multo certe peius est, mari turbido quam frementi equo rapi. Nullum animal insolentius domino suo est, nec inepte equorum domitoribus in prouerbium venit, bis equum mala facere, quod nimis hinc humilis, hinc superbus sit, qui illis viribus eaq; pernicitate pro vili cibo fieri alterius, domariq; & duris stringi fasciis, nodisque & fune vinciri, freno frenari, ferro calceari pertusa clauis vngula, ferro vrgeri, ferratum ferre victorem, turpem carcerem ac graue seruitium ferre possit? Inde autem quasi indomitus non tantum pro libero sese gerat, sed vt domini sui hostis agit omnia. Si currendum est, stimulos non audit, si subsistendum, frena mordicus rapit. Si fremendum, torpet. Si latendum, fremit. Obsequiosum illud (vt perhibent) fidumq; animal, de quo tam multæ iactantur fabulæ, animal nobile, regium, optabile, colendumq;, dignumq; quod enormi pretio comparetur, anxia nutriatur cura. Imo vero animal, quod si conferantur cũ obsequiis tædia nemo sapiens emat, nemo diligens pascat, animal & otii impatiens & laboris, illo tumidum, hoc deiectum, nunc impetuosum animal, nunc ignauum, nunc audax, nunc trepidum, nunc volatile, nunc caducum, hinc culicum metuens atq; vmbrarum, hinc dominum suum spernens, diuersisq; illum viis in diuersum trahens. Quis contumaciam, quis morsus aut calces explicet? Quis hinnitus, & ascensoris impatientiam, ac sessoris. Equidem quot equorum mores, totidem equitum cõstat esse pericula. Sane vtile est interdum hoc animal, & celeritati adminiculum & fatigationi remedium & nobilitatis insigne, nec inficior, gloriosum vulgo extantem insigni equo vehi & cunctis excellere, nec vertice solo, sed humeris & toto pene corpore supra esse. Contra vero laboriosissimus, & sæpe domino suo pestifer immitis equus. Optes iter pedibus agere, tam nulla est respirandi vel minimũ facultas, equestre periculum pedestri luto seu puluere permutatum velis. Proinde multos media de morte rapuerunt equi multos in mortem impulerunt aut allisenũt, aut corporibus oppresserunt.

TH. Ipsi certe sancti olim patres nudis pedibus deserta lustrarũt. Quinetiã nuncii Dei omnipotentis Apostoli, mundi climata circumeuntes, hic ad oriẽtem, ille ad occidentem, hic ad Arcton, ille ad meridiem, nauigarunt quidem interdum, at raro admodum, neq; aliter quam cogente locorum situ; at equitem Apostolum legi nunquam, præter vnum ex omnib. Iohannem, neque id amplius quam semel, idque perexiguo vitæ spatio, dum quod Clemens scripsit, & Ecclesiastica habet historia, ad recuperandam perditi adolescentis animam illum festinatio perurgeret. Et quomodo autem equitarẽt, quum ipse Domi-

Dominus pedes iuerit? Et vix asellum semel quidem ille, mox in crucem ascensurus ascendit.

PH. Est omnino equitandi studium contra ipsum naturæ dictamen. Quemadmodum enim nemo optat alienis manibus operari, alienis oculis videre, alienis auribus audire, alieno palato degustare, alienis naribus olfacere; sic nemo etiã debet alienis pedib. iter facere. Præterea nemo in hunc mũdũ intrauit eques, aut in rheda, ergo neq; per mundum ire eques aut in rheda debet. Et quid quæso aliud facit is, qui naturæ munerum oblitus, vilis atque intractabilis & caduci equi cœco arbitrio sese committit, atque interim suis ipsius pedibus ire dediscit, quam qui diuitem cupiat podagram, hoc est, pedes inutiles, equos multos. Insuper qui pedibus iter facit, magnis se ipsum subleuat molestiis: Ibit pro libito, nullius erit nutui addictus, nemo morabitur, nemo concutiet, nemo deiiciet, nemo aget in præceps, vnus & labor viæ, vnum opus ire, nihil ei cum vectore negotii. Non cogitur enim equum frenare, non pungere, non adaquare, non substernere, non circumducere, non fricare, non pascere, non aut tergum vngere, aut arentem pedis vngulam, & tractare digitis ancipites clauos, aut nocturnos sudibus arcere concursus, & somno exciti trepidus, semperque solicitus, quid belua peruigil cum vicinis agat, saltem noctibus quiescet. Nam qui equitant, nocta etiam laborant. Cæterum adhuc altius istbæc exordiar. Annon Romanæ olim legiones, quæ orbem terrarum subegerunt, magna ex parte pedestres fuerunt, in quibus non se solum atque arma suis pedibus quisque portabat, sed panem quoque ac viaticum multorum dierum, sed & vallum quoque, quo in finibus hostium castra in dies circumspecta nocturnis ab insultibus tegerentur. Vnde eleganter Cicero quodam loco de militibus Romanis agens, quum fortibus viris, cæterarum gentium arma, non impedimentum, sed quasi vestimentum esse dixisset, hoc præcipuum illis dedit, vt diceret, Romanis solis arma non vestem esse, sed vt humeros ac lacertos. At cum eas, quas dicebam, militares sarcinas subiissent, tum demum videri sibi esse vestitos. Quinetiam militum appellatione pedites accipi, eosque ab equitibus, quamuis vterque militet, hoc secerni nomine solitos, multis Romanæ historiæ locis aduertere est. Et tametsi longum & durum iter pedibus conficiendum quandoque veniat, nobiles tamen ac suaues curæ, quæ virorum generosorum pectora incolere, viasque omnes comitari solent, durum illud iter leniunt, mœstumque animũ serenãt. Sique his insuper grata societas amici læti & eloquentis accesserit, non tantum leue iter, sed & breue videbitur; quæ quidem iucunda confabulatio multos sæpenumero sic effecit, vt & viæ duritiem non sentirent, vsque adeo vt de breuitate longi licet itineris, etiã quererentur, neque iuisse, sed vectos se esse crederent.

EQ. Arguere quidem potes, at persuadebis vix vni. Omnibus namque,

qui vel minimam habent rationis micam, persuasum est, melius esse in equo quam de equo sermones miscere. Quod vero ad obsequium equi admodum anceps ac dubium infers, sic habeto. Est hoc animal familiare & obsequens hominibus, est ex aduerso quoque ferum & indomitum, quemadmodum etiam iratum, atque iis præsertim, quibus ignotum & rarum est, terribile esse solet. Cæterum istarum furiarum etiam ipsi equorum domitores plerunq; sunt architecti, quippe qui nunquam fere nisi furentes adoriuntur equos, tum scuticæ & furcillæ maxime sunt negotiosæ, cum vel ira vel ebrietate insaniunt ministri. Testatur alioquin experientia, nisi forte vel morbo (nam & rabie equi corripiuntur vt canes) vel ira insaniat equus, non facile hominem ab hoc lædi, maxime ætatis aut sexus imbecillioris. Itaq; mordaces isti & calcitrones non fere nisi irritati, aut opinione aut metu offensæ ferociunt. Sed vestigia te forsitan terrent, animoque adhuc tuo obuersatur, periti quidem illius, philosophi, imperiti vero equitis, vitæ suæ quod inconsulta equitandi præsumptione incurrit discrimen, memoria. Cum enim is (Philosophus) equo insidere iussus nil quicquam de equi ingenio solicitus, sibi admodum placens, (quum φιλαυτία etiam ipsum haud minima pungeret) lubens equum, philosophice quidem, sed non philosophicum conscenderet, equus autem sessoris imperitiam ad primum mox equitis huius insessum plane insuetum facile subolfaceret, fremere primum cœpit, atq; hinnire, laxatisque frenis dum hinc inde discurreret, non tantum sessorem excussit, sed etiam puerulũ hinc inde temere discursitantem conculcauit, ita vt paucis abinde horis animam efflaret. Et nisi bonus ille vir subito in ædes proximas sese proripuisset, vix efferatæ multitudinis cruentas manus euasisset. Intentata hactenus fuit contra ipsum actio criminalis, sed tandem tamen omnino ab accusatione per sententiam iudicis definitiuam fuit absolutus, qui etiam per præconem in maiorem indemnitatis certitudinem publice proclamari iussit: Licere fasque esse huic bono viro tuto domo egredi, tuto per vrbẽ incedere, ipsius vero importunos accusatores nihil ei maledicere, nihil incessere, non oculis, non barba, non superciliis, non denique vllo modo ei illudere, nec vi, verbis aut facto vllo noxam illi inferre; si quis secus fecerit, supplicium offensione condignum subiturum. Ego vero, si me in consilium aduocasset, hoc dedissem bono huic viro consilii, quod aliquando agaso quidam infelix, in momento excogitauit, cuius meminit Plutarchus *in li. de cohibenda ira.* Cum enim quidam agasoni iratus cum vellet percutere, isq; clamaret, Atheniensis sum; percussurus ad asinum versus, at tu, inquit, Atheniensis non es, eiq; multas plagas inflixit. Eodem exemplo bonus ille vir, ab vno aut altero impetitus, si duntaxat: Philosophus sum, non equus, inclamasset, omnem noxam omnesque irruentium plagas à se in equum deriuasset. Scilicet.

PH. Scio quid velis. Non est opus vt tibi respondeam. Video te admodum vene-

venerari equos, haud fere absimilem hodierno etiam die barbaris illis, vt fertur, gentibus, quæ in prælium equites ituri, prius coram equis, prostratæ, vt strenuam ipsis in bello velint nauare operam, orant humiliter. Aut si id bilem aliquantum moueat, dicam, non minorem te equorum, quã proprii corporis valetudini curam impendere, exemplo Itali illius, cuius meminit Petrarcha, *de remed. vtriusq. fortunæ*, Dialogo 31. Adhuc viuit (inquit Petrarcha) necdum senuit, & in terra Italica nobiscum degit is, quem nominare non est necesse, fortunæ vtique vir ingentis, nec parui ingenii consiliique vir, alioqui magni animi, nec insulsi, vbi quid serio agendum incidit, qui tamen ægrotanti equo, quem amabat, aureum puluinar ac sericum cubile substrauit. Cumque ipse interim podagra vinctus atque immobilis medicorum legibus regeretur, nihilominus tamen aut seruorum vectus manibus, aut equo altero vix iniectus, & suos medicos secum ducens, equum suum ægrum bis terque quotidie visitabat, illi suspirans atq; anxius assidebat, illum leniter manu tractans, blando murmure solabatur. Quid multa? Nullum medicinæ genus intentatum, nihil languenti amico debitum prætermissum fuit. Fabulam fortasse posteritas vocet; vera res & magna in populo nota est: sic vir fortis curam qui gessit vt propriam, sic extinctum luxit vt filium. Hucusque Petrarcha.

EQ. Equum lugere, vt filium, indecens est, at curare vt hominem, non admodum etiam superioribus seculis infrequens fuit. Refert namque Plinius *hist. nat. lib. 8. cap. 42.* equos fere iisdem laborare morbis, quibus homines, itaque etiam eundem sibi & equo adhibuit medicum, qui vna & eadem opera vtrique mederetur. Et constat quamplurimis documentis, equis sæpenumero plusquam humanam inesse sagacitatem atque discretionem; quum sæpe rectoris sui ipsius inconsultam audaciam, quæ vtrique alioqui exitio foret, caute infringat atque reprimat. Non semel audiui ego à nobili quodam Equite viro militari & aperto, se aliquoties equi sui industria insidias hostiles vitasse, inprimis autem quum aliquando flumen Mœnum, vado sibi noto, transire vellet, & hostium sclopetarii in altera ripa in insidiis delitescentes ipsum & turmam equitum quos ipse ducebat, obseruarent; in medio flumine equum suum, alioquin ad omnia morigerum & imperterritum, arrectis auribus substitisse, moxque veluti attonitum retrocessisse, neque calcaribus, voce aliove modo, præter consuetudinẽ suam, vlterius impelli potuisse: donec mox patefactis insidiis, equi sagacitatem admiratus, libere confessus fuerit, se diuinitus equi virtute seruatum fuisse. Si enim passum vnum atque alterum vlterius processisset, hostium globis, veluti meta expositus fuisset. De regis Antiochi equo hoc refertur memorabile. Cum Antiochum regem Contraretrus Galata in prælio occidisset, & equum regium tanquam bello partũ conscendisset: Mox visus est equus sentire, tergo suo domini hostẽ insidere. Itaq; dẽtibus apprehẽso freno, vt nulla ratione iã habenis

regi posset, ad altissimum saxum citato cursu contendit, atque ab eo se insidentemque simul hostem præcipitauit, sua domini sui mortem vltus. Simile est, quod ex Plutarcho Plinius refert, Centaretum è Galatis, in prælio occiso Antiocho, positum equo eius conscendisse ouantem. At illum indignatione accensum dominis frenis, nec regi posset, præcipitem sese in abrupta cum sessore dedisse, vnaque exanimatum. *Plin. libr. 8. cap. 42.* Et de equo Nicomedis regis refert Plinius, quod rege interfecto equus inedia vitam finierit. Præ cæteris vero memoria dignum est, quod à Niceta Choniate in sua historia de Alexii Imper. Græcorum (qui fratrem Isaacium optime de se meritum proditorie regno eiecerat oculisque priuauerat) recensetur. Cum enim is è templo rediens, equum hunc conscendisset, ab eo veluti rationis & sensus esset capax, & tyrannum ac fratricidam agnosceret, hinnitu & morsibus & calcibus, exagitatus, eius tandem dorso deiicitur, & gemmata corona capite excutitur: Secundo quoque adducto equo idem illi contigit, quo inauspicato omne infelix Alexii exitus facile denuntiatus fuit. Sed & illud admodum memorabile est, quod apud scriptores extat de Alboino rege Longobardorum. Is enim, quum post triennalem obsidionem Papienses siue Ticinenses certis & honestis conditionibus à rege subsignatis, sese dedidissent, vrbemque is prodeuntibus obuiam ciuibus, nihilominus intrare hostili animo toruoque vultu immitem animum aperte prodente, cum exercitu constituisset: Tum repente in ipsius portæ limine, Alboini equus, rege ornatu regio insidente concidit: quem erigere conati astantes fato deiectum, vtrumque immotum sensere, casumque admirati regem monuere, vt iram, quam in Papienses delendos occulte fouebat animo, dimitteret, vrbemque seruare constitueret. Inuasit illico perpetrandi sceleris pœnitentia regis animum, mutataque sententia, sensit simul fata commmutari, huiusce modi voce emissa: Salua sint ciuitatis iura, & quæ spospondi, fiant eodem actu: quam vocem postquam emisit rex mox surrexit sine impulsore equus. Itidem admirandum est, quod Iohannes Lupus Hispanus refert, audisse se videlicet à fide digno homine, qui propriis oculis id viderit, quod in prouincia Behię, generosissimus equus propter incestum cum matre sua cōmissum, ad quem committendum arte & vnguentis pellectus fuerat, cognito crimine morsu sibi ipsi genitalia magna cum admiratione astantium, abscideiit.

TH. Multa extant passim in historiis admiranda de equis; nimia tamen eorum cultura à viris cordatis semper fuit improbata, quale est; quod Caius Caligula equum suum, *Incitatum* nomine, ad cœnam adhibebat, & ei in auro hordeū apponebat, necnō in poculis aureis vinū propinabat, salutē eius & fortunā iurabat, Consulēq; se eū creaturū pollicebatur facturus, si diutius vixisset, tandem autem ipse sui sacerdos fuit, & equum suum collegam sibi adsciuit, sicut Dio *Rom. hist. lib. 59.* retulit. Et quod apud Dionem de Bo-

de Borysthene equo Adriani Cæsaris legitur, quo in venando plurimum vtebatur, cui mortuo sepulchrum fecit, columnam erexit, & epigramma inscripsit. Iulius Capitolinus etiam memoriæ tradidit. Verum Imperatorem eq [illegible] suo volucri (quem ita amauit, vt aureum ei simulachrum fecerit, & passas vuas nucleosque in vicem hordei in præsepe posuerit) sepulchrum in Vaticano fieri curasse. Sic rex Poloniæ Stephanus, equo suo generosissimo, qui eodem die, quo frater eius Dominus Transsyluaniæ extinctus est, exanimis concidit, in loco, quo non procul ab arce Vilnensi defossus est, monumentum erigi curauit.

EQ. Isthæc solis hominibus bene meritis debita, quæque veluti tesseræ quædam constituuntur à Christianis, futuræ resurrectionis mortuorum, nemo sanus probat. Vacationem vero aliquam à laboribus equo emerito ad dies lucis huius vsuræ, quam quidem per naturam prorogare tantisper nequeunt, liberum cuique permittitur. De Selimo certe Imperatore Turcico scribunt historici, quod equo suo vacationem ab omnibus laboribus dederit, eo quod eius pernicitate ex prælio, in quo à Baiazete patre suo, prope oppidum Chiurli victus fuit, fuga saluus euasit. Eandem vacationem & pabuli libertatem præstitit equo suo Neapolitanorum rex Ferdinandus, qui eum è prælio, nec quicquam insequentibus hostibus, saluum in tutum locum reportauit. Quidquod Plutarchus *in vita Catonis*, humanitatis esse ait, equos confectos laboribus alere, itemque canum non catulos modo, sed & ipsos senio graues. Non enim vt calceis aut vasis vtendum est rebus animatis, quæ rupta vel attrita vsu abiiciuntur. Quocirca M. Porcium Catonem, virum aliàs omni laude dignissimum reprehensum, parumque humanitatis habuisse legimus, quod vetulos ex familia seruos, nedum boues venum tradendos præceperit, quodque equum, quo consularis vsus fuerat in Hispania, horridum & tetricum dimiserit.

PH. Quid attinet tantopere de equis digladiari, cum nemo non nostrum pedes ire, aut si mauultis, reptitare, domum cogatur.

EQ. Venationem igitur, quatenus ea puero Principi conueniat, ingrediemur; quæ quidem superioribus exercitationibus longe est iucundior, & exercendo corpori aptior: cuius studium cum à natura quodammodo cunctis hominibus insit, magnam parit profecto voluptatem, tum salubritatem, valetudinique tuendæ commoditatem. Vnde non modo principe, sed quocunque etiam ingenuo, & liberali homine digna est. Eadem, vt Plato docet, aut est volatilium, aut pedestrium, aut aquaticorum: volatilium, vt aucupium: pedestrium, vt venatio, quadrupedum: aquaticorum, vt piscatio. Ex his generibus præstantissima, & nobilissima est ferarum siue quadrupedum venatio, huic proxima est volatilium, præsertim si equestri cursu peragatur. Ferarum quidem, vt si cerui, apri, lepores aliorumque animalium species canib- *Venatio.*

retibus iaculisue conficiantur. Volatilium, vt si ardeæ, perdices, noctuæ aut aues aliæ ab accipitrib. capiantur; quæ quidem venandi ratio, vt mansuefactis accipitribus aues leporesve capiantur, tametsi veteribus ignota, hodie tamen tota fere in Europa vsitata, principibusq; cumprimis maxime commoda est.

TH. Magnum semper vbiq; viris principibus studium venandi vsusq; fuit; eaq; in re Lacedæmoniis Cretenses & Persæ curam vel maximam posuere, siquidem ii pueros venatione ac cursu exercebant, vt in Cyripædia Xenophon atq; in Legibus Plato scribit. Et Diogenes Synopeus, teste Laertio *in eius vita*, pueros quos instruendos habebat, ad venationem educabat. Et Alexander Magnus post prandium sæpe diem venatu consumebat, vt scribit Plutarchus *in eius vita*. Pelopidas Thebanus vir animi virtute & corporis robore præcellens, primam militiæ suæ institutionem à venationis meditatione accepit, vt idem Plutarchus tradit *in eius vita*. Pompeius Magnus cum Numidiam victor peragraret, venationibus leonum & elephantum aliquot diebus operam dedit. Plinius secundus studiis animum, venatu corpus exercebat, vt ipse profitetur *lib.5. Epist ad Apollinarem.* idem *lib.1. ad Corn. Tac.* scribit se crebro venationibus interesse, adiiciens hæc verba: *Mirum est vt animus hac cogitatione motuque corporis excitetur: nam vndique sylua & solitudo ipsumq; illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis inuitamenta sunt.* Et Viriatus Lusitanus, primus ille in Hispania magnus Dux, qui Romanos circiter annos decem vario Marte fatigauit, cum pastor esset, militarem disciplinam ex sola venatione didicit, cui quidem diuturnam operam dedit, & à venatoribus Dux factus, quum nulla generis aut maiorum commendatione clarus esset, vniuersum Hispaniæ exercitum magna cum laude duxit. Cæterum aucupia hodie vsitata, priscis seculis aut prorsus fuerunt ignota, aut paucis agnita. Etenim Græci scriptores, qui in minimis etiam rebus fuerunt diligentissimi & curiosissimi hoc exercitium non tacuissent.

EQ. Reperiuntur hac de re quædam illorum scripta quanquam rara, quibus docēt, quo sibilo, quave fistula aues alliciantur, quibusq; decipiantur dolis & quibus rebus irretiantur, quo ēt modo area concinnetur, quæ semina spergantur, quo gestu plagaq; ex tuguriis obducantur. Aucupii vero, quod cū accipitribus exercetur, nullam habuerunt cognitionem. Patricius Senensis *de regno & regis instit. lib.3. tit.7.* initium huius aucupii à Thracibus manasse existimat. Quo quidem exercitii genere mirum in modum recreantur Reges, Principes, Nobiles & ingenui quique. Habet enim non dissimilem speciem à disciplina militari, disponit namque iuuenum cōmitatum, equitum quasi alas adiicit, indagatores cum sagacissimis canib. quasi milites leuis armaturæ præmittit, qui aues terrore excitent, & ad volandum compellant, speculatores in montium verticibus statuit, qui volatum obseruent. Adsunt suo ordine, qui elata sinistra manu accipitres ferant, aduersusque volantes alites artificii

tificii iactu eos dimittant. Alii surgentem è terra volucrem quamprimum reperiunt. Alii per opertum volantem inuadunt. Alii in sublime sese offerentem, deinde singuli vocati, sibiloque allecti ad notam proprii heri læuam redeunt. Huius aucupii genera, qui nosse cupit, legat Gesnerum in libro de Auibus, & Vlyssem Aldrouandũ in Ornithologia sua, vtrumq; satis prolixe.

TH. Plus æquo plerumq; viri magnates, aucupii atq; huic præsertim, incumbunt studio, vsque adeo vt si quis accipitrem huiusmodi aucupiis assuefactum impudentius curet, discrimen ægre effugiat. Narrabo huius rei historiam, quæ ridiculo tamen finita fuit exitu. Germaniæ quidam princeps socero suo falcones tres mittebat. His tabellarius in itinere multum sese oblectabat, dum eos & subinde contemplaretur & demulceret, & etiam atque etiam pasceret, & manibus imponeret, & ex cauea emitteret & caueæ rursus includeret. Euenit autem aduerso quodam rustici fato, vt cum alites istos aliquanto indulgentius tractasset, vnus de ipsis ex cauea forte fortuna prosiliens auolauerit. Qua quidem ex iactura miser ille incredibilem animo mærorem traxit. & nunc frontem feriit, nunc capillos barbamq; vellicauit, nunc lacrymis se totum lamentisque dedit, animi pendens, vellet ne duos illos principi reddere, an vero his ipsis venditis, natali solo relicto, in militiam proficisci ac sui Ducis in conspectum posthac redire nũquam. Ad extremum tamen quum ad se nonnihil rediisset, placuit ipsi, diis bene fortunantibus, pergere, eosq; ad principem perferre. Cum igitur in dicasterium iam peruenisset, Secretario tum Ducis sui literas, tum etiam falcones exhibet. Is continuo ad principem se confert, eique literas falconesq; reddit. Qui quidem munusculo isto mirifice exhilaratus, iubet extemplo, vt tabellarius cibo potuq; affatim reficiatur. At vero, quum literis generi sui perlectis cognoscit, se nõ duobus, sed tribus falconibus donari, cœpit nonnihil excandescere, ideoq; tabellarium è vestigio ad se accersit, ipsumq; hunc ad modũ alloquitur: Tune es ille, qui falcones apportauit. Hoc ipso affirmãte, pgit princeps quęrere. Eccubi igitur reliquisti tertium? scribit enim gener noster, se tres mittere. Vbi, inquã, reliquisti tertium? Miser ille toto corpore contremiscens, lacrymabundus respondit: Is quidẽ, clementissime Princeps, auolauit. Auolauit, inquit Princeps. Id vero credat Iudæus apella, non ego. Tu nebulo videris eum vendidisse. Ecquinam nobili vendidisti eum, & quanti? vt ipsum redimamus? Respondet rusticus perquam demisse & flebiliter, Auolauit ille, ita me Deus bene amet: ac disperceam equidem, si cuiquam illum diuenderim. Egone illum diuenderim? Dii vero meliora. Auolauit ille, auolauit inquam. Tantam ne igitur rem, inquit Princeps, tam negligenter agier oportuit? Næ noster si esses, graues nobis socordiæ illius tuæ atque negligentiæ pœnas exolueres. Sed bene habet. Nos Duci tuo perscribemus, tibi vt mandet, si quid recte curatum velit. Neq; vero dubitamus, quin te ob negligentiam istam tuam in squalidissimum sit

conie-

coniecturum excerem. Rusticus igitur animaduertens, principem magis magisq; stomacho atq; iracundia exaudescere, ad pedes illius prouolutus, has in voces perquam suppliciter demisseq; erupit: Ah clementissime Princeps, vt sæuis & tumultuaris, anne cuiquam misero nunquam auolauit auicula? Quo audito princeps cum omnibus qui illi aderant, in risum solutus est, ac misero illi non modo culpam remisit, sed & munusculo ornatum & auctum à se dimisit, nulla ipsius incuriæ in literis mentione facta, quibus genero suo de falconibus ad se missis per hunc ipsum fungum gratias egit.

PH. Fuit in Alphonso I. Neapolitanorum rege tantum aucupii studium, vt multa in ea aureorum millia quotannis consumeret; Conquesti sunt desuper subditi: Sed is, vt erat ingeniose facūdus, illorum querimonias scite elusit.

EQ. Dicam ego huius elusionis historiam vnicam, ad quam tu quidem alludere, at eandem studio supprimere silentio videris. Erat in aula Alphonsi regis quidam in omnib. admodum curiosus. Is die quadam cum inambularet arcem regiam, reperit inter dumeta columbam reti siue laqueo in quam forte inciderat, intricatam, eamque quod collo forte implicata esset, mortuam. Hanc ita vt collo erat intricata, repente ad Alphonsum detulit, quantum damni, inquiens, toti ipsius regno impendeat, nisi mature huic impendenti malo succurratur; futurum enim, vt non priuatorum duntaxat domus, sed & ipsa Regia columbis breui sit caritura. Alphōsus ex composito quasi cōsternatus: Sententiam, inquit, feram eiusmodi, vt in cæterum hoc incommodum, quo ad eius fieri potest, auerruncetur. Quum columba illa, quod credibile est, ex desperatione, laqueo seipsam peremerit; ego illam ob atrocitatem huius delicti, atq; vt cæteræ, ne tale quid attentent, absterreantur, igni, vt vna cū laqueo concremetur, adiudico. Cæterum non is sum, qui minimum venationis ferarum siue auium, siue piscium studium, nimiasq; desuper factas impensas probem. Hoc vero est quod probo. Venationem delectationis exercitationisq; causa interdum vt suscipiat, in eaq; etiam puer ab ætate tenera sese exerceat, adhibitis venatorib. aptis & expeditis, vt tāto robustior expeditiorq; fiat, quanto labore & studio sese maiori exercuerit. Hoc enim meum est in venatione principi tradenda consilium, vt idem salubri & moderata exercitatione roboretur, honestaq; iucunditate oblectetur, ne otio langueat perpetuo.

PH. Tu venationis exercitia tantopere commendas; cum tamen, teste Tiraquello *in tract. de Nobil cap. 34. n. 59* venatores aucupesq;, eo quod seruilia olim erant ministeria, inter vilissimos fuerint habiti.

EQ. Loquitur Tiraq. de iis, quorū opera retia expandūtur, & alia venationis aucupiive præparaméta expediūtur, quorū etiamnū haud magna habetur ratio, nō vero de iis q̃ summo venationis imperio p̃sunt, quales sunt, principes & nobiles, quib. iure quasi p̃prio venatio p̃missa est. Estq; adeo exercitiū nobile. Vnde Virg. in 8. Æn facit comitari canes Euādrū nobilissimū dicēs: Gressumque

sumq; canes comitantur herilem. Hinc Cyrus, autore Xenophonte suos non prius ad prandium siue cœnam ire sinebat, quam sudassent: itaque in venationem educabat, qua sudor maxime euocatur. Quid quod non paruam fortitudinis speciem præ se fert, & similitudinem quandam cum re bellica tenet. In ea enim omnia bellica exercentur. Ducem pręficit sibi venatio, cuius dicto omnes auscultant, hostem excursoribus prouocat, exploratores in speculis disponit, insidias abdit, apertum Martem simular, diuortia quæ ad fugam patent obseruat, per saltus & arua pedites præmittit, loca plana & aperta equitum alis præcingit, cornuum strepitu progressui receptuique canit, dat signa prædæ ac victoriæ, prædam aduentantem aut euadentem significat, moueri castra indicat, adeoque venatio bello ac pugnæ est simil-ma. Nam in ea diluculo surgere & equitare, currere, prosilire, atroces feras obseruare, excipere ac iaculo petere, æstum frigusque perferre, sæpe etiam famam pati necesse est, ita vt venatores feris congrediendo fiant duriores, robustiores, necnon animo promptiores. Alium insuper vsum non minus proficuum enarrat Plato *de legibus lib.6.* his verbis: *Venatio omnis, & quæ cum canibus fit, non minus studiose ab adolescentibus fieri debet propter vtilitatem, quam affert in cognoscendo suam regionem.*

TH. Non ab omnibus rerum peritis, venationis exercitium commendatur, nam *in cap. quorundam 34. distinct. cap. qui venatoribus & seq. 86 dist.* venationis ars nequissima vocatur, imo barbariem propemodum quandam sapere videtur. Huic namque deditos videas multo cum strepitu ante diem surgere, & quasi in procinctu, atque in limine sint hostes, præcipitanter erumpere; tota dehinc luce iactantur stagnis, syluis ac vepribus, implentes cuncta clamoribus dissonis & incondito vlulatu; inque hoc spiritum nulli maiori rei habilem effundentes, spiritum quo olim terrebantur hostes, pace iustitia defendebatur. Sero autem re velut bene gesta, sedent altercantes, quam bene vel auis hæc volauerit, vel illa digesserit, quot caudæ, quot alarum plumæ superstites, quot emissæ. Hæc est omnis scientia illa venatoria, hic amor, hæc felicitas, hoc lucrum, laniatæ nimirum prædæ paululum, & sudor, & puluis & nocturna perditæ lucis historia. In hac indefessi semper & validi, delicati autem & imbecilles ad seria Liuij historias, Ciceronis orationes, sacrasque (nec pudet) literas prolixitatis arguunt; feris ac canibus & volucribus libentius conuicturi, de quibus aliquid Horatius lib. 1. Carm. Ode I.

Manet sub Ioue frigido
Venator teneræ coniugis immemor,
Seu visa est canibus cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.

Et Claudianus lib 3.

Venator defessa toro quum membra reponit,
Mens tamen ad syluas & sua lustra redit.

Q Qui-

Quibus tandem accedit, vt etiam, quod dixi, sacra omnia ipsorumque sacrorum antistites minus curet, imo prorsus negligat, floccipendat, ne quid dicam durius; dicere id volebat is, qui aliquando hoc dicebat:

Non curat Christi seruos, sed figere ceruos.

PH. Artem crudelem & tragicam, cuius voluptas est in morte & sanguine, ipsa refugit humanitas; tantis laboribus & vigiliis de nocte ad noctem pugnare & sæuire in bestias, videtur esse detestabile. Sed neque vllos in veteri lege venaticam exercuisse legimus nisi Ismaelitas, Idumæos & gentes, quæ non cognouerunt Deum; & Cainum, Lamech, Nimbrotum, Ismaelem, Esaum, robustos venatores sacræ literæ prodiderunt. Quid quod à venatione initium tyrannidi fuit. Persarum vero reges tanquam verissimam rerum bellicarum meditationem coluerunt: quia habet in se venatica bellicum quiddam & truculentum, dum rapacibus canibus obiecta fera effuso sanguine, laniatis visceribus, voluptatem præstat, acerbissimamque mortem tanquam iocum summa cum voluptate spectat: interimque ridet crudelis venator, prostratamque canum exercitu, aut laqueorum fraude, infelicem prædam triumphantis instar, magna comitatus caterua domum reducit, vbi tunc feralis instruitur carnificina, solennique chironomia, præscriptisque vocabulis, (neq; enim aliter fas est) bellua laniatur. Tandem hæc exercitia in se reuera seruilia & mechanica, eo vsque euecta sunt, vt positis quibusque liberalibus studiis, hodie prima nobilitatis elementa fiunt atque progressus, illis ducibus ad summum nobilitatis gradum perueniatur: hodieque ipsa Regum & Principum vita, ipsa etiam (proh dolor) Abbatum, Episcoporum cæterorumque Ecclesiæ præfectorum religio, tota inquam venatio est: in qua se potissimum experiuntur, virtutemque suam ostendunt:

Spumantemque dari pecora inter inertia votis.

Optat aprum, aut fuluum descendere monte leonem.

Et quos decet esse exempla patientiæ, quotidie quærunt habere, quod vincant & venentur: & quæ natura libera sunt animantia, & decernente iure occupantium fiunt, nobilium tyrannides sibi temerariis interdictis vsurparunt: à noualibus suis arcentur agricolæ, subtrahuntur prædia rusticis, agri colonis, præcluduntur syluæ & prata pastoribus, vt augeantur pascua feris in sagimen & delicias nobilium, quos solos has edere licet: de quibus, si colonus quispiam gustauit aut agricola, is maiestatis reus factus, simul cum belluis illis fit præda venatori. Scrutemur scripturas certe in sacris literis, etiam in gentium historiis nullum sanctum, nullum sapientem, nullum Philosophum legimus venatorem: antiquitus etiam, cum in innocentia viuerent homines, nulla illum animantia fugiebant, nulla infesta erant, nulla noxia, omnia illi subdita obedientiam præstabant: cuius exempla etiam posterioribus temporibus, in his qui optimam vitam agerent, manifesta sunt: quomodo ferarum

Venatio armaria.

rum insidiis superiores extiterint, sicut Daniel leonibus, & Paulus Apostolus viperæ. Heliam Prophetam, Paulum & Antonium eremitas nutriuit coruus, & Ægidium ceruа. Helenus abbas præcepit onagro, & paruit belua, & sancti viri onera portauit: præcepit enim crocodilo, & ab eo flumen transuectus est. Anachoritæ multi habitabant in desertis, & stabant in speluncis & cauernis ferarum, non timentes nec leones, nec vrsos, nec serpentes.

EQ. Dura sunt quæ dicitis; non respondebo tamen duriter. Ad *cap. quorundam.* à Dn. Theologo citatum, vbi venatio dicatur ars nequissima; respondeo, loqui illud de venatione hominum oppressiua vel arenaria, qua in ludis Circensibus cum bestiis pugnaturi in arenam prodibant; quod tantæ fuit crudelitatis spectaculum, vt matronam his interesse nefas olim putarint, *Auctor est Rosin. antiquit. Rom. lib. 5. cap.* 24. adhæc cum bestiis pugna, ingenuorum non erat, sed hominum seruilium & abiectissimorum, labeq; infamiæ aspergebantur istiusmodi pugnatores, atq; à postulando reliquisque dignitatibus arcebantur. Cæterum nostro æuo, huius arenariæ venationis nusquam gentium præsertim mansuetiorum vsus est, sed tanquam facinus crudelissimum omnes execrantur, nisi quod Moschus adhuc in vsu habeat, pugnam quorundam rusticorum cum vrsis cicuratis pro recreatione legatorum, exterarum nationum instituere, vt scriptis prodidere Sigismundus liber Baro ab Herberstein *in sua Moscouia descriptione*, *Paulus Oderborn in vita Iohannis Basilidis Moschorum Tyranni, lib. 3. ad finem fere.* Porto aliter respondet Sebast. Medices Florent. *in tract. de venat. pisc. & aucup.* his verbis: *Quod ibi* (in cap. quorundam) *dicitur venationis ars nequissima, intelligitur, quantum ad clericos, si causa voluptatis id faciant.* Venatio namq; clericis minime permittitur, *Host. in summa, num. 2. extr. de cler. venat. Specul. tit de cler. venat. Tiraquel. tract. de nobil. cap. 37. num.* 148. Quod procedit etiam in Monacho. Nam & ei quoq; omne venationis interdictum est exercitium, *Clement. ne in agro. §. porro, ibi Ioh. de Imol. num. 6.* Imo ob venationes sæpius reiteratas à clericis, si Episcopus sit, à communione tribus mensibus, si presbyter duobus, si diaconus, ab omni officio suspendatur. *c. 1. ibi Abb. in prin. ext. de cler. venat.* quod ampliatur, vt non solum venationi studere non possint clerici & monachi: verum esse nec canes nec accipitres, aut alia id genus animalia ad venandum prompta habere, atque alere. *c. 1. extr. ne cler. vel monach.* Minime vero cap. superius allegatum intelligitur de Principibus aut nobilibus, nam his non permissa solum, sed & decorosa est venatio, dummodo non sit nimium aut immodicum venandi studium, cuiusmodi est pene omnibus nobilibus Galliæ, qui ad insaniam vsq; eo studio tenentur, aliarum rerum & publicarum & priuatarum interim obliti. Hinc vere Cicero *lib. 2. Offic.* prodigos eos vocat, qui venationum apparatu pecunias profundunt, & Paris de Put. *tract. de synd. cap. 3.* incessit Principes, qui omnem operam curamque in venationibus reponunt; notaque est fabula Actæonis, venationis

Clericis an venari liceat.

omnium hominum studiosissimi, qui in ceruum mutatus, à suis canibus dilaniatus est; quod non ob aliud finxisse Poetas nonnullis placet, quam quod omnia bona sua in canes & venationem insumpserat. Possunt igitur principes & nobiles venationibus, piscationibus & aucupio modeste operam dare, modo id fiat etiam debito tempore, citra agrorum alienorum depopulationem, neque in eis operam suam præstent seu locent pro certa mercede. nam tunc inter seruilia officia connumerarentur, vt inquit Tiraquell. *tract. de nobil. cap.37.num.149.*

PH. Ecclesiasticis personis venatio ferarum non omnino est interdicta (cuius tu contrarium libenter euinceres,) sed licita, vt inquit Panorm. & Pet. *in c. 1. & 2. de cler. venat.* modo non sit clamosa, & fiat cum silentio & modestia. Et maxime prælatis & Ecclesiasticis personis causa necessitatis & recreationis cum retibus, laqueis & canibus venari licet, si in venationibus habeant reditus, *Syl. in verbo, venatio.* Et in Germania notum est, Principes Ecclesiasticos & eos Prælatos maxime, qui sunt status Imperij & habent secularem iurisdictionem, & ius venandi, seu bannum syluestre, vel ius foresti, nonnunquam intra proprios sui territorij saltus venari.

EQ. Interim tamen, quia, vt inquit S. Hilarius relatus à Gratiano, *cap. Esau, 86.distinct.* non inuenimus in scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores sane inuenimus sanctos, cum piscatio ipsos habeat Apostolos ante & post resurrectionem Christi, imo Christum ipsum approbantem & iubentem retia tendi, ac de piscatione comedentem, *Luc. & Ioh.vlt.* Cauendum est Ecclesiasticis personis, ne fines necessitatis, recreationis & modestiæ magno cum proprio salutis detrimento, tum subditorum scandalo prætersiliant. Monachis vero indistincte venationes & aucupationes prohibitæ sunt, ita quidē, quod eis nec interesse, nec canes vel aues venaticas per se vel per alios tenere sit licitum, imo illis prohibetur, vt nec à familiaribus secum morantibus huiusmodi teneri permittant, nisi saltus, viuaria, vel garenas proprias, vel ius venandi in alienis haberent, in quibus cuniculi vel feræ aliæ forsan essent, quo casu hoc eis permittitur, dum tamen infra monasteria, seu domos quas inhabitant, aut earum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem, *iuxta tex. in Clem. ne in agro, §. porro. de stat. monach.*

TH. Cum tantopere in Ecclesiasticorum venationes debaccheris, eisque nescio quos præfigas limites, quos transgredi ipsis minime liceat; non ægre ferent domini temporales, si & ipsis ius diuinum, imo ipsa humana æquitas, certos ac iustos præfiniat limites, intra quos sese contineant. Sane venationem esse exercitium nobile, Regibus, Principibus & nobilibus viris maxime conueniens; quod quidem ius venandi præscriptione immemoriali & aliquot seculorum decursu & vsu roboratum cōtra subditos acquisierint, adeo-

que

que proprium illis ac peculiare, haud difficulter concesserim. Quod vero vigore huiusce vsurpationis immemorialis, subditos suos plus æquo venationibus plerumque grauant, illisque feras bestias ex propriis eorum agris, stantibus & pendentibus adhuc fructibus abigere, & latratores molossos habere non permittunt, ac insuper in venantes, non solum in ipsorum Principum & Dominorum venatoriis syluis, sed etiã propriis syluis & fundis sæuiunt, imo pœnis capitalibus animaduertunt; id vero demum est, cuius nomine male interdum, neque id absre, audiunt. Rarique admodum sunt, qui ad exemplum Ludouici Comitis Palatini Rheni, &c. subditorum desuper congruam habent rationem. Cum enim aliquando graues querelæ de feris ad ipsum deferrentur, & subditi plurimũ hac in parte se grauari conquererentur, ac adiiceretur ab eo, qui subditorum nomine querelas illas submisse exponebat, ac deprecabatur Celsitudinem ipsius: Nisi in tempore huic malo remedium adhiberet, amissurum subditorum preces, è vestigio respondebat, malle se ferina carne prorsus carere, quam subditorum preces amittere. Nunquam enim sibi tam gratam esse aut fuisse ferinam carnem, quin subditi longe sint ac fuerint cariores: malleque se subditorum commodis, quam voluptatibus, quæ ex vsu ferinæ carnis percipiuntur, consulere: simulque mandatum dedit, vt feræ magno numero sternerentur. quod recenset D. Timotheus Kirchnerus in oratione, quam in obitum huius optimi & laudatissimi Principis habuit.

PH. Adiungam ego vnam ex Appendice Iocoseriorum, quæ mirifice huc quadrat. Erat Comes quidam Germaniæ, admodum tunc adolescens, qui antiquata per omnem ditionem suam religione Pontificia, sacrosanctam Euangelij doctrinam amplectebatur. Huic tum Nobiles quidam ipsius, tum vero consiliarij autores erant, vt de facultatibus Ecclesiasticis nonnihil decerpens ac detrahens, illud partim suum in commodum conuerteret, partim vero ipsis largiretur. Quibus quidem Comes auscultans, perfecit, verbi vt diuini ministris, ipsius in Comitatu strenue esset postmodum strenueque esuriendum, atq; adeo sanis dentibus male manducandum. Quod autem idem Comes venationibus mirum in modum deditus esset, easque non raro diebus etiam Dominicis obiret, quibus quidem sacras ipsum conciones audire, suisq; subditis bono exemplo, hac certe in parte, prælucere oportebat, grauiter admodum molesteq; hoc ipsius institutum Superattendens illius tulit, ideoq; ipsum nõ semel priuatim admonuit, vt venatui diebus profestis operã daret, festis vero tum ipse sacros cœtus viseret, tum alios etiam frequentare eos cupientes non impediret. Ne vero Comitem, quantum in se esset, ab ista animi prauitate deduceret, q̃ vxori ipsius, tum consiliariis etiam quibusdam aurem subinde vellicabat, vt Comitẽ ea gratia molli brachio obiurgantes, ab isto peruerso vitiosoq; more reuocarent. Animaduertens autem, se admonitionibus quibuscunq; suis nihil proficere, duro ad extremum nodo durum adhiben-

dū cuneum ratus vehementer in ipsum ꝓ publica concione inuehitur. Quod quidem, tametsi implacatissime ferebat Comes, dissimulabat tamen, ac superattendenti à concione prandium præbebat. Eo ad finem iam decurrente, torue admodum ipsum aspicit, ac non sine stomacho hanc in rationem alloquitur: Tu vero ô superattendens nobis es in præsentia concionatus. Itaque & ego quum tibi, tum gregalibus sum etiam tuis aliquando concionaturus. Quod ad me attinet, respondet superattendēs, perequidem cuperem, Generose Domine, scitam audire aliquam ex te aliquando concionem. Cur tecum expostulem, inquit Comes, causa nulla est, quod frugi tu Episcopi officium sedulo facias. At vero ordinis tui homines nonnulli male, male autem, imo vero pessime viuunt, (innuens ipsos cum virtute minime viuere, sed flagitiose & turpiter,) quibus quidem non possum non succensere, atque irasci. Ad hæc superattendens hanc in rationem respondit: Est profecto ita, proh dolor, vt dicis, Generose Domine, perquam illi male tenuiterque victitant, ita prorsus, vt atrum panem ex hesterno iure deuorent. Sed fit idipsum tua vnius culpa, qui reditus ipsorum sic attenuaris, & imminueris, vt non sit illis sanis dentibus non male comedendum. Quod si sartos tu illos tectosq; reliquisses, neq; partim ad se transtulisses, partim vero cum nobilitate communicasses tua, possent boni isti viri, collegæ mei, aliquanto honestius, splendidiusq; viuere. Quo quidem salso aculeatoq; responso suo Mystagogus ille Comiti suo ita linguam interclusit, vt concionem bonis lateribus inchoatam minime omnium pertexeret, ad finemque perduceret. *Hactenus appendix Iocoseriorum.*

EQ. Nimium digredimur; denuo ad incudem thema nostrum reuocabimus. Propositum nobis fuit, de agitationibus corporis honestis ac salutaribus Principi, disserere. has porro vt prosequamur, operæ pretium est. Venationis vtilitates aliquatenus prosecuti sumus.

Cæterum eiusdem fere est vtilitatis cum venatione, cursus equestris atque pedestris, deambulatio, vectio, siue naui fiat, siue curru, lectica, alioue genere vehiculi, saltus in omnes corporis partes, pilæ ludus, Galeno commendatissimus, omnis denique corporis agitatio moderata: quæ tam necessaria saluti & animi & corporis est, vt nihil maiori studio in scriptis suis Medici commendent, quam hanc exercendorum corporum formam. Docent enim illi hæc fieri oportere, vacuis ieiunisque corporibus, ne motu cibus non bene coctus vitietur, prauusque in venas liquor diffundatur. Itaque sobrius cum est Princeps iuuenis ad moderatas huiusmodi exercitationes, quæ sine difficili fatigatione corpora moueant, à pædagogis vna cum æqualibus aliis vocetur, quo societate similium & contentione cupidior accedat, tum ita in his ludicris rebus vel adultiori in ætate versetur, vt aliud acturum se grauius & præstabilius, cuius id causa etiam susceperit, arbitretur. Id à Vespasiano Cæsare fieri solitum singulis aiunt diebus: qui postquam summo mane negotia aliquot publica

blica obiisset, vel curru aut lectica vehebatur, vel deambulabat, aut equitabat, vel alia ratione exercebatur: pauloq; post, vt erat eo tempore moris, balneis vtebatur.

Porro præter has quas dixi hactenus, motiones atque agitationes corporis, sunt aliæ quoque, delectationem animis iucundam afferentes, quales sunt, Musices, Picturæ aliarumq; his similium grata admodum exercitatio. Ac sane Musices tanta vis est, in mouendis hominum animis, vt Pythagorici atque Platonici animam omnem musico quodam concentu factam dixerint, propter vim illam videlicet musicæ, ad cuius concentum nullus tam tetricus est, quin aliquando permoueatur. Videmus enim omnes nationes aliquo semper musicæ genere vti, quo delectentur: infantes item vix vsu linguæ, & sermonis dato, instrumenta quædam, tibias, aliave huius generis facere aut quærere, animalia porro aliqua ex quadrupedibus, & auiculas, musicæ voluptate vehementer capi, vt mirum non sit, quosdam existimasse animum musico factum concentu: cum & cunctorum animi musica deliniantur, nemoque tam asper agrestisve sit, vt hac suauitate aliquando non afficiatur. Quo in genere illud maxime mirum est, totidem esse pene musicæ genera, quot ingenia nationum, nec vnam omnibus cantus, sonique formam placere: aliis enim grauis, subtristis, & quasi lugubris musica placet, vt Italis, & Hispanis: aliis leuior, & iucundior, vt Gallis: aliis obstrepera, & concitata, vt Germanis, aliis deniq; alia. Ex quo intelligitur, aliquid musicæ inesse, quod nostris animis congruat, eiusque vim esse tantam, vt omnium ingenia, quantumuis diuersa, nonnihil in ea sibi aptum, quod placeat, inueniant. Quapropter musica semper cum aliis nationibus magno in honore fuit, tum Græcis, apud quos eam nesciri, turpe habebatur. Tanta enim eius est, vt recte Aristoteles ait, in omnes vitæ partes præstantia, vt nihil hominum animis labore leuandis sit aptius, nihil item ad mores aut recte informandos, aut perturbationes sedandas æque conducat, nihil demum ad vitam beatam (quæ voluptate quadam continetur maxima ex parte) magis pertineat. Itaq; tanta cum sit musicæ vtilitas, pueris ea, quemadmodum Plato, & Aristoteles censent, tradenda est, tum quia leuis eorum, hilarisq; natura existit, tum quia vacuis, nullaque curarum, aut cogitationum studio impeditis mentibus nihil aptius, honestiusve potest adhiberi, ingenij quidem hilaritas musicæ capiendæ accommodatissima est, propterea quod hæc vt curas pellit, relaxatque omni labore animum, sic ipsum natura sua illas fugit, & delectari, otiarique cupit. Leuis quoq; puerorum natura, quæ aut ludere, aut cursitare, aut agere quid eos semper facit, nulla re honestiori impediri, quam musica, potest: quæ & eosdem occupatos teneat, & mores, vitamque informet, ac mitiget. Vnde nec difficilis admodum, nec artificiosa musica illis tradenda est, ne ætas tenera labore terreatur, sed facilis, iucunda, & honesta. Interim tamen id attendendum sedulo, vt ex omnibus

Musica.

instru-

instrumentis musicalibus ea deligantur, iique cantus, qui nec leuitatis, nec lasciuiæ, nec difficultatis aut voluptatis nimiæ plurimum pariant. Turpiter enim omnis labor impenderetur, si pro honesta iucunditate lasciuiam, leuitatem ac voluptatem immoderatam caperet, aut si pro leui studio permagnum in discendo laborem subiret. Igitur diligenter Musici, quibus Principis cura tradita sit, cauerint, ne turpes ille, lasciuas leuesque cantiunculas norit, neue nimia voluptate perfundi sinatur, ac ne artificij difficultate ab eo studio deterreatur. Ita enim non solum arte longe pulcherrima & vtilissima imbuetur, sed magnum etiam ad mores formandos, mentis acuendam aciem, leuandos vitæ labores, terendumque honesta occupatione tempus (quod alias alioqui fortasse turpibus rebus impenderetur) fructum percipiet. Idem de Picturæ exercitationibus iudicium esto.

TH. De Alexandri Magni tyrocinio musicali pauca interloquar. Cum Alexander Magnus etiamnum pubescens, cytharæ daret operam, & præceptor artis subinde moneret, quam chordam quomodo pulsare deberet: & puer parum obsequens doctori dixisset: quid si hanc pulsarem? Cytharædus lepide respondit: Si isthuc quæris tanquam Rex futurus, nihil refert; si vt artifex futurus, plurimum interest. *Vide Erasm. lib. 8. apo. bib.*

PH. Habent sane hæ artes (Musica cumprimis,) suauitatem non modicam; communis tamen interim sententia est, atque ipsa etiam experientia omnibus nota, esse illam vilium plerumque ac infelicis intemperantisque ingenij hominum exercitium, & qui nec incipiendi, nec finiendi rationem teneant, sicut de Archabio tibicine legitur, qui pluris conducendus erat, vt desineret, quam conducendus vt caneret. De quibus tam importunis musicis, sic ait Horatius,

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos,
Vt nunquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi, nunquam desistant.

Hinc Musica ipsa ad precium & stipem semper vagabunda extitit & lenociniorum clientula, quam nullus vnquam professus est vir grauis, modestus, pudicus, fortis, ideoque Græci illos communi vocabulo. Liberi patris artifices, siue (vt Aristot.) Dionysiacos technitas, hoc est, artifices bacchanales appellarunt, qui improbis esse moribus magna ex parte consueuerunt, vitam plurimum traducentes incontinenter, partim etiam cum inopia, quę quidem vitia & gignit, & auget. Persarum ac Medorum Reges, Musicos inter Parasitos & Histriones referebant, videlicet ex opere illorum voluptatem sibi capientes, ipsos autem actores contemptui habentes, atq; Antisthenes ille sapiens cum audisset Ismeniam quendã optimum habere tibicinem, homo nequam est, inquit, non enim si probus foret, tibicen esset, non enim, vt dicitur, ars est illa viri sobrij & probi, sed otiosi & iocantis. Hanc Scipio Æmilianus, & Cato

tanquam

tanquam à Romanis moribus alienam aspernabantur. Hinc Augusto atque Neroni probro datum est, quod Musicam auidius sectarentur. Sed Augustus correptus quidem abstinuit: Nero autem peramplius insequutus, ob hoc contemptui, ludibrioq; habitus est. Philippus Rex, cum audisset filium quodam loco suauius cecinisse obiurgatus est: Nonne pudet, inquiens, quod tam bene scias canere, satis enim est, superque Principi viro canentibus aliis audiendi otium superesse. Et Alexandro Magno quondam canente Antigonus pædagogus citharam fregit, abiecitque, inquiens, ætati tuæ iam regnare conuenit, non canere. Sed & Ægyptij, teste Diodoro, Musicam tanquam virorum animos effœminantem prohibebant adolescentes suos perdiscere. Et Ephorus, teste Polybio, eam non nisi ad illudendos ac fallendos homines inuentam tradidit. Quapropter Ciconum matres atq; nurus Orpheum ipsum ad Parcarum vsque inuidiam persecutæ sunt, quod modulis suis mares effœminaret.

Cæterum bene adhuc memini, Musicos plurimum gloriari, quasi ipsi supra Rhetores habeant mouendorum affectuum imperium, quos insuper eo ipsa inuexit insania, vt ipsos etiam cœlos canere affirment, vocibus tamen à nullo vnquam mortalium auditis, nisi forte, quod musicis istis per suum Euouae, seu per temulentiam, vel insomnium innotuerunt. Nullus tamen musicorum interim è cœlo descendit, qui vocum consonantias omnes nouerit, quique proportionum inductiones omnes inuenerit. Attamen dicunt artem esse consummatissimam, & quæ omnes amplectatur disciplinas, nec sine vniuersa disciplina tractari possit, etiam diuinationis vim illi tribuentes, qua corporis habitudines, animique affectus & mores hominum per ipsam iudicentur, sed & dicunt artem esse infinitam, nec vllo ingenio exhauriri posse, sed indies illam, pro cuiusque captu nouos dare modulos. Propterea q; non male Anaxilas: *Musica per Deos*, inquit, *perinde atq; Libya semper quotannis nouam quampiam feram parit*. Hanc Athanasius ob vanitatem suam interdixit Ecclesiis, sed Ambrosius cæremoniarum, & pompę appetentior, Ecclesiis instituit canendi & psallendi vsum. Augustinus vero in medio hærens, inde sibi difficile dubium ortum esse, *in confessionibus suis* meminit: hodie vero tanta in Ecclesiis Musicæ licentia est, vt etiam obscænæ quæque cantiunculæ, cum sacris pares vices habeant; ipsaque diuina officia conductis magno ære lasciuis Musicis, non ad audientium intelligentiam, non ad spiritus eleuationem, sed ad fornicariam pruriginem, non humanis vocibus, sed belluinis strepitibus cantillant, dum hinniunt discantum pueri, mugiunt alij tenorem, alij latrant contra punctum, alij boant altum, alij frendent bassum, faciuntque, vt sonorum plurimũ quidem audiatur, verborum & orationis intelligatur nihil, sed auribus pariter & animo iudicij subtrahatur autoritas. Atq; idem fere de Picturis pingendiq; exercitatione esto iudicium, cui qui sese imbuunt, talia plerumq; Pictura.

P magno

magno labore pingunt, quæ viua ac vera sibi dari quis nollet. Non dicam, iam, quod ad nutum illorum quibus fauent, aut quorum fauorem aucupantur, pingunt. quod etiam Erasmus *lib. 8. apophtheg.* refert: Pictor quidam, inquit, interrogatus quem habuisset artis magistrum? digito populum ostendit: sentiens se ad multitudinis iudicium pingere: & obseruare, quid quisq; probaret aut improbaret. Hinc salse Plutarchus *in Lacon.* Quidam, inquit, conspecta tabula, quæ picturam habebat, quomodo Lacedæmonij trucidarentur ab Atheniensibus; dixit: Fortes Athenienses. Id Lacon audiens subiecit: In tabula. Significans, ridiculum esse de pictura gloriari, quod ea non minus mentiri soleat quam Poetæ. Nec insuper dicam, de irritamentis, quæ præbent, lasciuiæ, cuius ex infinitis vnicum, à Ioach. Bellaio carmine descriptam referam de Alcinoo pingente puellam.

Alcinoum Comitem formosa puella rogabat,
Vt se depicta duceret in tabula.
Vt valeam quod poscis, ait, mihi tota videnda es;
Præbenda est oculis nudaque forma meis.
Spectabat nudas sic Zeuxis & ipse puellas,
Dum pingit vultus, pulchra Lacana, tuos.
Abnuit hoc primum vultu pudibunda puella:
Sed desiderio cessit vt ipse pudor,
Corpore nudato candentia pectora pandit,
Membraque vel prima candidiora niue.
Talem se Paridi nemorosa in vallibus Ida
Spectandam, vt perhibent, præbuit alma Venus.
At cupidus pictor, dum neruos explicat artis,
Nec potis est dextram tollere de tabula.
Protinus ex magno Lysippus factus Apelle,
Spirantem fecit pro tabula statuam.

EQ. Tu semper abusum obuertis, cuius si nude habenda esset ratio, omniaque quæ abusui sunt obnoxia, amolienda essent, nihil sane præclarum in natura rerum persisteret. Picturam impugnas, Musicam impugnas, & quæ non? At noris, maioris esse apud me momenti, grauissimorum authorum, pro vtriusque dignitate atque commendatione testimonia, quam mille abutentium proteruiam. Plato *de repub. dialogo* 10. pictorem dicit imitatorem eius quod opifex facit. Agnouit nimirum Plato, quod ars picturæ ex dulcissima & omnium certissima Philosophiæ parte fluat, quæ à dimensione terræ Geometria dicta est, & à perpetuo discendi desiderio Mathematice appellata fuit. Quanta autem huius artis sit dignitas, imo necessitas, vel ex hoc solo patet, quod acutissimus ille Philosophus Pythagoras nullum illius artis imperitum in nu-

in numerum suorum discipulorum recipere voluerit. Præstantissimus vir Iohannes Crato, Ferdinandi Imperatoris piæ memoriæ, pacifici, archiater, cum vitam Iohannis Moibani (qui ciuitatis Augustanæ Medicus, & Noribergæ liberorum Domini Geuderi pædagogus fuit,) describere instituit, non solum à patria, parentibus, indole, ingenio, & variarum linguarum & artium peritia, sed etiam à pingendi industria ipsum magnifice commendat, eiusque picturas adhuc hodierno die se custodire & admirari Conrado Gesnero amico suo commemorat. Ac sane iucunde admodum ipsius picturæ scientia Geometriæ principia ad vsum accommodat. Nemo enim non intelligit, multo felicius illos pingere, qui cum naturali inclinatione præcepta Geometriæ & Euclidis elementa coniungunt. Ex illis enim fontibus viuas causas proportionis in singulis figuris cognoscunt.

Cumque omnes artes ideo diuinitus sint monsttatæ, vt generi humano certas vtilitates præstent; ita & hæc nobilis scientia non eo consilio humanis mentibus collata est, vt spurcis & impudicis picturis corda inspectorum ad vagas libidines inflāment, aut vt idolis imagines & figuras erigant, quas postea mortales relicto viuo Deo adorent, sed vt in eiusmodi figuris fingendis & pingendis sese exerceant, quæ oculos nostros officij admoneant, quæ aliquam vtilem admonitionem vitæ contineant, quæ nos ad virtutem extimulent, ignauiam excutiant, & in tramite virtutis retineant. Ii enim qui in spurcis figuris ingenij vires ostendunt, sine dubio graues pœnas Deo dabunt. Et regius Propheta Dauid, inquit, quod maledictus sit non modo qui idola adorat, sed qui etiam illa facit atque effingit. Et Tertullianus quærit, quomodo quispiam ad Deum verum manus eleuare possit, quibus alienos deos effingit. Musicam quod attinet; ad virtutem (inquit Aristot. *lib.* 8 *de repub. cap.* 4.) pertinere quadam ex parte Musica putanda est: quippe quę possit, vt Gymnastica corpus bene constituit: sic animum bene afficere consuetudine honestæ voluptatis: aut certe ad vitæ degendæ rationem prudentiamque aliquid valet; hæc ad animi relaxationem valet: omnique ætati omnibusq; moribus vsus eius est gratus, quippe quæ habitum animi bene constituere potest; *hac Aristot.* quod si potest (addit *ibid.*) certe ea erudiendi instituendiq; sunt adolescentes; quinetiam ad eorum naturam accommodata est, & apta Musicæ disciplina. Hinc illud Hier. Phaleti Sauonensis in laudem Musices:

Musica turbatas animas ægrumque dolorem
Sola leuat merito diuumque hominumque voluptas:
Qua sine nil iucundum animis, nec amabile quicquam.

Omnemq; adeo animi habitum cantibus gubernari in confesso est: nam dat cantus somnus, adimitque, necnon curas & immittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporum quæque morbis medetur. Hinc Cassiodorus

dorus de diuersis cantuum varietatibus: Dorius, inquit, prudentiæ largitor est, & castitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Æolius animi tempestates tranquillat, somnumq; iam placatis attribuit: Lydius intellectum obtusis acuit, & terreno desiderio grauatis cœlestium appetentiam inducit, bonorum operator eximius. *hæc Cassiod.* Sensus namq; ita vegetiores viridioresque fieri, & consopitam mentem exacui, morum quoq; exempla mala vt suscitari, ita refringi arte musica posse, nos priscæ docuerunt historiæ. Cum aliquando vinolentia adolescentes tibiarum etiam cantu, vt fit, instincti, pudicæ mulieris fores frangerēt, admonuisse tibicinam, vt Spondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum & grauitate canentis illorum furentem petulantiam consedisse. Et Homerus testatur, Musicam, quam à Chirone Achilles acceperat, atq; didicerat, ipsius iram concoxisse. Inuenerunt enim, mentem demulceri suaui varioq; cytharę cantu; hac namque ad animum pacandum, vt medicina, ad corporis subleuandum laborem, vsi sunt antiqui: hac torpentes ad bellum animos suscitaturi, hac curas ex animo excusserunt, hac iustitiam docuerunt, hac insignes virtutibus, meritis, laudibus prosecuti sunt, corporis ægritudines & consolati sunt & absterserunt. Et maxime in generosis animis potentissima est musica, variiq; supra fidem effectus. Quid? quod Nero Imperator omnem suam fiduciam in Musices scientia statuit. Cum enim à Mathematicis audiisset, fore vt aliquando deiiceretur imperio, Græcum Iambicum, dimetrum frequenter vsurpabat: τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει, id est, *terra quæuis alit artem*: existimans se tantum profecisse in arte canendi, vt etiamsi exigeretur, in quauis natione ob Musices peritiam posset haberi in pretio.

PH. Grandia ex te audio. Sed respondebo breuibus, producta duntaxat in medium historiola, quam recitat Erasmus *lib 4. apophth.* Xenophantus (inquit) certis modis Alexandrum ad arma solebat concitare. Eam Musices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex est, incinat modulos, quibus illum à bellis reuocet; sentiens, non esse magnæ artis hominem propellere, quo suapte natura pronus est. *hæc Erasmus.* De Nerone quod infertur, plane ridiculum est, nec enim quicquam heroicum vox hæc Neronis spirat, quamobrem etiam stulta isthæc fiducia in cineres prorsus abiit; stultumque omnino fuit, quod nocte illa, quæ sibi vitæ vltima, inter querelas, quas vicina mors & præsens metus dolorque dictabant, illud crebrius atque miserabilius defleuit, non quod tantus Princeps, sed quod tantus Musicus periret. Cum, (inquit Suetonius) imminentibus qui illum sequebantur, de salute desperans, cogitaret sibi vim adferre, subinde dicebat: Quantus artifex pereo? Hinc Antisthenes, quibusdam admirantibus Ismeniam, quod esset insignis tibicen: Nequam, inquit, hominem esse oportet, nam si bonæ frugis esset, non esset egregius tibicen; indicabat nimirum, eos non posse bonos viros,

euadere, qui tantum operæ eiusmodi artibus impendissent. Cumque Ateas (vt scribit Plutarchus *in apophth.*) Ismeniam hunc, optimum tibicinem, in bello cepisset, iussit illum canere; ac cæteris admirantibus, ipse iurauit per ventum acinacen, sibi iucundius esse, audire hinnitum equi. Cui consimile est quod de Gelone apud Plutarchum *in Lacon.* extat: Cum enim lyra in conuiuio circumferretur, cæterique ordines canerent (nam id apud Græcos honestum habebatur,) Gelon equum iussit adduci in conuiuium, facileque ac leuiter in illum insiliit, significans, hoc esse regalius, quam lyra canere. Et Archidamus, ad eum qui ipsi cantorem commendare volens, dixit. Hic est bonus cantor: At apud nos, inquit, hic est bonus condimentorum artifex: perinde quasi nihil referret, vtrum quis musicorum instrumentorum sono, an obsoniis & condimentis voluptatem afferret.

EQ. Musicis certe olim statuæ fuerunt erectæ, quod satis argumento est, in summo ipsos fuisse habitos pretio. Thebis (inquit Athenæus) Pindari statua visitur nulla, visitur autem cantoris Cleonis: in cuius sinum, Thebas Alexandro diruente, cum fugiens quidam aurum immisisset, rediens anno trigesimo post, iam Thebis frequentibus, cum fide totum recuperauit. Et Stratonicus aliquando trophæum cum erexisset, hunc inscripsit titulum: Aduersus male canentes cythara; notans, tales vbique quamplurimos esse, quos ipse vicisset, *Eras. 6. apophth.*

PH. Scilicet egregiam laudem & spolia ampla reportat. Ego exemplum dissimile, idque à scriptoribus summopere commendatum profero. Satyrus, egregius tibicen persæpe Aristonis Philosophi disputationibus intererat, & his qui dicerentur, mire affectus aiebat: (cur ergo non igni trado hoc telum ad nihil vtile? subobscure referens tibiam, & quodammodo suam artem ad Philosophiæ studium comparatam extenuans & nihil æstimans, vide de hoc *Ælian. lib. 3 de var. hist.* Cantent (inquit Alcibiades, citante Erasmo *5. apophth.*) Thebanorum filij qui dicere nesciunt, nobis autem Athieniensibus, vt à maioribus accepimus, gentis Princeps est Pallas & Apollo, quorum illa fistulam confregit, hic tibicinem excoriauit. Hinc Demaratus cum audiret cantorem quendam ostentantem artem suam, nihil aliud laudis sibi tribuit, tantum ait: Mihi videtur non male nugari. Tantus erat contemptus artium, quæ licet essent operosę, tamen solummodo delinirent aures, nullam seriam vtilitatem afferrent reipublicæ, *Plut. in Lacon.* Et Archidamus, cum quidam prædicaret cytharædum, eiusque in canendo facultatem admiraretur: Heus, inquit, vir optime, quid honoris ac præmij abs te ferent boni viri, quum tantopere prædices cytharædum? Recte taxauit non vulgi modo, verũ etiam Principum præpostera iudicia, qui plerumque pluris faciunt mimum aut morionem, quam sapientem fidumq; consilij virum: cytharædum vero, cuius ars non reip. sed voluptati seruit, adeo non iudicauit prædicandum, vt nec inter bo-

nos viros habendum duceret. *Plutarch.in Lacon.* Et: Cytharædum imperitum obesoq; corpore, & ab omnib. vituperatum solus Diogenes laudabat. Demirantibus, quam ob rem id faceret? Laudo inquit, quod cum talis sit, maluit se cythara quam lattrociniis exercere; significans illum corpore validum, ingenio rudem, latrociniis aptiorem esse, quam Musicæ, *Laert. li. 6.* Idem alterum cytharædum, qui quoties caneret, ab auditoribus deserebatur, obuium ita salutabat: salue galle. Cum ille offensus salutationis nouitate diceret, Quid ita? Quoniam, inquit, cantu tuo excitas omnes. Iocum captauit ex ambiguitate verbi Græci, ἀνεγείρειν enim dicitur, & qui excitat dormientem, quod solent galli gallinacei mane canentes: & qui sedentem excitat vt surgat, quod ille solebat, *Laert. lib. 6.*

TH. Distinctione causarum *per se & per accidens*, controuersia vestra facile dirimitur. Musica, per se singulare Dei donum est; hinc Ambrosius pietatis exercitium appetens, vt caneretur, instituit. Et Dauid, omnibus gentib. pacatis, religionis studio complexus, hymnos trimetros edidit: & cum his pentametros versus plurimos, qui sabbathis festisq; diebus sacris solemnibus canerentur: adiecit his decachordem cytharam, & nabla 12. vocũ: cymbala ad hæc ærea, grandia quidem & lata, vt scribit Sabellicus *Ennead 1. li. 29.* Ille ipse Dauid ad Saulum recenti dæmonum incursu exagitatum accersitus est, vt cantu demulceret æstuantem mentis furorem; id quod etiam præstitit. Nam quoties in morbum incidit Saul, stans Dauid ad caput, cum sacros hymnos voce & fidibus cecinisset, ad sanam mentem reductus est, *Ioseph. antiq. Iud. li. 6. c. 9.* Ac sane, nemo ignorat, quanta voluptate dulces harmoniæ aures nostras afficiant. Vult Deus aliqua esse humanæ naturæ gaudia, imo ipse Deus est perpetua & æterna lætitia, non vult corda nostra perpetuo mœrore corrodi, concedit naturæ humanæ aliquas recreationes; Eo consilio finxit artẽ Music. monstrauit instrumenta, quibus dulces harmoniæ effingi queant. Eodem modo picturæ notitiam nobis concessit, & aliquibus in hac arte largitur præ aliis maiorẽ industriam, vt illius bonitatem & dona admiremur, & grato pectore agnoscamus. Et multo satius est, intuitu pulcherrimarum figurarum animum recreare, quam tristibus & melancholicis cogitationibus cerebrum lædere. Et sicuti dulcis Musicæ harmonia imago est illius dulcissimi concentus, quo Angeli & beatæ animæ in omni æternitate creatorem cœli & terræ, Patrem Domini nostri Iesu Christi, celebraturæ sunt, in illa cœlesti Spiritus sancti Academia; ita ẽt honestæ & pulchræ picturæ vmbræ sunt pulcherrimæ istius aulæ, & iucũdissimi illius tabernaculi, in quo sine fine habitaturi sunt omnes electi, & vbi oculi nostri æterna voluptate satiabuntur. Est vero eadem è conuerso Musica, vt & pictura (subintellige, per accidens,) πολλοῖς ὑπεκκαυμα ἔρωτος. (vt inquit Menander *in thesauro*,) id est, multis incitamentum amoris. Hinc Thriuerus in apoph. 113. *Musica*, inquit, *egregium est studiorum condimentum; verum vt in aliis, ita hic quoque fere peccatur: quod qui cœpit, illius illecebris nimium capia-*

tur. & vulgatum illud adagium: *ἀγαθὸς ψάλτης, ἀγαθὸς ζωμόποιος*, *bonus cantor bonus cupediarius*; in vituperium artis Musicæ dictum, quasi eiusdem hominis sit, aures delectare cantu, & palatum cupediis. Facilis vtrobique conciliatio.

EQ. Latius fortasse quam par fuit, progressi sumus. Itaq; de cæteris ad *Victus ratio.* victus rationem, q̃ sint à puero principe seruanda, spectantibus, prolixe dicere supersedebo; hanc curam medicis naturæque peritis relinquens. Ne vero nihil dixisse arguar, omnem imprimis ciborum atque potionum intemperantiam declinandam ipsi dico, ne in morbum aliquem incidat: quo tamen, si vt nostræ naturæ fert imbecillitas, aliquando corripiatur, medicis quidem paucis vtetur, iisdemq; doctis ac experimento peritis: ne multis, vt sæpe fit, medicamentis, aut longa curatione morbus magno reip. nocumento irritetur. Adeo enim publicis princeps negotiis incumbat, vt ægrotandi quidem, quod Plato ciuibus suis præcipit, otium sibi relictum existimet. Quin etiam ad conseruandam *Habitatio.* principiis valetudinem, aeris tenuitas, temperies & salubritas pro ipsius habitatione studiose est quærenda, quum & ab hoc spiritus ducatur, & eo magna vitæ pars contineatur, & nisi principis consulatur saluti, magnum reipu. incommodum afferatur. Somni præterea & vigiliæ vsus moderatus percommodus est, sicut immoderatus perniciosus. Neq; enim multum dormire, vel multam ad noctem vigilare, vel interdiu dormire aut pernoctare tota nocte, vtile aut corpori aut animo est; nec semper, sed certis horis, nec statim à prandio, aut cœna, nec resupino corpore, aut sinistrum in latus incumbente, nec iis demum temporibus, quæ medici docti prohibeant. Quid enim perniciosius corporis sanitati, aut ingenii acumini hebetando aptius, quã in medios dormire dies (vt verbis Poetæ vtar,) tota vero nocte, vt aulici plerique soleat, vigilare? Venio ad perturbationes animi, quæ prout sunt aut acerbiores, aut remissiores, corpori aut nocent, aut prosunt. Perturbationes namque vel adeo *Perturbationes animi.* sunt vehementes, vt mentis tanquillitatem commoueant, vel plane remissæ, & pacatæ: eędemque aut natura sua vitiosæ, tametsi temperentur, sunt, aut honestæ, quantumuis excitentur, aut indifferentes. Quæ omnes sic sunt ratione tenendæ, vt vitiosæ ne sentiantur quidem, si fieri possit: vt libido, inuidia, odium, superbia: honeste vero excitentur: vt misericordia, beneuolentia; indifferentes denique tum remittantur, tum incitentur pro arbitrii ratione. Videmus.n. ira corpus vsq; adeo concuti, vt exanimetur interdum: mœror itẽ animum contrahit, corpori pallorẽ, tremorem, at noxiam frigiditatem affert, ac demum conficit: vt accidisse quibusdam accepimus nimiam ob tristitiam cõfectis: vt M. Lepido, P. Rutilio. Gaudium quoq; & insanire aliquos fecit, & interemit quandoque, vt Polycratem; Naxiam fœminam, Diagoram, Chilonem Lacedæmonium, Sophoclem, & Dionysium Siciliæ tyrannum. Pudor etiam est adeo acer nonnunquam, vt Diodorus Philosophus, quod propositam ab Stilbone quæstionem explicare nequiuisset, extinctus eo dicatur: demq; de Homero fertur poeta.

enim ſapientia, ſcientia, iudicium, memoria, felicitas ingenii, ſanitas corporis, & omnia bona, quę in hac & altera vita poſſunt exoptari, dependent. Hunc Dei timorem, D. Paulus, vocabulo Pietatis exprimit, eamque ad omnia eſſe vtilem, atque promiſſionem præſentis & futuræ vitæ habere, aſſerit: ideoque & ineptas atque aniles fabulas deuitandas: Pietatem vero ſtudioſe eſſe exercendam, ſedulo monet, *1. Tim.* 4.7.8. Quin & ſub Timothei commendatione omnes à puero ſacras nouiſſe literas iubet, quæ inſtruere eos poſſint ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, 2. *Tim.* 3.15. Saluberrima certe eſt admonitio hæc Apoſtolica. Quid etenim ſine pietatis exercitio omnes diſciplinę erunt? *Omnium illarum vſus extra veram in Deum pietatem infelix*, à B. Auguſtino *l.5. confeſ. c.* 4. habetur. Sine hac enim omnis ſcientia, vana eſt ignorantia: ſine hac eruditio, *venenum, eſt in aureo poculo*: Aug. 1. *de anim*. Sine hac docti, *aduerſus iuſtitiam ſunt diſerti pro falſitate eruditi, ſapientes vt faciant malum, eloquentes vt impugnent verum*, Bernh. *ad Eugen. l.1. c.* 9. Sine hac denique, Pietas.

Nullus eſt felix conatus & vtilis vnquam,
Conſilium ſi non detq; iuuetque Deus.

Melius ergo, iuxta Hieronymum, *eſſet*, *Ruſticitatem habere ſanctam, quam eruditionem peccatricem. Vita* ſiquidem, veluti grauiter Ambroſius gloſſ. Epiſtol. ad Phil. ſcripſit, *(ſancta) ſine doctrina & eruditione gratiam habet: Eruditio vero & doctrina ſine vita (ſancta) integritatem non habet.*

Cæterum his ita conſtitutis, atque hoc præmiſſo ad informandum principis futuri atque conſtituendi animum, prodromo; reliquum nunc eſt, vt etiam Principem iam conſtitutum, imperiiq; habenas iam nunc capeſſentem, quæ potiſſimum attendere atque obſeruare, quæque ex aduerſo fugere ac declinare neceſſe habeat, viam præmonſtrante atque aperiente verbo cumprimis Dei, monitis quinetiam autoritatibus atque exemplis aliorum probatiſſimorum vndecunque conquiſitis inſtruamus.

PRINCIPIS IAM CONSTITVTI POTISſima commonefactio & cura quæ?

OMNIVM autem maxime id firmiter infigere animo ſuo debet Princeps; ordinum diſtinctionem in imperiis & politiis diuinitus eſſe factam: & heroicas familias reliquæ hominum multitudini regendæ & in officio continendæ à Deo præfectas, ideoque motus animorum acriores ac generoſiores illis inditos eſſe, quos honeſta doctrina, pietate, morum elegantia, & optimarum artium cognitione confirmari & excoli vult Deus, vt & priuatim mores ſuos regere, & vtiliter reipublicæ, cuius gubernaculis deſtinati ſunt, ſeruire poſſint. Quem quidem pulcherrimum ordinem & gradus *Principatus non extitere caſu.*

hominum in imperiis diuinitus institutos agnoscere & venerari, & suum cuique gradum in hac societate reuerenter tribuere, pro suo quisque loco atque ordine debet.

EQ. Non casu certe existunt & seruantur (quod multi opinati sunt,) imperia: nec casu sapientes, iusti, moderati, felices ac salutares generi humano reges ac principes præficiuntur: Sed vt mirandus corporum cœlestium & naturæ rerum ordo pulcherrimus, Deum tanti operis effectorem & architectum, sapientem & beneficum clarissime ostendit: Sic politicus ordo, leges, iudicia, pœnæ sontium, ac imprimis benefici & salutares principes, Dei opera & prouidentiæ ac præsentiæ Dei inter nos, grauissima testimonia sunt.

PH. Quemadmodum Philosophi veteres ad primum aspectum mundi conturbabantur, initioque putabãt omnia fortuito & casu accidisse, sed postea cũ aduerterent motus eius legitimos & æquabiles, certosque fines numerorũ omniaq; ratis & permanentib. ordinib moderata, ac in maxima rerũ varietate, numerorũ, temporum, vicissitudinum, summã, & immutabilem esse cõstantiam: intelligere cœperunt esse aliquem non solum habitatorem in hoc cœlesti & diuino domicilio, sed etiam esse rectorem, & moderatorẽ, & tanquã architectum tanti operis, tantique muneris. Sic etiam inconsultis plerumq; euenit Aristarchis & censoribus plane insulsis, qui omnia pro sui ipsius ingenii prauitate metientes ad primum regiminis ac principatus aspectum, omnia peruulgata & fortuita existimantes, aliud nihil quærunt atque exoptãt, quam vt vnusquisque, quod rectum sibi ipsi videatur faciat; quod quidem in deplorato rerum statu Israelitas identidem fecisse Spiritus sanctus testatur. Ac multa sane fera ingenia putant, vnum hoc esse beate viuere, nõ coerceri legibus, ordine, disciplina tanquam carcere; Sed libere vagari & cupiditatib. obsequi sine freno. Talibus ingeniis difficile est persuadere, magnum decus esse ordinis, adeoque magistratum & ciuilem statum esse res bonas Deoque placentes.

EQ. Fuit sane olim antequam constituerentur Principatus misera vndiq; cõditio dum, ꝙ iam allegatũ est, pro suo quisq; eoq; deprauato vixit genio atq; arbitrio. V. dissetis homines in agris passim bestiarũ more vagari, victu ferino vitã propagare, stratos humi iacere, nec ratione quicquã sed pleraq; omnia vi viribusque decernere, nullius legitimæ nuptiæ, nullius certi liberi, nullum alieni suiue discrimen: armis & robore diri milites; nullum temperantiæ vestigium, nullum fidei signum apparere, id à quoque geri, quod collibitum fuerat. Exorti itaque sunt excelsi viri, immo de cœlo delapsi, qui dispersos homines in agris, & in syluestribus locis additos ratione congregauerunt, & ex feris & immanibus mites reddiderunt & mansuetos; oppidis mœnibusque sepse-

sepserunt, suum ab alieno discreuerunt, & ad hæc tenenda, regnum, hoc est, iudicum tribunal instituerunt, non sane δωροφάγων, vt ait Hesiodus, sed ἀδεκάστων, quibus Deus iustitiam dictat,

Namque vbi iustitiæ sancti seruantur honores
Iudicioque pares & ciuis & aduena pendent,
Vrbs viget, augetur soboles, pax læta vagatur
Pax iuuenum nutrix, nunquam his fatalia bella
Præparat altitonans, nullis in rebus egestas
Imminet, in quenquam nulla est offensio dulci
Quos iuuat interdum genio alleuiare labores.

PH. Aristoteles Principatuum & regnorum ortus explicaturus, *libr. 5 polit. cap.* 10. inter alias originis Regum & tyrannorum causas hasce affert, regiam nimirum potestatem & optimatum, pro tutela præstantium virorum repertam esse contra populum: Tyrannum vero habere originem à populo & multitudine contra nobilitatem; vt populus iniuriam ab illis non patiatur. Hinc adeo factum, vt qui maxima beneficia in ciuitates gentesque contulerunt, vel qui eam facultatem habuerunt, vt conferre eam valerent, hisce honoribus potiti sint: verbi gratia: alii bello conseruatis populis, ne in seruitutem deuenirent, vt Codrus: alii à seruitute liberatis, vt Cyrus: alii quod condidissent vrbem, vel quod regionem acquisiuissent, vt Lacedæmoniorũ, Macedonum & Molossorum reges: alii quod specimen iustitiæ in conseruatione quietis edidissent, vt Deioces apud Herodotum. Sed enim certum est Imperia diuinitus constitui, ne fiant infinitæ dissipationes hominum, assiduis vastationibus & latrociniis: Sed aliquo modo societas generis humani conseruetur.

TH. Recte itaque Augustinus in Psalm. 32. *Omnia,* inquit, *indigent Domino, & misera & felicia: quia sine illo miser non subleuatur, & felix non regitur.* Videntur quidem imperia, humana autoritate, ingenio & viribus primo constituta, vt de Nimrodo dicitur, quod fuerit robustus venator coram Domino dum aliqui superbia & regnandi libidine inflati, numero, ingenio ac opibus potentiores, oppresserunt infirmiores alios. Vnde 1. *Pet.* 2. *vers.* 13. Magistratus vocatur creatura humana, eo quod hic ordo non immediate, vt ministerium Euangelii aut coniugium, institutus sit à Deo, sed ab hominibus primum introductus, & postea diuina autoritate confirmatus, Verum enimvero testatur Spiritus sanctus, diuina prouidentia sic regi hanc hominum societatem, alioquin admodum infirmam, & iniuriis improborum expositam, vt alii præsint, alii obtemperent.

Et quanquam sæpe per tyrannidem & iniustis modis acquiritur imperium, manet tamen magistratus ipse ordinatio Dei, etsi modus acquirendi aut imperandi sæpius Deo displicet, sicut dicitur Dan.2.v.21. *Deus transfert & stabilit regna.* Et dum 1.*Tim.*2.*v.*2. iubet fieri preces publicas pro regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, simul probat eundem ordinem; & vult Titum concionari Ecclesiæ de obedientia principibus & potestatibus debita, *Tit.*3 *v.*1. Petrus quoque Apostolus monet Christianos, vt subditi sint omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis. Et Christus ipse dicit, Pilato desuper traditam esse potestatem *Ioh.*19 *v* 11. Et Paulus iniuria ac tyrannide oppressus prouocat ad tribunal & forum Cæsaris, quamuis is infidelis esset. *Act.* 25. *v.*11. Magistratus itaque non humana ordinatio est, sed Dei constitutio, sicut Paulus aliquoties repetit: *Non est potestas nisi à Deo.* Item: *Quæ vero potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Item: *Quisquis resistit magistratui, Dei ordinationi resistit.* Vnde Magistratum, Dei quoque ministrum appellat.

EQ. Scio ego multos moueri deformitatibus & confusionibus multis imperiorum, aularum & iudiciorum. Principes enim multa in gubernatione negligunt, multorum delicta & iniurias non vident, multæ sunt in iudiciis impostutæ & calumniæ, multa errata, magnæ in aulis ambitiones, rapacitates & aliæ pestes, magnæ fraudes in contractibus. Hisce, inquam mouentur animi non præmuniti, vt ipsum ordinem politicum damnent, & existiment, imperia tantum esse oppressiones imbecillium, ortas vel à diabolo, vel ab humana audacia & cupiditate; præsertim quando ex historiis recenseri audiunt magnas sæpenumero factas esse generis humani clades, exindeq; horrendas imperiorum confusiones. Ac sane quantũ existimatis, sui & peregrini sanguinis fudit Roma, donec imperio orbis terrarum potita est? Mox bellis ciuilibus quæ furiæ per vniuersum orbem terrarum grassatæ sunt, quales legum & disciplinæ extiterunt perturbationes? Postea Barbaræ nationes infusæ in Italiam, prorsus dissipauerunt Imperium Romanum. Hinc Scipionem aiunt, capta Carthagine spectantem incendium vrbis, illacrymasse, ac dixisse, deplorandam esse in rebus humanis fortunæ inconstantiam; cuius documentum vrbs ipsa Carthago præbeat lugubre; quippe quæ olim florens virtute, opibus & imperio, nunc spoliata & capta incendio pereat. Vsq; adeo vera est, quæ extat apud Ouidium querela:

——— ——— ——— ———sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes,
Concidere has.

Verumenimuero, vtut sit, constat tamen ipsum ordinem politicum à Deo institutum esse, & opus Dei esse, quantum boni in gubernatione reliquum manet, videlicet, quod homines certis legibus coniuncti in societate ciuili

manent,

manet, quod multitudo regitur magistratibus, iudiciis, pœnis, quod magistratus custos est disciplinæ & pacis, quod dominia rerum distincta, & sua cuique tuta sunt, quod res legitimis contractibus transferuntur, ad iuuandam communem vitam, quod lattocinia armis reprimuntur, aut puniuntur, &c.

TH. Cum igitur tot extent certa & illustria testimonia & exempla, quæ ostendunt Deo placere ordinem politicum, imo officia ordinis politici in iis qui Deum recte inuocant esse pia opera & præcipuos cultus Dei; Proinde discamus venerari res politicas, imperia, magistratus, leges, iudicia, distinctioné dominiorum, contractus, tanquã dona Dei: & omnia ciuilis vitæ opera referamus ad hos fines, vt Deo in his ordinationibus obediamus, & vt inuocatio & confessio nostra in hac societate luceat, & vt exerceamus mutuam dilectionem. Ex qua quidẽ stata ac firma assertione, hanc magistratus definitionem constituo. Magistratus est persona à Deo ordinata, habens ius gladii, quo pios quidem, & quod rectum est facientes protegat, male vero agentes puniat, & vitæ societatem ita gubernet, vt placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honestate. *Magistratus definitio.*

Cæterum etsi ordo politicus est à Deo: tamen sæpe personæ politiam administrantes non sunt à Deo, & magis turbant ordinem diuinum, quã tuentur aut ornãt, vt Caligula, Nero & aliæ pestes plurimæ grassantes in imperio, quod diuinitus ordinatum erat, velut in horto apri. Veneratur Paulus Romani imperii leges ac ordinem, sed Neronem odit & execratur tanquam Diaboli organum, lacerans bonum ordinem. Hinc cum Paul. Rom. 13. testatur, ordinem politicum & institutum esse à Deo & comprobari & ab eo iuuari, nominatque Imperia ordinationem Dei, manifeste discernit imperia à peccatis nam peccatum non est ordinatio Dei, sed est confusio & horrenda perturbatio diuini ordinis, quam Deus semper odit & execratur.

EQ. Scio ego fanaticos quosdam ausu temerario eos, qui magistratus dignitatem cõstanter asserunt, deq; magistratu honorifice omnimodo sentiunt, passim malitiose traducendo incusare, ac si tyrannidem & abusum concurrentem vt plurimum cum ipsa potestate, ab ipso Deo oriri statuant. Sed peruersa incusantium malitia est. Discernendam enim potestatem à vitio personæ, quorum illa non tam in bonis, quam etiam in malis ac peruersis principibus, à Deo, hæc vero ab ipso Diabolo procedit, constanter assero. *Omnibus terris*, inquit Syracides cap. 17. *constituit potentatus Deus.* Non enim solus Dauid rex gloriari potest: *Præcepit mihi Dominus, vt essem dux super populum Israel*, 2. Sam. 6. v. 21. Et: *Elegit me, vt essem rex*, 1 Paral. 28. Sed etiam Cyro dedit Deus omnia regna terræ, *2. Paral. 36. v.* 23. vt & Nabuchodonosori magnificentiam, gloriam & honorem, *Dan. 5. v. 8.* Et Christus ipse Pilato potestatẽ desuper esse datã asserit, *Ioh. 19 v. 11.* Quamobrem etiam ad omnes indiscrete orbis terrarum Principes ac

Dominos, diuina ex alto sapientia intonat: *Audite ergo Reges & intelligite, discite iudices finium terra, prabete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quemadmodum data est à domino potestas vobis & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quemadmodum cum essetis ministri eius, non recte iudicastis, neq; custodistis legem iustitia, neq; secundum legem Dei ambulastis.* Euidenter vtiq; apparet ab omniũ domino potestatem omnem iudicandi, regendiq; auctoritatẽ hominibus dari, & his non tantũ, qui eũ venerantur & colunt, veraq; iustitia ac pietate præditi sunt, sed iis etiã, qui idolis seruiunt, & vitã impie ac nefarie agunt, quorũ potentia aliud nihil est, quam pestifera quædã vis ad nocendũ. Quod quidem misericorditer etiã, vt sacra testimonia perhibent, æterna prouidentia fit, cum res humanas iudicat ærumnis talibus dignas, talibusq; flagellis & calamitatibus conterendas. Qua de re est vox illa diuina, *Per me Reges regnant & Tyranni tenent terram*, & clarũ illud testimonium Iob, *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi.* & horrida illa ac irarum plena Dei cõminatio: *Dabo vobis reges in furore meo.* Item: *Confortabo brachium regis Babylonis, & ponam ensem in manibus eius.* Et alio loco: *Statuam pueros eorum principes, & effœminati dominabuntur eis.*

PH. Ecquid vero tibi videtur de eo quod apud Oseam sensu, vti apparet, contrario legitur, his verbis: *Ipsi regnauerunt, sed non ex me. Principes extiterunt, & non cognoui eos.*

EQ. Facilis & expedita est, atq; eadem quæ supra in medium prolata est, responsio. Distinguenda nimirum est potestas à vitio, & alterum ab altero certa animaduersione est liberandum. Cum de imperio, principatu, potestate reliquisq; administrationibus per se loquor, omnem magistratum omnémque humanam potẽtiam à Deo esse omnimodo, dico. Alioquin quis regum, summorumq; imperatorum aut ducum tantis vnquam viribus fuit, qui solus potuerit vel acerrimos in officio continere populos, tot gentes perdomare barbaras, statuere, præcipere, vexare, mulctare, interimere, perdere, suoq; arbitrio cuncta habere? Quo iure, qua arte, qua vi deniq; hæc tanta vnus conficit inermis interdum atq; inualido corpore? Cur cum infestat immeritos, expilat suorum ciuium bona, proscribit, necat, excruciat, maritales toros libidinibus fœdat, pedicat in mares, & omnia diuina atq; humana ludibrio habet, est nemo qui obstet, qui eum ab imperio abdicet, qui regno depriuet? An quod armato incedit latere? An quod denso stipatur milite? An quod sine propinatore nihil mordet atq; delibat? minime inquam. Qua enim ratione stipatores istos, atq; ministros, aut omnes aut singulos ad sui tutelam coget, vel ad ea perpetranda, quæ dixi, si reluctentur & nolint? vt alteri sic iubenti non pareãt. An faciunt id fortassis stipendio? æque minime. Quomodo solus tot census, tot vectigalia, tantum auri argentiq; possidebit, si reliqui nolint? Dei igitur est, Dei, inquam, tota vis ista quæ in tyrannis sese exerit. Non ex hoc tamen malorum

rum atq; facinorum Deum auctorem cõstituens: quippe qui & optimus est, & à quo omnis prorsus est relegata malitia, quoniã summũ bonum malo admisceri nullo quidem modo potest, ac sibiipsi esse contrarium, sed vt sæpe iam dixi, Quælibcunq; potestas per se quidem bona est, atq; idcirco à Deo effluens, vt cætera effluunt bona, quæ fecit. Quæ autem vitia imperantibus, potestatemq; habentibus iniusta sunt, à Deo illa minime sunt, quia ab optima causa per se malum esse minime potest. Quocirca concludat firmiter, humanarum omnium actionum esse Deum causam, culpę vero atque reatus nullo quidem modo cogitari posse.

PH At videntur tamen ipsa etiam regna Deo inuito & refragante constitui. Cum enim *1. Sam. 8. v. 5.* populus reiecto Samuele iudice & filiis eius, diceret: *constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes.* Ad hanc populi flagitationem Dominus Samueli oranti respõdit: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Et quod grande peccatum commiserint Israelitæ, petentes sibi regem, apparet ex 1 Sam. 11. Quod si vero quod hactenus asseruistis, à Deo omnis est magistratus, & per ipsum reges regnent? *Rom. 13. Prouerb. 8.* Cur igitur hic dicitur, quod in ira sua dederit eis Regem?

TH. Ipse magistratus & regius status nihilominus à Deo est. Verum in eo peccauerunt Israelitæ, quod nõ contenti illo regimine, quod tum Deus constituerat, petebant aliam formam regiminis, præscribentes Deo modum, qui se regem ipsorum fore professus fuerat. Antea enim per iudices populum Dominus rexerat, delectos iam ex hac, iam ex alia tribu & familia. Hoc regimen, quod ipse Dominus suo beneplacito constitueret, cum spernerent Israelitæ, dedit illis Regem in furore suo; quod ipse Dominus repetit Oseæ 13. *cap.*

Sæpe etiam Dominus propter tyrannidem & latrocinia permittit, homines potentes ad se rapere imperia, ad punienda hominum peccata. Ita regnum à gente transfertur propter iniustitias *Syr.* 10. Sæpe ipse armat magnates, vt inuadant alienas prouincias, vt hoc modo puniantur hominum peccata, quemadmodum regem Assyriorum armauit contra gentem Hebræorum, licet ipse alio animo hoc faceret, in elatione & superbia, atq; modum in affligendo populo Dei excederet, vt patet ex cap. 10. Esa. Sæpe vel ipse vngi præcepit reges nouos in vindictam impiorum. Sæpe in bonum subditorum dat pios reges, quemadmodum Dauidem, Salomonem, Hiskiam, Iosiam & alios.

Cæterum, quod ab initio diximus, Principatus esse à Deo, diuinitusq; vocari Principes, id nunc exemplis quibusdam faciam planius. *Principatum à Deo esse, demonstratur exemplis.*

Saul certe primus Israelitarum rex, è clitellario in regem euectus seria illa regiminis, quod tantopere declinabat, fuga satis ostẽdit, se nihil minus quam regnum fuisse meditatum.

Idem de Dauide iudiciũ esto, is enim ab ouibus patris, quas pascebat, pręter omnium

omnium sui cumprimis parentis expectationem in regem Israelitarum à Samuele Propheta vnctus fuit. Sed & Salomon eius filius, à Domino regem se constitutum, professus est: *Viuit*, inquit, *Dominus, qui firmauit me, & collocauit me in solium Dauid patris mei*, 3. *Reg.* 2.

EQ. Extat de electione Claudii Imp. consimilis fere, quæ Saulis, quamuis fato dissimilis, historia. Is enim sublato è medio C. Caligula, rumore cædis exterritus, prorepsit ad solarium proximum: interque prætenta foribus vela se abdidit. Ibi latentem discurrens forte gregarius miles, animaduersis pedibus è studio sciscitandi quisnam esset, agnouit: extractumque & præ metu ad genua sibi accidentem, Imperatorem consalutauit. Quid inde? perduxit ad alios commilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes. Qui vt diuinitus datum arripuerunt, & lecticæ impositum vicissim succollantes in castra (tametsi reclamãte senatu & conclamãtibus cohortibus vrbanis antiquam libertatem) detulerunt, tristem ac trepidum, miserante turba obuia, quasi ad pænam & supplicium raperetur insons. Quis hic non agnoscat numinis prouidentiam? Vide Sueton. lib. 10. De Pribislao quoq; Bohemiæ rege, plane memoratu dignum est, quomodo ei, homini alioquin obscuro & ignobili, principatum detulerit Deus, de quo audite Crantzium Vandal. *lib.* 1. *cap.* 17. Bohemis, inquit, imperabat Libussa vnica Regis filia, quæ moriente patre, virgo cœpit administrare paternam ditionem, tam prudenter, vt Rex diu nullus desideraretur in ea gente. Ita circumspexit omnia, ita iustitia insignis erat, vt nemo sub illa quereretur se suo destitutum: adeo sceletum vltrix, vt impune nemo peccaret. Mansissent proceres sub fœmina longius: sed mortalem prospicientes, semen Regium ex illa desiderare videbantur. Dum tamen nemo audet interpellare super ea re fœminam, sumpsere audaciam nonnulli ex maioribus, vt voluntatem procerum, & totius populi consensum atque desiderium explicarent. Illa, toruo primum vultu intuita referentes: *Quid est*, inquit, *quod vobis desit in hoc rerum statu, vt Regem desideretis?* At illi, *Nihil, si te immortalem haberemus, nunc, quoniam communi omnes sorte sumus defecturi, cum te carere tam debeamus, semen ex te regium mitigaret populi desiderium & ingentem nominis tui affectum.* Dissimulabat aliquamdiu casta mulier populi de se desiderium: tam illam delectabat thorus sine socio, tam cœlibatus illi inhærebat. Sed cum illi finem non facerent, illa Oraculo commonita, iussit ornari candidum gradarium equum, cui proficiscens insidere solebat. Illum sequi præeuntem proceres iubet: & apud quem is consisteret quiescens, qui de ferrea mensa cibum caperet, Regem mox consalutarent: nam illum dignaretur thoro maritum, quem fata iumento imperantia monstrarent. Sedulo implent, quod iusserat Regina, sternunt iumentum, & permisso illi fræno libero sinunt præire. Illi porro sequuntur, obseruantes quo vadat. Abibat in agros, viam non paruam, nec per solita gradiebatur itinera; sed compendia quærere

visus;

visus; ibat in directum per nemora, per dumeta, per agros, donec ipsa iam meridie deprehenderet hominem labore fessum se ad refectionem in agro, quem arauerat, reponentē. Verterat aratrum & ferrū ex sulco attrito splendescens in planitiem positum, pro mensa habebat. Cum hominem cerneret iumentum, ecce stetit immobile nusquam diuertens, aut circumspiciens. Aderant dicti primores, qui id obseruabant. Vbi vident hominē aratri ferro vti pro disco, recolunt quid de ferrea mensa illis Regina mandasset obseruandū. Voto se potitos interpretantur, & gaudēt, mox sciscitantur de nomine: PRIBISLAO, inquit, *mihi nomen est*. Illi vero, *Surge protinus, & conscende stratum tibi iumentum*: pertrahuntq; ad Reginam, insinuantes quid repererint. Illa fato mōstratū virum complectitur, & pro regia dignitate, suis nudatum vestibus, ornat, & thoro dignatur. Nec mobile fuit dispar hoc coniugiū: vt nec Principatus, nam quietā & sine vlla contentione vitam cum vxore traduxit, & insuper Rempubl. retinuit & feliciter administrauit. Leges enim non paucas, (si nobilissimo Fulgosio fides) tulit, quibus Bohemi in alta pace viuerent, quibus quidem meritis adeo affecti fuere Bohemi, vt in primario Vrbis templo ligneas soleas, quibus arans vtebatur, diutissime seruarint easq; ceu rem sacram nouis Regibus, dum diademate ornarentur, præferrent. *Lib. 3. c. 4.*

TH. Hinc laudabilis ille Titi Vespasiani (qui propter eximias animi dotes dictus est *Amor & delitiæ generis humani*,) ad duos patritii generis, quos conuictos in affectatione Imperii comprehenderat, sermo atque commonefactio, dum nihil amplius quam vt desisterent, eos monuit; principatum, inquiens, fato dari, si vtraq; tentati facinus potiundi spe vel amittendi metu.

PH. Fatum hic adiungam, quod dirum primo visum, prospere tamen & feliciter tandem successit; illud nimirum de Aluida Sivvardi Gothorum regis scitæ pulchritudinis filia (quod refert Crantzius. 1. *Suec. cap.* 45. Eam cum deperiret, & coniugem sibi dari peteret Danorum Regis filius, abnuit eius mater, quo audito suam deplorans fortunam ALVILDA, animum licet amatoris memorem ad Martem adiicit: capit militaria munia; piraticam aggreditur, imo piratarum princeps (mirum dictu) efficitur. Quid inde? fors tulit, vt dum Regis filius piratas persequitur, in classem ALVILDÆ incideret, manum ignorans cum ignorante conserit, dubio satis Marte. Dum feruet prælium, galea decussa capiti, puellam prodit, & ex hoste protinus dedit amatorem. Siquidem Regius iuuenis vbi agnouit notos vultus, receptui cani iussit, pugnamque inhiberi: & insiliens puppi, virginem, an viraginem? amplexatur fortunā accusans, quæ talem illi hostem obiecisset, malle tamen sic occurrisse, quam omnino incognitam præteriisse. Itaque amata sua potitur in mari, quam in regia consequi non poterat; quæ & consors fit Imperii, Deo sic præter maternū votum disponente.

EQ. Sed & signis seu prodigiis plerunq; ostendit Deus, regna & Principes

Regna à Deo dari, prodigiis fit manifestum.

ab se dari; quæ quidē ipsi etiā olim Ethnici prudētiores impēsè obseruarunt: (Plin. in lib. de viris illustribus, de Seruio Tullio scriptis prodidit, quod cum in domo Tarquinii Prisci educaretur, flāmæ species caput eius amplexa fuerit; eoque viso Tanaquil Tarquinii Prisci cōiugē, auguriorū peritam, summā ei dignitatem portendi intellexerit. Idēq; Plin. de Tarquinio Prisco refert, quod quū tyrannidē Corinthi fugiens, Romam peteret, aduenienti aquila pileum sustulerit, & quū alte subuolasset, reposuerit; quæ dum cerneret Tanaquil cōiux, regnū ei portendi pronunciauit. Et de Publio Scipione Africano idē Plin. scribit, quod antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuerit, & ipsi paruulo Draco circūfusus nihil nocuerit. Et de Lucio Cornelio Sylla, refert, quod cum paruulus à nutrice ferretur, mulier obuia: *Salue*, inquit *puer tibi, & Respubl. tuæ felix*; ad Syllam dixerit; atq; his dictis non amplius visa fuerit.

PH. His annumerari potest, quod de Dario refert Herodotus *lib. 3.* cuius hic tenor est. Defierat quondam apud Persas progenies regia *Mergydis* vltimi Cyri Regis filii interitu, magnaq; inter Principes disceptatio erat de regni successione. Inter se enim complures virtute ac nobilitate adeo pares esse videbantur, vt difficilis ex eis esset apud populū electio, quocirca in hanc sententiam itum est, vt res religioni committeretur: pactiq; simul sunt, vt ad diem dictam omnes ante regiam primo mane equis veherentur, & cuius equus primus contra Solis ortum hinnitum dedisset, is Rex esset. Persæ enim Solem præcipuum Deorum omnium esse opinabantur, & eidem Deo albos equos sacrificabant. Cum ergo ad statutum tempus conuenissent, *Darii* equus statim hinnitum edidit & fulgoribus tacitisque aliis fœlix auspicium omenque domino primus emisit. Tanta aūt moderatione reliqui vsi sunt, vt religioni confestim cederēt, equisque desilientes *Darium* Regem salutarent. Populus itaque omnis Principum iudicium secutus, quasi Deo beneuolente eundem Regem constituit.

Sed & aquila olim circum Marciani caput volitans, imperio quandoq; illū potiturū prænunciauit? Procopiū super eo scribentē audier. Sub id tēpus (*Theodosii II.*) V Vandali Africam Romanis rapuere: captiuos vero quos ceperant in custodia habuere, inter quos Marcianus fuit, qui *Theodosio* successit. Cū igitur *Gensericus* V Vandalorū Rex forte præciperet, vt captiui in Aula sub dio cogerentur, vt aspectibus eorum consideratis, sane cōspiceret, si quis regiam haberet indolē, ac indigna præsente fortuna pateretur: interim iidem inedia ac labore fessi humi obdormiscerēt, aquila forte volans supra Marciani caput passis adstitit alis. Gensericus igitur potentiam tacite notans, non frustra hoc fore, iussit ad se venire, & quinā vir esset interrogat. Ille se *Asparis* (Romanorum Ducis) arcanorū omnium sociū fuisse inquit, quē Romani domesticum Comitem vocant. Gensericus igitur meditās, & aquilæ gestū & *Asparis* quanta esset apud Byzantium potentia, hominem de medio tollere ab re putauit esse, neq; verisimile vt quamprimum interituro signo volatum illa ostendisset: nulla enim ratione eū interfici oportere. Nā si postremo regnaturus est, morti nō esset a-

set apud eum locus derelictus: quod ea quæ Deo sunt decreta, nullatenus prohiberi possint. Quapropter iureiurando eum obligat sibi amicum fore, neq; vllo modo cōtra VVandalos venturum. Eiusmodi ergo pactis simul initis, dimissus est *Marcianus* redire Constātinopolim, vbi non multo post (vita functo Theodosio) Imperator renūciatur. Cosmus quoq; Medicæus Ioan. F. quo die, qui Brumalis erat, Alexāder à Laurētio cōsanguineo necatus est, bulbos momento temporis florescentes vidit. At qui aliud nihil designabant, quā Florentiam, Vrbium Italiæ florem diuinitus illi deberi. Obtinuit ergo Principatū: & quidē tam fausto omine, vt subditi fidē clientelarē e vestigio illi repræsentarēt.

TH. Merito itaq; inoleuit mos ille apud supremos principes, vt dicāt & inscribāt se *Reges gratia Dei*, vel diuina *gratia*, seu *clemētia*. Vt notēt (inquiēte Rebuffo) ꝙ à Deo regnū vel Imperiū habeāt, Et licet successione deferatur, gratia tamen Dei est, cū alicui obuenit: q̄a Deus potuit auferre vel morte, vel permittere vt alius regnū occuparet. Ideo spōte sua Deus videtur relinquere, & dare ei, à quo nō aufert cū possit. *Quæ cum ita sint* (vtar D. Augustini verbis) *non tribuamus dādi Regni atq; Imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat fœlicitatem in Regno Cœlorum solis piis, Regnū vero terrenū & piis, & impiis, sicut illi placet, cui nihil iniuste placet.* *Reges, gratia Dei.*

EQ. Homines certe, etsi maxime velint, tamē ad regna & principatus, præter Dei voluntatē, neminē possunt promouere. Exēplum præbet Abner, qui etsi maxime vellet, tamē nō potuit Isboseth cōstituere regē super vniuersum Israel *2. Sa. 2. v. 8. 10.* Nec Absolon regnū est cōsecutus, etiāsi Achitophelis cōsiliarii callidissimi cōsiliis atq; opera vteretur. *2. Sa. 18. v.* 18. Sed neq; Adonias, etiamsi Ioabū militiæ ducē Dauidis veteranū & ipsū Abiathar sacerdotē in suas partes traxerat, regno potitus est, *1. Reg. 1. v. 30.* Ecōuerso quē Deus ad regna & alios honores promotū vult, homines nequaquā impedire possunt. *Cornu iusti*, inquit Psalmista, *exaltabitur in gloria. Peccator videbit & irascetur, dentib. suis fremet, & tabescet: desideriū peccatorū peribit*, Psal. 112. v. 9. Patet id in Iosepho fratribus inuiso ob somniū, & in Ægypto deinceps incarcerato, qui eductus è carcere super terrā Ægypti cōstitutus est, eūq; tēpore famis fratres frumēta emētes adorarūt, sicq; Iosephi somnia impleta sunt, *Gen. 37. v. 7.* Rex quoque Saul tametsi ad internecionē vsq; Dauidē persequeretur, nō inhibere tamē potuit, quo minus in regē inungeretur Dauid, *2. Sa. 5. v. 3.* Sicut vero Saul hoc nō potuit, ita nec Absolon aut Seba Dauidē regno excutere potuerūt, *2. Sam. 15. v. 4. & 20. v. 1.* Quo nomine etiā gratias agit Deo: *Deus*, inquit, *qui das vindictas mihi & subdis populos sub me liberator meus de inimicis meis iracūdis, & ab insurgentib. in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me propterea cōfitebor tibi in nationib. Domine: & nomini tuo Psalmū dicam, Psal. 18. v. 48* Quid? ꝙ nec ipsū Ieroboā, quē tamē malū futurum nouerat Dominus, è medio tollere potuit rex Salomon. Habebat Ieroboam verbum & promissionē Domini, per Abiam Prophetā ipsi denūciatā: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis & dabo tibi decē tribus*, 1. Reg. 11. Hoc Dei verbū nec ipse rex Salom. nec filius ipsius Roboā post Salomonis obitū, irritū facere potuerūt. *1. Re. 11. & 12.*

Principes mali quatenus à Deo.

TH. Hoc eſt, quod antea à nobis dictum eſt, Pharaones, Attilas, ipſiq́ue adeo flagella à Deo ſæpenumero ſuſcitari. Permittit enim aliquando Deus affligi populũ per malos principes, vt eum emẽdet, vel vt peccatũ ab eo cõmiſſum vẽdicet, vt ait Iob. c. 34. v. 30. *qui facit regnare hypocritam propter peccata populi.* Et apud Eſaiã c. 6. extat deſuper locus inſignis his verbis: *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Et dixerunt, Non ambulabimus. conſt. tui ſuper vos ſpeculatores: audite vocem tubæ. Et dixerunt: Non audiemus. Ideo audite gentes, & cognoſce congregatio, quanta ego faciam eis. Audi terra: Ecce ego adducam mala ſuper populum iſtum, fructum cogitationum eius: quia verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Probatorem dedi te in populo meo robuſtum, & ſcies & probabis vias eorum. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter: æs & ferrum, vniuerſi corrupti ſunt. Defecit ſufflatorium in igne, conſumptum eſt plumbum: fruſtra conflauit conflator. Malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentum reprobum vocate eos: quia Dominus proiecit eos.* In quam ſententiam Dominus Eſa. 45. cap. inquit: *Ego ſum Deus creans malum & faciens bonum.* quod recte intelligunt Theologi de malo pœnæ, hoc eſt de pœna, cuius auctor eſt Deus & iuſtus iudex, quoniam iuſtum eſt, vt mali puniantur. Hinc Auguſtinus in Pſal. 54. *Non ſine cauſa*, inquit, Deus *patitur malos: nec putandum, gratis eos eſſe in mundo, & nihil boni de illis agere Deum: cum omnis malus aut ideo viuat, vt corrigatur, aut vt per illum bonus exerceatur.* Quare in mundo non minus ſunt vtiles ſæui, truces, immites principes, quam boni, nec minus poteſtate Dei inualeſcunt quam optimi: quemadmodum inter medicinæ remedia, nõ tam vnctiones, frictiones, dulcia & alia ſuauia & grata adhiberi ſolent ad recuperandam aut conſeruandam ſanitatem; quam aliquando cauteria, acria, expurgantia & amara, miſſioneſq; ſanguinis requiruntur.

Cæterum boni & mali principes, vt & dæmones, habent poteſtatem à Domino: ſed non ideo ipſi, ſi mali ſint, aut ſi poteſtate quæ per ſe bona eſt, abutantur, immunes erũt à diuino iudicio. Neceſſe eſt puniri malos, ſed inde non ſequitur, quod qui puniendi accipiunt poteſtatem, à propriis delictis eximãtur. Sicut neceſſe eſt quidem, eſſe ſcandala, ſed væ homini per quem ſcandalum, *Matth.* 18. Sic expediebat quidẽ, vt vnus homo moreretur pro populo, vt prophetauit Caiphas de morte Chriſti, *Ioh.* 11. verũ non ideo Iudæi, Scribæ & Phariſæi innocẽtes fuerũt, qui malo animo ob vindictã & inuidiam Chriſtum crucifixerunt. Ideo neq; ſibi tyranni blandiri debent, quod ſæpe populum & principes male & pernitioſe viuentes opprimant, conculcent & ſuis flagellis cædant: nam exequuntur illi quidem vindictam & iuſtum Dei iudicium: verum non concurrit voluntas eorum cum affectu & voluntate Dei, quin potius quicquid agunt, id omne ex ambitione, inclementia & tyrannide fit, quibus vtuntur ad ſuum proprium commodum, vt inſeruiant ſuæ

cupiditati, ambitioni & superbiæ, potius, quam vt Dei honor & voluntas impleatur. Itaque etiam ob nefariam ipsorum intentionem voluntati atque intentioni Dei minime conformem tandem grauiter à Deo puniuntur; idque vigore grauissimæ illius comminationis diuinæ, quæ extat Sap. 6. *Audite Reges, discite iudices finium terræ: Præbete aures, vos qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum: Quoniam data est vobis à Domino potestas, & virtus ab Altissimo: qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam iudicium durißimum in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cuiusquam. Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est cura illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt discatis sapientiam, & non excidatis.*

TH. Notissimum est, populum Israelem afflictum valde sub Pharaonis imperio, *cap. 1. Exodi*, ob peccata: & tamen postea ipsum Pharaonem cum suo exercitu submersum. In captiuitatem ductus populus Dei ob abominationes suas & regum, *vt liquet ex lib. 4. Regum. & 2. Paralip. & Macchabæorum*, sed non ideo iustificati tyranni: quia non erat eorũ voluntas exercendi iudicium Dei, sed suæ virtuti, potestatem ex alto sibi concessam tribuebant: proinde & ipsi postea in iram Dei inciderunt, quod optime explicat Esaias *cap. 10. v. 5. & sequẽtib. Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum & contra populum furoris mei, mandabo illi, vt auferat spolia & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gẽtium non paucarum. Dicet enim, numquid non principes mei simul reges sunt? nunquid non vt Charcamis, sic Calano: & vt Arphad sic Emath: nunquid non vt Damascus sic Samaria? Quomodo inuenit manus mea regna Idoli, sic & simulacra eorum de Hierusalem, & de Samaria. Nunquid non sicut fecit Samariæ & idolis eius, sic faciam Hierusalem, & simulacris eius. Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Hierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius. Dixit enim in fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes, &c.*

EQ. Si rerum potiantur principes impii, stolidi, ignaui, iniusti, rapaces, sæui, mendaces, polluti sceleribus, flagitiis & libidinibus: aut si commutata vitæ ratione degenerent à semetipsis: & si hæc vitia regnent etiam in subditis impune, qui fere ad exempla principum sese componunt, præsertim si ita radices egerint, vt extirpari nequeant, amittitur autoritas & sequuntur pœnæ,

quæ mutationes accelerando cõstitutos terminos multis seculis anteuertũt.

TH. Verbis exprimi non potest, quanti momenti res sit, bonos habere principes & magistratum. Videmus namque euenire, vt magistratus, vel principes mali, etiam ad mala & omnis generis flagitia secum trahant ipsum populum, id quod etiam in regno Israel accidit, cuius principes dicuntur recessisse, *Ose.13.* Atq; inde fit, vt populus sit similis arbori, cuius radix exaruit, vnde nullus fructus bonus expectari potest. Tenẽdum igitur, quod Apostolus præcipit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones fieri etiam pro regibus & omnib. qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate, *1. Timoth. 2.*

EQ. Hæc à te allegata verba Pauli discretissime docent, magistratus bonos & politias iustas à Deo amari, curari, defendi atque constitui. Quanquam enim in hoc variabili mundi orbe, nihil dici aut reperiri potest, quod non ab immutabili sapientissimi opificis mente & cognoscatur, & dirigatur: maxime tamen illa diuinæ prouidentiæ vim quandam spargit in eos; qui Rebuspub. cũ imperio præesse, & principum sustinere dignitates debent. Cum enim, vt Deus orbem terrarum, qui magna quædam ciuitas est; sic princeps ciuitatem, quæ orbis est ciuium, regat: Dei ipsius gerat personam, præstet operas vicarias: nemini videri iniquum debet, aut absurdum: tanto Deum vigilantiori cura pro salute Principum excubare: quanto inter hunc & illum propior est similitudo, officiorum adfinitas, & miranda conspiratio. Hæc ipsa tum illustri semper documento patet, quouis loco, quacunque tempestate seculi: tum potissimum, quoties nouum aliquem excitari populi rectorem, honestas postulat, necessitas flagitat.

Testimonia assistentia diuina in imperiis

PH. Proinde Samonis Ægyptii præstantissimi illius Philosophi dictum non est contemnendum. Is enim, cum accepisset, ALEXANDRVM Regem Iouis Hammonis filium oraculo fuisse salutatum, admirantibus compluribus, ait: *Omnes homines sub Dei Imperio sunt: iccirco imperare & principatum inter mortales gerere diuinum quoddam munus existimandum est:* omnibusque rationibus parete dicebat, Deum communẽ hominibus parẽtem esse, verum peculiariter veluti filios sibi adoptare illos, quibus imperandi regendiq; potestatẽ permitteret.

TH. Incenduntur animi subditorum admiratione sapientiæ ac virtutis, & opinione præsentiæ Dei seu auxilii diuini; quibus accedit inclinatio animorũ diuinitus facta in populo, de qua dicitur in historia Regũ *Et abiit cũ eo pars exercitus, quorũ Deus tetigerat corda.* Itẽ, *vt oculus videat & auris audiat, Deus facit vtrunque.*

Hæc eadem illustriora sunt conspectiora in Dauide, qui cum esset humili & obscuro loco natus, & pusilli corporis specie contemptus, atq; inter greges ouium educatus, neq; à se quidquam afferret tanto dignum fastigio, regno tamen magno, populi studio potitus est. Tales ergo principes si gubernacula teneant, quibus autoritatẽ circundat Deus ipse, his quibus dixi nitentẽ talentis, florent & consistunt Imperia. Quibus accidit, ꝙ Deus plerumq; illos nõ tantũ

armat

armat insigni animositate; sed etiã è maximis quibus sæpenumero immergũtur difficultatib. vitæq; periculis, potenti sua dextra clementissime educit. Extat animositatis istiusmodi generosæ exemplũ memorandum in C. Iulio Cæsare. Cum n. aliquando, mari admodũ impetuoso, gubernator nauis, qui eum vehebat, cessurus esset fluctib. & tempestatib. is prehẽsa gubernatoris dextra, *Quid times* inquit, *An non Cæsarẽ vehis?* Quasi nil à tempestatib. periculi foret, propter eius transfretantis personã, quam vt aliorũ Principum in Dei tutela constitutam existimabat. Quod & sensit alias, cũ interceptus in Gallia ab hoste, alius quidam de hostib. occurrit, qui cum dimitti incolumem iussit. Hoc a. ipse Cæsar in Ephemeride sua narrat teste Seruio, vbi propriam cõmemorat fœlicitatẽ. Et memorabile est eximium illud Alphõsi Aragonũ Regis (viri, mortales quẽ Musæ & omnes philomusi in æuum lugeant) apophthegma. Cũ ei à Cosmo Florentino non mediocriter offenso missi essent Titi Liuii libri, vtiq; præclari, reclamatũ est à Medicis Regiis qui aderãt ne attrectaret librũ ab hoste missum, quẽ veneno infectũ in Regis interitũ putabant. Verum, *Alphonsus* cũ aliquando videretur Medicis assentire, demum Liuium manib. attrectans, hinc inde q; legens & relegens quasdã historias, ad suos conuersus, ait: *An ignoratis Regũ animus non priuatorũ libidini subiectos esse, sed sub cura Dei securas & latas agere.* Cẽsuit vir prudẽtissimus, diuina puidentia cũ regantur omnia, cor Regis semper esse in manu Dñ. q regit & flectit quo vult cõtra omnia nostra cõsilia.

Principes Deus periculis eximit

EQ. Quid? ꝙ ne magi quidẽ atq; incantatrices magistratib. qui iudicia in eos exercẽt capitalia, damnũ inferre maleficiis suis possunt, sunt n. vt inquit Nicolaus Remigius *lib. 1. Dæmonolatr. pa. 7.* ab iniuriis Magorũ tuti singulari aliqua benignitate Numinis. Ecce, inquit, vt Deus sacrã tectamq; præstat autoritate eis, quibus in terris suum demandauit imperiũ: quosq; ob id diserte nominis sui prerogatiua atq; honore impertiuit, Deos, vti se, appellãs: nimirũ vt sint sacrosancti, ac ne ipsis quidẽ sagarũ, ob muneris officiiq; sui causam, sortilegiis violabiles. Imo nec dæmonũ ipsorum præceptis, vel minimũ obnoxii: etiamsi suam illis fidẽ labe ista aspersi obstrinxerint. Nam hoc sortelegis magistratus sanctitatẽ præstare, tantisper dũ in eo sunt: vt quiescant ab alioqui inquietissimis eiusmodi Magastellorũ suorũ querelis atq; instigationib. ẽt ipsi Magi fatẽtur. Capessat igitur fidenter Magistratus quæ sunt sui officii, agnoscatque se ei vocationi seruire, in qua Deum propugnatorem passionum defensoremque sit semper habiturus. *Idem p. 9.* At quæ huius suæ assertionis documenta atq; testimonia confessionarũ aliquot insignia ibidem allegat.

Magistratus à veneficarum iniuriis sunt immunes.

TH. Extant etiam passim in historiis alia insuper in summis vitæ principum periculis diuinæ assistentiæ ac protectionis documenta. Crœsum regem bello deuictum occidere tentat hostis, Regẽ eum esse ignorans: at Deus mire illum seruat, filio facto, qui licet natura mutus & clinguis, hostẽ conspicatus mox ingeminato sũpt voce, clamãs in hostẽ, ne Rex Crœs' occideretur. Tũ & hostis gladiũ reduxit, & Rex vita donat' est, & adolescens loqui prors' deinceps incepit.

Sed

Sed & istud *Titi Vespas.* As cum propius ad mœnia Hierosolymæ explorandi causa accederet, multis erumpentium hostium telis petitus est. Quo quidem tempore maxime intelligi potuit, inquit Iosephus, *& bellis momenta, & Imperatorum periculum Deum curare.* Namque è tot missilibus iactis, cum neque galea neque lorica munitus esset, nullum in eius corpus delatum est: sed vel citra, vel vltra velut ex compacto ferebantur.

Et Traianus cum bellum in Iudæos seditiosos suscepisset, horribilis in Syria (quæ bello flagrabat) terræmotus cuncta quatefaciebat, adeo vt maximas illi oræ strages inferret, multa præclaraque ædificia euerteret, homines autem quamplurimos absorberet, interim quid Traiano factum? ecce, ex iis regionibus in locum bene tutum à specie virili, id est, diuinitus, sanus, saluus, lætus educitur, *auctore Dione.*

Fridericus Barbarossa, vt refert Albertus Crantzius *Hist. Sax. lib. 7. cap.* 38. summum aliquando vitæ periculum euasit. Quum enim castra sua haberet ad fluuium quendam, cuius citeriorem ripam hostis teneret, & forte solus cum famulo cogitabundus obambularet; quidam ex insidiis subito in eum irruit, conatusque est pertrahere secum Cæsarem in profluentem, hocque perfecisset, nisi gladio ministri abacto latrone, Cæsar se explicuisset, illo per amnem ad suos natando reuertente.

EQ. Non dissimile periculum adiit Lazarus Schvvendius, heros ille formidabilis Turcis, anno 1567. in obsidione Zatuari Erdelii castri; dum enim ad collocandas machinas bellicas ipsemet omnia circum hanc arcem perlustrat & explorat, agnitus est ab hostibus ex insigni proceritate corporis, qua longe super cæteros eminebat, deque comitatus frequentia, & parum omnino abfuit, quin discrimen vitæ adiret. Petitus enim globis aliquot tormentariis fuit è machinis maioribus, quorum vnus humerum ita strinxit, vt etiam vestis eius igne concepto, quod esset ad pellendum frigus hybernum suffulta pellibus, arderet. Simile periculum is subiit in obsidione Magdeburgensi, dum propius munitiones perlustraret, & locum ad oppugnationem idoneum quęreret; à pręsidiariis enim agnitus subita eruptione facta multis globulis ex tormentis maioribus & minoribus petitus, virtute equi optimi transilientis fossam vix incolumis euasit.

Principum animositas.

TH. Hinc animosa illa in subitaneis ac repentinis difficultatibus, sæpenumero virorum principum confidentia, cuius rei exempla extant authoris admodum memorabilia. Darius Histaspis filius cum cognouisset, sibi in venatione à nonnullis Persis magnæ autoritatis insidias structum iri, non correptus metu est, sed iussit eos arma sumere, & equos, atque deinceps mandauit, vt proferrent & intenderent arma, toruumque aspiciens eos: Quid igitur, inquit, non exequimini id cuius gratia venistis. At illi, cum intrepidum regis vultum perspicerent, non solum impetum remiserunt, verum etiam vsque

adeo

adeo terrore perculsi sunt, vt hastas abiicerent; Darium adorarent, eiusque arbitrio prorsus se dederent.

EQ. Simile legitur de Alphonso Estensi I. Duce Ferrariensi, quem cum sæpe in manu sua habuissent coniurati, & potuissent eum occidere, tamen, vt postea confitebantur, vultu eius exterriti, nec manus, nec cor validum retinebant, idque vsque eo processit, donec ipsi ab Hippolyto Estensi fratre Ducis proditi, tandem facinoris concepti & non patrati pœnas dederunt.

TH. Romæ in summitate Panthei monstratur locus, ex quo Italus quidam Carolum V. Imperat. quum hoc ædificium perlustraret, per fenestram, quæ vnica, sed magnæ capacitatis in fastigio huius ædificii conspicitur, præcipitem dare, nescio an ambitione quadam, vel cupiditate vindictæ, odio aliave de causa constituisse dicitur: Verum deterritum maiestate & authoritate Cæsarea, ab hoc suo sceletato proposito destitisse, hocque suum sceleratum intentum illum deinceps, antequam ex hac vita decederet, parocho suo fassum fuisse.

EQ. In præclara & generosa indole dignitas & virtus ex facie statim elucet. Cuius rei extat præclarum exemplum de Maximiliano Cæsare huius nominis primo. Cum enim à Burgensibus captiuus detineretur; horrebant eius vultum hostes etiam infestissimi, reuerebatur præsentem populus seditiosus, eaque de causa hostes arctissime conclusum, ad populi conspectum raro admittebant. Emergebat enim ex eius vultu ac oculis maiestas magno principe digna, rebellium conscientiam non ficte commouens ac concutiens: inerat grauitas debitam autoritatem, vel refractariis extorquens, vniuersa adeo corporis lineamenta Imperatoriam regalemque dignitatem præferebant, habitus, incessus decens, motus temperatus, verba pondus habentia, affectus hominum quolibet trahebant. *Oculorum ac faciei maiestas.*

Hinc Rhodi Magister in Epistola quadam ad Leonem X. commendat Ismaelem Sophi Persarum ex facie & forma corporis. De illo enim ita scribit: *Ad maximarum virtutum cumulum, pulcherrimo naturæ munere, decora facies accedit, magnanimo digna rege. Ore namque roseo, radiantibus oculis, flaua barba, & quod antiquum apud Persas regia stirpis insigne est, adunco naso illustrique facundia omnium oculos atque animos capit.*

PH. Poetæ olim in suis carminibus, quum gratior sit pulchro veniens è corpore virtus, viris heroicis corpora attribuerunt pulcherrima. Thersitæ vero vt mentem ignauam ac degenerem, ita corpus ad portentum vsque deforme affinxerunt. Quin & Socrates, bonam corporis figuram, bonæ mentis aut argumentum esse aut certe adiumentum, subobscure quidem, at eleganter admodum, illud quidem (corpus) sub pulchri equi, hanc vero (figuram) sub equitis nomine, depingit. Et ipse quoque Ari- *Corporis pulchritudo in principibus eminens.*

 stoteles,

ſtoteles, de corporis & vultus indiciis, pectoris habitum coniiciendum exiſtimat, idemque carnium mollitudinem, ingenii neutiquam duri indicauit ſignum.

EQ. Nequaquam tamen ii, quibus corporis pulchritudo parcius contigit, à virtutis ſtudio ob deformitatem illam extorres eſſe ſtatuendum eſt. Non iam allegabo Æſopum, ob deformitatem corporis, non equidem ridiculum, ſed plane horridum, ſapientiſſimum tamen. Celebrem illum Vlyſſem allego, quem Poeta hoc breui epiphonemate deſcribit:

Non formoſus erat (ſed erat facundus) Vlyſſes.

Et de alio quodam exercitus Græcorum Duce hoc quod dicam, narratur. Cum is aliquando à viro quodam primario inuitatus inſtante iam hora prandii ſolus abſque vllo comite ædes hoſpitis huiuſce ſui ingrederetur, rata materfamilias miniſtrum eſſe Ducis, num inuitatus Dux aduentaret quæſiuit; ille quum mox aduentaturum reſponderet, mulier ſolicita, vt ille interim ligna quædam findere velit, ad coctionem maturandam, iuſſit. Cumque is haud grauate annueret, iamque ſtrenue findendis lignis incumberet hoſpes interea adueniens, virumque hunc inſignem vili huic operi manuario incumbentem cernens rubore ſuffuſus, petiit vt abſiſteret, cauſamque ſciſcitatus hoc ab ipſo reſponſi accepit: Ego ob deformidatem corporis mei pœnas luo.

PH. Proinde vtrobique & formoſi & deformes ad illud Socratis ſpeculum adducendi, vt & illi quam indignum ſit flagitium, quamque abſurdum futurum ſit, ſi in tam venuſto corpore mentem inuenuſtam atq; incultam eſſe patiantur, ac ſub cute nitida, carie ſituque ſqualeat animus; hi vero eo acrius animo excolendo ſtudeant, quo minus naturæ dotibus adiuuantur, mature cogitent.

TH. Magna equidem corpori formoſo ineſt gratia; fallax tamen ea ipſa interim & vana eſt, *Prouerb.* 31. præſertim ſi quis proram omnem ac puppim in pulchritudine illa corporis ſui ſtatuat. Fefellit hæc ipſa Abſolonem iuuenem illum regium pulcherrimum. Cum enim exinde ſpiritus ingentes traheret, adeoque digniſſimum ſe eſſe exiſtimaret, vt omnibus præponeretur, atque Imperii totius ſumma ei committeretur, morte miſerabili audacem iſtam proteruiam luere coactus fuit.

PH. Is teſtante Herodoto, ad Tearum amnem Thraciæ ſtatuam ſuam erexit, hac inſcriptione: *Ad hanc peruenit exercitum ducens aduerſus Scythas, vir optimus atque pulcherrimus cunctorum hominum, Darius Hiſtaſpis filius, Perſarum cunctaque continentis rex.*

EQ. Me-

EQ. Memorabilis vero fragilitatis huiusce commonefactio est, hoc quod iam referam. Extat in illustri Germaniæ loco monumentum cuiusdam nobilis adolescentis, in gentilitio sacello sepulti, qui viuens dicebatur omnium suæ ætatis fuisse pulcherrimus. Cum is in florenti ætate in lethalem morbum incidisset, à propinquis suis exorari non potuit, vt suam effigiem (sicut quoque de Agesilao proditum est memoriæ) posteritati, vel depictam, vel sculptam relinqueret; tantum hoc precibus illorum concessit, vt postquam terræ mandatus esset, plusculos post dies sepulchrum suum aperirent, & qua forma suum cadauer inuenirent, ita depingi curarent. Hoc cum factum esset, inuenerunt faciem eius semiconsumptam à vermibus, & plures serpentes circa diaphragma & spinam dorsi extantes. Iusserunt igitur eius effigiem, sicut inuenerant, lapidi incidi; Atque hoc monumentum adhuc in loco illo inter armatas maiorum & gentilium statuas conspicitur. Documẽtum videlicet certissimum, quam fragilis res sit formosi hominis corpus, & quæ pulchra & magnifica in illo conspiciuntur, nihil esse aliud quam putredinem & escam vermium.

TH. De fragilitate huiusmodi agemus infra. Cæterum monstrosorum ingeniorum monstrosa in quibusdam Principibus indicia, literis prodiderunt historici. De Iohanne Basilide, tyranno Moscorum, omnium crudelissimo, ita scribit Paulus Oderbornus: Statim in eo prodigiosæ naturæ indicia apparuerunt, omnesque pueri mores sæuum quiddam & immane præse ferebant. Sermo enim pueri Basilidis fuit stolidus & monstrosus, mores maligni & peruersissimi, ex quo magnates gentis de ingenio & tota eius vita coniecturam facientes, eum indito poculis veneno occidere statuerunt, quando ab eius dira potestate & luctum & calamitatem vniuersis mortalibus impendere viderent. *Monstrosi ingenii indicia.*

De Selymo, Turcarum rege, Rhodi Magister in epistola quadam ad Leonem X. sumpta vituperandi materia ex facie & forma corporis ita scribit: *In Selymo omne virtutis ornamentum inhumana crudelitas elidit & obscurat, qui & pœna & præmio vim imperij tuetur: Sed & aliquando grauiore seueritatis quam beneficentiæ fama. In hoc rege triste supercilium, prægrandes toruique oculi, & Scythico pallore suffusa facies, rigentesque seta à superiori labro ad ceruicem retortæ, & nigrescens ad mentum subtonsa barba, ita vt naturam militarem, & inexorabilis animi vim exprimant.*

TH. Extant Nazianzeni duæ Orationes, in quarum altera gestuum Iuliani apostatæ descriptio est, memoria digna, quæ significat ex gestibus coniecturã de ingeniis & voluptatibus fieri. Verba hæc sunt: *Fecit me vatem, gestuum ipsius deformitas & ingens admiratio, siquidem optimus vates est, qui ex coniecturis*

optime ratiocinatur. Nequaquam vero mihi boni hominis signa esse videbantur: Colli crebra conuersiones, humeri alternis subsaltantes, oculi torui, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes instabiles, crebra geniculationes, Nasus contumeliam & contemptum spirans, figura vultus derisionem significans, quoquo modo variabatur, Risus crebri altum crepantes, Nutus, renutus sine sermone, sermo interruptus, non complens sententiam, Interrogationes crebra confusanea & stulta, Responsiones inconcinna, coacernata, inter se dissidentes & sine ordine. Quis singula describat? Talem vidi ante facta qualem esse postea facta ipsa ostenderunt. Et si adessent, qui tunc mecum fuerunt. & eadem viderunt, testes essent huius mea narrationis, qui meminerunt etiam, me edidisse hanc vocem. Quantam pestem Romana Monarchia nunc alit? Fuit autem Athanasii vaticinium verum, qui, cum Ecclesiæ passim in magno dolore & metu essent, dixit hunc Tyrannum Nubeculam esse cito transituram.

PH. Mera sunt quæ recensetis, contingentia, quibus ipse Seneca reclamat, qui egregiam sub quauis cute latere posse autumat, inducitque exemplum Clarini cuiusdam (sic dicti) qui cum corpore deformi esset, ingenio tamen ac virtute præcelluerit. *Virtus, ait, nullo eget honestamento: ipsa magnum sui decus est, & corpus suum consecrat: Potest ex casa vir magnus exire, potest & ex humili deformique corpusculo formosus animus & magnus: non deformitate corporis fœdatur animus, sed pulchritudine animi corpus ornatur.* Etenim

Dat probitas speciem, sed non species probitatem.

Et idem Seneca Epist. 67. *Æque laudabilis virtus est in corpore valido atque libero posita, atque in morbido ac vincto. Ergo ob tuam virtutem non magis laudaberis, si corpus tuum integrum fortuna præstitit, quam si ex aliqua parte mutilatum. Alioquin erit ex seruorum habitu dominum æstimare. Omnia enim ista, in qua dominium casus exercet, serua sunt. Pecunia, corpus & honores imbecilla sunt, fluida, mortalia, possessiones incerta. Si hucusque perueneris, vt magis diligas integrum omnibus membris & illæsum, quam debilem & luscum paulatim fastidium tuum eo vsque procedet, vt è duobus æque iustis & prudentibus comatum & crispum malis. Sed quis vnquam censuram inter filios agit, vt filium sanum, quam ægrum magis diligat? procerum & excelsum, quam breuem ac modicum?* Hæc Seneca.

TH. Non ad modum hisce refragor; hoc tamen superius à nobis dictis addo, Deum cætuum ciuilium rectoribus donare excellentiorem notitiam rerũ diuinarum & humanarum, & eis adiungere throno suo assidentem sapientiam, vt Salomoni regi Israelitarum, quo nemo vnquam mortalium fuit sapientior: vt Dauidi patri eius: vt Cyro Persarum regi: vt Hermeti Trismegisto Ægyptiorum regi. Estq; adeo verum, quod sapientia in Prouerbiis Salom. *cap.* 8. clamitat & prudentia dat vocem suam: *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges regnant & legum conditores iusta decernũt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.*

EQ. Hinc

EQ. Hinc recte *Leonidas*, cuidam dicenti, excepto regno nulla re nobis præstas: At, inquit, in vobis fuissem, melior, non essem rex. Moderatissimo dicto & refellit conuicium, & suam dignitatem defendit. Etenim vbi reges non nascuntur, sed ciuium suffragiis eliguntur, hoc ipso publicis calculis princeps iudicatus est cæteris melior, quod ad regnum ascitus est. *Plutarch. in Lacon.*

PH. Scite Plato 4. de legibus. *Deus* (inquit) *cum intelligeret, nullam hominum naturam, res humanas ita gubernare posse; vt si omnibus arbitratu suo dominetur, lasciuiori superbia iniustitiaque non repleatur. Cum hæc (inquam,) non ignoraret, non homines, sed diuinorum præstantiorisque generis angelos, ciuitatibus nostris, reges principesque præfecit: quod nunc nos in ouium gregibus facimus; non enim bobus boues, nec capris capras præfecimus, sed nos ipsi genus melius dominamur.* Et in lib. de Regno: *Existimo* (inquit) *eos ciuiles ac regios homines esse: qui arte quadam imperant, volentibus & nolentibus, pauperes aut diuites ipsi imperitent: nil refert. Nam & medicos nihilominus sic appellamus, siue inuitis, siue volentibus secando, aut vrendo, vel aliter affligendo, scripturis vel ex vsu prosint.* Cæterum insignis est Musonii commonefactio, quam omnibus iis qui negotia præsertim publica, gerunt, inculcat: *Si quid feceris honestum cum labore, laboarbit, honestum manet. Si quid feceris turpe cum voluptatibus, voluptas abit, turpitudo manet.*

EQ. Omnes actiones iustitiam, veritatem atque honestatem debent habere comites; in quarum expeditione singularis etiam vtrobiuis requiritur prudentia atq; discretio. Adest, qui pertinacissime quid petat, qui ambiat dignitates, aut munus aliquod publicum, qui longi temporis poscat obsequiis suis præmium conferri: huius petitioni molestæ satisfaciendum est, ne iniuriam fieri sibi conqueratur. Crimina porro omnia, quæ in Rep. committantur, dũ Regis arbitrio subiecta puniuntur, veluti carnifex quidam ab ipsa est constitutus. Iam seditiones, lites, contentionesque ciuium ad eum tanquam communem arbitrum variis, & remotis ex locis deferuntur, magnamque pariunt molestiam, erepta deliberaudi sæpe facultate, propter mirabilem varietatem. Quod si vero hostis regionem inuadat, hunc protinus cura de bello, eius apparatu, milite, duce, commeatu, cæterisque necessariis subire debet: Itaque reliquis quiescentibus, solus de hoste repellendo, inuadendo, præoccupandove cogitat, solus se periculis offert, solus rei pecuniariæ, militis, ducum, præmiorum, suppliciorumque cuique pro factis debitorum procurationem sustinet. In vectigalibus porro imponendis, aut exigendis quot ciuium sunt querimoniæ, tumultus, execrationes? spoliari se, quam ab hoste, non minus, putant. Præterea adulatio, mẽdacia, simulatio, occultata prætextu amicitiæ odia, doli ad extorquendum, quod cupiant à familiaribus prauis intenti, perfidia, verorum amicorum penuria, cæteraque huius generis, quæ sunt regno insita, certe miserrima sunt: cum ne id quidem regibus liceat habere, quod quiuis è medio vulgo facile nanciscatur.

PH. Prudentia vero illa atque discretio etiam Principibus non innascitur, proinde illam vt ediscant, studio indefesso ipsis opus est: Haurire autem illā omnium commodissime possunt ex historiarum omnimoda lectione atque cognitione, vnde summa vtilitas tum publica tum priuata emanat. Publica in eo cernitur, quod ex historia licet cognoscere omnia, quæ sparsim per totum orbem, à primo principio atque ad hæc vltima diuinæ patientiæ tempora gesta sunt: quæ quidem memoriæ conseruatio in genere prodest omnibus hominibus cuiuscunque sexus vel ætatis: & est causa conseruationis regnorum, ciuitatum, societatum, quæ instituuntur & gubernantur ad normam & exempla eorum qui ante nos vixerunt. Priuata vtilitas est, quod recta consideratio memoriæ & antiquitatis egregie valet ad formandum cuiusque iudicium in omnibus casibus & actionibus humanis: vnde postmodum emergit felicitas singulorum hominum; qui effectus longe est præstantissimus. Deinde etiam hoc confert historiarum cognitio, quod non solum præconium laudis tribuit virtuti: quemadmodum contra vituperium malitiæ & improbitati, viuentibus adhuc: sed quod homines etiam post obitum claros reddit, æternamque rebus gestis memoriam conciliat, & eandem conseruat. Quibus etiam de causis sapientissimi & fortissimi quique heroes, reges, principes, oratores & philosophi, non solum ipsi legerunt historias libenter & diligenter, sed earundem lectionem etiam aliis studiose commendarunt. Thucydides lib. 1. belli Peloponnesiaci, historiam vocat κτῆμα ἐς ἀεὶ συγκείμενον, καὶ καλὸν τοῦ ἀνθρωπίνου βίου κατόπτρον, thesaurum perpetuum exemplorum ad omnia mundi tempora congruentem; & speculum humanæ vitæ M. Tul. Cicero appellat eam testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nunciam vetustatis. Gregorius Nazianzenus vocat συμφέρθην, σοφίαν, πολλῶν τε καὶ πάντων νόον, accumulatam sapientiam, multorum atque omnium animum. Polybius *libr*. 1. celebrat eam tamquam ἑτοιμοτάτην διόρθωσιν, καὶ ἀληθινωτάτην παιδείαν, id est, paratissimam correctionem, & verissimam disciplinam in omni vita, quæ sola docet optima facere & pessima fugere, vt ait Lucianus. Ex quo Dionysius Halicarnassæus ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας, id est, principium prudentiæ & sapientiæ Historiam cognominauit. Hisce enim fructibus viribusque si careret Historia, nunquam Græcia tanti fecisset libros Herodoti, vt eos in ludis Olympicis quinto quoque anno prælegeret atque repeteret: nunquam Demosthenes Thucydidem octies manu sua descripsisset: nunquam Alexander Magnus Homerum belli Troiani scriptorem in sinu per orbem terrarum circumgestasset, atque oraculi instar consuluisset: nunquam Cornelius Scipio Africanus Xenophontis libros, maxime Cyropædian, indiuiduum comitem in maximis expeditionibus sibi adiunxisset: nunquam Demetrius Phalereus, Alphonsus Aragonum rex, Carol. V. & alii præstātissimi Principes Historicos tā Græcos quā Romanos

Historiarū vtilitas.

nos viuis consiliariis suis ꝓtulissent, qui vel spe lucri vel metu pœnæ nec volũt nec audent quandoq; Dominis suis præcipere atq; suadere vtilia & necessaria.

EQ. Vere nimirum Xenophon, apis illa Attica, Historiam nominat *ἀρίστην διδασκαλίαν, optimam præteritarum rerum disciplinam.* Quinetiam ipse homo in eo præcipue à reliquis animantibus differt, quod hæc præsentia tantum curãt; præteritorum vero recordationem aut futurorum præsentiam vel nullam habent vel exiguam. Vnde idem Cicero: *nescire*, ait, *quid antequam natus sis, acciderit: id est, semper esse puerum.* Nec immerito Sacerdos ille Ægyptius, (vt est apud Platonem in Timæo) Solonem & quosdam alios Græcos non sapientes, sed pueros appellauit. Quare si senes magno in honore habemus; quod (vt ait Quintil.) plures quam alii nosse ac vidisse credantur: adeoq; immortalitatem ipsam expetimus omnes: quod ad intelligenda cernendaque plurima profuturam nobis eam nihil dubitamus: quidni ergo Historiam omnis vitæ memoriam, omnis vetustatis nunciam, quæ hæc omnia & melius & facilius efficere potest quam cuiusvis hominis ętas aut experientia, longe faceremus maximi.

TH. Sunt humani casus fere subinde sibi similes, & velut in orbem subinde redeunt: & vt hominũ natura eadem manet, sic in rebus humanis eædem quoque occasiones, consilia, negotia, eorumq; euentus, tam in gubernatione reipubl. quã cuiusq; vitæ priuatæ moderatione recurrunt: adeo vt qui velit, facile possit, ꝓterita cũ pręsentib. cõparãdo, futuros casus velut in tabula prospicere: quidve sibi expediat, vel nõ velut è penu liberalissima depromere; quã ob causam vere Plut. Historiã *παράδειγμα τῆς εὐβουλίας*, exẽplũ recti cõsilii nuncupat.

EQ. Proinde his cũprimis, qui ad reipub. gubernacula sedent, quibus ciuitates, Dynastiæ, principatus, regna, imperia, vniuersi deniq; populi à Deo commissi sunt, historiarũ cognitio commẽdata esse debet, non quidẽ ad voluptatem aut tempus frustra terendũ: sed ad viuendi legẽ & recte imperandi normã atq; scientiã; vt principes non tã exẽpla quærant factorũ, dictorũ, consiliorũ, casuum diuersorũ: vt nõ tam habeãt multorũ locorũ, gentium atq; nationum eorũq; morum & consuetudinum cognitionẽ, vt multiplices regnorum ac rerumpubl. formas, earũ initia, progressus & exitus cognoscãt: deniq; vt omniũ tẽporum ac totius vitæ humanæ cursum atq; vicissitudinẽ cõtemplentur: quã vt accurate notẽt, quid pulchre, quid turpiter actum dictumue sit: vt alterum fugiant, alterũ amplectãtur: imo vt ex ratione tẽporũ, locorũ, cõsiliorũ, factorum atq; euentuũ discant, quomodo in ciuili vita recte versari, subditisq; bene præesse debeãt. Ita fiet, vt Principes animis suis quandã veluti formã imprimant, ædificandi ciuitates, instituendorũ ciuium, legũ condendarum & abrogandarum: dicendi iura, ducendi exercitus: conseruandi studia doctrinarum, maxime vero retinendi cultus diuini, atque adeo totius reipublicæ rectæ formandæ gubernandæque ad suam & suorum nunquam intermorituram gloriam atque salutem.

TH. Vtile omnino atque necessarium est, vt vere sciant principes, quid vbique locorum omni tempore gestum factumue sit memorabile: à Deo, à viris illustribus; ab hominibus etiam sceleratis & improbis: quæ item horum omnium occasiones, causæ, progressus euentaque fuerint, sed etiam, vt seipsos inuicem commonefaciant de iis, quæ ipsismet vel etiam eorum posteris expectanda sint, quorum vel maxime est habenda ratio, ne prauitate gestorum iram Dei in suos ipsorum posteros accumulent.

PH. Duabus præcipue rebus homines sapere discunt: experientia, propria & exemplis aliorum. At vero constat esse tutius discere ex aliis quod ex vsu sibi fiet, felicemque esse censendum eum, quem faciunt aliena pericula cautum. Scire vult Princeps, priuatim quo pacto consilia & mores suos instituat, animum virtutis amore accendat, odio vitiorum corrigat, graues fortunæ insultus euitet: tandem vero ad metam placide perueniat. Historias legat piorum & virtute præditorum hominum: Videbit in hoc timoris Dei exemplum: in illo iustitiæ studium: in alio cernet modestiam: in alio prudentiam; in alio fortitudinem; in alio patientiam: in aliis alia. Horum consilia, actiones, studia, exitusque vitæ consideret, imitetur, exprimat. Mandata ei est à Deo cura Reipublicæ & subditorum: nosse desiderat, quæ salutaria sint consilia sibi suisque: quæ officia boni magistratus erga Deum, erga homines: quid deceat domi in pace: quid foris in bello sit? legat Historias. Exempla innumera, eaque clarissima inueniet veri cultus Dei: literarum bonarumque artium: honestæ disciplinæ, prudentiæ, fortitudinis, iustitiæ, temperantiæ, clementiæ, mansuetudinis, patientiæ, modestiæ, continentiæ. Videbit, quibus rebus nonnulli à Deo amplissima consecuti sint imperia, eademque gubernarint felicissime: contra quibus alii maxima regna euerterint, & se suosque in perpetuas calamitates præcipites dederint. Illic cernet Noachum, Abrahamum, Mosen, Iosuam, Dauidem, Iosaphatum, Ezechiam, Cyrum, Themistoclem, Scipionem, Augustum, Theodosium, Constantinum, Carolum Magnum & heroes alios innumerabiles. Hic Sodomas & Gomorrhas, Beniamitas, Saulem, Cambysen, Pharaonem, Sardanapalum, Phalaridem, Herodem, Antonium, Tiberios, Neronem, Domitianum, Heliogabalum & similia torrenda monstra; quorum omnium collatione quid sequendum in tota vita, quid vero fugiendum sit, Princeps facile animaduertet.

TH. Exemplis certe non secus, quam legibus, animi Principum ad virtutem informantur, motus heroici in illis accenduntur, econtra à vitiis & libidinibus ignauia absterrentur; idque longe citius certiusve, quam vel vllum præceptum, aut viua vox, vel concio vlla potest. Reuera enim exempla longe maiorem vim habent ad hominum animos mouendos;

dos; dum quod alii accidit, idem sibi quoque euenire posse, quilibet existimat. Et sumus plerunque alii aliorum simiæ seu imitatores hoc in mundo. vtinam in bonis potius quam in malis: ad quæ natura nos propensiores finxit.

PH. Elegans desuper extat Ephesiorum præceptum, cuius fit mentio in vita Antonini: *quotidie alicuius veterum recordari nos oportere, qui cum virtute vixit*, huius, inquam, præcepti memores subinde esse debent, donec tandem illis cum Zenone Philosopho (quod Suidas & Laertius referunt) liceat συγχρωτίζεσθαι, eorum colores moresve induere, sibique quodammodo affricare. Moueant eos exempla præstantissimorum virorum omnibus seculis, qui ex historiarum lectione & ipsi facti sunt optimi, & illis velut viuæ imagines, cum ciuilis tum Christianæ vitæ non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum lampada præluxerunt. Moueant eos dicta sapientissimorum hominum, qui hanc vitæ magistram pluribus iisque grauissimis sententiis, cuiuis commendarunt, velut μόνην καὶ ἀναμφίλεκτον διδάσκαλον τοῦ λέγειν τε καὶ πράττειν τὰ ἄριστα: ζήλῳ τῶν ἀρίστων: καὶ φυγῇ τῶν χειρόνων: id est, velut *vnicam indubitatam magistram & dicendi & faciendi quæ sunt optima: æmulatione quidem bonorum, fuga vero malorum*, vt sapienter ait Lucianus: moueat denique eos ipsius Dei vox non frustra in sacris literis toties repetita: *Narrabis hæc filiis tuis & filiorum tuorum filiis.*

EQ. Videmus sane, quosdam religiose colere imagines & statuas parentum maiorumque suorum: vel ob id saltem, quod externa illarum specie, ad imitandum excitari sese putant: quanto magis conuenit, in historiis clarorum virorum exempla intueri; non vt corporum, sed vt animorum simulachra viua & elegantissima, è quibus longe melius cuiusque mores animumque videre possunt, quam ex quibusuis aliis corporum lineamentis. Accedit, quod statuæ & imagines, licet delectent plurimum, tamen non facile loco mouentur: nec vbique nobis sunt obuiæ præsentesque: at historiam, quotiescunque opus est aut libet, nobiscum ferre atque habere licet; quæ quidem in amœnissimum, amplissimum ornatissimumque totius mundi vitæque humanæ nos introducit theatrum; vnde non inanes & vacui velut è ludis scenicis redimus, sed ex quo nobiscum auferre possumus abunde, quod ad omnem nostræ quoque vitæ casum & fortunam expediat.

PH Lucullus certe breui temporis spatio admodum insignem, nullóque auro redimendam vtilitatem ex historiarum lectione feliciter hausit. Is enim rei militaris antea ignarus, Roma contra hostem potentissimum iuxta & callidissimum Mithridatem profectus, cum totum iter legendis historiis, doctorumque hominum disputationibus consumpsisset; in Asiam veniens Imperator, ita Mithridatem hostem acerrimum exer-

pariter & consilio promtus, munificus, à crudelitate alienissimus. Cum enim non desinerent Pontificii & vi manifesta & fraude atq; insidiis vitam eius ac iugulum petere, repressit tamen indignationem & vindictæ cupiditatẽ quantum potuit victor, & pœnas deuictis mitigauit. Sepulchro versus inscripti sunt hi:

Si probitas sensus, virtutum gratia, census
Nobilitate orti, possent obsistere morti,
Non foret extinctus Fridericus qui iacet intus.

Hic fuit exitus Friderici Secundi, Principis summis illis omnium temporum Heroibus annumerandi, qui cum virtute & gloria bellica excellentem in omni doctrinarum genere eruditionem coniunxerunt.

Gordianus III. Imp. amans fuit iustitiæ, pudicus & alienus à crudelitate.

Leo Imperator fuit Princeps iustus, & eo vtilis, quia cum ipse alienus esset à falsis dogmatibus, Ecclesiæ minus turbatæ sunt.

Mauritius Imperator initio fuit iustus. Postea iracundior factus est & suspicax, & magis contempsit suos & alienos.

Nerua Cocceius interfecto Domitiano successor, Princeps iustus & beneficus fuit, iniuste damnatos sub Domitiano restituit. Prohibuit sæuitiam, quæ in Christianos exercebatur, & Sycophantas quosdam occidi iussit, inter quos fuit & Sura Philosophus. Iussu eius delecti sunt Senatores, qui agros emerent data pecunia ex publico, & diuiderent egenis ciuibus. Sustulit sumtuosa spectacula.

Rupertus Bauariæ Dux & Elector Palatinus ad Rhenum, à principibus Electoribus electus Imperator, vir fuit ingenio acris, corpore paruus, sed ingens animo, maiestatis Imperii ac Rerumpublicarum perquam amans ac studiosus, opinione iustitiæ & integritatis celebris ac bello exercitatus.

Sigismundus Imper. adhuc puer admodum, propter generosæ indolis cõspicua signa, à Ludouico rege Pãnoniæ est adoptatus; filiæ nuptiis & regno in dotẽ ipsi promissis. Ex ephebis autem vix excesserat, quũ socrus suæ reginæ cęde cõpe[illegible]ta (Hanc namq; Ioan. Horuatius in aquam demersam suffocarat.) Pannoniã cum exercitu est ingressus, susceptisq; insignib. & ornamentis regis ac nuptiis celebratis; omnium primum de Horuatio parricida & aliis XXXI proceribus, qui sub muliebri regno iugum excusserant, supplicium sumpsit. Vnde illi tanta mox gentis inuidia conflata: vt post bellum Turcicum ad Nicopolim infeliciter gestum, armatis comitiis captus: necandusq; magis quam asseruandus, fœminæ, cuius maritum è nobili familia Garenorũ inter factiosos supplicio affecerat, sit traditus. Sed è vinculis liberatus diuinitus, irato nimirum fœminæ animo promissis amplissimis pacato: in Morauia milite conscripto, regnum Vngariæ mox recepit, præsidiisque firmauit. Stephanum vero Vaiuodam, siue captiuitatis autorem, securi ferit.

Ruperto Palatino defuncto, successor in imperio omnium suffragiis dictus, atq; confirmatus fuit.

Prima ætate vehementior fuit,& in vindicando asperior. Sed hanc asperitatem paulatim ætas leniit & vsus rerum. Ideo cuidam expostulanti cum eo, quod victis hostibus non solum vitam & opes relinqueret, sed eos etiam inter amicos reciperet atq; extolleret: Tibi, inquit, videtur vtile inimicum occidere, quia à mortuo periculi nihil. At ego inimicum occido, dum parco, & amicum facio, dum extollo.

Constat & munificum fuisse pene ad profusionem vsq;. Exempla enim munificentiæ eius commemorantur aliquot illustria festiuis condita iocis, in quibus lucet ingenii acumen pariter & festiuitas. Cum quodam tempore illo flumen transeunte, equus quo vehebatur, vrinam mitteret, prope equitans vnus ex aulicis ministris, probatę fidei homo, & qui diu seruierat, Equus, inquit, Domini similis est. Imperator has voces audiens, caussam quærit. Respondit minister: Equum proiicere vrinā in locum antea abundantem aquis: Sic Imperatorem effundere beneficentiam in eos, qui affluant opibus, negligere cæteros qui egeant. Intelligēs Imperator, se festiue accusari, quod ministri bene meriti ratio̅ ē habuerit nullā, respondet: Voluntatem benefaciendi ipsi nunquam sibi defuisse, sed ita fieri plerunque, vt fructus beneficentię publicæ Regū ac Principum redeat non tam ad eos, quib. ex merito, quā quibus ex destinato fato quodam debeatur, idque se illi declaraturum reipsa. Non ita multo post ocium nactus, duas pixides magnitudine pares, implet, vnam auro, alteram plumbo, vt & pondere fierent ęquales, has ministro proponit, & vt eligat, vtram vellet iubet. Minister plumbeam arripit. Viso plumbo inquit Imperator: Agnoscis ergo mihi non voluntatē, sed tibi fortunā defuisse, sapiēter monens: Bona non sola vel dexteritate iudicii vel diligentia humana acquiri, sed & distribui atq; conferri diuinitus, & ad ea cōsequenda & percipienda, homines flecti etiā duciq; diuinitus, & à Deo tanquā autore præcipuo peti atq; expectari debere. Obiit septuagenarius A.C.1437. Princeps doctrina, humanitate, sapientia præstantissimus: literarum & literatorum studiosissimus: magnitudine animi, dexteritate in consiliis, laborum patientia haud immerito cum Carolis & Othonibus conferendus, si consiliis & conatibus eius respondisset fortuna.

Theodosius patre Honorio, matre Termātia, Hispanus genere, natus in familia nobili, cuius origo ad Traianum refertur, haud dubie literarum & veræ pietatis cultor, iustitia & fortitudine excellens, postremus Romanum Imperium in Occidente & Oriente tenuit integrum.

Theodosius II. Princeps laude dignus propter pietatem, iustitiam, castitatem & modestiam. Profuit eius gubernatio Ecclesiæ, in qua multa recte egit Pulcheriæ sororis consilio, & Deus eum contra inimicos mirabili-

bilitet defendit. Cum Persas duobus magnis præliis vicisset, tamen de pace facienda victor legatos ad eos misit. Ita postea Orientem tenuit pacatum, nec in pace voluptatibus se dedidit, sed vtiles leges condidit, quarum multæ ad hæc extant, vt de coniugiis.

Theophilus Balbi filius in gubernatione iustus & seuerus, in vita honestus & castus fuit.

Tiberius Constantinus ascitus ad Imperium à Iustino adhuc viuente propter eximias virtutes, quæ in eo in gubernatione aulæ conspectæ erant. Coronatus est à Patriarcha Eutychio cũ coniuge Anastasia. Mansit constans in professione piarum Synodorum, nec permisit turbari Ecclesiam. Fuit iustus in gubernatione, placidus & sine πολυπραγμοσύνη, sine auaritia. Noua quædam tributa aboleuit.

Titus Vespasianus laudatissimus fuit, ac propter iustitiam & beneficentiam nominatus est Amor & Deliciæ generis humani.

Valerium Probum exercitus elegit Imperatoré, cuius virtus exercibitus nota erat. Cum igitur in concione militari dictum esset, quærendum esse Imperatorem fortem, sanctum & probum, tota multitudo quasi omen sequens acclamauit: *Probe Auguste dii seruent.*

Sunt hæc quæ allegaui exempla, pauca quidem numero, quæ tamen facile sufficere possunt iis quibus virtutis studia cordi sunt. Nunc ad eos transeo, qui vixerunt mediocriter, è quibus primus sit Carolus IV. Imperator, qui quidem dignus fuerat laude ni regnorum Boemiæ & Franciæ, quam Imperii amantior: ni rei priuatæ quam publicæ, suæque posteritatis quam Maiestatis Imperii amplificandæ conseruandæque studiosior: ni pecuniæ quam recti iustique fuisset auidior: Et nisi maluisset ex diminutis potius possim in Germania & Italia dignitatibus & opibus imperii, alienatione regionum & publicorum vectigalium, venditione immunitatum, concessione libertatum: nisi ergo ex his diminutis & labefactatis potius, quam adauctis ac stabilitis maluisset perniciosa magis Reipub. quam suis vtilia & tuta comparare præsidia, ad diuturnitatem ac firmitatem: si denique florente Republica suis etiam bene futurum cogitasset. Quare sequutum & hoc est, vt non tantum in Imperio plurimis ornamentis ac præsidiis spoliato sui non diu dominarentur, sed posteritas infortunata esset, & tandem intercideret.

Cæteroquin tamen heros manu & armis promptus, multa bella feliciter confecit: quippe qui viuente adhuc patre Tartaros forti animo fudit: Cisalpinæ Galliæ ciuitates à patre olim acceptas acertime defendit: Veronenses audacter profligauit: quoin bello bis ab equo cecidit: tertium conscendit: haud veritus fortissima quæque militis præstare facinora. Literarum quoque humaniorum & plurimarum linguarum fuit peritus, sapiens, eloquens, doctorumque virorum consuetudine summe delectatus. Cuius rei testes sunt,

Academia Pragensis ab ipso condita, & lex de Comitiis Cæsareis habenidis, quam, Rogationem Carolinam & auream Bullam nuncupamus, decessit Pragæ 1378.

Iustinianus valuit quidem consilio, & fuit eo felix, quod industrios & felices Duces habuit, per quos in magnis bellis in Asia defendit Imperium. Alibi recuperauit Prouincias aliquas amissas. Vituperatur tamen eius auaritia, quod omnes gentes onerarit magnis tributis, quod omnes circumuentos calumniis excusserit ex facultatibus, quod Doctoribus stipendia ademerit. Sed fortassis magnitudo bellorum & ædificationum eum excusat.

Popilius Macrinus initio Imperii sibi & Reipublicæ consulens, pacem emit à Parthis data pecunia. Deinde vero Antiochiæ ludis deditus venit in odium militum propter asperitatem & tenacitatem. Inter cætera eius facta hoc narratur. Cum duo milites hospitam vi compressissent, inclusit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui possent, donec extincti sunt.

Valerius Aurelianus Imp. militari virtute excelluit, sed propter crudelitatem venit in odium.

Valerianus ꝓpter iustitiam & fortitudinē Senatui adeo carus fuit, vt antea Censor consentientib. Decii Imperatoris & Senatus suffragiis factus fuerit. Postea cum alibi alii Imperatores ab exercitibus creati & interfecti essent, hunc libenter & Senatus & omnes exercitus receperunt. Fuit initio mitis erga Christianos, sed postea à Mago Ægyptio incitatus est, vt persecutionem moueret, qui persuasit etiam ei, vt humanas hostias mactaret.

Hi fuerunt mediocres. At vero quæ iam sequuntur, monstra prope magis quam homines fuerunt. Alexander Basilici Macedonis Imp. filius, frater Leonis prouolutus ac demersus in helluationes & libidines, curam imperii commisit adulatoribus, præstigiatoribus, & flagitiorum sociis.

Antoninus Bassianus, cognomento Caracalla, à figura vestis ita dictus, qua & ipse vsus est, & cuius similes militib. & populo donauit. Crudelissimus fuit & incestus. Initio Imperii fratrem Getam natum ex Iulia, quem pater voluerat fratris Collegam esse, interfecit pendentem de collo matris Iuliæ, & clamantem: Mater opem fer mihi; interficior. At mater non tantum sanguine filii respersa est, sed etiam vulnus in manu accepit. Hæc tamen postea priuigno Bassiano nupsit, & quidem inuitans eum. Cum enim quasi per negligentiam coram eo nudasset sinum, & ille diceret: Vellem si liceret, illa contra ait: Si libet licet. An nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere? Publice igitur eam duxit, & vxoris loco habuit. Quare & postea Alexandrini eam Iocastam & ipsum nominarunt Oedipum. Sed huius ioci magnas pœnas dederunt. Trucidauit enim in vrbe Alexandrina Bassianus multa milia ciuium.

Romæ iniuste plurimos senatores & alios interfecit, & inter hos Papinianum Iurisconsultū Præfectum vrbis docentē Ius, quod excusare necem Getæ noluit

luit

ru t. Cum enim iussus esset eam excusare, recusans respondit: Non tam facile est excusare parricidium, quam facere. Hæc fortitudo necessaria est, malle mori, quam defendere iniustam causam.

Cum vellet Bassianus in omnibus rebus imitator esse Alexandri, Scholas Aristotelicas Alexandriæ aboleuit, & libros Aristotelis cóburere conatus est, dicens Aristotelé iuuisse consilium mittendi venenũ ad necandũ Alexandrũ.

Andronicus iugulato Alexio rerum potitus, fraudulenta calliditate, & lupina sæuitia nulli secundus fuit. Nã & suos & Alexii patruelis consanguineos amicosq;, quoscunque arripuit, vel crudelibus suppliciis tortos enecauit, vel oculis priuauit.

Carolus Caluus fuit princeps auarus, insolens & ambitiosus, iactabundus, θρασύδειλος, infelix.

Commodus à prima statim pueritia fuit turpis & crudelis.

Constás Imp. fuit initio iustus & strenuus, sed postea propter morbum articularem deditus voluptatibus neglexit gubernationem, & multa crudeliter fecit. Quare in vrbe Augusta Rhetica contra eum factus est Imperator Magnentius, qui tunc præerat Rheticæ.

Domitianus fratri succedens, dissimilis fuit fratri, crudelis, occultator diffidens, suspicax & insidiator, obscœnus, rapax.

Gallienus filius Valeriani patre capto regnauit, similis Neroni aut Domitiano, deditus obscœnis voluptatibus & crudelis. Quare, cum ducib. & exercitibus inuisus esset, numerantur eius tempore triginta duces, qui à suis exercitibus facti sunt Imperatores, qui partim inter sese dimicarunt, partim à suis militibus interfecti sunt. Hæc laniena Ducum vires Imperii duriter afflixit, & gubernationem vbique turbauit.

Honoricus, cuius tempus insigne est ingenti crudelitate Regis, fame & pestilétia Africæ, & tertio exitu Tyranni, honestas matronas & virgines nudatas suspédit, facibus vssit corpora, præcidit maxillas & brachia nolentib. assentiri Arianæ impietati. In ipso supplicio Dionysia matrona nobilis, Filium vnicum Maioricum raptum ad necem confirmauit inquiens: *Memento fili, te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum esse.*

Iulianus apostata, Nicomediæ primum doctrinam Ecclesiæ didicit & professione Christianus fuit, ac institutus in collegio Nicomediensi. Interea clam auditor fuit Libanii, qui tunc Nicomediæ Rhetor fuit; ille inflexit eum ad Ethnicos. Paulatim & aliis Ethnicis disertis & Philosophis familiaris factus, Iamblico, Maximo, Byzantio & aliis; cœpit superbe fastidire Ecclesiæ doctrinam, & anteferre opiniones Ethnicas natas in humana ratione, & palam hostis factus est Christi. Postea ingenii vanitate dedidit se & magicis artibus, & ex magorum præceptis mactauit humanas hostias, diuinationum causa.

Iustinianus filius Barbati factus Imperator à patre, fuit vltimus stirpis Heraclii, inquietus, crudelis, & infelix.

Leo

Leo Armenius, Imperator Græcus, fuit vir acer & industrius, sed crudelis & malus. Theophylactum, Michaeli filium, quem pater Imperatorem appellarat, mutilatum ea parte qua vir erat, vna cum matre in exilium egit.

Maximinus cum Imperator factus esset, nō solum in milites in castris crudelitatem exercuit, sed etiam Romæ delatos Senatores cito multos interfecit, & multis facultates eripuit. Acalii eum Cyclopem, alii Busiridem, alii Anteum propter sæuitiam nominarunt.

Michael Curopalates, Imperator Græcus (Nicephori gener) socors fuit, timidus & infelix.

Michael, Theophili Imp. filius cū adoleuisset, matrē omni potestate priuatam, relegauit in monasterium. Fuit malus, stolidus, petulans, ebriosus, deditus voluptatibus, ludis, ac certaminibus equestribus ac curulibus. Relictam in ærario à matre pecuniam omnem in luxum, crapulas, ludos, mimos, adulatores, & alios id generis homines effudit, & eo redactus est inopiæ, vt vestes etiam regias vendiderit. Basilium Macedonem, cuius opera in domandis & exercendis ad cursum & aurigationem equis vsus fuerat, Cæsarem creauit, tradita ei in vxorem concubina Eudocia. Ab hoc Basilio postea interfectus est, cum vino madidus Basilium remigem, porrectis ei calceis purpureis, eadem dignitate ornasset.

Nero interfecit matrem, duas coniuges, Octauiam & Popeam, & multos præstantes viros. Exercuit magnam sæuitiam in Christianos hac occasione, quod cum magna pars vrbis Romanæ incendio periisset, quod ipso volente eius familia direptionum causa excitauerat, falso dixit autores esse Iudæos, quo nomine & tunc Christianos comprehendebant. Interfecit Paulum & Petrum. Et quidem de Paulo idem omnes adfirmant.

Romanus Iunior, Imp. cum patrē veneno sustulisset, imperium eo viuo possedit. Vir malus, ignauus, luxuriosus, crudelis, impius in matrem & sororē.

Varius Heliogabalus superauit turpitudine omnes, qui in historiis infames sunt propter libidines. Nominatus est Sardanapalus, sed multo fuit contaminatior.

Wenceslaus Imp. Rom. admodū insulsus. Mater ipsius dolorib. partus extincta fuit. Ipsum & cum baptizaretur, aquam baptismi, & cū bimus iam cingeretur diademate regio, aram cœno suo conspurcasse, & dum aqua abluendo baptismo calefit, Pastoralem domum ad D. Sebaldum exarsisse fama est. quod sapientes ita sunt interpretati, futurum eum stolidum, ignauum, voluptarium, sordidum, luxuriosum, Imperio dedecori & exitio. Norici Annales natalitium ad diem decimam septimam Martii referunt.

Anno millesimo, trecentesimo, septuagesimo sexto, biennio scilicet ante obitum patris, annos natus quindecim, successionem in Imperio obtinuit, cunctis, sed coemtis multo precio, imo pene extortis, non liberis suffragiis

Ad.

Adfuerunt electioni Ludouicus Præſul Moguntinus è ſtirpe Marchionum Miſniæ, Fridericus Colonienſis, Cuno Treuerenſis, Rupertus Palatinus ad Rhenum, Wenceslaus Dux Saxoniæ, & Sigiſmundi fratris Marchionis Brandeburgici legati. Sexto ab electione die Coronato ei Aquiſgrani deſponſata eſt Iohanna filia Alberti Ducis Bauariæ, Comitis Hollandiæ, Hannoniæ, Seelandiæ, quæ ſexto anno poſt nuptias interiit, conſumpta dolore propter mariti flagitioſos ac perditos mores.

Nihil fuit in eo hominis ſimile, præter ſpeciem, quanquam & ea fuerit diſtorta atq; deformis, Therſiti quam Principi ſimilior. Ingenio fuit hebeti ac ſordido, nullarum rerum, niſi voluptarum, intelligente: Animo nō à Repub. tantum, ſed pene ab omni honeſtate alieno, ac timido & ad immanitatem vſque ſæuo ac truculento. πᾶν γὰρ δειλὸν φονικὸν καὶ ψοφοδεές: Corpore ignauo, neq; ad vllam aliam rem, quam ad obſcœnas ac turpes crapularum, helluationum, & libidinum voluptates, ſi modo his voluptas ineſt, idoneo.

Adminiſtrationem & curam regni paterni & Imperii, tanquam ad ſe non pertineret, ita neglexit, vt cum latrociniis infeſta redderentur itinera, & graſſatoribus impleretur Boemia, paſſim vero in ciuitatibus ſeditiones exorirentur, inſurgente aduerſus Magiſtratum inſana plebe, ipſe tamen aliud ageret nihil, niſi volutaret ſe porcorum ritu in cœno vitæ flagitioſiſſimæ, qua cum neceſſe eſſet incurrere in odia ac reprehenſionem, & afferre contemptum, addebat turpitudini crudelitatem, vt metum iniiceret iis, quos ipſe metuebat, & amoliretur inſidias, quas ſtrui ſibi initio ſuſpicabatur, deinde reipſa experiebatur. Nec ſatis illi erat ſupplicio affeciſſe quos metuebat, ſed ſua manu vel ad menſam iugulabat multos, quaſi per ludum & iocum, præſidium ratus Principi firmius barbarorum ſtipatorum agmen, quam beneuolentiam Ciuium. Cumque numeroſo ſe muniret Satellitio ex Germanis Boemiſque, hos ipſos tamen ſæpe mutabat, quod nemini ſatis fideret, inſidiarum metu, quas effugere tamen non potuit. Captus enim à ſuis, & in tetro carcere totos menſes quatuor cuſtoditus, vix multis Regum ac Principum interceſſionibus impetrauit, vt ſemel ei ad ſqualloré & ſordes corporis abluendas balneum ingredi concederetur, ex quo Ambubaiæ opera, ceu refrigerandi corporis cauſa ad vicinam ripam fluminis, quod Pragam interlabitur, traductus ex compoſito, conſcenſa cymba, Ambubaia remigante euaſit.

Sed rediit ad ingenium, & memoria carceris ac vindictæ cupiditate magis exaſperatus, ſæuiit in ſubditos atrocius quam antea, nactus etiam idoneos ſæuitiæ miniſtros. Hac tandem irritati ſubditi accerſiuerunt Sigiſmundum fratrem, qui recens extruſo æmulo Carolo Neapolitano, ſeſe in regno Vngariæ, armis & ſuppliciis aliquot infidorum procerum confirmarat, ad quam rem cum ſumptus defuiſſent, oppignorarat Marchiam Brandeburgenſem, patruelib. Iodoco & Procopio Morauiæ Marchionibus. Sigiſmundus ergo prapro-

pere ingressus Boemiam, regno occupato, fratrem abduxit, & custodiendum dedit Alberto Austriaco: quod cum indigne ferrent Iohannes frater & Procopius patruelis, comparatis copiis ad illum liberandum, irruperunt in Boemiam, sed illo frustra quæsito, cum traductum esse Viennam cognouissent, retrocesserunt.

Euasit tamen Wenceslaus, adiutus opera & consilio piscatoris cuiusdam, & reuersus Pragam mendici habitu, arceq; recepta mox regnum etiam recuperauit. Arcem tali stratagemate obtinuit. Mendici specie in arcem præsidio firmatam irrepsit, moxque custodibus consilio patefacto, ope eorum præfectum oppressit & eundem coegit literis annulo suo obsignatis præcipuos vrbis ac regni proceres euocare in arcem, tanquam ad communem deliberationem, hos deprehensos crudelibus suppliciis interemit.

Recepto regno, vt dilueret conflatam inuidiam affinitate noua, & res dubias stabiliret, duxit in vxorem Sophiam filiam Iohannis Ducis Bauariæ. Sed nihilo factus aut melior, aut mitior, aut excitatior, quod vsus eius in gubernatione nullus esset, Electores communi consensu Imperium ei abrogarunt, anno vicesimo secundo post Caroli patris obitum. Reliquum ætatis exegit in regno suo iis moribus, quibus consueuerat.

Peruenit ad annum ætatis quinquagesimum septimum, Interiit correptus apoplexia ex consternatione & excandescentia, cum prandenti nunciatum esset, populum Pragensem obtruncato per seditionem Senatu ad arcem etiam accurrere, & prægustator se illius rei non ignarum esse ostendisset.

Heu quantum Imperium Nato tot grandibus emptum
Impensis nocuit: genitor quas Carolus vltro
Electis septem ipse viris dare sponte recepit:
Insuper ac dedit & stabili pro pignore, dites
Præbuit aut vrbes, aut vectigalia soluit:
Ipse sui tantum voti quo compos abiret:
Et natum Imperij rectorem sedu haberet.
Degener & clari genitoris moribus ille,
Otia desidiamq; animi sectatus inertem,
Posthabuit curam regni: luxuq; solutus,
Farsit sesquipedem prapingui abdomine ventrem:
Amotus donec regnis, inglorius atro
Carcere conclusus, tituli spoliatus honore est:
Et tandem exegit priuatus honoribus æuum.

EQ. Tu vetera duntaxat exempla recitas, quasi vero sola in pretio sit vituperiove antiquitas. Ego vero longinquiora illa non adeo admiror atque etiam vitupero, quam propinquiora illa nostri propemodum æui. Nec enim nostrum æuum caret caruitque Fridericis, Theodosiis, Titis Vespasianis.

Ne itaque meo non defunctus officio, ad cohortationem Domini Theologi videar, ego propiora illa, atque vnius propemodum huiusce nostri seculi Imperatorum, principum atque aliquot etiam Comitum, eorum nimirum, quorum vitæ memoriam hominum magna ex parte non excedunt; vtque clarius dicam, qui ab anno Christi 1500. vsque ad annum 1600. laudabiliter in Germania vtrobique vixerunt, exempla ad imitationem proponenda in medium afferam: non quod omnes recensere velle præsumam, id namque requireret, vt prolixum ac singulare Opus; Sed ex omnium fere familiarum illustrium numero aliquos duntaxat referam. Me itaque eodem quo Philosophus, recensentem ordine, vt audiatis, votum meum est. Primus igitur in ordine alphabetico esto.

Adolphus, Friderici I. regis Daniæ filius, hæres Noruegiæ, Dux Slesuicensis, Holsatiæ princeps fuit fortis & magnanimus, pietate, virtute & rei militaris scientia clarissimus; militauit Carolo V. in obsidione Metensi. Cum fratre Iohanne & patruo Friderico II. rege Daniæ Dithmarsiam subegit. Item Philippo, regi Hispaniæ in Belgio. Obiit anno 1586.

Albertus Animosus, Friderici II. Electoris filius, Dux Saxoniæ; princeps manu & armis promptus ideoque magnanimus & dextra manus Imperii dictus, à milite Belgico Rolandus nomine & aspectu multis populis terribilis. Pro Imperatore Maximiliano, contra aliquot populos fortissime pugnauit; Gallos Belgio exturbauit, Belgium placauit; Infrenem Frisiam aliquantisper domuit, Matthiam Pannoniæ regem in Austria, aliquot secundis præliis contudit. Boemiæ regnum sibi oblatum recusauit. Est hic Albertus ille, qui in pueritia, annos natus XI. cum Ernesto fratre ex arce Aldenburgica, à Conrado Kauffungo captus & abductus, diuinitus seruatus, & post biduum restitutus est. Obiit anni 1510.

Albertus iunior, pugnator, Casimiri filius, (ex linea Onolsbacensi) heros fuit fortissimus & bellicosissim⁹. Carolo V. militauit in bello Gallico an. 1544. Similiter in bello Germanico, in quo & Rochlitii captus fuit, sed altero statim mense liberatus. Cum Mauritio Imperatore, communi Marte Magdeburgicos oppugnauit an. 1550. Cum eodem in Cęsarem bellum gessit an. 1552 Norinbergam infesta obsidione pressit. Episcopos Bambergensem & Wurciburgensem grandi pecunia mulctauit. Vlmensium & Moguntini ditiones incendiis & rapinis vastauit. Wormatiam & Spiram fugatis Episcopis occupauit. Treuiros deditione cepit. Lucemburgũ agrum & Lotharingiam rapinis infestauit, Aumalium ducē è familia Gusia, ꝓpe Metim, viuum cepit. Episcoporũ & Norinbergensium (ꝗ pactis non starent,) fines denuo omni malefícii

genere exhausit. Papæburgum & Swinfurtum occupauit, Halberstatenses mulctauit. Henrici Brunsuigii agrum fœde depopulatus est. Ad castrum Poynum, in Luneburgensi territorio, cum Mauritio fortissime pugnans, ac victoriam cruentam hosti relinquens fugatus est. Ab Henrico Brunsuicensi ad vrbem Brunsuigam, iterum in fugam coniectus, in Franconiam redit. Curiam (Hoff) suæ ditionis oppidum, amissum, subita impressione recuperauit. Tandem à Camera & Cæsare proscriptus, & patria pulsus, per biennium in Lotharingia & Gallia, hinc inde exul vagatus est. Elapso biennio in Germaniam reuersus, obiit Pfortzæ ἄγαμος, anno 1557.

Georgius Pius Friderici V. filius (ex linea Onolsbacensi,) tanto zelo ac fide, puram Euangelii doctrinam, inter primos est amplexus, vt se capitis periculum & diminutionem subire magis, quam agnitam veritatem deserere in comitiis Augustanis ad Carolum Cæsarem, insigni παῤῥησίᾳ professus fuerit. Obiit an. 1543.

Albertus, Magni II. filius, Dux Megapolensis, heros fuit magnanimus, quo nullus in toto Imperio princeps, heroica corporis proceri & robusti maiestate augustior & pulchrior fuisse perhibetur. Militauit pro Christierno, Daniæ rege expulso, sed infeliciter. Obiit an. 1547.

Albertus senior, Dux Borussiæ, Friderici V. filius (ex linea Onolsbacensi,) hic ex Magistro ordinis Mariani, Dux Borussiæ factus, Ducatū feudi nomine à Sigismundo I. Polonorū rege accepit. Sinceræ religionis ac pietatis, tum literarū quoq; ac literatorū studiosissim⁹, assertor ac fautor benignissimus. Quib. iuuandis ēt Regiomōti Academiam fundauit. Obiit pie ætate grauis an. 1568.

Albertus IV. vtriusque Bauariæ Dux, Alberti III. filius; princeps doctus, prudens, sapiens & ingeniosus. Obiit anno 1508.

Albertus V. Guilielmi V. filius, vtriusque Bauariæ Dux; princeps sapiens & cordatus. Obiit 1579.

Albertus Comes Mansfeldensis Ernesti filius, vir heroica virtute & fide; inter varias fortunæ vices, varia dissidia, confusiones & bella intestina, patriæ duriter oneratę & afflictę annos amplius sexaginta dexterrime præfuit. In bello Germanico Anno 1546. Ioanni Friderico Electori Saxoniæ constanter affuit, quo capto, anno vertente postridie Calend. Maii Ericum ducem Brunsuigium, maritimarum ciuitatum auxilio, iuxta arcem, quæ à Draconib. nomē habet, fudit fugauitq;. Quoniam vero in purioris pariter religionis confessione, & in Electoris captiui amicitia constanter perseueraret; ideo ab Imperatore omnibus facultatibus exutus & proscriptus, Magdeburgum se contulit, vbi præsidiariorum dux factus, vrbem contra hostes strenue defendit, A.C. 1550. Mauritio tandem Electore cum fœderatis principibus Imperatori Carolo bellum inferente: Passauiæ in gratiam & receptus, & in bonorum possessionem est restitutus. Obiit an. 1560.

Volra-

Volradus Comes Mãsfeldẽsis Alberti filius, vir fortissimus, & in bellis administrãdis ductor apprime peritus, militauit an. 1546. Ioan. Friderico Electori, insequẽtib. vero annis copias duxit cũ in Gallia, tũ in Germania, obiit an. 1578.

Augustus Mauritii frater, pius, Elector Saxoniæ, heros propter singularem pietatem, iustitiã, & ἀλεσυχίαν, omnesque excellentes virtutes optimo principi conuenientes vere Augustus. Is bellum Gothanum nomine Imperii, aduersus Grumbachium & socios, perduelles contumaces feliciter confecit. Paucis ante obitum annis 100000 flor. pro inopia Ministrorum, viduarum ac pupillorum ipsorum subleuanda, in fœnore posuit. Obiit subitanea, sed pia morte, Dresdæ, anno 1586.

Barnimus IX. Bugslaui X. filius, Dux Pomeraniæ, princeps pius, prudẽs, humanus, literis summe deditus. Paucis ante obitum annis gubernatione omni se abdicauit, & quum hærede mascula destitueretur, Philippi filiis ditiones suas concessit. Obiit in arce Aderburgo, an. 1573.

Botho Comes Stolbergensis & Honsteinius, Dynasta Heringæ Kelbræ & Weringerodæ; quum Hierosolyma, quam religioso illius seculi more adierat, reuersus anno 1494. militari cingulo cinctus, & eques auratus inauguratus esset, à parentis (Henrici Comitis Stolbergii) obitu, triginta annis virtute & autoritate insignis, patriam feliciter rexit. Obiit septuagenario maior anno vnico, anno Christi 1537.

Bugslauus X. Magnus, Erici II. filius, Dux Pomeraniæ, heros Mauortius, qui multa periculosa bella suis temporibus gessit, de quibus Chronicon Pomeranicum consulendum. Obiit Stetini an. 1522.

Bugslauus XIII. Philippi filius, Dux Pomeraniæ, princeps pietate excellens, ex singulari erga verbum Dei & veram religionem zelo, Biblia ex interpretatione Lutheri, anno Christi 1545. Witebergæ edita in Pomeranicum idioma transferenda & imprimenda curauit charta elegante, & cum figuris venustis.

Carolus V. Imperator Rom. auo materno defuncto vixdum pubescens tot regnorum hæreditatem adiit: quibus tamen ita præfuit, vt omnium principum oculos ac studia in se conuerteret. Vnde Maximiliano quoq; auo paterno mortuo, post grauissimas & acres in summo illo imperii senatu disputationes, magno omnium bonorum consensu, inprimis vero suasu & auctoritate Friderici III Electoris Saxoniç, ad Romani Imperii apicẽ euectus est absens IV Kal Quintilis, A. C. 1519. & an. insequẽti X. Kal. Nouẽb. Aquisgrani coronatus. Primã aũt & exactissimam curã instaurandis legib. adhibuit: neque solum excogitatis vtiliter nouis cõstitutionibus extreme labefactatã Reipub. formã instaurauit. Verũ etiã Spiręs Nemetũ prætoriũ tribunal veluti iustitię sacrariũ à Maximil. I. erectũ emendauit auxitq;. Fuit nãq; princeps prudentissimus & iustissimus: fortissimus præterea, militiæ peritissimus, Castrensiũ labo-

rum tolerantissimus, nec non clementissimus: ideoq; plurimarū rerū gestarū gloria clarissimus: quem ob insignes istas virtutes optimo iure Carolū Magnū appellaris. Bella multa, varia, multos annos cū variis hostib. vario euentu gessit: Africam & Europā terra mariq;, clarissimis partis Victoriis, aut ipse peragrauit, aut per duces suos lustrauit. Maximiliano auo adhuc superstite, quo virtutis suæ tyrocinium exhiberet, etiamnum Adolescens bis expeditionem in Africæ orientaliorem partem suscepit: & Saracenorum pyratas, mare mediterraneum ad Hispaniam & ad Gades vsq; Herculis infestantes, hostili manu aggressus; Menicen promontorium latronum subegit: hostes ipsos partim profligauit, partim Algarbo expulit. Francisco inde Celtarum Regi, armis Italiam lacessenti, ac tota pene Insubria potito, ad Ticinum occurrit, eo ipso die qui sibi natalis est, A.C. 1525. magnaq; strage edita, Regem bellicosissimū cum præcipuis ducibus viuum cepit, & in Hispanias auexit: quem tamen post clementissimam anni captiuitatem, obliteratis iniuriis honestis condicionib. dimissum, non tantum regno restituit: sed & perpetuis affinitatis ac necessitudinis vinculis sibi adstrinxit. Clementē Papam (qui in societatem venerat belli Gallorum, Venetorum & aliorum, Cæsarem tota Italia eiicere conantium) Roma per duces suos expugnata, cepit: quem itidem familiari clementia liberum dimisit, sediq; pristinæ restituit. Mediolanum & Florētiam longa obsidione receptas; illud Frācisco Sfortię, hanc Mediceæ domui reddidit, & Venetis omnes bellorum causas præscidit. Italia pacata, Solymannum, Turcarū tyrannum impurissimum, exercitu instructū numerosissimo, Germanięq; finibus superbe insultantē, primo saltē congressu vicit, fudit, fugauit: cæsis hostiū amplius XXIV. mill. h. adeoq; fregit, vt ruptis metu pōtibus, multis amissis præcipiti fuga victrices manus vix metipse effugerit A.C. 1526. Idib. Octob. Sexēnio ab hinc validissima instructa classe, Tunetanas fauces (vbi olim Carthaginense fuit Imperiū) maxima vi adortus, expugnauit: Ariadenum Barbarossam Turcarū archipyratā, omni illius exercitu deleto, in fugā coniecit; vrbe Tuneto capta, duodeuiginti Christianorū millia è durissima seruitute liberauit: Mulcassem Maurū loci eius Regem exulem, in amissum regnū reduxit, sibiq; vectigalē fecit, IV. Kal. Septēbris. Ad Peloponnesum quoq; se aliquādo conuertit: ibiq; Metonen & Coronen vrbes celeberrimas, aliaq; loca munitissima Turcæ eripuit, præsidiisq; firmauit. Taurinos præterea, Salassios, cæteras Alpinas gentes, quæ ad Gallos defecerant, graui acriq; bello persecutus; ad officium reuocauit. Anno exinde ab incarnato verbo 1541. denuo in Africam suscepta expeditione; quanquam ad Algierā vi tēpestatis, fluctuū, & imbriū multis est cladib. affectus & ferme obrutus: inuicta tamen virtutis suæ atq; cōstantiæ monumenta reliquit. Ex Hispania rursus, Guielmum Iuliaci & Cliuiæ Ducem (qui interim in Brabantiæ fines arma intulerat) Dura expugnata IX. Kal. Septembris, A.C. 1543. de tota ditione periclitantē, Geldria parte eius exutum

utum mulctauit, arma mox in Galliam transferens, Landersium occupauit: nemineq; ferme resistere auso, Lutetiā vsq; progressus, veteres hostes à se victos, nouissimeq; intra regni fines cōpulsos, ad pacis descendere conditiones compulit. A. C 1544. IIX. Kal. Octobris Bello postremo Germanis, fœderis Smalkaldici sociis illato: Saxoniæ Electore & Landgrauiū maximo prælio victos, viuosq; captos, veteri Imperio adiunxit. Tandē in tuenda Imperii maiestate maximis perfunctus incommodis, laboribus, ærumnis: in extremo totius quasi vitæ actu valedicens Germaniæ. seipsum vltro imperio & omnibus regnis abdicauit; in monasterium vallis Toletanæ in Hispania se abdens, Deo vacaturus: In quo diem supremum clausit XI. Kal. Octobris, A. C. 1558. annos vixit LIIX. cum semestri & duodetriginta diebus.

Carolus Henrici I. Ducis filius, Georgii R. Bohemię nepotis, Dux Mōsterbergensis, Olsnicensis & Opauiensis; princeps fuit corporis & animi magnitudine illustris. Bohemiæ ac Silesiæ sub Ludouico rege gubernator. Is scripsit ad Lutherū, & cōquestus est de bulla P. P. qua Bohemis cōmunionē vtriusq; speciei in Sacramento interdixerat. Extat Tom. 2. Germ. Luth. Ien. fol. 142.

Casimirus, Friderici V. filius, (ex linea Onolsbacensi,) claruit animi magnitudine & scientia rei militaris. Norinbergēses, encænia ad pagū Affaltarbach celebrātes, & improuide agētes profligauit, ac plurimos ciues trucidauit, iuuenis adhuc existens. Obiit Budæ in Vngaria, Ferdinando Imp. militans, sed corpus in patriam reductū, Heilsbrūni in monasterio humatum est, an. 1527.

Christianus I. Augusti filius, fortunatus, Elector Saxoniæ; princeps fuit (inquit Reusnerus) omnibus animi & corporis fortunæq; bonis ornatissimus. Obiit ex difficili mo bo Dresdæ, an. 1591.

Christianus II. Christiani I. filius, Elector Saxoniæ, princeps ad magna natus, religionis purioris, necquicquam frendentibus hinc inde irruptoribus clancularius, assertor constantissimus, cuius vitam ac mores Principe omnino vero dignos, mortemq; beatam cum prolixe alii descripserint, actum hic non agam.

Christianus III. rex Daniæ & Noruegiæ, Friderici I. filius, ex aula Ioachimi I. Electoris Brandenburgici sui auunculi, vbi in pietate & literis optime institutus fuerat, in Holsatiam reuersus, Patri Friderico author extitit, vt abiectis nugis Pontificiorum, puram Euangelii lucem amplecteretur. Dehinc plurimis ac diuersis bellis non sine laboribus ac difficultatibus sopitis atque sepultis: coronam demum horum reginorum solemni more sibi imponi curauit à Ioanne Bugenhagio Pomerano Theologo 8. Calend. Quintil. Anno 1537. summæque rei tam Ecclesiasticæ quam ciuili tanta dignitate præfuit, vt omni virtutum genere non modo propriis subditis, sed & vniuersis Europæ regibus antecelluerit. Quid multa? Domus eius templum fuit Spiritus sancti, prudentiæ oculus, libra iusti-

tiæ

tiæ, fortitudinis sedes, regula temperantiæ, honestatis exemplar, fons Gratiarum, Musarum chorus, Doctorum gymnasium, Theologorum sacrarium, pauperum mensa, refugium innocentum, præsidium miserorum. Princeps pientissimus, Christianissimus, inuictissimus; & in quo dubito, Iustitięne prius mirer belliue laborem. Obiit Coldingæ an. 1559. Calend. Ianuarii, qui dies per quietem ab angelo Dei reuelatus ipsi dicitur.

Christophorus Vlrici filius, quartus dux Wurtenbergicus, piissimus, pacificus; in tanta apud Carolum V. in cuius aula viuebat, fuit gratia atque autoritate, vt quotidie teneretur Cæsari aliquid prælegere ex Bibliis, & suum subiicere iudicium. Vbi vero ex suis propinquis intelligeret, hoc agi, vt vnicus hæres in Ecclesiasticum ordinem redigeretur, clam è comitatu Cæsaris (qui ipsum in Hispaniam deducere decreuerat) fugam capessit, ac rursus in Bauariam ad auunculum, Wilhelmum ducem Bauariæ, apud quem educatus fuerat, venit, vbi per sex menses delituit. Hinc cum in Galliam proficisceretur, commissa ipsi fuerunt in Gallia 24. vexilla militum, cum natus tūc temporis esset annos 22. Carolo V. ex Hispania Belgium petente, per Galliam P. P. Paulo III. Nuciæ cum rege Francisco tractatu-o noluit osculari pedes. Cum rediret ex Gallia in Germaniam, eum Vlricus pater Mompelgart. Comitatui præfecit. In bello Smalkaldico secessit Basileam; sed patre Vlrico Cęsari reconciliato, rediit Mompelgartum. Post parentis obitum Ducatum occupauit, & gubernauit iustissime, prudentissime & pacifice. VVolfgangum ordinis Teutonici magistrum, qui Elvvāgum occuparat, in ordinem redegit. Obiit an. 1568.

Christophorus Caroli filius, Marchio Badensis, Comitatum Lucelburgensem, Imperatoris nomine, aliquandiu iuste & fideliter rexit. Hic Marchionatum Hochbergium, Comitatum Rotelanum & Susenbergium, ex pacto Philippi agnati, postremi Hochbergii Marchionis hæreditario iure consecutus est. Obiit πολύτεκνος an. 1515.

Christophorus, Alberti filius, Dux Megapolensis. Vere bonus & præclarus princeps, amore ac studio veræ pietatis, beneficentiæ, iustitiæ, veritatis ac integritatis excellens. Hic in Liuonia bis captus, semper tamen post aliquot annos liber dimissus fuit. Obiit an. 1592.

Ericus senior, Guilielmi iunioris filius, Dux Brunsuicensis, in omnibus ferme bellis Maximiliano I. fortiter atque fideliter adfuit, proq; eo dimicauit. Amplius duodecies (inquit Reusnerus) in acie stetisse: collatis signis dimicasse: cominus conflixisse: hostem fudisse: ac victor extitisse traditur, plusquam vigesies pinnacula murosque hostium ipse conscendit, inuasit & euicit. In bello tamen, aduersus Iohannem Episcopum Hildesiensem vulneratus captusq;. Cellam deductus 1200. aureorum λύτρον exsoluit, an. 1519. Obiit Hagenoæ in Comitiis dysenteria, an. 1540.

Ernestus, Princeps Anhaltinus, Georgii senioris filius, pietate motus, D. Mauiæ templi parochialis fundamenta iecit. Obiit an. 1516.

Ernestus Henrici iunioris filius, Ottonis I. frater, Dux. Luneburgensis, princeps fuit pijssimus, multis egregiis virtutibus & literis ornatissimus, communem patriæ defensionem in seditione rusticana & furore Anabaptistico iuuit. Ac Iohanni Friderico contra Henricum Brunsuigium militauit. Obiit anno 1546.

Ernestus Philippi filius, dux Luneburgensis, ditionis Grubenhagianæ gubernator, princeps Euangelicus, pius & optimus, armis ac toga valens. In bello Smalkaldico Albertum Marchionem Brandenburgicum, ad Rochlitiam captum Iohanni Friderico Electori adduxit, anno 1546. Militauit etiam Philippo regi Hispaniarum ad S. Quintinum, an. 1557. Obiit Osterrodæ sepultus anno 1567.

Ernestus Ludouicus, Philippi filius, Dux Pomeraniæ. Principis huius serenissimi amor erga veram religionem, benignitas ac munificentia in literarum studia, patriam & pauperes, satis perspecta fuerunt omnibus. Obiit an. 1592.

Ernestus Marchio Badensis, Christophori March. Badensis filius, paci & tranquillitati perpetuo studuit. Ac etsi Catholicam religionem per suam ditionem seruaret, nihilominus in Curia, Euangelicum ministrum fouit; ac vt subditi, qui voluerunt, Euãgelii doctrinam amplecterentur, tolerauit. Rusticos tumultuantes anno 1525. singulari prudẽtia & benignitate in officio retinuit. Obiit Pforzhemii, an. 1553.

Ernestus Fridericus, Marchio Badensis, Caroli March. Badensis filius; princeps fuit nec impius nec ineruditus, sed grauis, commodus, æquus & φιλόμουσος. Obiit anno 1604.

Ferdinandus Imperator, ducta Ludouici regis Pannoniæ sorore vnica, Anna, hoc defuncto, cum ob affinitatem illam, tum etiam ob contractum, quem Cæsar Maximilianus I. cum Vladislao huius genitore pepigerat (vt nimirum alterius deficiente sobole in alterum summa rei deuolueretur) à maxima armatæ multitudinis parte (huius namque auctoritate & acclamatione ex veteri legis instituto, Pannoniæ reges creantur) in Comitiis rex est nuncupatus. Quum itaq; Iohannem de Zapolia Comitem Zepusiæ & Transsyluaniæ Vaiuodam, Turcarum tyranni clientem, ab altera parte regem appellatum, potentia longe superaret: & multorum Pannoniæ procerum studiis adiuuaretur; sui iuris repetundi auidus, instructa acie recta Budam contendit: fugientemq; hostem, nec viribus suis fidentem, tamdiu persecutus est, donec omni ditione regni Vngarici eum expelleret. Ex cuius victoriæ vsu, mox inclinatis in eum Vngaris ferme omnibus, Rex denuo est acclamatus: regaliq; corona, solennis pompæ ceremoniis, cum Anna coniuge insignitus, 3. Id. Nou.

A.C. 1527. qui eodem anno, 6. Kal. Martii Pragæ in regem Bohemiæ nuper inunctus erat. Spectata inde eius industria, quam absente & Hispanicis Italicisq; negotiis Cæsare distracto, cum alibi, tum in Imperii conuentibus sæpenumero probauerat: ex eiusdem voluntate, necnon communi Electorum, ac statuum imperij consensu, Coloniæ A. C. 1531. Nonis Ianuarii illius in imperio successor & rex Romanorum designatus atque renunciatus, & mox III. Idib. eiusdem mensis Aquisgrani more solito corona donatus est: confirmatus postea, fratre Carolo Imperatoriam dignitatem vltro deponente, Francofurti in Comitiis A. C. 1558. XV. Kalend. Aprilis. Princeps sapientissimus ac religiosissimus: literarum ac literatorum hominum amantissimus, mitis præterea & affabilis: pacis concordiæque publicæ studiosus. Bellum Saxonicum cum fratre Cæsare concorditer gessit. Bohemorum quorundã contra ipsum seditiones sapienter compescuit: sanatis principum animis exulceratis, pacem imperio donauit. Vt Turcarum insuper execrandum tyrannum à Christianorum prouinciis arceret: optimo consilio & virtute heroica semetipsum tam accipitis & periculosi belli ale ç obiectauit: verum irrito conatu & euẽtu minus felici. Siquidem non multo post munitissima Pannoniæ propugnacula, Strigonium, Quinque Ecclesię, & Alba regalis in Barbari potestatem deuenere. Viennæ tandem ætate grauis, naturę debitum persoluens, magnum sui desiderium reliquit, 8. Kal. Sextil. A.C. 1564. sexagenario maior anno vno.

Franciscus, Henrici iunioris filius Giffhornius, Dux Lunæburgensis, princeps fuit Christianissimus, qui & Augustanę confessioni vna cum aliis subscripsit. Obiit die suo natali, an. 1549.

Fridericus I. Daniæ rex, Dux Slesuici & Holsatiæ, Christiani I regis filius, rex optimus, legum ac pacis amantissimus; Christierno fratruele ex tribus Borealibus regnis eiecto, ipse ab regni ordinibus ad regiam dignitatem euectus, Danię Noruegiæque, regna annis decem magna laude administrauit: & Ecclesias passim à superstitionibus pontificiis repurgauit. Obiit Gottorpii anno 1533.

Fridericus II. Friderici I. regis Daniæ filius; iuuenis vixit in aula Vladislai regis Vngariæ, Hierosolymis inde Eques aurei velleris creatus, factus est deinde inferioris Silesiæ præses; princeps optimus, Ecclesiarũ pius nutricius. Obiit anno 1547.

Frideric. II. Christiani III. regis Daniæ filius, Rex Daniæ, Noruegiæ, & Dux Slesuigæ, Stormariæ, VVagriæ & Dithmarsiæ; heros auos atauosq; virtute, potentia, fortuna repræsentans, non solum in re militari, cuius rei testes sunt Dithmarsia subruta, & bellum illud septennale cum Erico rege Suecorum; verum vel maxime religiosa erga Deum pietate, fide in rẽpublicam, beneuolentia erga omnes homines, cumprimis vero literatos. Obiit Andersoæ in Selandia an. 1588.

Fride-

Fridericus Sapiens, Ernesti filius, Elector Saxoniæ, ἄγαμος; heros pietate, prudentia, iustitia atq; animi magnitudine præstantissimus, iuxta nomen suum φιλάδελφος, æquissimus, Ecclesiarum ac scholarum nutricius eximius, qui & Academiam VVitebergensem constituit & honorem Imperii oblatum repudiauit. Obiit Lochauiæ, diuturnis calculi cruciatibus, an. 1525.

Fridericus VVilhelmus, Iohannis VVilhelmi filius, Dux Saxoniæ, post obitum Christiani I. Electoris Saxoniæ administrationem Electoratus per decennium egit fidelissimum, piissimum & prudentissimum. Obiit anno 1601.

Fridericus II. Philippi filius, Palatinus Elector, princeps fuit nomine & re vere pius atque pacificus, multisque egregiis virtutibus principe Christiano dignis ornatus, bellicis etiam artibus clarus. Obiit Altreæ ἄπαις, an. 1556.

Fridericus III. Pacificus, Ioannis II. Palatini Simmeriensis filius, Palatinus Elector; Principem hunc illustrissimum Zanchius nominat virum sanctissimum, humanissimū, fortissimum, patrem patriæ, literatorum omnium Mecœnatem amantissimum. Obiit Heidelbergæ 1576.

Fridericus Georgii filius, Dux VVurtembergicus sextus; egit præsidem in colloquio Mompelgartensi; missus fuit ab Electorib. Imperii, cum aliis quibusdam collegis, legatus ad Henricum III. Galliæ regem, rogatum, vt pacem reformatæ religioni olim datam seruaret; nec Nauarreis & sociis vim, Religionis nomine inferre velit. Extruxit Neapolim Freudenstadium. Adsciscitur à regina Angliæ Elisabetha, in ordinem Anglicum *Garterium*. A Iacobo VI. rege Scotiæ & I. Angliæ, per legatum suum ex Anglia missum, Robertum Baronem Spencerum, Stutgardiæ solenni & splēdida ceremonia inauguratus fuit. Illustre collegium Ducale, Tubingæ à Ludouico D. p. m. pie extructum, primus aperuit & confirmauit. Formulam concordiæ cum Augustana confessione an. 1599. pia cura recudi fecit, &c.

Fridericus III. Friderici II. Ducis Silesii filius, dux Silesiæ, princeps fuit literatus & eloquens. Obiit an. 1570.

Frideric. V. Alberti, Achillis, Electoris filius (ex linea Onolsbacensi) princeps sua ætate optimus, heroicis virtutibus & rebus gestis, pace & bello clarissimus. Res illi fuit cum Norinbergensibus, anno 1500. In bello Bauarico, Maximiliano Imp. militans, Bohemicas copias feliciter fudit. Obiit die suo natali 1536.

Georgius, Alberti filius, Dux Saxoniæ. fuit hic alioqui iustus, clemens cōmodus & prudens princeps; sed acerrimus religionis pontificiæ propugnator, Post omniū tandem hæredum mortem, mærore, curis & ætate confectus An. Christi 1539. decessit Dresdæ, magno cum Pontificiorum dolore, quibus instigantibus & incendentibus inflammatus odio & zelo propter scientiam,

Henricum fratrem ob Lutheranum (vt nominant) dogma, exuere hæreditate ac successionis iure priuare statuerat, atq; alio transferre terras ad suæ sententiæ & sectæ complices: verum Deo sic ordinante, quod conatus fuerat, morte præuentus exequi non potuit.

Georgius Philippi senioris filius Hassiæ Landgrauius, princeps pius & eruditus, in pura religione Augustanæ confessionis constantissimus; relictis post se filiis, Ludouico, Philippo & Friderico; qui singuli vere p[redacted]i æterno exemplo edocebunt, quantū animus in rebus humanis possit; quos serenissimos de illustrissima domo Hassiaca progenitos princip.s, fratres & patrueles vt Deus Opt. Max. saluos atq; incolumes quam diutissime conseruet vna cum filiis ac filiabus illustrissimis atq; ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ & reip. Christianæ salutem, omnibus heroicis virtutibus instruendos, instructos confirmet, ex animo precor ac voueo.

Georgius, Princeps Anhaltinus, Ernesti filius, præpositus Magdeburgensis & Misnensis; etsi odia & pericula prospiceret: palam tamen amplexus est & ipse Ecclesiarum [redacted] cōfessionem, & ab aduersariorum consiliis & sacrificiis discessit. Ac primū quidem communi consilio cum fratribus germanis, quibus cum summa semper vixit concordia, Ecclesias in patria instaurauit, ritus vitiosos aboleuit: scholas optime constituit: in aliis gubernationis partibus fideliter seruiuit. Vocatus deinde anno 1545. ad Ecclesias regēdas in diœcesi Mersburgensi: ibi similiter recte doceri populum curauit; optimi & principis & pastoris perfunctus munere. Moriturus testamento condito singulis Ecclesiarum suę ditionis ministris ad annuos reditus, medimnos addidit duodenos. Publicis tandem ingenii præstantis & sanctæ operæ monumentis apud posteros relictis quamplurimis, obiit sancta morte morbo toto semestri conflictatus, ἄγαμος, an. 1552. Princeps doctissimus longeq; sanctissimus, humanus, pacificus, ab omni ambitione alienissimus: cuius cubiculum fuit templum; academia, curia; quippe in quo assidue orabat, legebat scribebat, de gubernatione patriæ deliberabat: ideoque & in vita cælibe vixit caste sine vlla contaminatione: nec vllum vnquam sciens læsit: imo ab omnibus seditiosis turbulentis Alcibiadeis consiliis semper abhorruit.

Georgius, Ioannis II. filius, Princeps Simmeriensis; hic adolescens [redacted] destinatus, tandem illis desertis, doctrinam Euangelii agnouit & amplexus est constāter, ducta in matrimonium Elisabetha Hassiæ Landgrauia, Guilielmi senioris filia. Obiit ἄπαις placide Simmeriæ, an. 1569.

Georgius diues Lādshutensis, Ludouici filius, vtriusq; Bauarię dux religiosus ac Musarum patronus clementissimus ac liberalissimus, Academiam Ingolstadianā An. 1490. condidit. Et collegium Gregorianum extruxit. Defecit in eo linea ducum Bauariæ inferioris. Obiit anno 1503.

Georgius, Dux Stetini, Buglaui X. filius; princeps optimus ac prædonū

hostis

hostis acerrimus. Sigismundo regi Poloniæ contra hostes Gedanenses militauit. Obiit Wolgasti, vbi sedem aulæ habuit, an. 1531.

Georgius II Dux Silesiæ, Friderici II. Ducis Silesiæ filius; heros fuit magnanimus pietate & omni Christianarum virtutum genere (quas Epitaphium illius continet celeberrimis) illustrissimus. Obiit anno 1586.

Georgius Ernestus, Princeps Hennebergensis, Wilhelmi IV. filius, princeps fuit cultor religionis amantissimus, prudentissimus & integerrimus, & qui primus viam ad concordiæ formulam inuenit & ostendit. Obiit ἄπαις, an. 1538.

Georgius Iohannes, Ruperti filius, Princeps Lutzelsteinius, pius & doctus, qui vrbem Lutzelsteinam auxit & illustrauit, & nouum insuper oppidum Pfaltzburg condidit. Obiit an. 1592.

Georgius Fridericus, Georgii P. filius, (ex linea Onolsbacensi) princeps piissimus constantissimus & grauissimus, Alberti patruelis post ipsius obitum ditionem per Franciam an. 1558. recuperauit, Borussiam à Stephano Bathorio, Polonorum rege, feudi nomine accepit gubernandam, an. 1578. Scholam Heilsbrunnensem fundauit, an. 1582. Obiit pie ac placide an. 1603.

Guilielmus Philippi filius, Hassiæ Landgrauius; olim armis cum Mauricio Electore coniunctis, patrem pace in Imperio constituta, è custodia liberauit; pius & literatus in rebus præsertim Mathematicis princeps. Obiit an. 1592. Reliquit post se filium Mauricium, magnitudine animi, heroica fortitudine, sapientia & literarum scientia admiranda, excellentissimum.

Guilielmus V. Alberti IV. filius, vtriusque Bauariæ Dux, religiosus fuit & prudens princeps. Bellum gessit contra Vlricum Wurtembergicum sororium, copiarum ductore vsus Georgio Fronspergio. Obiit anni 1577.

Guilielmus, Ioan. III. filius, Dux Cliuiæ, bellum gessit cum Carolo V. Cæsare, ob Geldriæ Ducatum, quem Carolo Geldriæ duce defuncto occuparat. Sed ab ipso Imp. debellatus & ditione sua expulsus, supplex illi factus, veniam impetrauit, & amissa omnia, vnica Geldria excepta, certis conditionibus recuperauit. Obiit valde senex an. 1592.

Guilielmus, Ernesti filius Dux Lunæburgensis, princeps fuit veræ religionis & pietatis amans, iustus & erga literas beneficus: duos Comitatus hærede orbos iure feudali occupauit, Diepholitanum solus & Horensem cum agnatis principibus.

Gulielmus IV. Princeps Hennebergensis. Gulielmi III. filius educatus apud Philippum Palatinum pius & constantissimus in veræ religionis doctrina heros: Senex non modo canis annis, verum etiam antiqua virtute & fide grauis, nonagenario maior pie & placide obiit an 1559.

Guilielmus Princeps Aurengiæ, Comes Nassouiæ &c. propræses generalis per vniuersum Belgium, heros fortissimus, manu pariter & armis promptus:

Ecclesiæ repurgator, literarum Mecœnas, Belgarum assertor, pro quibus nec sibi, nec suis pepercit: quippe qui solus ferme prouinciarum Belgici cõfusiones, aduersus Philippum Hispaniæ regem, multis annis, variis fortunæ vicibus sustinuit. A familiari tandem suo, Balthasare Serak nobili, Delphis in Hollandia, venenatis tribus globulis, è machinula bombardica emissis, nefarie traiectus vitam finiit, anno 1584.

Guntherus Bellicosus, Comes Schwartzburgius, in literis humanioribus à teneris annis institutus, adultior militiam & graue Martis opus exercuit. Anno 1555. in Belgio pulsis aliquoties & in fugam versis Gallicis copiis primum heroici animi specimen edidit. Exinde anno 1563. & seqq. in Dania sub Friderico II. rege contra Ericum Suecum ordines duxit equestres: postmodo anno 1566. supremus in Vngaria militiæ dux est constitutus à Maximiliano Cæsare contra Solymannũ Turcam: & mox vertente anno oppugnationi arcis Gothanæ interfuit. Extremo Belgicum denuo ingressus, contra Hispanos militans, Antuerpiæ decessit ἄπαις anno 1583.

Henricus Pius, Georgii frater, Dux Saxoniæ, pius, fortis & prudens princeps, [illegible] superstitionibus explosis, sinceram Euangelii doctrinam, in summo fratris Georgii odio suscepit, & pie atq; constanter ad extremas vsq; vitæ dies confessus est. Obiit Dresdæ an. 1541.

Henricus senior, siue maior, Guilielmi iunioris filius, Dux Brunsuicensis, ingenio quidem solers, ac animo manuque fortis fuit princeps, sed semper inquietus, bello Hildesiensi Episcopo militauit. Vrbem Brunsuigam, sed irrito conatu, domare voluit. Bellis in Frisia frequentibus interfuit, vbi tandem in Orthi arcis oppugnatione caput à ceruicibus ictu bombardæ abreptum, vna cum vita amisit.

Henricus iunior siue minor, senioris filius, Dux Brunsuicensis, heros fuit fortis & bellicosus. Cum Hildesiensi Episcopo grauia gessit bella, quem tandem an. 1522. fregit. Cumq; religionis nomine, siue Smalcaldici fœderis, Goslariam & Brunsuigam, Imperii vrbes, perpetuis excursionibus & rapinis vexaret, à Saxone & Landgrauio, communi sociorum nomine, ditione sua pulsus & captus est, an. 1542. Albertum Marchionem Brandeburgicum oppugnauit & vicit an. 1554 Obiit senex Wolfenbuti, an. 1568. Henricus Ernesti filius, Dux Luneburgensis, princeps commodus & clemens Obiit anno 1598.

Henricus Ottonis filius, iunior cognominatus, Dux Lunæburgensis, princeps fuit magnanimus, bellator, manu, consilio & prudentia valens, Henrico seniori contra Frisios affuit In bello Hildesiensi, prælio ad Soltauium, vicit exercitũ duorum armatorum Erici ac Henrici. Obiit Lutetiæ Parisiorum in exilio. Quidam tamen eum ab exilio rediisse, & Winhusii mortuum ac sepultum tradunt. an. 1487.

Hen-

Henricus Pacificus, Magni II. filius, Dux Megapolensis, princeps fuit pius, prudens, clemens, commodus, iustitiæ & pacis custos fidelissimus, & vere pater patriæ. Reformationem doctrinæ [redacted] vehementi studio est amplexus: ac literarum studia fouit ac promouit, inquit Reusnerus. Obiit ann. 1532.

Henricus Comes Stolbergensis (Bothonis Comitis Stolbergensis filius,) Hermanno Archiepiscopo, à [redacted] fidelissime & constantissime affuit: cuius gratia & ipse Caconitatum istum opimũ relinquere, quam sinceræ doctrinæ confessionem abiicere maluit. Atq; is resignato sacerdotio, vxorem duxit Elisabetham, Comitem Gleidiensem, Rembdensem & Blancohæmiam, quæ diem suum obiit anno Christi 1578. ipse vero vita excessit anno Christi 1562. ætatis suæ 63. trium filiorum (atque vnius filiæ Annæ, Abbatissæ Quedlinburgensis p.m.) parens è quibus duo adhuc, Ludouicus Georgius, Comes Stolbergensis natus anno 1562. VIII. Id. Oct. & Christophorus, Comes Stolbergensis, natus an. 1567. Kal. Decem. superstites, piæ Generositatis documenta continẽter exhibẽt maxime insignia; duos fratres, Comites Generosos, in felicissimo gubernationis curriculo, ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ ac subditorũ commodum; generosos insuper illorum filios & indole & reapse viros, & propter magnanimem prudentiam, ante senectæ annos, in hac ætatis flore, admirandos, venerandos; generosas itidem filias filiolas, pias illas animulas: generosa indole, pietatis, virtutis, ingenuitatis, integritatis & pudoris præditos, præditas; vt Deus clementissimus vtrobiq; secundare, annare & perennare velit, votum meum magnum est.

Ioachimus I Iohannis, filius Elector Brandeburgic. princeps fuit eruditus, eloquens, affabilis erga omnes, qui & religionis ac literarum amore, Academiam Francofurti ad Viadrum fundauit, anno 1506. Obiit an. 1535.

Ioachimus II. Ioachimi I. filius, Elector Brandeburgius; pius & religiosus Princeps, sapiens, iustus, moderatus, beneficus φιλήσυχος. In bello Smalcaldico stetit quidem à partibus Cæsaris, sed in reconciliandis, Imperatori, Electore Ioanne Friderico ac Philippo Landgrauio, summopere laborauit. Obiit an. 1571.

Ioachimus, princeps Anhaltinus, Ernesti filius; princeps optimus & pientissimus, inquit Reusnerus; diuinum verbũ vnice dilexit: patriam laudabiliter rexit: literatos summe fouit: pauperes liberaliter aluit: templum Dessauiæ à patre inchoatum absoluit. Obiit apoplexia Dessauiæ, ἄγαμος. an. 1561.

Ioannes constans ac mitis, Friderici frater, Elector Saxoniæ, pijssimus & sanctissimus princeps, insigni παῤῥησίᾳ & constantia confessionem Augustanam Carolo V. Cæsari exhibuit anno 1530. in arce Schweinitz. Obiit an. 1532.

Iohannes Ernestus, Iohannis Electoris filius, Dux Saxoniæ princeps pius & cordatus. Obiit ἄπαις anno 1553.

Iohan-

Iohannes Fridericus Magnanimus Ioan. F.Saxoniæ Elector,pro aris & focis fortiter dimicans captus & Septemuirali dignitate exutus; Elogium tamen Epitaphio ipſius adſcriptum, tale obtinuit: Ioannes Fridericus Dei benignitate, electus Martyr Ieſu Chriſti,Dux confeſſorum fidei; Princeps afflictorum;Comes veritatis;Signifer ſanctæ crucis;Hæres vitæ æternæ.Obiit pie ſancteque Vinariæ an.1554.

Ioannes Fridericus II. Ioannis Friderici Electoris filius,Dux Saxoniæ, pius ac bene tentatus & probatus princeps,in probatione ſua rectam fidem, firmã ſpem ac confeſſionem incorruptam, ad vltimos vſque vitæ dies conſtanter retinuit.Obiit in captiuitatis ſuæ(in quam propter proſcriptos receptos inciderat)anno 28. die 9.Maij,quo etiam captus fuerat,anno Chriſti 1595. Iohannes Wilhelmus,Iohannis Friderici Electoris filius,Dux Saxoniæ,ſynceræ religionis aſſertor ſtudioſiſſimus & propagator conſtantiſſimus, Scholarum & Eccleſiarum nutritius ſingularis,φιλήσυχος & pacificator eximius,bellator nihilominus fortitudine ac prudentia nulli ſecundus. Obiit an.1573.

Ioannes Fridericus III.Ioan.Friderici Electoris filius,Dux Saxoniæ.pius & eruditus princeps,animique conſtantia in vera religione aſſerenda & propaganda, patris auique æmulus excellentiſſimus.Obiit ἄγαμος, perpetua valetudine aduerſa infirmus.

Ioannes Caſimirus,Friderici III. Electoris filius,heros fortis, bellicoſus, ſtrenuus, ac valde humanus & affabilis erga omnes,literarum ac literatorum amans;vnde etiam literarum ſtudio nouum Collegium,quod Caſimirianum appellatur,Heidelbergæ extruxit.Obiit anno 1592.

Ioannes,Ioannis Wilhelmi filius, Dux Saxoniæ, parentis in ſynceræ religionis, iuſtitiæ, pacis ac clementiæ zelo ac ſtudio, æmulus præſtantiſſimus. Obiit 1606.

Ioannes,Ioachimi I.Electoris Brandeburgici filius,veræ religionis acerrimus vindex & propugnator,ob ſingularem prudentiam,dexteritatem & grauitatem dictus prudens,ſeuerus,oculus ac conſilium Germaniæ. Obiit catharro ſuffocatiuo Cuſtrini,an.1571.

Ioannes Georgius,Ioachimi II.filius,Elector Brandeburgicus.princeps optimus,ſynceræ religionis,pietatis ac omnium virtutum ſtudioſiſſimus, patriæque amantiſſimus,in bello Smalcaldico militauit Cæſari,ac cingulum equeſtre promeruit.Obiit an.1598.

Ioannes I. Friderici filius,princeps Simmerienſis, non tam militiæ quam pietatis amans,Obiit an.1509.

Ioannes II. Ioannis I.filius princeps Simmerienſis,literatus,pacificus,Imperialis Cameræ iudex ſupremus,Obiit an.1557.

Ioannes princeps Anhal.Erneſti fil.princeps piiſſim',in agnita Auguſtanę cõfeſſionis doctrina & virtutũ Chriſtianarũ ſtudio cõſtãtiſſime pſeuerauit.Cũ fratri-

fratribus in tota vita sic vixit, vt nulla res vnquam eorum concordiam labefactauerit. Obiit Seruestæ, ann. 1551.

Ioachimus Ernestus, Princeps Anhaltinus, Iohannis filius; post vtriusque fratris ex hac vita migrationem, summa pietatis, sapientiæ & iustitiæ laude, Reipublicæ gubernaculum tractauit annos 16. ac Seruestanum gymnasium fundauit. Obiit Dessauiæ, ann. 1586.

Ioannes Albertus, Alberti filius, Dux Megapolensis; Princeps fuit insigniter pius, ac summe literatus, Ecclesiæ Dei ac scholarum nutricius eximius. Academiam Rostochiensem liberaliter auxit. Obiit ann. 1576.

Ioannes Fridericus, Philippi filius, Dux Pomeraniæ; illustrissimus hic, & ad summam huidem pietate & omnibus virtutibus ornatissimus Princeps, in bello Maximiliani II. Turcico in Pannonia, imperii gestauit vexillum. Obiit ann. 1600.

Ioannes II. Dux Cliuiæ, Ioannis I. filius, hic fuit bellicosus & fortis; Dauidem Traiectensem, Præsulem in exilium pepulit, Maximiliano I. contra Carolum Geldriæ ducem militauit. Obiit ann. 1521.

Ioannes III. Dux Cliuiæ, Iohannis II. filius, militauit Carolo V. aduersus Turcam; Monasteriumque vrbem, vna cum aliis expugnauit. Obiit ann. 1539.

Iohannes senior, Friderici I. filius, Dux Slesuici & Holsatiæ, Princeps pius Ecclesiæ ac scholarum nutricius eximius. Obiit Hadersleuii ἄγαμος, ann. 1580.

Iulius, Henrici iunioris filius, Dux Brunsuicensis; heros hic magnanimus, etsi initio sacris destinatus fuerat, fratribus tamen duobus, Carolo Victore & Philippo in bello cæsis, factus est puræ religionis confessor, propagator & custos acerrimus, literarum & literatorum Mecænas optimus & benignissimus. Scholam Gandersheimensem aperuit. Academiam Iuliam, siue Helmstadiensem fundauit; eamque ædificiis, collegiis & professoribus prolixe liberaliterque ornauit ac Henricum Iulium, filium, Rectorem perpetuum eiusdem designauit. Obiit ann. 1589.

Ludouicus IV. Pacificus, Philippi filius, Palatinus Elector, fuit Princeps prudens, & singularis Musarum Mecænas. Philippus Melanchthon vocat illum bonum senem & pium principem, cum quo etiam mortua & extincta pax Germaniæ. Obiit ἄπαις ann. 1544.

Ludouicus V. Friderici III. Filius, Palatinus Elector, Princeps fuit pietate insignis, veræ Euangelicæ doctrinæ assertor & repurgator maximus, vitæ & morum probitate laudatissimus, iustitia, clementia, beneficentia, mansuetudine, φιλανθρωπίᾳ & integritate ornatissimus. Obiit 1583.

Ludouicus, Alexandri filius, Princeps Bipontinus, Marte togaque insignis; is Missa abolita, puriorem Euangelii doctrinam restituit; ac Carolo Cæ-

fari militans, Franciscum Galliarum regem ad Traiectum repressit, anno 1521. Obiit Maisenhaimij anno 1533.

Ludouicus Christophori filius, Dux Wurtembergicus quintus, subscripsit & subscribi curauit à suis Ecclesiis & scholarum ministris, Formulæ concordiæ, an. 1579. Interfuit Comitiis Augustanis, anno 1582. extruxit illustre & magnificentissimum Collegium Tubingæ (vulgo der newe Baw) impensis ad hoc vltra 60000. aureorum. Obiit apoplexia forti tactus, ann. 1592

Georgius Comes Wurtembergicus, & Mompelgart. Henrici filius, Vlrici frater, Smalkaldiæ expeditioni cum protestantibus interfuit; recepit à Christophoro patruo, præfecturam Neuenburgensem, & Comitatum Mompelgartensem. Obiit ann. 1558.

Ludouicus Philippi filius, Hassiæ Landgrauius; Princeps ingeniosus, in latina lingua & liberalibus artibus probe institutus, ac animosus, quippe qui & ipse ad liberandum patrem arma sumpsit. In conseruanda sincera atq; incorrupta Euangelij doctrina constantissimo zelo præditus. Obiit ann. 1604.

Ludouicus (Bothonis Com. Stolb. filius) Comes Stolbergius Konigsteinius, Rochefortius, Warnigerodius & Werthæmius, Dynasta in Epstein, Mintzeberg, Breuberg & Aigemont: trium Imperatorum, Caroli, Ferdinandi & Maximiliani ab intimis consiliis & Orator insignis fuit; cuius illi opera & consilio in multis legationibus feliciter vsi sunt. Obiit Wertheimiæ, an. 1574. ætatis suæ 69.

Ludouicus Comes Oetingensis, heros rei bellicæ admodum gnarus; à bello Germanico ob Euangelii doctrinam proscriptus, nouem cum patre exulauit annos; suis tandem restitutus laudabiliter adhuc patriæ præfuit annis XIV. Obiit an. 1569.

Magnus II. Ioannis VII. filius, Dux Saxoniæ inferioris, Angriæ & Westphaliæ, &c. fuit acris ingenii animique princeps. Acres & diuturnas aluit contentiones cum Episcopo Raceburgensi Henrico, quæ tamen post multam actionem, Ducisq; excommunicationem, tolerabilibus conditionibus compositę tandem fuerunt, de quibus legatur Chytræus *li. 6.* Hadelariā, à Iohanne Rhodio Bremensi Archiepiscopo occupatam, solo terrore legionis militum ex Belgio euocatæ, recepit. Obiit an. 1543.

Magnus II. Henrici Pinguis filius, Dux Megapolensis, ingenio, animo & erga literarum studia amore vere magnus. Post mortem Vlrici Stargardiæ principis, Stargardiam suæ ditioni adiecit. Rostochii Cathedralem Ecclesiam S. Iacobi fundauit. Obiit an. 1503.

Magnus III. Henrici Pij filius, Dux Megapolensis, princeps pientissimus & eruditissimus. Infans adhuc postulatus fuit ad Episcopatum Suerinensem. Obiit Butzouiæ ann. 1550.

Mauritius Magnus, Henrici Pii Saxoniæ D. filius, Saxoniæ Elector, heros

fuit

fuit Mauortius fortissimus & bellicosissimus, auitæ gloriæ æmulus, veræ tamẽ & sinceræ religionis obseruantissimus, Ecclesias & Academias conseruauit & auxit. Tres ludos illustres, ann. 1550. Misnæ, Grimmæ, & Portæ instituit. In bello Smalkadico Cæsaris partes secutus, pro seruitiis & belli impensis, an. 1548. Electoratum consecutus est. Obiit in ipso victoriæ cursu, bombardæ globo traiectus, anno 1553.

Maximilianus I. Imp. heros fuit magnanimus, pius, optimus: multarum linguarum gnarus, adeo vt omnibus populis sine interprete diceret, & responderet: inprimis autem multis & maximis victoriis de Gallis, Eburonibus, Sicambris, Batauis, Morinis, Hungaris, Bohemis, Boiis, Turcis, Venetis, Heluetiis nobilitatus. Tantas autem in eum natura, tantas diuina benignitas ex vsu Reipub. dotes effudit atq; congessit, & tam cumulate, vt cunctos suæ ætatis in orbe Christiano Reges, heroici ingenij vigore, solertia & alacritate, virtutibus priuatis seu domesticis ac publicis, togatis item & bellicis, ardenti pietatis studio, tantoq; Principe digna magnificentia, generosi spiritus, inuictiq; animi magnitudine secundis pariter & aduersis casib. omniũ iudicio antecelluerit.

Vita eius priuata plena fuit exemplorum, non simulatæ sanctimoniæ, honestatis, grauitatis, temperãtiæ, sobrietatis, castitatis, vt apparuerit haud dubie fulgere in mente eius veram agnitionis diuinæ lucem accensam à Filio Dei, & pectus ardere motibus Spiritus sancti, ac totum vitæ cursum regi diuinitus. Consuetudo familiarior vitæ domesticæ consumta illi est cum viris doctis, quibus cum de doctrina Ecclesiæ, de omnib. Philosophiæ partibus, sed de arte Medica præcipue, & Mathesi, de historiis omnium temporum suauissime collocutus, & in ipsis curam lectionis ac meditationis assidue acuit, & suo exẽplo hortatuq; ac spe præmiorum amplissimorum, cum omniũ liberalium artium, tum vero inprimis historiarũ studia in Germania, tunc adhuc profunda barbarie obruta & verę solideq; eruditionis fontes ignorante, vnus excitauit, ita, vt ante eum patriam vix quisquam verioribus ornamentis priuatim aut publice illustrarit ac condecorarit.

Princeps omnium virtutum genere conspicuus: Dei legumq; obseruans: vitæ innocentia, temperantia, voluptatum abstinentia, laborum tolerantia, generosi spiritus inuictiq; animi magnitudine omnibus prælucens. Tandem exantlatis laboribus vndecumq; maximis ac grauissimis difficultatibus, senio confectus, dum ex Comitiis ad Augustam Rhetiæ domum redire parat in itinere ad Welsim febre correptus obiit, an. 1519.

Maximilianus II. Princeps similiter pius, sapiens, iustus, æquus, moderatus, clemens, beneficus, humilis, & comis erga quosuis animo vere paterno, de publica salute & pace patriæ perpetuo solicitus, vnde amor orbis non immerito cognominatus fuit.

A primis adolescentiæ annis optimis imbutus literis, ac scientiis in

tantum eis inuigilauit, vt octo linguis loqui non mediocriter sciret. Obiit Ratisbonæ in Comitiis, ann.1576.

Ottho Henricus, Ruperti virtuosi filius, Palatinus Elector, Princeps religionis sinceræ vindex acerrimus, pater patriæ laudatissimus & pacis amantissimus. Obiit ἄπαις Heidelbergæ, ann.1559.

Ottho I. Henrici iunioris filius, Dux Lunæburgensis, in Comitiis Augustanis anno 1530. adiunxit se auunculo, Ioanni Electori, in negocio Augustanæ confessionis. Ideoque merito ob pietatis constantiam & vitæ integritatem ac probitatem commendatur. Obiit ann.1549.

Ottho Dux Brunsuicensis & Lunæburgensis, Friderici filius, bellator strenuus latronum persecutor acerrimus, coniurationem nobilium quorundam, cuius capita fuerunt Schulenburgici & Battenslebii, fortiter repressit, ad obsequiumq; reduxit. Obiit ann.1471.

Philibertus Bernhardi, Marchionis Badensis filius; Atque is quidem, pietatis zelo motus, paucis ante mortem annis, ditionem suam, iuxta Augustanæ confessionis formam reformauit. Verum post illius obitum, tutores pupilli, Philippi (filius ipsius Philiberti,) omnia immutarunt ac deformarunt. Obiit in prælio Gallico ad Montocurum, ann.1569. Philippus vero filius cum nuptias instituisset cum Sibylla, Ducissa Iuliacense, Wilhelmi filia, ac Badæ sponsam expectaret, subita morte extinctus est.

Philippus Ingenuus, Ludouici III. filius Palatinus Elector, princeps fuit nomine & virtute ingenuus; ante bellum Bauaricum (quod filii Ruperti nomine contra Maximilianum Imp. sed infeliciter gessit, anno 1504) potentia, opibus & autoritate valuit. Obiit 1480.

Philippus Bellicosus, ex familia Electorali Wittelsbachica Bauarica, Ruperti filius, magnanimus hic heros, Viennam Austriæ aduersus Solymannum Turcam fortiter & strenue defendit. Ad Lauffam Wirtembergici Ducatus oppidum, Ferdinandi copias ducens, à Philippo Landgrauio Hassiæ profligatus, in fuga, pedis calce, globo bombardico amissa captus fuit. Obiit ἄγαμος Heidelbergæ, anno 1548.

Philippus Marchio Badensis, Christophori March. Badensis filius, princeps fuit iustitiæ & prudentiæ studiosissimus. Obiit ann.1513.

Philippus, Guilielmi Medii filius, Landgrauius Hassiæ, Princeps rerum gestarum magnitudine, pietate, prudentia, rerum experientia, ac omnibus heroicis virtutibus illustris, bellicæ autem rei apprime gnarus: Francisci à Sickingen conatus, Treuiri & Palatini Electorum auxilio repressit: rusticos per Germaniam tumultuantes contudit: Moguntinum, Wurciburgum, Papebergensem Episcopos, suspectos ob initum fœdus contra Euangelicos, acri bello domitos 120000. aureis mulctauit. Vlricum ducem Wurtembergicum, quindecim iam annos exulem, per vim in amissum ducatum reducens,

Ferdinan-

Ferdinandi copias ad Lauffam oppidum profligauit. Anabaptistas Monasterienses cum aliis Imperij proceribus ad deditionem compulit. Henricum iuniorem, Ducem Brunsuicensem, ditione sua eiecit, armis eam repetentem, cum filio Carolo Victore cepit. Anno postea 1546. bello à Carolo V. Smalcaldicis illato, quum quamplurima egregia voluntatis documenta edidisset, præter spem & multorum opinionem captus, eo redactus est, vt ab vna Cæsaris clementia, in frequenti magnatum consessu, supplex salutis præsidium petere, & delictorum veniam deprecari cogeretur: necnon quinquennalem captiuitatem subire: è qua generi Mauritij Electoris filiique Guilielmi & aliorum Principum contra Carolum insurgentium virtute liberatus, ita terris suis præfuit, vt & Dei gloriam atque religionis puritatem propagaret: suorum subditorum saluti consuleret: & patriæ periclitanti salutaribus consiliis succurreret. Amoris erga literas monumentum insigne reliquit Marpurgensem Academiam; quam erectam liberalibus stipendiis ac immunitatibus ornauit, vndique accersitis viris doctissimis, Cassellis tandem multorum malorum dierum satur, pie ac placide obiit, an. 1567. durante adhuc obsidione Gothana.

Philippus Ludouicus, Wolffgangi filius, Princeps Bipontinus; heros pietatis zelo erga sinceram incorruptamque doctrinam ardentissimo, iustitiæ, prudentiæ, moderationis, integritatis, aliarumq; auitarum paternarumq; virtutum æmulus præstantissimus, Musarum fautor & patronus eximius. Cuius symbolum, *Christus meum asylum*, euentu comprobatum, obitu beatissimo, placidissimo Anno 1614. die 12. Augusti, confirmatum, memoriam illi parit sanctam sempiternam; quem nunc omnes boni elogio hoc ac luctu Ambrosiano, (quando is Theodosio Imperatori iusta faceret) *Dilexi virum, quia cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis augebatur,* prosequuntur, ac subinde:

Heu Pater occubuit, Dux occidit, occubuit Lux:
Occidit, heu patrij Currus Equesque soli.
Heu capitis nostri cecidit Diadema: columna
Maxima Teutonici corruit Imperij.
Sidus in Israel, Iosi biius occidit alter,
Summa palatinæ spes columenque domus.

suspirantes lacrymantes ingeminant.

Philippus I. Georgij filius, Dux Pomeraniæ; Princeps fuit, inquit Reusnerus, pientissimus, cœlestis doctrinæ repurgatæ defensor ac propagator constantissimus, literarum Mecœnas eximius, iustitiæ legumque obseruantissimus, pacis cultor mirificus, & vere pater patriæ. Obiit maximum desiderium suis omnibus relinquens, an. 1560.

Philippus Comes Hanauiensis, Dominus Minzebergæ, noua accessione

tituli Comitatus Reinecensis (quem post fata vltimi illius terræ præsidis adeptus erat,) prouinciam suam insigniaque gentilia auxit & ornauit. Obiit an. 1561.

Richardus, Ioannis II. filius, Princeps Simmeriensis, pietate, sinceræ religionis constanti studio, morum probitate, iustitia & φιλοψυχίᾳ p. æstantissimus. Obiit Simmeriæ pie placideque an. 1598.

Rudolphus II. Maximiliani II. filius, Imp Rom. an. 1576. Ratisbonæ in Comitijs Imperator designatus, & antea Hungariæ, Bohemiæ, & Romanorum regis titulo condecoratus, verus & genuinus, vt dignitatum, ita etiam virtutum paternarum hæres, atque æmulus, fuit, cuius insignia identidem in Romanum imperium extant merita, quæ quia peculiaribus desuper habitis declamationibus passim descripta publice extant, nolo in iis recensendis, ne actum agam, esse prolixior. Placidissime autem obiit Pragæ ann. 1612.

Rudolphus, Princeps Anhaltinus & Comes Ascaniæ, militiam secutus, aliquot annos Imp. Maximiliano I. dissimulata generis dignitate inseruiuit: donec tandem magnitudine animi, virtute, fide & in rebus agendis industria, generosam ac heroicam edens naturam, ab Imperatore agnitus, illius copiarum in bellis Geldrensi; Hungarico & Veneto tutor datus est. Venetis autem bis prælio fuit superior, primo ad Adulam, dehinc ad Bachilionē amnem, non procul Vincentiā: vbi à Bartholomæo Liuiano Venetorum Principe circumuentus sic, vt elabi non posse videretur; tam strenue pugnauit, vt hostili exercitu prouida irruptione at impetu vehementi, dissipato, protrito, conscisso, in Bachilionem amnem præcipite acto cum magna spectatorum parte, quos Princeps Venetus ad lanienam Germanicam spectandam tanquam ad certam paratamq; victoriam euocauerat; victoriam reportarit gloriosissimam; Vincentia, Verona, Patauio receptis, Anno 1515. Veronæ haud longe post veneno fuit necatus.

Vlricus, siue Huldricus, Henrici filius, Dux Würtembergicus tertius; proscriptus in conuentu Augustano; ob Reutelingam expugnatam, ditione sua expulsus, à Sueuici fœderis sociis; in patrium Ducatum per Philippum Hassiæ Landgrauium reductus fuit. Emendauit religionem iuxta formulam Augustanæ confessionis. Ac cum frustra petiisset Philippum Melanthonem ex Saxonia, vtebatur initio opera Ambrosij Blaurerij, qui passim templa expoliauit. Reformauit Academiam Tubingensem per Ioan. Brentium, & magna redituum accessione locupletauit, sicut etiam Ecclesiam. Fundauit illustre collegium ac stipendiarios siue beneficiarios Theologiæ discendæ, primus alere incepit; quod filius Dux Christophorus nouis & sumptuosis ædificiis amplificauit. Domum vniuersitatis multos iam annos igne collapsam suis impensis restaurauit. Arcem Tubingensem, in loco veteris Palatini ca-

ſtris extruxit. In bello Smalcaldico ſtetit à partibus proteſtantium, vnde in indignationem Cæſaris incidit. Receptus tamen fuit à Cæſare in gratiam, cui ſupplex Vlmæ factus eſt. Obiit Tubingæ an. 1550.

Vlricus Alberti filius, Dux Megapolenſis, piiſſimus, Eccleſiæque ac ſcholarum nutricius liberaliſſimus, pater patriæ fidiſſimus. Obiit pie Guſtrouij, Anno 1603.

Vlricus Comes Reinſteinius, Dynaſta Blancoburgius: heros in tuenda doctrinæ Euangelicæ veritate conſtans & intrepidus, in rebus aduerſis patientiſſimus, erga pauperes beneficus, erga ſubditos pius. Obiit anno 1551.

Wolffgangus Sapiens, Philippi Electoris filius, fuit Dux Nouifori, Neumarck, prudens, doctus & integer. Obiit ἄγαμος anno 1557.

Wolffgangus Ludouici filius, Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Comes Veldentianus, Bipontinus & Sponheimenſis, cum [illegible] religionis fundamenta ex fontibus ſacræ ſcripturæ [illegible] rum temporis controuerſis, non [illegible] authoritate ſcriptorum Biblicorum [illegible], ſed & aliorum contra[illegible] ſententiam refellere noſſet; Carolo V. Imp. poſt Saxonem debellatum, decreti Auguſtani formulam, quam *Interim* dixere, recipi ab ipſo poſtulante, ex ſummis illis difficultatibus ita eluctatus eſt, vt Princeps iuuenis præ multis alijs ſui ordinis hominibus, inſignem editæ confeſſionis [illegible] fidei laudem retulerit: quippe qui quiduis potius ſubire, quam [illegible], metu vitæ vel amiſſionis Ducatus deficere voluerit. Bellorum motibus ſopitis, præſtantiſſimorum Principum exemplo, ad Eccleſiarum ſuarum abuſus corrigendos, & diſcrepantiam atque ἀταξίαν tollendam animum adiecit: formam adminiſtrationis Eccleſiaſticarum ceremoniarum conſcribi curans, vna cum ſumma doctrinæ, continente omnium [illegible] ſpicuam declarationem. Scholas quoque duas condidit: Horn[illegible] in ducatu Bipontino, & Lauinganam in Palatinatu ſuperiori: in quibus non doctiſſimos tantum præceptores, ſed & vltra XL. adoleſcentes ſuis ſumptibus aluit, quorum opera poſtmodo & ad reip. & ad Eccleſiæ adminiſtrationem vteretur. Princeps piiſſimus, optimus, grauiſſimus & conſtantiſſimus. Zelo ac ſtudio ſuccurrendi afflictis propter religionem Gondæanis, expeditionem in Galliam ſuſcepit, qua & mortuus eſt, idq; Neſſunij, anno 1569.

Wolffgangus, Princeps Anhaltinus, Waldemari IV. filius; pius hic, grauis, moderatus, clemens, commodus & optimus princeps, [illegible] confeſſioni Auguſtanæ anno 1530. inter primos ſubſcripſit. Obiit [illegible] grauis, ἄγαμος, an. 1566.

Cæte-

Cæterum delibare duntaxat, ne in immenſum meus extreſcat ſermo, iſthæc de viris quibuſdam Germaniæ illuſtribus volui, minime ignorans, plures præter hos extitiſſe, atq; etiamnum extare, qui lucem continua quaſi ſucceſſione alternatim accenſam, imo propemodum (liceat mihi loqui ſtylo Pythagorico) transfuſam, Germaniæ, viris illuſtribus nunquam exhauſtæ, neq; exhauriendæ, dederunt ac ſubinde dant atque præferunt, Nobilitatis Germanicæ lampades, vndiquaque, admotis fulcris præfulgent, tenebriſque inuolutas machinas quibus republicæ ſæpenumero ad ruinam vſque concutiuntur, & quod maximum eſt, ipſa religionis purioris felix hactenus conditio quamplurimum periclitatur, maſcule demoliuntur, atque diſcutiunt. Vnum è perquam multis referam, (quos enim amamus, hos ſincere laudamus) Magnificum illum admodum, Nobilem & ſtrenuum Virum, Dominum Iohannem Eberhardum à Cronberg, Imperialis Caſtri Fridbergenſe [illegible] uium incomparabilem, qui diutius quam quiſquam, f[illegible]re ante [illegible] uo (quod Præfatio libri *de politia illuſtrium* ante [illegible] proclamat,) innata quædam corporis [illegible] & [illegible] eſtas ac generoſum plane ſupercil[illegible] dent, quique omnibus ſuis dictis, quibus nihil omnino ineſt teme[illegible] excors; innata illa vultus ac ſermonis grauitate incredibilem addi[illegible] tem, Vir annis quinque ſeptuagenario maior; in eodem tamen, corporis propemodum, animi vero, ingenij ac memoriæ omnimodo, exemplo rariſſimo, ſuccreſcente vigore (quoad mihi quidem cum ipſo, per annos continuos ſedecim iucunda (in debita tamen ſubmiſſione) intercеſſit familiaritas, quam etiam adhuc veneror ac deprædicare minime ceſſo, hoc potiſſimum in votis habens, vt talem tales, mihi Mœcenatem Mœcenates magnum magnos, eundemque eoſdemque longum habeam, &c.) inter omnimodas negotiorum grauiſſimorum curas feliciter ſeneſcens; v[illegible]us quidem in ſua familia ab antiqua atque hactenus interrupta continuatione, florentiſſim[illegible] celebritate nominis, rerumque maſcula prudentia geſtarum c[illegible] nime vltimus, ſed inter primos facile connumerandus; *viuit i[illegible] poſt funera virtus*. Sed hæc, dum alia in alios matureſcant, ſtudioſe differo.

TH. Tu hactenus temporales duntaxat ac ſeculares recenſuiſti laudatos Germaniæ proceres, nulla interim Eccleſiaſtici ordinis virorum illuſtrium, quorum tamen non minor, quam ſecularium numerus eſt, vel minima facta mentione. Num vero id inueterato quodam, quod tamen de te ſuſpicari candor prohibet, Equeſtrium erga Eccleſiaſticos odio fiat, alius fortaſſe, haud iniuria ſubdubitare queat.

EQ. Nolim iſthæc quenqu[illegible] de me ſuſpicari, quaſi [illegible]dio quodam clandeſtino erga eos [illegible]us nem[illegible] ex Eccle[illegible] m [illegible] recenſitum retulerim. Vixerunt intra hominum memoriam in [illegible], [illegible],

Gallia,

Gallia, Anglia, Scotia, Dania, Suetia, Polonia, Borussia, &c. reges ac Duces, regnorumque ac Ducatuum Proceres, rerum gestarum gloria vndiquaque celebratissimi, quorum ne minima à me facta est mentio, non quidem, quod odio eos, quodam occulto prosequar, (absit hoc, amare enim didici, non inuidere, non odisse) sed quod contrahere narrationem meam ab initio mihi animus est. Interim liberum tibi, mihique cumprimis gratum, erit, si identidem eorum quoque virorum, aliquot Ecclesiasticopoliticorum, qui intra hominum se e memoriam, atq; ab anno propemodum 1500. vsq; ad annum 1600. vixerunt laudabiliter, meo exemplo, catalogum recensueris.

TH. Fiet id à me haud grauate; nec illos tamen cuiuscunque ordinis aut dignitatis, sed Archiepiscopos duntaxat & Episcopos, qui intra Germaniæ pomœria diuersis temporibus residerunt; quos quidem quo vos hactenus, recensebo ordine alphabetico.

Albertus Palatinus Rheni, Otthonis Principis Noui Fori filius, Episcopus Argentinensis, Arcem Rubeaqui, pene vetustate obrutam, restituit, ac arces & oppida, quæ ciuitati Argentinensi oppignorata fuerant, libertati reddidit. Obiit an. 1506. *Archiepiscopi & Episcopi Germaniæ.*

Albertus Marchio Brandeburgicus Cardinalis, Ioannes Electoris filius Archiepiscopus Moguntinus, Cancellarius Germaniæ, Pontificiæ religionis acerrimus quidem defensor, sed singularis Musarum & literarum patronus ac pater amantissimus fuit. Obiit an. 1545.

Andreas à Barby non à Comitum Barbiensium ad Albim, sed alia eiusdem cognominis familia, oriundus, qui iam multos annos in Aula Danica Germanicis negotiis præfuerat Cancellarius, Episcopus Lubecensis, obiit an. 1559.

Antonius Comes Schaumburgensis, Archiepiscopus Coloniensis, fuit gubernator sapiens & bonus. Obiit 1558.

Augustus Dux Saxoniæ, Henrici filius, Episcopus Merspurgensis, Administrator in secularibus: In Ecclesiasticis Coadiutor, fuit Georgius Princeps Anhaltinus, Princeps piissimus & doctissimus. Ipse conciones habuit, nec vllum munus boni & fidelis Pastoris omisit. Augustus resignauit, an. 1548. Georgius obiit an. 1552.

Balthasar Merklinus, Episcopus Hildesiensis fuit Caroli V. Cæsaris Vicecancellarius, & quia gratia & autoritate in aula Imperatoris plurimum valebat, hunc & Constantiensem Episcopatum adeptus est: sed morte apoplectica præuentus non diu retinuit. Obiit an. 1531.

Balthasar Promitius, eques Freistadiensis, Episcopus Vratislauiensis, moderatione sua dulcem pacem, in regionis illius gubernatione & concordiam inter ordines conseruauit, neque vllum ordinem propter confessionem [illegible] afflixit. Obiit an. 1561.

Balthasar Ranzouius, Episcopus Lubecensis, à Martino Waldecfelsio R. Danæ hoste captus, & in Marchiam abductus fuit, ac exul obiit an. 1547.

Bernhardus Comes Waldeccius, Canonicus Coloniensis & Argentinensis, electus Episcopus Osnabrugensis, an. 1585. Propatruum hic Franciscum Præsulem Mindensem literaria corporis & animi magnitudine referens, in Canonicorum Argentinensium & Coloniensium dissid s, eam Augustanæ Confessionis doctrinam, in qua educatus fuit, magis probauit, tamen a turbulentis consiliis & factionibus vtrinque abstinuit.

Bertholdus Princeps Henneberg. Georgij filius, Archiepiscopus Moguntinus, Cancellarius Germaniæ: excellenti virtute, sapientia, in cósiliis & rebus gerendis industria p̄ditus, Maximiliani I. Cancellarius, seuer⁹ disciplinæ monasteriorū. præsertim sexus fœminei, reformator fuit. Obiit variolis, an. 1525.

Caspar us Lindius Wesphalus, humili loco natus, Archiepiscopus Rigensis; iustitiæ & pacis custos fuit fidelis. Obiit an 1523.

Casparus Logus Episcopus Vratislauiensis, natus in familia equestri Suidnicensi egregia doctrina & virtute præstans; fuit simul prouinciæ nomine Cæsaris præses.

Christophorus Dux Megapolitanus, Alberti filius, Episcopus Raceburgensis, Episcopatus gubernationem pe. annos 38. iuste & fideliter administrauit. Obiit an. 1592.

Christophorus à Stadion, Episcopus Augustanus, V. I. D. omnium eruditorum fautor incomparabilis, pius insuper, liberalis, benignus in pauperes, clemens & φιλόψυχος, discordiarum & disceptationum inter Principes ortarum, conciliator solertissimus. Obiit 1543.

Christophorus ab Vtenheim, Episcopus Basiliensis, fuit dignissimus ac doctissimus præsul, bonarum artium ac legum Doctor, Erasmum & alios viros doctos apprime dilexit, resignauit an. 1527.

Conradus à Bibra, Episcopus Wurceburgensis; magnanimus, mitis, beneficus, φιλόψυχος. Obiit 1544.

Conradus à Iungen, Nobilis Francus, Episcopus Wurceburgensis: In ipsius Epitaphio inter alia sic legitur: Pater bonus sapiésq; præsul. Obiit 1519.

Conradus de Seuenberg, Episcopus Leodiensis, vir Nobilis de domo Brabantiæ, pius atq; eruditus, resignauit an. 1544.

Daniel Brendel à Humburg, Archiepiscopus Moguntinus, ob eruditionem, prudentiam, facundiam & singularem humanitatem plurimum commendabatur, & quod neminem propter sinceriorem religionem persecutus fuerit. Obiit 1582.

Dietleuus Reuentleius Episcopus Lubecensis. Fuit is Friderici I. Daniæ regis Cancellarius, & puriorem doctrinam amauit. Obiit an. 1535.

Eberhardus ab Holle, Episcopus Verdensis, ille qui & Episcopus Lubecensis

ensis erat, [redacted] doctrina & ritus approbantib. Canonicis, in oẽs Ecclesias diœceseos inducere, princeps sapiẽs, veræ religionis, iustitiæ & literarũ amãs. Obiit an. 1586.

Eberhardus de Marca Cardinalis, Episcopus Leodiensis, summæ autoritatis apud Carolum V. obiit an 1538.

Erasmus Manduelius (Manteuffel). Episcopus Caminensis in Pomerania vir humilis ac literatus, V. I. Licentiatus, [redacted]

Erasmus Schenck a Limpurg, Episcopus Argentinensis, eximia virtute, eruditione, sapientia, sobrietate, & ἀπευχίᾳ & erga egenos beneficentia prædicatus fuit. Obiit 1568.

Ericus Dux Brunsuicensis, Alberti Ducis in Grubenhagena filius, Episcopus Paderbornensis, Princeps pacis & iustitiæ studiosus. Obiit an. 1532.

Ernestus Dux Saxoniæ, Ernesti Electoris filius, Archiepiscopus Magdeburgensis, huius studio & opera Fridericus sapiens frater, Saxoniæ Elector, Academiam Wittebergensem instituit. Obiit 1513.

Ernestus Dux Bauariæ, Alberti IV. filius, Episcopus Patauiensis, Princeps doctus & Doctorum fautor eximius, obiit an. 1550.

Fridericus Marchio Badensis, Caroli filius, Episcopus Vltraiectinus, vir placidus modestus & tranquillitatis studiosus. Obiit an. 1516.

Fridericus Holsatiæ dux, Friderici I. Daniæ regis filius, Episcopus Hildesiensis, Peynensem arcem & præfecturam ciuitati Hildesiensi oppignoratam, numeratis 18000. Ioachimicorum redemit, quæ hucusq; in potestate Ducum Holsatiæ permanet. Obiit an. 1556.

Franciscus, Comes Waldeccius Episcopus Mindensis, Monasteriensis & Osnabrugensis, Princeps pius, sapiens, iustus, clemens, veræ ac repurgatæ doctrinæ Euangelicæ assertor; vnde & Ecclesiarum reformationem in sua diœcesi suscipere est nisus, successu tñ parũ felici. Monasteriũ Anabaptistarũ asylum cum aliis imperij p̃ceribꝰ ipse quoq; obsedit & expugnauit. Obiit an. 1553.

Franciscus Comes Waldeccius, Philippi senioris filius, Episcopus Monasteriensis, bonus, clemens ac sapiens Princeps, veræ & repurgatæ Euangelij doctrinæ assertor, vnde & Ecclesiarum reformationem in sua diœcesi suscipere conatus est, successu tamen parum felici. In illius gubernationem incidit bellum anabaptisticum. Obiit an. 1553.

Fridericus Comes de Weda, Wilhelmi filius, Episcopus Monasteriensis, vir literatus & literatorum amantissimus, resignauit 1532.

Fridericus Comes de Zollern, Episcopus Augustanus, pietate insignis. Obiit an. 1505.

Fridericus ab Vrsperg (Winsberg) Episcopus Würceburgensis: hic raro Episcoporum exemplo, Euangelium in templo annunciauit, sacramenta administrauit & doctrinam literarum profitentes benigne iuuit. Obiit an. 1573.

Gabriel de Eyb, Episcopus Eichstettensis; hic doctrina excelluit, & Doctoris gradum consecutus est; placidus adeo fuit, vt quoties iter faceret, in animo & ore illud habuerit, causam Deo, veritati, legibus & S. Wilibaldo relinquo. Obiit 1535.

Gebhardus Archiepiscopus Coloniensis electus anno 1577. quum declarationem suę voluntatis de doctrina Euangelij & administratione Sacramentorum, congruente cum [redacted] confessione Principum atque statuum Augustæ Carolo V. exhibita, subditis suis eam expetentibus permittenda, & libero exercitio vtriusque religionis, iuxta pacem Religioni in imperio datam, defendendo publicasset, à Pontifice Senatuq; Coloniensi & toto Capitulo sede remotus, & Electoris dignitate est priuatus an. 1583. vnde funestum illud exarsit bellum.

Georgius Austriacus Maximiliani Imp. nothus, Episcopus Leodiensis, in bona pace, & tranquillitate munus suum obiuit. Obiit an. 1557.

Georgius Dux Brunsuicensis, Archiepiscopi Bremensis frater, Archiepiscopus Bremensis, vir fuit egregius, eruditus, pacis & Pontificiæ religionis obseruantissimus. Obiit an. 1567.

Gulielmus, Comes Honsteinius, Episcopus Argentinensis, Ecclesiam in magna temporum varietate & religionis mutatæ dissidiis, prudenter, moderate ac feliciter annos rexit 35. Obiit an. 1541.

Hadrianus à Riedmatten, Episcopus Vallesianus siue Sedunensis, sua prudentia & frugalitate, Episcopatum mirum in modum restituit, auxit & conseruauit, atque fœdus cum Heluetiis renouauit.

Henricus Dux Saxoniæ inferioris, Francisci Senioris filius, Archiepiscopus Bremensis; Princeps fuit iustus, pius ac veritatis amans. Obiit an. 1585.

Henricus Palatinus Philippi Ingenui Electoris filius, Episcopus Frisingensis, fuit bonus, grauis & φιλήσυχος. Obiit an. 1552.

Henricus Comes de Schaumburg, Episcopus Mindensis, Princeps fuit pius, integer atque modestus: moriturus huiusmodi condidit testamentum: Corpus terræ: anima Deo: Bona pauperibus & amicis commendata sunt. Obiit an. 1504.

Henricus à Borcholt I.V.D. qui Romæ in iudicio Rotæ diu versatus erat, Episcopus Lubecensis; is initiis emendationis doctrinæ & rituum Ecclesiasticorum in vrbe Lubeca, & reliqua diœcesi, vehementi, sed irrito conatu restitit. Obiit an. 1535.

Henricus à Lichtenaw, vltimus suæ gentis, Episcopus Augustanus; fuit V.I.D. Vir eximia sapientia ac virtute præditus; φιλήσυχος. Obiit 1517.

Hermannus Hassiæ Landgrauius, Ludouici Mitis filius, Archiepiscopus Coloniensis, Cancellarius per Italiam; Princeps fuit sapiens, beneficus, mitis, pacis & quietis amans, nihilominus tamen, vbi res postulauit, bellator magnanimus & felix. Obiit an. 1508.

Her-

Hermannus Comes à Weda, Archiepisc. Coloniensis, Cancellarius per Italiam, princeps fuit optimus, pietate, pacis studio, clementia, liberalitate ac multis alijs virtutibus clarissimus; [redacted] Obiit 1552. octogenarius.

Henricus Berckmairi, Episcopus Raceburgensis, ex humili infimorum scribarum loco, virtute & industria per annos scribarum gradus ad Cancellariatum Ducis magni Megapolitani munus, & anno 1510. ad Episcopi Raceburgensis & principis imperij fastigium ascendit. Obiit ann. 1524.

Hieronymus Schultetus, Episcopus Merspurgensis; is fuit decretorum Doctor ac orator disertissimus, qui & bene potus per tres integras horas coram Magnatibus perorare potuit laudabiliter. Ad hunc [redacted]

Iacobus Marchio Badensis, Christophori filius, Archiepiscopus Treuirensis, Cancellarius Galliæ; De huius insigni doctrina & eloquentia scribitur, quod in conuentu Coloniensi, ann. 1505. nomine Imperii, Gallicis legatis Gallice, Pontificiis legatis Latine, Germanis Germanice responderit. Obiit ann. 1511.

Iacobus à Salza LL. Doctor, Episcopus Vratislaniensis, præfuit Ecclesiis cum laude sapientiæ & moderationis, alienus à sæuitia. Obiit an. 1539.

Iacobus Philippus de Gandolsheim, Francus, Episcopus Basiliensis, placidus & modestus princeps, obiit an. 1553.

Innocentius IX. Ioannes Antonius Fachineus, Papa, fuit singularis abstinentiæ & sobrietatis, qui nunquam, nisi semel in die comedebat, idq; tempore cœnæ. Obiit anu. 1591.

Ioachimus Fridericus, Marchio Brandeburgicus, Ioan. Georgij Electoris filius, Archiepiscopus Magdeburgicus, Templum cathedrale annis pene 20. clausum 1566. Dominica I. Aduentus aperuit, & sequenti 1567. [redacted] Sequenti anno 1570. per totam Diœcesin [redacted]

Ioannes Dux Saxoniæ, Angriæ & Westphaliæ, Ioannis VII. filius Episcopus Hildesiensis; cum in bello non necessario contra Duces Brunsuicenses moto, omnibus ferme suis prædiis & arcibus priuatus fuisset, resignauit. Obiit anno 1527.

Ioannes Marchio Badensis, Iacobi filius, Archiepiscopus Treuirensis, Cancellarius Galliæ, ob venerandam caniciem & rerum plurimarum cognitionem apud omnes Germaniæ proceres in magna fuit autoritate. Obiit anno 1506.

Ioannes ab Horn, Episcopus Leodiensis, Princeps fuit animi & corporis dotibus insignis, literarum iurisq; ciuilis peritus, ad quem multæ extant Erasmi Roterodami Epistolæ. Obiit an.1506.

Ioannes Cômes à Hoya, Episcopus Paderbornensis, [illegible] eloquentia præstans. Obiit an.1574.

Ioannes Gebhardus Comes Mansfeldensis, Archiepiscopus Coloniensis, Pontificiæ quidem religionis fuit obseruantissimus, sed natura bonus & pacificus. Obiit 1562.

Ioannes Dalbergius, Episcopus Wormatiensis. Fuit hic Philippi Palatini Elect. Cancellarius, vir doctissimus, trium linguarum, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ valde peritus. Obiit an.1523.

Ioannes IX. de Haubitz, Episcopus Misnensis, resignato Episcopatu Augusto Electori, ac ipse parte bonorum Ecclesiasticorum contentus fuit, an. 1581.

Ioannes de Maltiz, Episcopus Mindensis fuit doctrinæ sacrarum literarum inprimis eruditus, & mansuetudine patientiaq; insigni præditus. Emendationem doctrinæ & rituum in Ecclesia, mortuo Georgio Duce Saxoniæ, per Misniam ab Henrico Saxoniæ Duce, anno 1539. susceptam pacate & modeste tulit. Obiit an.1549.

Ioannes de Mezenhausen, Archiepiscopus Treuirensis, vir prudens & bonus oeconomus. Obiit an.1540.

Ioannes ex nobili familia de petra (von der Leyen) Archiepiscopus Treuirensis, fuit vir prudens, expertus, & ad maximas res gerendas idoneus. Obiit an.1567.

Ioannes IV. Rotus, patria Wendingensis, Sueuus, Episcopus Vratislauiensis, carus Friderico Cæsari, Ladislao & Mathiæ regibus, utrique regioni, [illegible] suis sacerdotibus. Obiit an.1506.

Ioannes Schonbergius, Episcopus Cizensis & Naumburgensis, [illegible] supra modum & obesus, inaugurauit Ernestum Magdeburgensem Episcopum & Adolphum Mersburgensem. Obiit an.1517.

Ioannes V. ex familia Turzonum Cracouiensium, Episcopus Vratislauiensis: charus quidem non fuit collegis sacerdotum; fuit tamen ingenio miti, φιλάνθρωπος, humanus; & qui neminem lædebat; amans doctorum, & erga discentes liberalissimus. Obiit an.1520.

Ioannes Albertus, Friderici V. Marchionis Onolsbacensis filius, Archiepiscopus

... Magdeburgensis, vir eruditione, ingenio & industria singulari præditus. Obiit podagricus an. 1550.

Iohannes Georgius Marchio Brandeburgicus, Ioach. Friderici Administratoris Magdeburgici filius, Episcopus Argentinensis; hic quia [redacted] Lutheranus erat, à PP. excommunicatus, & à Pontificiis Canonicis ... volens cessit, Obiit an. 1593.

Iohannes Tidemannus, Collegij Lubecensis Decanus, Episcopus Lubecensis, ante exactum biennium decedens, insigni pietatis exemplo, bona sua pauperibus Viinensibus 4000. Lubecensibus 5000. & aliis alia testamento legauit. Obiit anno 1561.

Iulius Echterus Episcopus Wurciburgensis, fuit quidem vir doctus & in aliquo ... laudandus, sed Euangelicæ doctrinæ persecutor. Nam multos suorum ... propter eandem in exilium eiecit.

Iulius Pflugius, Cæsaris Pflugij Nobilis Misniei filius, Episcopus Cicensis & Naumburgensis, ingenio, doctrina, Latine scribendi facultate, & in rebus agendis dexteritate, industria & prudentia præstans, & Carolo Cæsari charus, ad quem de constituenda republica librum grauissimum scripserat. Is vna cum Sidonio & Islebio, Formulam interreligionis siue interimisticam composuit. Verum eo repudiato, Elector Saxoniæ, vtpote diœceseos illius Aduocatus & patronus, Nicolaum Ambsdorfium ex Nobilitate Theologum Wittemberg. instituit; qui tamen post sexennium an. 1547. rursus cedere fuit coactus, sicque Iulius in Episcopatu permansit, ac obiit an. 1564.

Laurentius à Bibra Episcopus Wurciburgensis, singularis prudentiæ & integritatis laude in toto imperio celebris, quem etiam Fridericus Saxoniæ Elector in causa [redacted]. Obiit an. 1519.

Lucius pater, Nobilis Rhetus, Episcopus Curiensis, artium Magister, de quo dicebatur: Ingenio magnus, corpore paruus erat.

Magnus Dux Megapolitanus, Henrici filius, infans postulatus Episcopus Suerinensis, magna cum pietatis & prudentiæ laude postea diœcesin illam gubernauit. Obiit an. 1550.

Martinus ab Hutten, Episcopus Eichstettensis, ob eruditionem, industriam & morum suauitatem, plurimum commendabatur. Obiit 1552.

Matthæus Langius Sueuus, Cardinalis, Cardinalis Salisburgensis, Carolo & Ferdinando Cæsaribus fuit gratissimus, qui & Carolo V. cuius legatus fuit, in Conuentu Augustano imperium obtinuit. Obiit anno 1540.

Mat-

Matthias de Ingau, Epiſcopus Merſpurgenſis; is primus adminiſt [redacted] in templo cathedrali ann. 155.

Melchior Zobelus, Epiſcopus Wurciburgenſis, in illius Epitaphio in templo cathedrali Herbipolenſi ita commendatur, quod magna laude, ſummo erga pios ſtudio, ſumma voluntate, egregia fide, ſingulari pietate, ... temperantia, annis 8. Rempublicam adminiſtrarit. Obiit à 15. conuratis globo traiectus an. 1585.

Ottho Truchſeſſius à Walpurg, Wilhelmi ſenioris filius, Epiſcopus Auguſtanus; hic etiam Cardinalis factus eſt, & Dillingæ nouum gymnaſium aperuit. Obiit 1571.

Paulus Zieglerus à Ziegelberg, Epiſcopus Curienſis, præfuit Epiſcopatui inter maximas difficultates ac ſubditorum ſuorum moleſtias & iniurias infinitas. Obiit ann. 1541.

Philippus à Flersheim, Epiſcopus Spirenſis, vir clemens, manſuetus erga omnes, [redacted] non oppugnauit, ſed ſuaſor pacis patis in imperio extitit. Obiit ann. 1552.

Philippus à Roſenberg, Epiſcopus Spirenſis, Rotenburgum à Palatino redemit 1400. aureorum; ac nobile opus Montem Oliueti in ambitu maioris Baſilicæ, Spiræ extruxit. Obiit 1513.

Philippus Sigiſmundus, Dux Brunſuicenſis, Iulii filius, Epiſcopus Oſnabrugenſis, is licet alterius, quam Pontificiæ religionis ſit, catholicos tamen in antiquis ſuis priuilegiis ſeruat & defendit.

Richardus Griſenklauw, Archiepiſcopus Treuirenſis, vir fuit prudens, doctus, & in ſua religione deuotus. Obiit non ſine veneni ſuſpicione anno 1531.

Robuſtus Bergiacus, Epiſcopus Leodienſis. Fuit in eo ſumma mentis lenitas & manſuetudo, pacis ſtudium ſingulare [redacted] fauor eximius. Obiit ann. 1564.

Rhodolphus Princeps Anhaltinus, Alberti filius, Epiſcopus Mersburgenſis fuit, is quidem humilis ſtaturæ, ſed magnæ ob pietatem, ſanctitatem, eruditionem, prudentiam, caſtitatem, grauitatem, beneficentiam erga pauperes, & in gubernatione induſtriam autoritatis; qui ipſe pro concione populum ſæpe docuit. Obiit ann. 1526.

Salentinus Colonienſis, Comes Iſenburgius, Dominus Grenſauli, Colonienſis Archiepiſcopus electus anno 1567. diœceſi ſuæ decennium præfuit, Princeps parcus, frugalis, & ad rem attentiſſimus. Sacerdotio deinde Brulis renunciato, Bonnæ celebrauit nuptias cum Comitis Arenbergii filia: militiæ poſtea vacans.

Sebaſtianus à Heuſenſtam, Archiepiſcopus Moguntinus, Cancellarius Germaniæ, fuit natione Haſſus, Doctor legum, ſapientiſſimus & vſu rerum clariſſimus. Obiit ann. 1555.

Sigiſ-

Sigiſmundus Marchio Brandeburgicus, Ioachimi II. Electoris filius, Archiepiſcopus Magdeburgicus, princeps fuit optimus, humanus, literarum ſingularis patronus. Hic primus fuit, qui [redacted] inter Archiepiſcopos, ac omnimodam reformationem in collegiis ſuæ ditioni ſubiectis inſtituit, ſed morte præuentus exequi non potuit. Obiit anno 1566.

Sigiſmundus de Lindenau, Epiſcopus Mersburgenſis, benignus fuit & grauis. Obiit ann. 1544.

Sigiſmundus Fridericus Fuggarus, Epiſcopus Ratisbonenſis, doctus, prudens & bonus œconomus. Obiit anno 1602.

Theodorus ab Hardenberg, Epiſcopus Mersbergenſis, à Georgio Anhaltino celebratur. Obiit ann. 1527.

Theodorus Bulau, Epiſcopus Lebuſienſis, hic primus Cancellarius Academiæ Francofurdianæ ad Oderam extitit. Obiit. an. 1523.

Thilo à Trotta, nobilis, Epiſcopus Mersburgenſis, vir grauis & Ducum Saxoniæ conſiliarius prudens, amans ciuium, magnificus & liberalis. Obiit ann. 1514.

Vincentius à Sleinitz, Epiſcopus Mersburgenſis, æquus, commodus & bonus fuit paterfamilias. Obiit 1535.

Wigandus à Redowitz, Epiſcopus Bambergenſis, princeps fuit mitis, clemens, benignus, pacis ſtudioſiſſimus, ac ſuis omnibus charus.

Wilhelmus Comes à Hoenſtein, Epiſcopus Argentinenſis, princeps prudens, doctus, humilis, mitis ac erga pauperes benignus. Epiſcopatum in magna temporum varietate & religionis mutatione annos 35. prudenter ac moderate gubernauit. Obiit ann. 1541.

Wilhelmus Ketler, Weſtphalus, Gothardi filius, Epiſcopus Monaſterienſis, pietate & prudentia commemorabili præditus fuit, qui ob ſtudium [redacted], ann. 1557.

Wolfgangus à Salms, Nicolai III. filius, Epiſcopus Batauienſis, Latine & Græce doctus, artium & religionis peritus, obiit anno 1555.

Cæterum, plures me potuiſſe ordini huic accerſere, non eo inficias, ſed prolixitatis tædio filum lubens ac ſciens abrumpo: & remitto vos ad illos, qui ex profeſſo illorum hiſtorias literis mandarunt. Interim me meo ſatisfeciſſe muneri, quantum quidem ad hanc rem opus eſt, confido.

PH. Nondum vero, ſed neque Dominus Eques, veſtro perfuncti eſtis officio, neque meæ ſatisfeciſtis expectationi. Meminiſtis, me non virtuoſos duntaxat, ſed & flagitioſos, cumque his intermedios allegaſſe, neque hos ex infima plebe, ſed ex ſummorum Imperatorum claſſe in proſcenium eductos, quorum non tam virtutes, quam etiam vitia citra vllam adulationis notam ſuſpicionemue enumeraui. Meo itaque exemplo, non virtute tantum prædi-

Aa tos ad

tos ad imitationem, sed vitiis quoque corruptos ad detestationem, vt enumeraretis, par erat.

SEQ. Valde audaces in reprehendendis illis, quorum iam dudum ante aliquot secula, deleta est memoria. Quod si vero vires, neotericorum quoque quorum adhuc recens est memoria, praua recense facinora. Caute nimirum agis, atq; vt boni & cordati viri nomen retineas, ampullose παῤῥησίαν illam tuā & quiduis de quouis ebuccinandi licentiā iuxta atq; audaciā, deprædicas.

TH. Odiosa sunt restringēda magis q̃ āplianda, quū prouidendū ēt sit, ne nimia de principib. malis exemplorū inductione, alii in sua malitia confirmētur. Quemadmodū n. solatiū miseris est, socios habere pœnarū; sic quoq; ipsi ēt principes, ij præsertim q ad malitiā proniores sunt, infelix quoddā solatium ex aliorū prauitate ac malitia instigante Satana, captare solēt. Cūq; oēs à Deo constitutos ordines alios ipse communis generis humani hostis oderit, hunc maxime, cæteris q præest, odio Vatiniano ꝓsequitur: Reges, Principes, populi Rectores nōnullos impellit: vt sua perperā potestate vtātur ac tyrāni fiant: vitiis sese polluant turpissimis: iracundię frena laxēt: ludis ac cōpotationibus indulgeant: sint voluptatib. atq; libidinib. dediti, & ꝙ oīum est grauissimū, bene monentib. aures ꝓbere ac obtēperare turpe & seruile ducant, eaq; de causa tales aditu alloquioq; suo prohibeāt. Exēpla passim extant: q̃ cōtumax Pharaonis aduersus Deū immortalē fuit proteruia & proterua audacia. Quis est, inqt, Iehouah? Sarcastice ausus est insultare Deo, & ita subsānare illius potentiā, vt suā fingat ampliorē, imo ꝙ maius est, plane contēnebat, vt q nec nouerat, nec nouisse Deū, multo minus mādato eius obsequi cupiebat. Non inflectebatur precib. sed insolentior ēt euasit iuxta dictū Nazianzeni: θεραπευόμενα ὑπερήφανα, ἤδη ἑαυτῶν ὑπεροπτικώτερα γίνεσθαι πέφυκε, i.e. superborū est, vt si rogādo aut molliendo cures, asperiores & insolentiores morib. suis existant. Quātum monstrū terra aluit, dum Herodē illū Magnū (scilicet nequā.) Antipatri secundū filium, Ascaloni ā βρεφοκτόνον, (à cæsis infantib. ita dictum) duit atq; educauit. Qui quidē in regni initio per trienniū fuit cōmodus, sed postea tota vita intolerabilis. In tyrocinio audax, indefessus & rerū magnarū semper cupidus: in gubernatione tyrannus immanis & hypocrita astutissimus. Militauit Antonio, & auxilia misit Augusto & amicis literas scripsit duplices, vt belli euentū caute expectēt, & cui victoria contigerit, ei literas tradāt & munera: alteras cōscindant. Liberalis erga exteros, in ciues atrox, erga domesticos fera siluestri truculentior: vnde tot hostes timuit, quot filios se metuētes haberet. Consiliū publicum, 72. virorū nobilissimorū, tulit de medio: amicos regis Antigoni II. quinq; & quadraginta iugulauit: adolescentes studiosos 40. cū duob. sacerdotib. Iuda atq; Matthatia, rogo imposuit: omnes homines, quocunq; modo sibi aduersantes, aut leui de causa suspectos, excruciauit: miscens interdum pœnis amicitias, beneficia iniuriis, sceleri pœnitentiam. Zachariam patrem Iohannis in sacrario ab eo sublatum, Cedrenus scribit. Maiore furore

Impiorum principum exempla.

accensus in sua viscera, coniugẽ Mariannem & socrum Alexandram interfe- c. filios tres necauit, Aristobulũ, Alexandrũ, Antipatrum. quib. addit quartum Macrobius, intra bimatum peremptũ. Aristobulo affini, Mariannæ fratri, ademit sacerdotium & vitam: sororis maritũ, & filiũ eius, vt scribit Philo, obtruncauit. Persuasũ magis Regem Messiã inquirentib. struxit insidias: Christum ipsum ad necẽ inuestigauit: vrbem Bethlehemã & agrum vicinum, masculorum cædibus exhausit, quod tradit Matthæus Euangelista. Incidens demum vna contagione in morbos plurimos, cruciatu longo, & tetro fœtore, vermib. toto corpore erumpentib. consumitur: cultrum in viscera acturum, Metroebus consobrinus, & Achiabus minister prohibẽt. Moritur miserrimè, cum dolorum remedium nec animo inueniret, nec sentiret corpore. Florem nobilitatis & senatus reliqui, ante mortem conabatur extinguere, vt essent q in eius flerent exequiis, nulli hominum, ipsius tyrãni iudicio, flendis. Regnauit hoc inter homines monstrũ, annos 37. quod terra tulit annos 70.

EQ. Recentiores inferam, sed parce, ob paulo supra illatam à Dño Theologo rationem; è quorum numero sunt: Ludou. XI. Valesius, Franciæ rex, qui obiit año Christi 1483. fuit is ἄμουσος, literisq; ac literatis adeo infensus, vt Carolo filio linguæ Latinæ cognitionem interdixerit. Infidus præterea; cui nihil tam familiare fuit, quam ex vsu & commodis suis sine discrimine fidem fallere quibuslibet, inprimis vero agnatis principibus, quos ceu potentes nimis & factiosos, numero viribusq; diminutos aut extirpatos cupiebat.

Richardus III. Dux Glocestriæ fratris Regis Britanniæ testamento filiorũ ipsius tutor atq; educator datus; è tutore latro, ex educatore parricida factus: duobus fratris filiis iugulatis, & Regina matre cum totidem filiab. tetrum in carcerem conclusa, regium nomen & insignia vsurpauit. Vir facie truculenta malitiamq; olente; ingenio versuto, & ad simulandum ac dissimulandũ apto: animo elato ac feroci. Itaq; ob tyrannidẽ ac crudelitatẽ omnib. exosus, & ab Henrico Richemundiæ Comite in bello cæsus; cuius corpus exanime omni nudatum vestitu, dorso equi impositũ, artub. vtrinq; dependentib. Lecestriã delatũ, & in cœnobio Franciscanorũ absq; vllo honore est funeratũ an. 1485.

Christianus II. (Dani Christiernũ nominant) Daniæ rex, propter tyrannidẽ & crudelitatẽ, q̃ in omnis generis homines, in Senatũ præcipue Holmensẽ & proceres Suecos exercuerat, mortuis quoq; non parcens; ab ipsis & Lubecensib. nec non Friderico patruo regno exactus, an. 1522. Atq; is quidẽ post 10. exilii annos, comparatis in Belgio copiis, in regnũ reuersus fuit, spe eius recuperandi: sed captus custodiæq; mancipatus est Callenburgi: vbi tãdem in diuturnis 27. annor. vinculis expirauit, an. 1559.

PH Verè M. Tullius de ll. *Perniciosè* inq̃t *merentur de Rep. vitiosi principes, q non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem: neq; solum obsunt, quod ill. i ipsi corrũpuntur, sed etiam quod corrumpunt: plusque exẽplo quã peccato nocent.* Quod quũ oẽs, quib. mica saltẽ cerebelli inest, norint, ipsoq; naturæ atq; indolis ductore

genio vitia deuitare, iisdemque quantumuis, subinde suppullulantibus nuncium remittere possint, proinde superuacaneum est, rem per se planam tædiosa historiarum superinductione coaceruare, præsertim quum in peculiaribus infra statuendis Aphorismis commodum etiam possint inuenire locum. Cumque hactenus Principem, à prima pueritia, adeoque à lacte materno instruxerimus, quin etiam pro ampliori informatione, laudatissimorum quorundam virorum Principum exempla, veluti contemplationis iucundioris specula, atque è diuerso etiam monstrosorum quorundam Principum identidem malefacta promptioris deuitationis ergo, ante intuentium oculos statuerimus; Restat nunc, vt de ipsa Principis electione aliquantulum dissceramus. Quo electo, quid porro sit eius officii, mentem, & linguam, secundum Deum, ducturientibus Aphorismis, inquisituri.

EQ. Memini ego, controuerti apud multos eximiæ eruditionis viros, quũ omnis potestas à Deo sit, vtrum sit melius, successionis iure hæreditario, an *Princeps successione an electione statuendus.* vero electione esse, atque habere principem, hoc est, an iure quodam gentilitatis in liberos vel agnatos, principatus honos deriuandus; an vero iure sanguinis neglecto, suffragiis populi, vel eorum, ad quos ea res spectat, Principis electio sit deferenda? Ac sane multi existimant, principatum non sanguini deferendum; nam & antiquitus, inquiunt, imperium non nisi ad homines iustissimos & sapientissimos deferebatur. Vnde præclare Arist. 5. Polit. cap. 10. *Reges inquit, eliguntur ἐκ τῶν ἐπιεικῶν*, ex viris bonis, propter *ὑπεροχὴν, excellentiam virtutis, aut rerum ex virtute gestarum.*

PH. Audio te allegare morem antiquorum in eligendis principibus. Quid si vero tibi diuersum ostenderim? Annon enim Persarum olim reges iure hæreditario imperarunt? quod Strabo super alios, *li.15* testatur, & refert Isocrates *orat. 3. ad Nicocl.* eorum Monarchiam non aliam ob causam ad tantam processisse potentiam, quam quod Regibus non electione, sed hæreditaria successione ad imperium assumptis regerentur. Et narrat Thucydides (referente Petro Gregorio 7. *de rep. c. 4.*) temporib. heroicis, antequam ambitio ad mutandam Remp. Græcos impulisset, eosdem sexcentis ante annis rectos fuisse Regibus per successionem legitimam vocatis, vt Athenienses, Spartanos, Sicionitas, Corinthios, Thebanos, Epirotas, Macedonas. Contendit quoq; Pisistratus cum occupasset Tyrannidem Atheniensium, regnum sibi debitum, & nihil alienum sibi vsurpasse. *Quippe, inquit, genus à Cecrope duco: Id enim meo iure vendico, quod Athenienses olim iureiurando firmassent, Codro illiusq; genti prabituros regnum, quod postmodum abstulerunt.* Ægyptii quoq; à tempore primi Regis, vsq; ad Sethonem vltimum Regem & Sacerdotem commemorabant trecentos quadraginta quinq; per successionem continuatam ex genere. Hinc (quod est memorabile,) vbi accepit Polydecten fratrem vxorem grauidam reliquisse, statim Regis quod præpropere assumpserat nomen, deposuit, interim πρόδικον, hoc

κεῖ, hoc eſt, tutorem ſe eſſe profeſſus. Sed & natum deinde poſthumum primo lumine ſtitiſſe Lacedæmoniis, ac dixiſſe fertur, *Βασιλεὺς ἡμῖν γέγονεν ὦ Σπαρτιᾶται. O Lacedæmonij Rex nobis natus eſt*, moxq; infantem Regia in ſella depoſuiſſe. Quid multis? nulla fere gens toto in orbe, quæ non receperit, ac prętulerit hæreditariam hanc ſucceſſionem.

TH. Deus certe ipſe hæreditariam iſtam ſucceſſionem à populo ſuo recipi iuſſit & ſtabiliri. Nemini enim ita contulit Deus regnum, vt perſonæ id ſolum, quin etiam poſteritati, legitimo poſſeſſionis iure tenendum daret. Nam ſæpe nos ſcriptura docet, Deum licet vni nominatim tribueret Imperium, voluiſſe ſemper id beneficij ad ſobolem quoq; peruenire, quaſi ſatis perſona patris comprehenſam, quamuis donationem nō raro ob donatarij commiſſum reuocarit. Ecce, Deus per Nathan Prophetam Dauidem ſic alloquutus eſt: *Ego tuli te de paſcuu ſequentem greges, vt eſſes Dux ſuper populum meum Iſrael: & fui tecum in omnibus vbicumque ambulaſti, & interfeci vniuerſos inimicos tuos à facie tua, &c. cumq; dormieris, cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo Regnum eius, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum.* Quam promiſſionem Deum ad Salomonem Dauidis filium repetiiſſe quoque legimus, vt habetur 3. *Reg.* 9. & 1. *Paral.* 22. Deinde legimus diadema cum ſceptro ſæpe pueris, atque adeo infantibus, tradi ſolitum. *Choas* namq; ſeptem tantum annorum erat cum regnare cœpit: *Manaſſes* vero duodecimo; *Ioſias* octauo ætatis anno vncti ſunt; quos populos, ſi libera atq; ſoluta ei optio Regem eligendi fuiſſet, nunquam poſthabitis adultis Reges ſibi aſciuiſſet.

PH. Recte itaq; Corn. Tacitus lib. 1. Hiſtor. *Minore*, inquit, *diſcrimine ſumitur Princeps quam quæritur.* Nimirum, quia multi, nec boni ipſi, nec bono publico, cupidine tantum potentiæ, (*omnes enim habere in alios imperium cupiunt*) ad Principatum incenduntur, idq; non ſine magno Reip. detrimento. *Maxime adducuntur pleriq;* (inquit Cic. 1. de offic.) *vt eos Iuſtitiæ capiat obliuio, cum in imperiorum, honorum, gloriave cupiditatem inciderint.* Quid quod Anarchia inſidiis, diſſidiiſq; magis opportuna? quando defuncto Principe plebem, fere videamus motus noui cupidam, nec magis publicam rem in tuto, quam nauis ſuo deſtituta nauarcho. Siquidem *magnis*, aut nouis *conatibus, oportuni ſunt tranſitus rerum.*

TH. Ad euitandam certe & circumſcribendam innatam mortalibus ambitionem conducit hæreditaria hæc ſucceſſio. Quis enim neſcius eſt, vel ab ipſis incunabulis ingenitam eſſe hominibus dominandi cupidinem? Teſtis ille *Polynices* apud Senecam: *Pro regno velim Patriam, penates, coniugem flammis dare: Imperia precio quolibet conſtant bene.* Vnde fit vt viuente etiam Principe ſæpe de eius ſucceſſione conſulatur. Inſtruuntur illi inſidiæ, vt occupandi detur locus: factiones, coniurationes oriuntur, calumniæ texuntur, aliæque occaſio-

nes quæruntur destitutionis eius. Quid autem mali adferāt factiones pro gubernaculo Reipub. ambiendo, testantur abunde miserrima ciuilia Romanorum bella, Marij, Syllæ, Lepidi, Cæsaris, & Pompeij, Antonij, & Augusti. Hinc factiones, ærarij expilationes, ortæ diuisiones, Reip. odia, inimicitiæ inter regnicolas, ciues, & prouinciales. quæ quidem omnia quiescunt, quando est certus successor ex genere: inquiente Pet. Greg. *de rep. 7. cap* 4.

PII. Addo his, per deductionem ab absurdo: Si omnino Principum filij iure successionis hæreditario priuari debent: tum princeps vacante Principis sede, assumendus est aut ex plebe, aut ex nobilitate, spectata tamen vitæ cuiusque probitate: Si ex plebe, nobilitas id ægre ferens, multarum seditionū causa erit, quod se negligi videat, vulgoq; postponi. Si vero ex nobilitate, idem & plebs faciet, quapropter & dissidia multa, & contentiones orientur, præsertim si ex nobilitate quis, vt sæpe fit, aliquanto ambitiosior populi gratiā colligit, vt regno facilius potiatur: veluti Cæsar, ac L. Sylla: cumq; nec tanta sit inter conditionis vtriusque homines concordia, vt non interdum alteri sese alteris coniungant, sicq; ipsorum potentia crescat, & opes. Quod si etiam nulla conditionis, aut ordinis ratione habita, sola virtutis causa, eligerentur: fieret tandem, vt filij, cognatiq; Regum plebeij essent, aut quiuis promiscue ex Regali esset familia: sicque nullus nobilitati, præstantiæ, honorive locus relinqueretur: id quod rationi valde repugnat: cum in republica & ordines ciuium, & gradus dignitatum esse debeant, vt sunt etiam virtutum, meritorumq; omnium: fieret etiam, vt is, qui fuisset Rex semel, priuatæ vitæ pertæsus, regnandiq; cupiditate incensus vel studia sibi multorum deuinciret, vt diutius regno potiretur, vel turbas excitaret permultas, vt vi, ratione ve alia potentiam constabiliret suam: id quod Cæsaris Dictatura, Dionysij tyranni, Tarquinijq; Superbi regna indicant: quorum quisque, ne ex eo dignitatis gradu, in quo fuisset, caderet, neve quod esset deturbatus, priuatim viueret semper, multarum seditionum, bellorumq; causas præbuit. Multi porro (vt est hominibus callidis familiare hoc vitium) simulatione quadam virtutis, & specie adumbrata regnum ambirent, eoq; adepto, tyrannidem exercerent: vt fertur de Nerone, Caligula, deq; aliis non paucis, qui regni sui initio boni videri voluere: postea tamen potentia confirmata, occultam ambitionem, animiq; morbum indicauerunt. Iam si eligendi Principes sint, vel sortito id fieri deberet, vel ciuium suffragiis. Si sortito, quid ineptius, quam fortunæ vniuersam reipublicæ salutem, administrationemq; committere: si suffragiis, quæ tanta esse cautio religioq; potest, vt non ambitioni, gratiæ, affectui, studiisq; pateat locus? accideret demum, vt potentiores, ac popularis gratiæ collectores regno semper potirentur, sicq; idem ad paucos perueniret: quod noxium item esse, omnes loquuntur historiæ; nunquam vero boni honestiq; ciues eligerentur. Quinetiam si tanta naturæ vis est in iis, quæ procreat, vt quo sit præstantior causa, eo

sit no-

sit nobilior est, ductus: certe parentū nobilitas, præstantia, regnū deniq; ad præcellentiam filiorū multū contulerit: cum, vt præclare Plato inquit, rationi sit congruentius, meliora ex nobiliū parentū satu ingenia oriri, q̃ ex vulgarium.

Hinc sequitur, regno eos aptiores esse, qui sint ex parentibus nati Principibus, quam qui ex priuatis: quando vt illi opibus magis abundant, ita filios liberalius, adhibitis optimis præceptoribus, instituere possunt: tum ipsos à tenera ætate negotiis publicis, atq; priuatis assuefaciunt: celsitudinem quoque animo quandam & excellentiam ingenerant, quam ex maiestate illa regia, pompaq; filij concipiunt & imitantur: demū id virtus, meritaq; Principum in rempublicam quasi suo iure poscunt, vt filij ac nepotes eandem in dignitatem succedant, tum honoris veluti p̄mio, tum quia vero est similius, magnis & excellentib. viris, ortos paternā imitari virtutē, quam ex vulgaribus procreatos.

TH. Imperium quoque longe est stabilius, si successor non in incerto sit. Est enim tunc, qui aliorum spes, atque etiam machinationes cohibeat; quoniam, vt inquit Cassiodorus, non sentitur am[i]ssus, cui non succedit extraneus. *Ecce* (inquit Syracides cap 30.) *mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se.* Atq; hinc Wenceslaus ille, Rom. Imperator quantumuis alioqui intractabilis, tamen sede imperatoria per Electores Imperij exutus, moderatius tulit, cum inaudiret, Iodocum Barbatum, Marchionem Brandeburgi & Morauiæ consanguineum suum per suffragia aliquot, successorem sibi in Imperio designatum esse. Cum enim Iodocus mox ab electione, Wenceslaum patruelem visitatum venisset, abduxit eum Rex in penitiorem ædium partem, atq; in hunc modum allocutus est: Etsi scio non esse è dignitate mea, quod Electores Imperij me regno abdicarunt: solatio tamen est, quod familia nostra hoc decus non excidit. Ego te libens volensq; successorem mihi datum accipio. Cumq; Iodocus his verbis territus ad Regis genua procubuisset, ac sibi nihil imputandum diceret, quod earum rerum omnium ignar⁹ esset: Pone metum inquit. Nam neq; Imperium inuit⁹ depono, neq; si retinere illud cupiā, iura sanguinis violare ausim. Bono itaq; animo esto, Imperiumque tibi mandatū suscipe: Mihi mea satis est Bohemia. Viribus, armis, opib. regni mei tu q̃ tuis, vt libet, vtere: lętūq; & donatū nepotem à se dimisit.

PH. Est hoc exemplum, in monstrosis præsertim naturis, rarum, summopere tamen, rebus ita stantibus, commendandum. Cæteroquin enim, qui libidine regnandi excæcati sunt, neutiquam turpe vel flagitiosum ducunt, id quod ipsorum cupiditatibus impedimento vel est, vel esse posse suspicantur, quauis via ac ratione è medio tollere, quippe apud quos, vt Robertus Ganguinus vere ait, probitatis aut fidei nihil est. Omnino ad exemplum quorundam brutorum, quæ rapto viuunt, quippe, quæ in proprios potius sæuiunt fœtus, quam vt illos venationis socios accipiant. Quo sensu Plinius scribit: *Aues vncos vngues habentes, omnino non congregantur, & sibi quæq; prædantur.* *Regnandi sæua ambitio.*

Hinc

Hinc non frustra barbara illa vox tam sępe ab historicis repetitur, nullum Regnum sine domestica cæde aut parricidio esse solere. Vsque adeo namq; regnandi feruntur desiderio, vt neque amicis neq; generi indulgeant suo. Hoc ita esse apparet in Antonino Caracalla. Quum enim fratrem Getam in gremio matris interfecisset, & quidam ei suasisset, vt fratrem interfectum ad mitigandam inuidiam parricidij, diuum appellaret; *sit*, inquit, *diuus, dum non sit viuus*. Iam nescia est, vt ille dicit, veræ pietatis & iuris regnandi cupiditas.

In hunc catalogum referri etiam debet Selimus, Baiazetis filius, Imp. Turc. Is namque, patre veneno, opera Iudæi Medici, vt aiunt sublato, quum libido & cupiditas regnandi naturalem mortem expectare non permitteret, non modo fratres suos & eorum liberos omnesq; consanguineos è medio sustulit, ne æmulos regni relinqueret, sed etiam quum in expeditione Ægyptiaca esset, veritus ne sibi absenti, Solymannus filius vnicus imperium adimeret, quemadmodum ipse Baiazeti patri suo illud extorserat, veste quadam veneno tincta dono missa, filij vitæ pater, vt multi indicarunt, insidiatus est.

Sed & Solymannus, qui eadem diffidentiâ erga filios laborauit, in hanc classem referendus. Cum enim anno millesimo quingentesimo secundo, Mustapha filius maior natu (sicut post alios à Bodino refertur) fractis Persarum opibus ad patrem, accepta fide, sine comitatu rediisset, tanto exercitus clamore tantaque gratulatione exceptus est, vt mortalium antea nemo. Pater istam gloriam ferre non potuit, sed filium subinde strangulari mandauit in cubiculo interiore, & eodem momento coram exercitu proiici, tum præconem altissima voce promulgare iussit, vnum in cœlo Deum, in terris vnum Solymannum Imperatorem esse oportere. Totus exercitus terrore attonitus obmutuit. Iunior natu biduo post veneno sublatus est, quod ingemuisset. Tertius metu patris ad Regem Persarum confugerat, at statim per legatos reuocatus est, ac securi percussus. Restabat Selimus, cui pater minas intentauit, nisi solus restaret. Atq; ita vsitatum est in gente Othomannorum, quia apud illos Musulmanos Reges mos est perpetuus, vt spes imperij ad omnes, exitus ad vnum recasurus sit. Recte itaque dicit Augerius Busbequius, Cæsareæ Maiestatis legatus, nihil omnino miserius Turcicorum Imperatorum filiis esse, è quibus, si quis patri successit, reliquos ineuitabilem mortis necessitatem manere: Nam neque, inquit, Turcæ imperij æmulos ferunt, nec per milites prætorianos omnino ferre possunt, quin, si quis forte fratrum sit, præter eum qui regnat, superstes, congiariorum petendorum nullum finem faciunt: si recusantur, statim audis, saluus frater sit, fratrem Deus nobis seruet. Quo verbo designari illum imperio, non est obscurum, adeo vt fratrum sanguine manus polluere, & parricidio regnum Turcis Imperatoribus sit necesse.

TH. Ad rem accedemus propius. Ipsa iuris succedendi violatio, & dum voluit minor ex filiis, præripere regnum maiori, ingentes sępenumero peperit clades.

clades. Et, quoties fere ius primogenituræ inter Principes violatum fuit & primogeniti ab imperio fuerunt repulsi; grauissima sæpe bella & funestissima parricidia secuta fuerunt. Liquet id exemplis filiorum Dauidis, ipsius quinetiam Esaui & Iacob, & aliorum. Liquet idem ex duobus filiis Alexandri, regis Iudæorum. Eo enim mortuo, vxor eius Alexandra, quæ duos illos ex Alexandro genuerat filios, natu maximum Hircanum, & propter ætatem declarauit Pontificem: & quod propterea segnior esset, quam vt potestate regia molestus cuiquam videretur, constituit; minorem autem Aristobulum priuatum viuere maluit; quod feruentioris esset ingenij. Attamen mortua Alexandra, Aristobulus regnum sibi vsurpauit; donec post ingentes clades & prælia à Pomponio victus & captus est, & regnum Hircano restitutum: Sic nimirum Aristobulo violatio iuris succedendi male cessit.

Primogenituræ iuris violatio periculosa.

PH. Violationem iuris primogenituræ, nisi præuio expresso Dei nutu ac voluntate, ipsis etiam Principibus parentibus nunquam fere prospere successisse, historiæ attestantur passim obuiæ.

Ptolomæus Physico, vxoris oratione persuasus, maiori prætulit iuniorem; sed mortuo patre populus iuniorem expulit, maiori sceptra restituit.

Cumq; Anaxandrides rex Lacedæmoniorum Cleomeni primogenito regnum adimeret, vt regnaret iunior; admodum moleste tulit populus, quod virtutis specie gentium iura perrumperentur, vt scribit Herodotus *lib.* 4.

Ineptus vero cumprimis fuit Alfonsus X. rex Castiliæ, qui natu iuniorem propterea designauit, Regem, quod ex siderum inspectione regno magis idoneum arbitraretur; At vero primogenitus eius filius illatam sibi contumeliam sic vltus est, vt fratre interempto, patrem etiam carceribus conclusum dolore concepto necaret.

Consimili fere exemplo Gabriel Marchionis Salussiarum filius fratrem natu maiorem, matre annuente in vincula coniecerat: hic tamen effractis carceribus principatum recuperauit: & exacto fratre matrem iisdem angustiis, quibus fuerat ante conclusus, mancipauit.

Gallia etiam, vt testatur Bodinus *lib.6 de republ.cap.5* tota bellis ciuilibus exarsit: propterea quod Ludouicus Pius Carolum filium, vxoris illecebris persuasus, Lothario primogenito prætulisset.

TH. Narrat Pausanias tragœdiam, quæ rite huc accommodari potest, memorabilem, de Ptolomæo Philometro; quod quidem cognominis per illusionem nactus est: neq; enim Regum quisquam fuit vnquam, quem maiori mater odio prosecuta fuerit. Hunc enim, maiorem quamuis natu, Regem salutari non est passa, & vt in Cyprum, viuente patre ablegaretur, effecit. Neque his contenta, criminationes etiam in ipsum confinxit acerbissimas, quibus etiam Alexandrinorum, vsque adeo concitauit animos, vt non multum abfuerit, quin Ptolomæum impetu facto opprimerent. Quumque ipse naui

periculo se exemisset: haud ita multo post è Cypro reuersum Alexandrum, Regem appellarunt. Digna autem facinore pœna Cleopatram consecuta est. Eam enim filius, quem suis ipsa consiliis ad regnum euexerat, peremit; quo scelere detecto, quum ciuium metu aufugisset Alexander: Ptolomæus in Ægyptum rediit, aciterum regno potitus est.

PH. De Prusia, rege Bithyniæ scribit Iustinus: quod cœperit consilium interficiendi Nicomedis filij, dum consulere studeret minoribus filiis, quos nouerca eius susceperat, & Romæ habebat: & re manifestata ab his, qui facinus susceperant, accitum in patris regnum venisse: statimque Regem appellatum: Prusiam regno spoliatum à filio, priuatumque redditum; etiam à seruis derelictum: & cum in latebris degeret, non minore scelere, quam filium occidi iusserat, à patre interemptum.

Et memorabile est, quod narrat Valerius Maximus: Scipione Africano patris & patrui memoriam gladiatorio munere Carthagine noua celebrante; duos regios filios, nuper patre mortuo, in arenam processisse, policitosque, se ibi de regno præliaturos, quo spectaculum illustrius pugna sua facerent. Eos Scipionem monuisse, vt verbis quam ferro dimicare mallent, vter regnare deberet: ac cum maior natu consilio eius obtemperaret, minorem corporis viribus fretum in amentia perstitisse: initoq; certamine pertinaciorem impietatem fortunæ iudicio morte mulctatam.

Successionū concertationes diræ.

TH. Quod si tantæ animorum exacerbationes inter ipsos Principes fratres ex violatione iurium successionis subsequuntur; quid futurum existimamus, si ab iis, q nulla ipsis necessitudine iuncti sunt, violatio istiusmodi successionis iurium attentaretur; quum ne ij quidē vtplurimum, qui magna aliqua consanguinitatis aut affinitatis necessitudine nexi sunt, cōuenire inuicem in successionib. queant. Exemplum extat oculare in Ducatu Iuliacensi, Cleuensi & Bergensi; q̄ concertatio quo successu finienda sit, Deus solus nouit.

PH. Transeo retro ad illustre illud exemplum Philippi Mariæ, Ducis Mediolanensis, cuius non tam mors, quam orbitas, quas perturbationes & confusiones rerum omnium, quas prædas, quos laniatus Reip. Mediolanensi attulerit, haud est opinor quisquam qui nesciat. Ecce; populus vt cognouit Ducem sine liberis obiisse, mox in libertatem sese exclamat, duodecim viris electis qui Remp. administrarent: Interea temporis plures suscitantur, qui Principatum sibi deberi contendant. *Fridericus III.* Imp. se iure potiorem esse asserit. *Alphonsus* Aragoniæ Rex ex testamento hæreditatem petit. *Carolus* Dux Aurelianensis ex sanguine Vicecomitum natus, ab intestato sibi deberi contendit. *Franc.* vero *Sfortia* Vicecomes, coniugem suam, quæ Philippi filia erat, suam & necessariam Patri hæredem esse ait, & quidem se cæteris potiorem. Auditę sunt legationes imminentium Dominorum in Senatu Mediolan. sed frustra. Dilaniatur itaq; Philippi hæreditas, *Veneti* Placentiam, Cremam, Laudam

dam occupauere, aliaq; minuta oppida: *Ludouicus* Dux Sabaudiæ Valentiam, & Florentiam inuasit. Astenses ad Ducem Aurelianensem Carolum defecere, qui susceptis à Rege Franciæ non paruis auxiliaribus copiis, Alexandrinorum agros vexare atq; populari cœperunt. Papienses intestinis agitati discordiis, diu ancipites fuere, quibus se potissimum partibus iungerent. Nouarienses, Comenses, Alexandrini, ac Terdonenses Mediolanensium Imperium subiere, Parmenses in societatem quodammodo recepti sunt. Tandem bellis inter hos intestinis excitatis, præualuit Franciscus Sfortia: quibus consiliis, quave virtute, qui volet legito apud Illustriss. Card. Æneam Picolomineum, Comment. lib. 46. de Ducibus Mediolan.

TH. Præstat itaque, quod ab initio diximus, successorem in Principatu, per modum successionis hæreditariæ designare; sic namque imperium erit stabilius. Id quod fidem quoque facit Titus ille Taciti, *lib. 4. hist.* dum ait: *Non legiones, non classes perinde firma imperij munimenta, quam numerum liberorum. Nam amicos tempore, fortuna, cupidinibus aliquando, aut erroribus imminui, transferri, desinere: suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime Principibus, quorum prosperis & alij fruantur; aduersa ad iunctissimos pertineant.*

EQ. Tandem etiam me loquentem audietis. Vestram sententiam de successionis iuribus hæreditariis, speciose equidem comprobastis. Atqui nosse debetis, non deesse in contrariam partem argumenta quoq; atque exempla grauissima: Primum namq; extra controuersiam est, quod cognita iam virtus atque perspecta, expectatæ & incertæ omnino debeat præferri, cum sæpe videamus, in eadem familia, filios & posteros à parentum, & maiorum præstantium virorum virtutibus degenerare. Vnus *Vespasianus*, apud Romanos, Titum filium virtutis suæ imitatorem habuit; mox Domitianus degenerauit. *M. Antoninus* nullam vnquam Reipubl. iniuriam intulit, nisi quod Commodum filium reliquit. *Seuerus* Caracallam fratricidã, & Senatorij sanguinis osorem, post se in Imperio habuit. *Magnus Constantinus* filium Arrianum, & Iulianum Apostatam reliquit. Deinde, quia defuncto Regi nonnunquam puer aut infans succedit, aut etiam posthumus relinquitur, vt Lacedæmone Charilaus Lycurgi fratris filius; quorum dum maturitas expectatur, regnum solet multis incommodis & seditionibus laborare. Ac sane, quibus in regnum successerunt. Sed quibus calamitatibus ac malorum fluctibus per tutorum regnumq; procurantium ambitiosas contentiones, & procerum nouarũ rerum & Imperiorum studium, vicinorumq; regum huiusmodi occasionibus abutentium cupiditatem, regna sæpenumero iactata sint, longum esset recensere.

Successiones ex electione.

Recte itaq; fecisse Alexandrum illum Magnum in hac successionis materia, minime dubium est, is namque tametsi Herculem filium, & fratrem Aridæum, & Roxanem vxorem prægnantem relinqueret, tamen illum Imperij hæredem futurum respondisse, qui dignissimus esset: nefas esse ratus viro fortialium quam fortem & manu strenuum succedere.

Scimus etiam plerosque Romanos Principes, neglecto proprio sanguine, exteros ad Imperium assumpsisse, atque inter cæteros GALBAM Pisonem adoptasse, NERVAM Traianum Imperatorem fecisse, eundemque postea Cæsarem in Senatu designasse. prudenter: *Ingens enim est gloria morientis Principis*, inquit ille, *Rempubl. magis amare quam filios*. Itaq; optimi illi Romanorum, non coniunctionem sanguinis, cum propinqui non deessent, anteponebant publicæ vtilitati: quippe existimabant ad Imperium, virtutem potius cuiusque, quam generis claritudinem atque adeo propinquitatem, ponderandam. Cuiusmodi plura exempla lubens subnecterem, nisi horum commemoratione tædium vobis viderer prouocare.

Cæterum, cum non dubitem, vos ex omnimoda illa exemplorum de iure successionis hæreditario, inductione defatigatos, quandam exoptare, siquidem eius possitis fieri compotes, respirationem; agite, ego interea, eo quod Imperatorum Romanorum electionis aliqua incidit mentio, grauissimas illas Electorum Imperij deliberationes, plenas summæ prudentiæ atque acutæ grauitatis, in eligendo post mortem Maximiliani I. Romanorum Imperatore ac successore, iusto ac decenti ordine ex historiarum monumentis recensebo. Continet enim deliberationum istarum historia rationes vtrobiq; atque commonefactiones grauissimas. Historia autem ista sic habet.

De electione & coronatione Caroli V.

Cum Maximilianus I. exemptus esset rebus humanis, & in magno luctu esset Germania: exteri Reges quasi custode publicæ pacis à statione remoto, in tanta occasione rei bene gerendæ, non cessandum sibi esse ducebant. Alibi Selymus Turcarum Imperator, pacato regno in Syria & Ægypto: magna felicitate adiecit animum ad Pannonias occupandas: eamq; in rem omni cura & studio incumbebat. Alibi Gallus Mediolanum, nemine iam aduersante tenens, & elatus clarissima victoria, quum triennio ante ingentes copias Heluetiorum profligasset: habere se occasionem optatam arbitrabatur, decus ac nomen Imperij ad Gallos transferendi: & recuperandi regni Neapolitani, quod aditum in Italiam & eam partem teneret, quæ quasi domicilium fuisset Imperatorum. Itaque repente nouas res moliri cœpit: conscribit exercitus, fœdera cum Burgundis dissoluit, facit noua cum iis, quorum sibi profuturam amicitiam existimabat. Et inprimis Pontificem Leonem X. sibi adiungere studet, vt petitionem Imperij adiuuet. Flagitat etiam sibi titulum Imperatoris Constantinopolitani decerni. Nam vt persuaderet, ex Republica esse, vt Imperium sibi committeretur: pollicetur se moturum esse Turcicum bellum, ad quod gerendum maxime profutura esset coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ. Neque hæc Romæ tantum aguntur: inuitantur & Veneti ad societatem consilij. Mittuntur Legati in Germaniam, petituri Imperium apud Electores. Interea sollicitantur & ciuitates aliquæ in Germania, vt Gallicis exercitibus receptum præbeant: quæ videbantur arces belli futuræ, si armis possessio Imperij tuenda esset. Tali

Tali tempore maxime conspici potuit, quantum ad tranquillitatem & salutem orbis terrarum conducat Electorum in Germania consilium. Cum.n. impenderet ingens rerũ mutatio, sapientia, constantia, concordia, & fide Electorum, dignitas Imperii & forma Reip. conseruata est. Statim enim Archiepiscopus Moguntinus, Albertus Marchio Brandeburg. Cardinalis in titulo diui Chrysogoni, intellecta morte Maximiliani, cum ipsius munus sit conuocare Electores: significat eis interitum Imperatoris, & Francofurdiam eos ad deliberationem de successore, & ad electionem vocat.

Quos, etsi per sese mouebat officii ratio, vt electionem maturare studerẽt: tamen cum in tantis periculis, quæ videbant impendere, magis etiam properandum esse intelligerent: ad dictum diem omnes Francofurdiam ad Mœnũ conueniunt: videlicet Albertus Cardinalis Archiep. Moguntinus: Hermann. Comes de Vida Archiepiscopus Coloniensis: Richardus Archiep. Treuirens. Lassa, Dominus de Sternbergo, Ludouici Regis Boemiæ Legatus: Ludouicus Comes Palatinus, Dux Bauariæ: Fridericus Dux Saxoniæ: Ioachimus I. Marchio Brandeburgensis.

Velut omen fuit faustæ electionis, quod nemo Electorum aberat: Sed cõuenerant omnes, vt communi consilio atq; animo rem tantam agerent, quæ ad salutem totius orbis terrarum, & ad vniuersam posteritatem pertineret. Ac die Iunii 17. Anni 1519. in æde Diui Bartholomæi Francofordiæ, vt auspicia horum consiliorum essent felicia, sacrum de Spiritu S. celebratum est: in quo ad aram stantes Electores singuli trabeati inspectante Ecclesia publice iusiurandum religiose dederunt: se bona fide seruaturos esse decreta de electione, quæ in aurea Bulla (sic enim Imperii constitutionem vocant) sancita sunt. Et articuli ea de re in aurea Bulla publice lecti sunt.

Mox ab ara in sacrarium interius eius templi, vbi veteri more solet electio fieri, Principes Electores ingressi sunt: ibi Moguntinus, vt deliberationem auspicaretur, hanc ad Collegas orationem habuit. Vt in publico sacro vota fecimus, vt Deus gubernet consilia nostra de re omnium maxima, videlicet de eligendo Imperatore: ita nunc postquam auspicato ad hanc difficillimam deliberationem inchoandam, inter ipsas aras congressi sumus: iterum precor Deum Optimum Max. vt mentes nostras regat, ad retinendam inter nos cõcordiam: & flectat, ad eligendum principem salutarem vniuerso Imperio Romano, ac præcipue vtilem Ecclesiæ Christianæ.

Nec dubito, quin vos omnes magna sollicitudine & pietate, assiduis votis idem à Deo petatis: Nulla enim difficilior deliberatio de vlla re humana incidere potest, quam de Imperatore eligendo. Nam cæteri Reges, non sustinẽt hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noster Imperator eligitur, vt sit Dux publici consilii inter omnes Reges: vt propugnet Italiam: vt tranquillitatem Ecclesiæ præcipue custodiat.

Itaq; cum tantarũ rerum cura Imperatori cõmissa sit, non vt in cæteris regnis nascuntur successores: sed grauissimo consilio constitutum est, vt iudicio atq; autoritate nostri collegii quæratur successor, qui molem tantarum rerum sustinere possit.

Equidem agnosco huic tam difficili deliberationi, nullã humanam sapientiam parẽ esse: sed me in his curis præcipue hæc consolatio erigit, ꝙ cum Imperia diuinitus constituta sint, non dubito, & nostrum collegium à Deo gubernari: qui, si nos legibus nostris obtemperabimus, si pietatem, fidem, & diligentiam, quantum prospici hominum mentib. potest, præstiterimus: aspiraturus est consiliis nostris, vt electio sit fausta ac felix patriæ, ac vniuerso nomini Christiano.

Deinde ea quæ in tali senatu & summo consilio orbis terrarũ requiri possunt, video in vobis esse: rerum vsum, sapientiã, pietatem erga Deũ, fidẽ erga Remp. studium tranquillitatis cõmunis. Cumq; præcipue nobis concordiæ opus sit, declarastis ea in re aliqua ex parte voluntatem vestram, quod sine cõtumacia omnes in tempore conuenistis. Quamobrem vobis publico nomine gratias ago. Et modo iusiurandum dedistis, cum in cæteris articulis obtemperaturos vos esse legibus: tum vero in eo, qui ad retinendam communem tranquillitatem præcipue pertinet, vt illi qui plurium suffragiis rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant.

Quare satis prouisum est iureiurando, ne qua publica in Imperio discordia oriatur. Hic aditus ad causam nostram, bonã mihi spem facit, de cæteris, quæ restant agenda. Sed tamen vt magis muniatur concordia, duxi initio vos cohortandos esse: vt priusquam in suffragium itur, inter nos re disputata, demus operam, vt omnium suffragia consentiant. Multa in hac natione bella ciuilia, plena crudelitatis, & perniciosa toti orbi terrarum, & antequam consilium Electorum constitutum est, & postea, propter successionem aut suffragiorum dissimilitudinem, in electione exarserunt.

Ludouico Pio filius Lotharius conatus est regnũ eripere. Capto patre postea Lotharius conflixit cum fratrib. iã atrociter: vt in eo prælio Francorũ vires adeo afflictę sint, vt postea decus imperii tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti sunt, quos exercuerunt asperrimæ seditiones. Aduersus Henricũ I. Dux Bauariæ Arnoldus bellum mouit: ꝙ tamen moderatione Henrici cito sedatum est. Sequens bellum quod Lotharingus mouit aduersus Otthonem, vt Francico nomini Imperium restitueret, annos durauit sex: estq; Germania fœde igni ac ferro vastata, donec ad extremum in acie interfectus Lotharingus pertinaciæ suæ pœnas dedit.

Otthonis II. tempore, Galli armis conati sunt ad se transferre imperium. Otthoni tertio eripere conati sunt imperium, Henricus Bauarus, & quidam Romæ Crescentius. Hæc certamina vt caueret ad posteritatem Ottho Tertius, gra-

tius, grauissimo consilio & comprobante Romano Pontifice, collegium Electorum instituit: cuius collegii sapientia & fide, iam annos quingentos Imperii possessio in hac natione retinetur. Quod non modo Germanico nomini gloriosum est, sed etiam toti Europæ multis modis salutare fuit. Sæpe enim nostri Imperatores ex Italia barbaros depulerunt, & perniciosas mutationes magna virtute prohibuerunt: Sed tamen aliquoties contentio de regno grauissime afflixit Germaniam atque Italiam.

Aduersus Henricum Quartum, virum fortem & impigrum, multi principes in Germania atq; Italia conspirarunt: qui Rodolpho Duci Saxonum, & Sueuorum, tribuerunt nomen Regium. In hoc bello cũ essent duæ fortissimæ nationes coniunctæ, Saxonica & Sueuica: nec posset Henricus sine acerrimis dimicationibus dignitatem suam propugnare: ita ab vtrisq; dilacerata est patria, nunquam vt postea pristinam maiestatem recuperauerit imperium nostrum. Dum enim ciuilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgici partem & Sequanos inuaserunt. Denique multis vbique præsidiis atque ornamentis amissis, postea nec cæteris nationibus opem ferre potuimus vt antea: nec Regibus aliis formidabiles fuimus, vt olim.

Potest & inde æstimari, quam funestum & luctuosum bellum patriæ fuerit, quod in eo non solum multi prophani principes interfecti sunt, Rodolphus Dux Sueuiæ, Ottho Dux Saxoniæ, & Gerardus Lotharij pater, Egbertus Marchio Misnensis: sed etiam trucidati sunt aliquot Episcopi, quos religio aduersus bellorum iniurias defendere debebat. Sunt enim occisi Episcopi, Magdeburgensis, & Wormatiensis.

Ad hæc mala accessit & perturbatio religionum, & Schisma. Secutum est aliud bellum, ortum ex dissimilitudine suffragiorum in electione, inter Conradum Sueuum, & Lotharium Saxonem: Quod, postquã multæ vrbes in Imperio vi captæ sunt, autoritate diui Bernhardi sedatum est. Exarsit multo crudelius bellum inter Philippum & Othonem Quartum, propter Electorum discordiam. Aliquot prælus victus Ottho fugit ex Germania in Angliã. Postea aduersus Fridericum secundum à quibusdã electus est Henricus Landgrauius Thuringiæ, qui in obsidione Vlmæ ex vulnere periit. Secutum est interregnum, quod durauit annos ferme octodecim: in quo nonnulli Electores accersiuerunt in Germaniam ad Imperium Richardum, fratrem Regis Britanniæ. Interea cum sine rege esset Resp. non solum defecerunt in Italia ciuitates, sed etiam in contemtum venit apud omnes Germanica natio.

Aliquanto post dissensio in electione Ludouici Bauari, & Friderici Austriaci, bellum ingens excitauit: quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit. Ita vtrinque à Barbaris Germania crudeliter vastata est. Deinde aduersus Ludouicum, electus est Carolus Lucelburgensis. Neque hæc electio habuit omnium suffragia: & statim nonnulli ex Electoribus expetiuerunt Eduardum Angliæ Regem. Alij deinde Comitem

Suarceburgensem. Toties inciderunt certamina in hac natione de successione, quibus & domi maiestas imperij grauiter concussa est, & interea foris neglecta est Respublica. Dum enim occupati sumus ciuilibus bellis, aut fracti domesticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas: quorum potentia nemine obsistente, quantum creuerit, videtis.

Tot igitur exemplis tristissimis moniti, pertinacissime tueri cõcordiam debemus: præsertim hoc tempore, cum Turcæ nobis bellum denunciant: comminantur se non modo imperium, sed libertatem & religionem erepturos esse. Etsi autem iureiurando vestro prospectum est, ne qua seditio oriatur, etiamsi suffragia non consentirent: tamen vos ipsi intelligitis, plurimum referre, vt prorsus consentiant suffragia. Nam quālibet leuis dissensio, tamen multas in rebusp. deliberationes impedit: & sæpe horribiles motus parit. Nec desunt, qui captant omnes occasiones distrahendæ Germaniæ in diuersas partes. Multum autem ad illos deterrendos profuturus est consensus noster. Plurimum etiam afferet momenti, ad voluntates principum ac populi Germaniæ ad nostram sententiam adiungendas.

Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos esse coniectos: qui non modo de eo, quisquis electus fuerit: sed de nobis etiam iudicium facient: an grauitatem tantam præstiterimus, quãta in hoc summo consilio orbis terrarum requiritur: an saluti orbis terrarum consulere voluerimus, aut priuatis cupiditatibus morem gesserimus. Et nos quidem non modo hominum iudicia, sed multo magis Deum testem atq; arbitrum harum nostrarum cogitationum vereri decet, qui cum imperia constituerit ad defensionem pacis, iuris, & religionum, nequaquam vult ea discordiis non necessariis labefactari, aut dissipari.

Nec dubium est cultum Deo gratissimũ esse, studium concordiæ publicæ: præsertim quæ ad imperiorũ conseruationem pertinet. Quam opinionẽ, etsi omnib. hominib. oportuit infixã esse: tñ viros principes ita amplecti decet, vt in publicis consiliis nunquam ab ea deflectant: vt omnes deliberationes atq; actiones referant ad communem concordiam retinẽdam. Ego quidem mori malim, quam autor esse publicæ inter Electores discordię. Quare sententiam meam re disputata libenter cum vestra coniungam, vt consentientibus suffragiis, id quod optimum erit, Deo adiuuante, statuamus.

Velim igitur prius nos de vniuersa repub. colloqui, quã in suffragia eatur. Est enim disputandum etiam quarum rerum curam Imperatorem maxime suscipere velimus: quas Imperii partes sanari initio necesse sit: quomodo constituenda iudicia in imperio & pax munienda sit. Et sunt alia multa, de quib. expedit nostras opiniones conferre. Locus imposuit mihi necessitatem dicendi, & inchoandæ huius deliberationis. Cæterum meum iudicium non antefero: vosq; pro excellenti sapientia & grauitate vestra scio venire huc paratos & meditatos.

Quare

Quare sententias vestras audire maxime cupio: vosq; rogo, vt orationem meam profectam ab animo & amante Reipublicæ, & de vobis amanter & honorifice sentiente: boni consulatis. Etsi autem fortasse non necessaria fuit hæc cohortatio: Noui enim volūtates vestras, ac sæpe comperi vos concordiæ publicæ cupidissimos esse, & multa nos fœdera coniungunt, cognatio, societas religionis, & huius nostri amplissimi Collegii: tamen huic tempori videbatur apta hæc oratio. Nunc enim toti orbi terrarum maxime opus est nostro consensu.

Hæc cum dixisset Moguntinus, congressi reliqui Electores, breuiter colloquuntur: & cum adhortationem de retinenda cōcordia in tanto publico periculo gratissimam sibi fuisse ostendunt: Tū vero sapientiam Moguntini laudāt, quod & dux publici consensus esset, & monstraret viam, qua dissensio caueretur: seque omnes profitētur assentiri dictæ à Moguntino sententiæ, & summo studio daturos operam, ne suffragia discrepēt. Hæc iubent communi nomine omnium dici à Ioachimo Primo, Marchione, cui libenter has dicendi partes tribuebant cæteri Principes, propter excellentem eloquentiam. Erat n. tum quidem ea virtus & grauitas principum, vt sine inuidia singulis concederentur suæ laudes: nec parum ad communem salutem tum quidem profuit, ꝙ adhuc priuatim magna inter se beneuolentia deuincti erant, quam & Reip. causa diligenter tuebantur. Et quia veteri Germanorum more sentiebant, bona fide amicitias colendas esse: Et erat ea magnitudo animi non solum, vt priuatas simultates nullas afferendas esse ad publica consilia ducerent: sed ēt vt nullas admitterent in animos aduersus cognatos, præsertim in Reipublicæ coniunctos. Sed ab hac virtute quantū degenerauerit sequens ætas, non libet hoc loco commemorare, Videmus enim in multis magnis rebuspublicis consilia priuatis odiis impediri. Sed redeo ad Historiam.

Cum Ioachimus Marchio, Moguntini frater, dixisset communi omnium nomine, assentiri omnes dictæ sententiæ, vt prorogato die suffragationis, postridie ad deliberationem conueniant: interea venerant Moguntiam legati Caroli Archiducis Austriæ & Burgundiæ, & Regis Hispaniæ: Matthæus Episcopus Curcensis Cardinalis: Fridericus Comes Palatinus Dux Bauariæ: Casimirus Marchio Brandeburgensis: Henricus Comes Nassaensis: Et his adiuncti consiliarii aliquot. Hi nomine regis Caroli modeste petebant, vt eius in electione ratio haberetur: quoniam & indole ad virtutem egregia esset, & religionem ac iustitiam summo studio coleret. Natura vero à crudelitate & ab obscœnis libidinibus abhorreret: & iam specimen dedisset industriæ, fortitudinis, & felicitatis suæ in occupandis Hispaniæ regnis. Cumque de eius ingenio spes esset optima: pollicebantur potentiam, qua cæteris principibus antecelleret, futuram esse præsidio Germaniæ, & vniuerso nomini Christiano. Admonebant etiam Electores à Maximiliano Imperatore nepotē ipsis commenda-

mendatum esse: cuius memoria ipsis, propter excellentē eius virtutem & sapientiam, gratissima esset. Tanta autem in Maximiliano grauitas fuit, tantus amor patriæ, & communis salutis: vt nisi probasset ingenium nepotis, & iudicasset profuturam orbi terrarum electionem ipsius, non fuerit eum cōmendaturus Electoribus. Hæc cum legati Aust. iaci Electorib. significassent, postea Moguntiæ cum summa modestia euentum electionis expectabant: nulla præsidia comparabant, ne quid contra Electorum libertatem in interregno moliri viderentur.

Erant & Confluentiæ Gallici Legati, qui priuati in ingentib. promissis, animos non Electorum tantum: sed etiam aliorum principum, & ciuitatum conciliare Regi Francisco conabantur: disputabantq;, nihil contra leges facturos Electores, si Francorum Regem designarent Imperatorem: quod Francorum Reges à Germanica stirpe orti sint. Addebant, olim tantam fuisse cōiunctionem vtriusq; gentis Gallicæ & Germanicæ, non vt distractæ in duo regna fuerint: sed velut vnum regnum sub iisdem signis, sub eodem rege Francorū, socia arma gesserint: domi iisdem legibus, eodem iure, gubernatæ sint: eamq; coniunctionem primum gloriosam fuisse Germanico nomini. Deinde etiam salutarem vniuersæ Europæ ac præcipue Ecclesiæ. Nam Imperii decus initio partum vtriusque nationis virtute, postea Germanos, quasi vsucapione retentum possedisse.

Quantum vero profuerit coniunctio Galliæ & Germaniæ initio, inde æstimari posse, quod cum Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi vero Longobardi non contenti finibus suis, Romam ipsam arcem & caput Christiani nominis in Europa, in barbaricam seruitutem redigere conarentur: diu quassatæ Italiæ hæc vna res, videlicet coniunctio Galliæ & Germaniæ, optatam pacem attulerit: quæ durauit annos fere centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperium tenuit. Defensas esse, aut pacatas à nobis communiter, & alias Regiones in Europa: Saracenos ex Hispania effusos in Galliam, fuisse repressos: liberatam Germaniam terrore Hunnorum. Sed si vnquam, nunc maxime optandam esse coniunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam barbariem Turcicam. Tenere autem Regem Franciscum etiam bonam Italiæ partem: & habere studia reliquorum Italorum. Semper Gallicos Reges Romanam sedem singulari pietate veneratos esse. Quare & erga Regem Franciscum & Gallicum nomen, optimam esse hoc tempore Romani Pontificis voluntatem: nec vero aliam vllam ostēdi posse expeditam rationem belli aduersus Turcicam nationem gerēdi: quā si communib. opibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ res suscipiatur. His regiones propter oportunitatē locorū, ꝓpter copias & exercitus, ēt antea visas esse inprimis idoneas, ad hoc bellū gerendū. Nam & Sigismundi Imperatoris tempore, exercitū contractum fuisse ex Italis, Gallis, & Germanis. Ad hæc ꝙ classem ita instructā habeat Gallia, vt si Veneta

classis

classis adiuncta fuerit: non dubium sit, mari toto, quę velint littora, quas oras, insulas, port⁹, tuto petere & oppugnare possent. Porro si tanto bello dux quęrēdus esset, Rempub. ipsam flagitaturam esse Regē Franciscum: Quia nō solū autoritate aliquos principes anteiret, sed ēt vsu & peritia rei militaris. Nec deesse eius virtuti felicitatē: Quantas nores gessisset, dum recuperaret Insubriam, omnib. notum esse: quanta felicitate maximas hostium copias profligasset: quoties toto triennio dimicasset acie. In his rebus cū felicitas eius conspici potuerit: tū vero virtus, magnitudo consilii atq; animi, laborū tolerantia, diligentia in omnib. rebus prouidendis, q̄ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, vt peritissimorum conf. ssione nemo ei ducum hoc tempore antecedēdus sit.

Etenim quod hoc bellum non tantum auspiciis ipsius, sed etiam consiliis & ductu gestum fuerit: ps· loca castris ceperit, intentus fuerit in occasiones pugnandi, prouiderit, vt nō hostis arbitrio, sed suo dimicaret: ratior ē inierit, quarū arcium oppugnatio tentanda esset: vbi hostis elici posset. Quia vero in Imperatorib. non minus felicitas, quā fortitudo spectāda sit: hactenus Deum fauisse inceptus Regis Fr. nc isci: & in spē omnes adduci, propter cæteras eius virtutes hanc felicitatem diuturnam fore.

At nihil esse, q̄ Germanici Principes, accersito Rege Galliæ metuant veteri suæ libertati: cū & Rex sua voluntate, leges & instituta maiorū libēter obseruet: Et Electorib. permissurus sit, vt conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio seruare velint. Quia Rex nō aliam ob causā petat Imperium, nisi q̄ toti nomini Christiano, hanc Galliæ Germaniæq; coniunctionē maxime profuturam esse iudicet. Quæ cō unctio non esset diuturna & stabilis futura, si alterutri nationi libertas eriperetur. Eamq; ob rē promittebatur, Regē non collocaturum esse Gallica præsidia in Germania: sed Germanicos exercitus suo stipendio conducturum esse, quibus de consilio Principum, Duces Germanici, quorum virtus & fides probata esset, præficerentur.

Ostendebatur etiam quas commoditates allatura paulatim esset Principibus hæc nationum coniunctio, cum Rex etiam Gallicis ditionibus donaturus esset Germaniæ principes: Sicut olim sub Carolo Magno, aliqui principes tenuissent amplos principatus, in vtroque regno.

Hæc fere summa fuit Gallicæ orationis: ui erat adi cta adhortatio, vt Electores nō admitterēt hāc occasionē coniungēdæ Germaniæ cū Gallia: q̄ ea res Germanis esset futura gloriosa, q hac viriū accessione facta multo es ēt futuri ad res maximas gerēdas instructiores: Et q̄ ad defensionē Europæ, & ad Christiani orbis trāquillitatē nihil hac cōiunctione posset vtili⁹ cogitari ac reperiri.

Recitatis Legatorum literis, breuiter responderunt Electores: gratam sibi esse beneuolentiam Regum, erga nomen Germanicum: sed de electione se, Deo adiuuante, optima fide facturos esse id, quod postularent leges, & instituta maiorum, & religio iurisiurandi quod dedissent.

Miserat autem Gallus paulo ante Legatos in Heluetiam, petieratq; indici

conuentum:quod pro veteri amicitia, quæ Heluetiis fuit cum Gallico regno, quædam ad vtilitatem Europæ pertinentia, ad ipsos referre cuperet.

Indicto conuentu, exposuerant Legati, Regem Franciscum re deliberata cum summis principibus Christianis: adhortatione etiam quorundam, quorum præcipua sit autoritas, & voluntas erga Rempublicam Christianam optima: constituisse, petere ab Electorib. vt designetur Romanus Imperator. Cōmemorant, nihil vi, nihil per seditionem facturum esse contra Germanorum libertatem: sed Electorum suffragiis, & autoritati pontificiæ rem permissurum esse. Sed ad hoc consilium, initio adiungendos duxisse Heluetios, vt si Electorum suffragiis fuerit electus, ipsi non aduersentur: sed potius sint in partibus, & hanc electionem vna defendant. Quod vt faciant, non modo vetus cum Gallis amicitia, mutuis vtriusq; gentis beneficiis confirmata, eos hortetur: sed etiam salus totius Christiani orbis. Quia hæc petitio præcipue hanc ob causam instituta sit, quod ad pacem in Europa constituendam, & ad depellēdos Turcas, nihil cogitari accommodatius possit, quam coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ, q̄ si procederet, bellū terra mariq; aduersus Turcas Rex moturus esset. Est autem Heluetiæ situs oportunus, primū ad Italiæ tranquillitatē defendendā: deinde ad expeditiones ad vicina Italiæ loca suscipiendas.

Itaq; ferebant, Regem adiuncturum esse Gallico equitatui, Helueticum peditem: idq; robur ac neruos Christiani exercitus fore. Non enim dubitabat Rex libenter venturos in societatem periculi generosos Heluéticorum spiritus: quia nulla ætate iustius, aut magis necessarium bellum vnquam gestum sit. Depellendus est à nostris ceruicibus hostis, qui non de gloria Imperii, vt veteres Monarchæ, bella gerit: sed vt religionem Christianam deleat: vt vniuersam disciplinam ciuilem, vt iura matrimoniorum tollat: vt ad stupra nostras coniuges ac liberos rapiat, liberandæ sunt hac miserrima seruitute gentes vicinæ, quæ nobiscū religione, & aliis multis fœderib. antea coniunctæ fuerunt. Hæ sunt causæ graues & iustæ viris fortib. arma capiendi. Quare non dubitare se aiebāt, quin Heluetii huius militiæ decus maxime expeterent. Cum a. electio illa his tātis rebus gerēdis oportunitatē allatura esset, debere Heluetios quoq; suis studiis, ac significatione volūtatis, eam adiuuare. Postremo pollicebantur, Regē si eligeretur, gentis Heluéticæ libertatē nulla in re labefacturū esse, sed potius cōfirmaturū, & multa additurū esse cōmoda, atq; ornamēta, si Heluéticorū virtus & fortitudo nō esset cōmuni saluti nominis Christiani defutura.

Hæc cum Gallici Legati commemorassent: quanquam priuatim multos ingenti pecunia & nouis largitionib. obligatos, tenebant: tamen honesti viri delecti ex ciuitatibus, modeste responderunt: se non impedituros libertatem principum Electorum, nec significatione aliqua voluntatis suæ, aut terrore vllo, præbituros occasionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ, quam agnoscerent patriam. Deinde cum nominatim Heluetico fœdere excepérint

Roma-

Romanam Ecclesiam,& Romanum Imperium: profitebantur se nihil contra Romani Imperii Maiestatem facturos esse. Pertinet autem ad Maiestatem, libertas principum Electorum. Ita Gallis dimissis, scribunt Heluetii literas ad singulos Electores: in quibus commemorant, se scire quam vehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re sollicitet. Narrant etiam quę apud ipsos petiuerit, quidque ipsi responderint. Deinde exponunt, se defugere omnia consilia, quæ videantur esse contra Germaniæ tranquillitatem: Et negant se vlla in re libertatem principum Electorum impedituros esse.

Adiciunt dehortationem, ne ad Gallos trãferatur Romani Imperii decus: neve moueantur principes opib. aut virib. Gallicis: quia adhuc in Germanica natione tantũ sit consilii & virium, vt nihil opus sit exteros Reges accersere. Postremo hortantur, vt aliquis eligatur ex Germaniæ principibus: & pollicentur, sua arma non defutura esse defendendæ tranquillitati Germaniæ. Scribũt & ad Leonem X. Romanum pontificem, & petunt, ne sit autor Electoribus eligendi Regis Francisci, quod Gallorum dominatio in Germania paritura esset ingentia bella, & futura exitiosa vtriq; nationi. Nec impliciti Galli Germanicis bellis, Italiam defensuri essent, aut alias res vtiles nomini Christiano moturi. Ad has literas Romanus pontifex respondens, narrat in fœderibus, quæ Romana sedes habeat cum Regib. Neapolitanis: cautũ esse, ne quis simul Romanum Imperiũ teneat. Cum autem sibi Romanæ sedis Priuilegia religiose & summa ope tuenda sint, ea de re certiores factos esse Electores, ne quid fieret contra libertatem & commodum Romanæ sedis.

Quod autem alium quendã principem euehendũ esse ad fastigium Romani Imperii magis senserit, adductũ se non priuata beneuolentia, sed certo iudicio: quod cognouerit eum excellenti ingenio, industria, & magnitudine animi præditum esse, & cupere potentiam suam cõmunem salutem conferre. Hanc excusationem scripsit ad Helueticos Leo pontifex, omissis Regum nominibus. Etsi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum vbiq; terrarum vel studia essent, vel expectatio de hac electione, & quo singulorũ voluntates inclinatæ essent: ipsi tamen summa cum grauitate cauebant, ne ad vllum inflectere se quisquam videretur, ante suffragationem.

Nemo vllas aluit factiones, nemo parauit sui suffragii defensores: sed integris animis cõuenerunt in colloquium Electores, è quibus Moguntinus, vnus omnium grauissimũ onus sustinebat. Nam cum primus sententiã dicturus esset, laborandum ei fuit, non modo vt suffragio suo aliquẽ nominaret: sed etiã causas suæ suffragationis exponeret, vt reliquos ad suam sententiã adiungeret. Itaq; prius cum Friderico Duce Saxoniæ, de vniuersa Republica Christiana, & omnibus Imperii Germanici partib. colloquitur. E his congressibus totas impertit noctes ac re diligẽter disputata, huic ostendit maxime è Republica

sibi videri, vt Carolus Archidux Austriæ eligatur. Idem cum videretur Duci Saxoniæ, iubet eum constanter in sententia manere, vt consensu suo, dubitantes inuitarent, & repugnantes vincerent.

Cum igitur constituto die ad deliberationem Electores in Curiã Francofordiæ (quæ dicitur Romana) conuenissent: Moguntinus bene paratus, orationem habuit in hanc sentẽtiam. Non dubito equidem, principem orbi terrarum diuinitus dari: tamen cum nostra suffragatio requiratur, primum oro Deum Optimum Maximum, vt mentes nostras gubernet: Deinde censeo nobis quoq; diligentiam & fidem præstandã esse, vt quantum à nobis prouideri potest, maxime idoneum eligamus, qua in re primum habẽda est ratio legum nostrarum, & iurisiurandi. Et quoniã hic congressus institutus est, non vt suffragia feramus, sed vt libere colloquamur, cum de vniuersa Republica, tum de electione: dicam quid mihi maxime videatur è republica esse. Etsi autẽ mirifice angor animo, de euentu electionis: tamẽ hæc res nõnihil leuat animum meum cura, quod antea polliciti estis, vos non commissuros esse, vt suffragia dissentiant. Disputabo igitur liberius, vosque vt idem faciatis, adhortor.

Deinde collatis opinionibus, sine priuatis affectibus, vt decet principes, quorum sapientiæ & virtuti res omnium maxima commendata est, vnam sententiam eligemus, quæ videbitur vtilissima vniuersæ reipublicæ Christianæ. Existimo vos omnes de tribus sententiis disputare: an rex Galliæ sit ad Imperium accersendus, aut Carolus rex Hispaniæ: an vero satius sit, aliquem eligere ex cæteris Germaniæ principibus, qui virtute & potentia aliis antecellere videatur. De his omnibus exponam breuiter meam opinionem.

De Gallo arbitror nos impediri nostris legibus, & iureiurãdo. Est enim diserte constitutũ, ne extero, sed Germanico principi Imperiũ commendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur: & non modo Germania veniat in seruitutem, sed etiam in Italia, aut statu Ecclesiæ, mutatio sequatur. Nec vero dubium est, Regem Gallicum esse peregrinum principem: & coappetere hoc fastigium, vt ad suos transferat: sicut idẽ maiores ipsius sæpe armis ad se trahere conati sunt. Nec sine acerrimis dimicationibus, Carolus Crassus, & Otthones, possessionem Imperii in Germania retinuerunt.

Quod autem aliqui referant vetustam originem Francorum Regum ad Germanos, hæc leuiora sunt, quã vt principes, tanta sapientia & grauitate præditos, mouere debeant. Constitutio postulat talẽ eligi, qui vere sit hæres alicuius ditionis, quæ huic nostro Imperio paret. Alioqui si illæ veteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterunt à Turcis Troiam repetere, atque à nobis Imperium: quia perhibent se ab Hectoris filio ortos esse. Cum igitur constet, excludi Gallicũ Regẽ constitutione publica, quã iurati in electione sequimur: nihil opus est longa disputatione. Quanquam etiamsi ratio nihil impediret, dissuaderem hanc electionem. Primum enim in Germaniam adduce-

ducendus erit Gallus. Quantum ea in re periculi erit, cum exercitus peregrinus distribuetur in vrbes Imperii? An superbiam & libidines equitū Gallicorum ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malum. Veniet inimicus Carolo, quod nec cuidubium sit, iam bellum denunciatum est: antiqua fœdera Burgundiorum & Gallorū rescissa. Bellum etiā Neapoli inferre decreuit, itaq; cum detrectabunt Imperiū Gallorū Austriaci & Belgæ, & habebunt alii aliorū principū studia atq; auxilia: videbitis arsurā ciuili bello vniuersā Germaniam.

Porro cum alia nobis prospicienda sunt: tum hoc natura primum est, ne nostra electio ciuile bellum in Germania accendat. Iam si Gallum elegerimus, oportebit nos suffragia nostra tueri. Vbi si incidet discordia cum Austriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Austriæ? Nec nos vetus necessitudo, nec sanguinis cōiunctio, nec merita & nobilitas domus Austriacæ: deniq; non Maximiliani manes, à tāto scelere deterrebūt: Deinde oppressis Austriacis, an putatis, libertatē cæteris principib. in tuto fore? Vt Mediolanum non reddet vnquā Germanis, ita, vbi poterit, Gallorū potentiā augebit.

Nihil me illa magnifica promissa mouent, quæ audistis. Non pacta, non leges plus valent, quam iracundia, superbia, ambitio victoris. Scimus Gallū in patria, quam natura amare debebat, quosdam iam principatus rapuisse, breuiq; orbatam videbitis principibus vniuersam Galliam. Est omnino Gallus excelso animo præditus: sed nimis cupidus Monarchiæ.

Nos autem nisi Aristocratiam principum, in Germania omni consilio omnibus viribus ac neruis tuebimur: male consulemus vniuersæ posteritati. Minus etiam mouent me illa gloriosa promissa de bello Turcis inferendo.

Equidem agnosco coniunctionem Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, magnum ac salutare præsidiū Europę esse: si quis teneret pacatas & obedientes. Sed Gallus nihil gerere aduersus Turcas, aut volet, aut poterit: nisi prius domitis in Germania Belgis: in Italia vero recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallū, hoc est, ad crudele bellum in ipso Imperio excitandum: nostra autoritas nequaquam debet. Nec est quod mihi quisquam obiiciat vaticinari me de rebus ambiguis. Ego vero certa & explorata commemoro. Iam enim, vt dixi, bellū denunciatum est: conscripti exercitus: quos tamen fama nostræ electionis, si alius fuerit electus, facile reprimet.

Quare vt finiam hanc disputationem primum lege & iuramento impediri nos censeo, ne Regem Gallicum Franciscū ad Imperii fastigium euehamus: Deinde etiam si eligere eum liceret, censeo id non esse è repub. sed futurū exitiale Germaniæ & fortassis vniuersæ Europæ. Quare profiteor me suffragio meo neq; taquam accersere Gallum ad imperium. Restant duæ deliberationis partes, an Carolus sit eligendus, aut alius quispiam Germanicus Princeps.

Hæc deliberatio multo mihi difficilior est. Nā de Carolo opinor plerosque vestrum propter multas graues causas dubitare: quæ etiam meum animum

non

non leuiter mouent. Primum Hispania longe dissita est à Germania, quod vt libertati nostræ tutius videtur, ita si Carolum detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio & sine custode publicę tranquillitatis erit Germania. Et vel Turcici belli causa, vel propter domesticos principum tumultus, necessitas publica flagitat, vt velut in statione adsit Imperator. Quid? si etiam subito de Imperio, aut de religione exarserit aliqua seditio?

Equidem perhorresco, cogitans quantum tunc habitura sit periculi hæc natio absente Imperatore. Fateor huius periculi cogitatione angi animũ meũ. Aliud leuius est, sed tamen nõ contemnendum. Si enim iratus aliquando in Germaniam veniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra non esset in tuto. Fortassis & Hispani difficulter nobis restituent Imperii decus, postquã semel in hanc possessionem venerint: præsertim cum aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cum suo sanguine recuperabunt Mediolanum, non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur igitur tutius, omissis exteris regibus, eligere aliquem, prudentia, iustitia, fortitudine, & fide præstãtem virum, ex reliquis nostris principibus, vt sæpe maiores nostri fecerunt: qui plerunq; virtutem in electione magis spectasse, quam potentiam videntur.

Agnosco id quidẽ, sed tunc populi Germaniæ minus erant cõtumaces. Facile erat, vt dicitur in prouerbio: imperiũ in bonis. Nunc autẽ quid fieret, si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent? Et vt futurum non dubito, si bellum inter duos Reges, Gallicum & Hispanicum, in Belgico, aut in Italia oriretur: an Imperator, velut ociosus spectator, sineret duas exteras nationes diripere bonam Imperii partẽ? Quid? quod ipsi principes Germaniæ, vt nunc sunt mores, spreto suo Imperatore, alii se cum Austriacis, alii se cum Gallis coniungent.

Vt igitur lepores dicuntur frustra concionari leonibus, ita sedebit noster Imperator, velut lepus, edicta cõponens leonibus, videlicet istis Regibus: quæ edicta derideant omnes exteræ nationes. Minus periculi fuit, cum regnaret Fridericus Tertius: Et tamen decori nobis fuit tunc Burgundum ferre signa per bonam Germaniæ partem: Philippum Mariam impune grassari in Italia: Alibi etiam circumsederi Imperatorem, in ipsa Austria: nec nisi Bohemicis auxiliis liberari.

Postremo ab Hungaris pelli Austria, & eiici ex suis laribus: cum quidem ea ætate haberet cõiunctos principes, meum auum Albertum fortem & sapientem virum, & Albertũ Saxoniæ Ducem. Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberent alii alios principes stipendiis obligatos? Et quam multæ causæ incidere possunt, vel principibus vel ciuitatibus detrectandæ obedientię? Videtur etiam de religione impendere horribiles tumultus. Sunt enim semina iam sparsa de indulgentiis, de potestate pontificia, de autoritate Ecclesiasticarum traditionum: quæ etiamsi adhuc sanabilia existimãtur, tamen paulo post, magnam

gnam mutationem vniuersæ Ecclesiæ afferent. Nullum enim doctrinę genus maiore applausu exceptum est, quam hoc. Et quotidie plura dogmata mouentur: irritantur ingenia ferocissimarum gentium in Germania Saxonicæ & Heluetica. Nec poterit sine Synodo tranquillitas Ecclesiæ restitui.

Quæ autem erit infirmi Imperatoris autoritas, vel in petenda Synodo, vel in defendenda: præsertim si cæteri Reges aduersabuntur. Nihil iam de Turcicis bellis dicā, etsi nostrum est, non modo de defendendis finib. nostris, sed etiam de liberanda Græcia cogitare. Quā ad rē opus est multarum nationū copiis, & viribus: quas contrahere Imperator, si parū habeat autoritatis, non poterit. Hęc atq; alia multa, meū animū adducunt, vt in hac electione potētiæ rationem ducendam esse iudicem: nisi Imperatorem velimus habere, qui titulum & vmbram Imperii, sine autoritate, sine viribus gerat,

Itaque antefero Carolum Archiducem Austriæ cæteris Germaniæ principibus & incommoda, quę de illius electione colligi possunt, leuiora iudico omnibus, quæ alterius cuiusquam electionem secutura essent. Primum origine est vere Germanica: nec dici potest, nos re transferre Imperium ad exteros, titulotenus principem habere Germanicum. Possidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parēt nostro Imperio: & quarū aliquæ antea pepererunt Imperatores. Nec credibile est, hoc animo esse Carolū erga patriā, vt velit Austriā, aut Belgas, opprimi seruitute, ab vlla extera natione. Ergo de origine Caroli nulla disputatione opus est: Et si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus solennem formulā iurisiurandi: iuxta quā fidē dabit Carolus se non labefactarū, aut mutaturū iura electionis nostræ & Imperii statū.

Cum igitur & origine vere sit Germanus, & tēpora flagitent potentem Imperatorem: censeo Carolū Austriacum euehendum esse ad Imperii fastigium. Quod ipsū tamen nō facerē, nisi indoles eius nobis nota & probata esset. Omnium maximarū virtutū, præsertim in principe, fons est, amor religionis Christianæ: Hæc virtus in primis eminet in Carolo. Quare pactorum, & iurisiurandi violationem, tanquam summum scelus. detestatur. A crudelitate eum abhorrere natura, multis certissimis indiciis comperi. In cōtrouersiis diiudicandis, in coercendis improbis, iustus est. Ingenii vis, prudentia, ac diligentia, iam conspici potuerūt. In Tyrocinio Regni Hispanici magnos motus compescuit. Et constat eum cum suo ingenio multa grauiter & dextre respondere, & constituere. Magna laus in iuuene & hæc est, & signum multarum aliarum virtutum, quod pudicitiam amat: quod nullis libidinibus obnoxius est.

Quare religionis, iustitiæ, & pudicitiæ custodem fore credibile est. In tali natura nihil tyrannicū exoriri potest. Regent enim eum illæ virtutes: vt seruet pacta, vt nulla moueat bella iniusta, vt non mutet veterem & cōstitutam Imperii formam. Excitabunt eum etiam ad liberandum orbem terrarum impietate Turcica: ad propagationem Ecclesiæ Christi: ad tuendam & muniendam

disciplinā: vt homines ad pietatē & cæteras virtutes assuefiant. Ac ne ingenium eius mihi inexploratū esse putetis: prudentissimorum hominum, qui eum familiarissime norūt, & acutissime de ingeniis iudicare possunt, exploraui sententias. Hi probant ingenium, ac mirifice eius bonitatem laudant.

Postremo si de ingenio coniectura facienda est ex natura maiorum (quia quædam similitudo propagari solet) meminimus quanta vis animi, prudētia, iustitia, fortitudo, cōtinentia, in Maximiliano fuerit. In patre Philippo dexteritas, & industria singularis erat. Non dubito autem, quin maiorum naturam Carolus referat. Nec ætas est aspernanda, quæ iam matura est rebus gerendis. Nec enim quærendus est senex Imperator, vt cum biduum aut triduum imperarit, postea de electione noui tumultus oriantur.

Videtis in hoc nostro consessu, quam varia sint multorum Regum certamina de electione: quid futurum est aliquando, vbi dissentient Electores? Vtinam quidem Electorum concordia perpetua sit: sed multa incidere possunt, præsertim in hac disciplina, ac morum corruptione, & gliscentibus Ecclesiasticis discordiis: quæ animos eorum disiungant. Quare interregna plena periculorum futura sunt. Accedit & illud, quod Carolus vtetur consiliarus aui: & leget in senatum Principes Germanicos, sine quorum consilio nihil de maximis rebus decernet.

Exposui caussas, quare Carolum eligendum esse statuam: ac meo iudicio, ita multæ graues caussæ concurrunt, vt hanc electionē sperem Germaniæ ac toti Europæ salutarem fore. Quod aūt initio disputabā, quantū foret incōmodi, si Imperator perpetuo abesset extra Germaniā, moueor equidē hac difficultate: sed de ea re in formula constituendi & regēdi Imperii, cū Carolo agendum erit. Cūq; habeat amplissimos in Germania & in Belgico principatus, tribuet hoc necessitati earum gentium, tribuet patriæ, vt sæpe in Germaniam veniat.

Non ad ociosa spectacula se accersi intelligit, cum ad Imperium vocatur: res magnæ ei gerendæ erunt, Galli depellendi ex Italia: Turcæ arcendi ab Austria: liberandæ & vicinæ regiones: Ecclesia emendanda & constituenda. Harū maximarum rerum curam vt suscipiat, ipsa eum Heroica natura & virtus exuscitabit. Hæc non sinet eum domi languescere ocio & voluptatibus. Et facilis aditus est in Germaniam ex Italia, quæ ei multis de caussis sæpe adeunda erit. Sicut Carolus Magnus, Othones, Henrici, crebro in Italiam venerūt: alias, vt Ecclesiasticos tumultus sedarent: alias, vt depellerent barbaros: alias, vt ciuitatum seditiones opprimerent.

An existimatis eum non venturum esse, vt Austriæ, quæ vere ei patria est, opem ferat? cum vel in Pannoniis, vel in ipsa Austria Turcicas legiones vagari audiet. Ille vero magno animo accurret, vt & patriæ, & toti orbi Christiano opem ferat.

Quare de absentia cum cogito, qua mente præditus sit, quæ eum pericula exusci-

exuscitatura sint:etiã minus sum solicitus.Fata etiã his temporibus promittũt Germanicũ Imperatorẽ, qui maiores magnitudine potentiæ, superaturus sit. Et addunt alterã laudem,multo gratiorem:futurum vt bonitate & clementia præter cæteros reges excellat,nec alium nisi Carolum,vaticinor. Quare opto, vt Deus Imperium ipsi committat, eumq; gubernet ad salutẽ orbis terrarum.

Dixi,quæ in præsentia de electione colligere potui:Sed quia communis est hæc deliberatio nostri amplissimi senatus,& vos pro vestra sapientia,plura etiã de repub.cogitasse existimo:quæso,vt singuli suas sententias exponãt, vt deinde eligamus eã,quã omnes collatis opinionib.maxime è repub.esse iudicabũt.

Hæc cum dixisset Moguntinus,& hortaretur cæteros,vt suo quisq; ordine exponeret suam deliberationẽ:congressi alii ac pauca collocuti,Treuirum iubent dicere,qui pollebat ingenio,doctrina & vsu rerum.Nã & Romæ in iudiciis & negociis publicis diu versatus fuerat:Et in Germania propter domesticã administrationem,& dexteritatem in publicis negociis,vel Imperii,vel aliorũ principum, magnam prudentiæ laudem erat consecutus. Neo vlli ex nostris principibus res Gallicæ erant notiores.Is,quia in priuatis congressibus aliquoties oppugnauerat Caroli electionem:videbatur paratus ad dicendum venire.Cæteri,vt liberius suam sententiam exponeret,initio audiendum eum esse censuerunt.Sic igitur exorsus est.

Audio in hac ipsa vrbe,cum patres vestri ad eligendum Maximilianũ conuenissent:adfuisse vatem,qui dixerit,vltimum Germanicorum Imperatorem fore Maximilianum.Cumq; initio fabulam,sine certo autore natã , existimarent:diligenter inquiri autorẽ iusserunt.Quem cum ad se vocassent,& ex moribus & sermonibus hominis iudicarent,non temere eum has fatidicas voces edere:valde hoc vaticinium admirati sunt, multaque de posteritate, & mutatione Germaniæ collocuti feruntur. Meminit hæc sine dubio Dux Saxoniæ Fridericus,qui tunc vna cum patre Ernesto adfuit.

Propemodũ autem respondit illi prædictioni euentus. Audiui enim attente eloquẽtissimum principem Moguntinũ, qui cum diligentissime collegerit omnia,quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt:tamẽ ad extremum hoc censet vtilissimum esse orbi terrarũ;vt peregrinum Imperatorem accersamus:id si fatale est,frustra repugnamus. Sed illud miror , cur ipse Hispanum anteferat Gallo:Qua in re primum mihi deploranda est Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præsidiis,nihil peregrinis ducibus opus esset, si maiorum suorum virtutem nostræ ætatis principes imitari vellent.Ocium & seruitutem quærimus, dum externum principem adducimus. An putatis, aut Auos vestros, Albertum Marchionem , aut Fridericum , Palatinum , aut Albertum Saxonem fuisse vnquã externum dominum adducturos? ipsi militabant, res gerebant.Nec vnquam exercitus, pecunia, arma, nostris defuerunt, quandocunq; vel mediocres duces habuerunt. Verum omitto querelam.

Si omnino peregrinus Imperator habendus est, caussæ sunt plurimæ, quare Gallicus Rex anteponendus sit omnibus. Ac priusquam dicam huius mei iudicii rationes, primum de lege & iureiurando disputabo, vnde exorsus est Moguntinus. Opinor maiores nostros hac lege cauere voluisse, ne Germania amitteret Imperii decus: eoque peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc est, tales, qui non haberent in Germania domicilium: ne externa natio paulatim vsu caperet Imperium. Hæc si est voluntas legis, nihil magis licebit Hispanum eligere, quam Gallum. Hispanicus Rex longius à nobis abest. Et natio ipsa dominationis cupida & bellicosa, postea sibi imperium extorqueri non sinet, vt postea iterum dicendum erit. Et si hoc satis est caussæ, cur Carolum eligimus, quia tenet quasdam ditiones ad Imperium pertinentes?

Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & Regnum Arelatense, veterem nostrorum Imperatorũ sedem, in potestate sua habet. Deniq; prorsus ita sentio, quod ad electionem attinet, non minus accersi peregrinum Imperatorem electo Hispanico, quam Gallico Rege: etiamsi aliqua subtili interpretatione iam inseritur Hispanus Germaniæ, eamq; totam deliberationẽ in vtranq; partem disputari posse iudico: & penes nos declarationem legis esse sentio. Quærendum igitur est, vtrum sit vtilius. Ego cum cogito illam auream ætatem nostri Imperii, cum essent coniunctæ Francorum temporibus, Germania & Gallia: Ac reputo quantum ea coniunctio ad tranquillitatem vniuersæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, nosq; beatos ducerem, si eum statum restituere possemus.

Diuinitus autem nunc oblata est occasio eius rei efficiẽdæ. Quare nihil dubito vos adhortari, omni studio vt occasione vtamini. Nec ab hoc meo iudicio discrepat Italia. Idem optare scio Romanũ Pontificẽ, Venetos, Italiæ principes, ac ciuitates omnes. Cum tot iudicia congruere videatis hominũ sapientissimorũ, nolite existimare leues caussas esse, cur idem tãto consensu probẽt, & omnibus votis expetant omnes. Gallica gens vt est vere cognata Germanis, ita opinionib. ac moribus, liberalitate, clemẽtia, pietate, literarũ cultura, Germanis simillima est. Et quod constat vna est exterarum nationum maxime amans nostrorum hominum: vt vestigia quædam cognationis in hac ipsa beneuolentia agnosci possint. Vicinia vero quã est oportuna, ad defensionẽ vtriusque Regionis, si quis subitus tumultus inciderit. Nec ad Italiæ pacẽ tuendam reperiri vtilius consilium potest, coniunctione harum duarum gentium: quarum vtraq; exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia suppeditare belli neruos, videlicet ingentem vim pecuniæ, potest. Et quia non solum Germaniæ, sed toti nomini Christiano, in hac electione consulere debemus: quærendum est præsidium aduersus Turcica arma. Cum enim teneãt iam pacatã Asiam, nihil dubium est rursus in Europa bellum molituros esse. Inuadent Pannoniam, & Italiam. In tali discrimine, quid erit optatius,

quam Imperatorem habere instructum copiis ac viribus Germaniæ & Galliæ?

At contra, vt de ingeniis ac natura gentis Hispanicæ nihil dicam, quæ etiamsi est bellicosa, tamen non tam viribus pugnat, quam arte. Itaq; nulla magna res ab eis in Italia sine auxiliis Germanicis gesta est. Sed cogitate, quam procul dissita sit: certe in subitis tumultibus non poterit nobis, vel Italiæ, vel Pannoniæ opitulari. Patria est Caroli Austria, ne hanc quidem Hispani tuebuntur: Et vt volent, non poterunt. Non enim nisi exiguas copias domo mittunt, eiusq; rei causa est, quod nauigationibus Hispania exhauritur: nec cœli nostri grauitatem satis ferre possunt.

Est & illud commodi, si cum Gallis militemus: vestro ductu omnia gerentur: vos in gloriæ societatem admittent Galli, etiamsi sunt gloriosi. At vbi cũ Hispanis militabitis, illi vos tanquam mancipia regent: ipsi laboribus ac victoriis vestris fruentur: præripient honores: præerunt prouinciis. Vos tum sero deplorabitis seruitutem vestram. Sed genitum collationem omitto: de ipsa electione dicam. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanum, qui si erit Imperator, ne causa quidem belli in Italia futura est. Nam quod Gallus existimatur Neapolim petiturus, vestra eum autoritas facile ad alias res vtiliores auertet, si habebitis obligatum beneficio vestro. A Belgis etiam abstinebit, si quiescant ipsi, vt facient certe, conterriti Germaniæ consensu, præsertim si non fuerint irritati. Nec ego velim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tẽpore, non socios Imperii. Nostra edicta nihil morantur: nostris periculis nihil afficiuntur. Suum quoddam regnum ibi habent, nihilo magis coniunctum cum Imperio, quam sunt Angli aut Scoti.

Quare quod verẽtur aliqui futurum, vt Germania bello implicetur, si Belgæ non obtemperarent, qui imperia nostra multis iam seculis contemnunt: nihil periculi est, nullum sine vestro consilio bellum Gallus mouebit. Et quia Insubriam tenet pacatam, & hoc tempore optime instructus est omnib. rebus ad bellum necessariis; vnam hanc laudem, vnum hoc decus petit, vt à nostris ceruicibus depellat Turcas: vt Selymum ingentibus successibns, ac minitantem Italiæ exitium, adoriatur omnibus viribus. Quare nihil dubito polliceri, electionem Galli allaturam esse Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atque Italiæ salutem.

At cõtra si elegerimus Hispanum, quam atrox bellum accendetis in Italia, ad recuperandũ Mediolanum? Etsi autem incerti sunt exitus bellorum: tamẽ vt tãdem sit fortuna Imperii superior, diu trahet bellum Hispanus, vt solet assiduitate vincere, nõ Achilleo more properans, vt totis viribus dimicet. Interea Italia vastabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula nescio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinent: cum è regione tam diligenter colligantur & amplificentur

periculis, quæ Galli electionem comitari videntur: quæ tamen & leuiora & incerta.

Illud certum est, Italiæ horribilem vastitatem denunciari electione Hispani: futurum etiam, vt Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicam de exitu belli Italici, in quo si Gallus vincet, tum vero appetet Neapolim, & fortasse Romæ coget Pontificem, vt nostram electionem improbet. Qualē tragœdiam ea res paritura esset? Sed vincat Imperii fortuna, quid accidet? Hispani tenebunt Italiam, nunquam nobis reddituri. Noui eam gentem, cupidam dominationis: Polypi sunt, quod semel prehenderunt, extorqueri sibi non sinunt. Et cum Italiæ possessione retinere Imperium haud dubie volet.

Non diuino equidem, sed de rebus futuris coniecturas colligo probabiles. Nulla est tam ignaua natio, quæ si Italia potiretur, vltro cessura esset: Tantū abest, vt genus hominum bellicosum, gloriæ atq; Imperii auidum, cessurum vobis existimetis. Omnibus temporibus creuit hoc modo Regum, & populorum potentia. Carthaginenses semel accersiti in Siciliam, postea multis seculis depelli non potuerunt. Sed vetera omitto. Illi ipsi Turcæ quos iam tantopere formidamus, postquam semel in Europam traiecerunt, accersiti à Constantinopolitano Imperatore: progredi non regredi, postea statim conati sunt. Ipsi Hispani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quam deserere Neapolim, qui à accersiti specie societatis, & Italorū ope adiuti, tedi gerunt in suam potestatē.

Ita nunc inuitati, adiuti à Germanis, potientur Mediolano. Quare censeo, non esse in Italiam adducendos Hispanos. De ipsorum Regum ingeniis pauca dicam. Etsi enim existimo indolem in Carolo ad iustitiam & bonitatem esse dignam isto genere: Et audio, modestum ingenium esse, tamen si quis existimet in adolescente conspici posse eas virtutes, quæ in summo Principe orbis terrarum ac duce præstantissimo requiruntur, errat. Opus est orbi terrarum primum tali principe, qui sapientia & moderatione sua emendet Ecclesiam: Sapienter enim Moguntinus de religione, & de impendentibus Ecclesiæ tumultibus locutus est, quorum sparsa sunt semina.

Scio autem Regem Franciscum non modo singulari dexteritate ingenii, & prudentia in iudicando præditum esse: sed etiam de religione cum doctissimis hominibus multa solere disputare, multa ipsum legere. Et intelligit hanc esse summam laudem magni principis, vt non desit rectæ constituendæ Ecclesiæ. Deinde hæc tempora requirunt ducem peritum, acrem, & felicem in armis. Hac in re non indolem in Francisco, sed spectatam iam industriam prædicare possumus. Nemo enim Rege Gallicorum, aliquot seculis res gessit maiores: Et quidem exiguo tempore. Cumq; vulgo tribuatur Gallis quædam animi mollities, quod inchoata negotia cito abiicere dicuntur, si initio non responderit eorum spei euentus: hic Rex constantiam suam in rebus gerendis declarauit, cumq; diuturnum & varium bellum in Insubria gesserit, res tantas præcipue suis consiliis gubernauit. Nec

Nec defuit ei fortuna: Nemo enim profligauit vlla memoria, inde vsque à Iulio, maiores aut firmiores Heluetiorum exercitus. In his negotiis, cũ fortuna pene indulgens in eum fuerit, sperandum est, & in posterum eius consiliis Deum affuturum in Imperii pace tuenda, & in defensione totius Reipub. Christianæ. Quid igitur anteferemus adolescentem, cuius indoles nondum satis explorata est, huic Regi? cuius sapientia, virtus, & felicitas, in toga & in armis cognita est. Postremo addam hoc vnum argumentum, quo etsi fatetur se moueri Moguntinus, tamen nos bene sperare iubet. Nullis verbis dici potest, quantum periculi sit Imperatorem abesse extra Germaniam, & ita abesse, vt non statim, cum opus est, accurrere possit.

Quid fiet, si vel Turcæ subito irruptionem fecerint in Germaniam, vel seditiones aliquæ orirentur inter principes? Vt in sæuis tempestatibus nauis sine gubernatore: ita Respublica sine Imperatore, tali tempore seruari nõ potest. Accedit aliud perpetuum incommodum: non aspiciet res Germanicas ex propinquo. Itaq; multa nesciet, multas falsas fabulas credet: leuius afficietur nostris rebus. Nullos habebit secum principes Germaniæ, qui cum eo libere de Repub. loqui possint. Sedebit circumfusus ab Hispanis, quorum de multis rebus iudicia & voluntates à Germanis discrepant.

Mittet edicta in Germaniam, nec causis nec temporibus cõgruentia, quæ tranquillitatem perturbatura sunt, num hæc incommoda leuia ducitis? Quid? si ipse etiam incensus artificiis aliquorum veniet iratus in Germaniam & adducet Hispanos? qui vt Campaniam, & Apuliam inter se partiti sunt, ita vestras ditiones prædam suam esse arbitrantur. Prouidendum est autem, ne talis aliquis error Germaniæ vastitatem, & huic Imperio interitum afferat. An illas maiorum vestrorum sedes vultis Hispanorum colonias fieri: vestros posteros, à summis ortos Heroibus, venire in seruitutem? & aboleri ornamenta Reipublicæ, à vobis sapienter & sancte instituta iura, iudicia, disciplinam? Hæc n. omnia in seruitute mutantur. Sed de hac re plura dicere ominis causa nolo.

Si igitur est habenda potentiæ ratio in electione, vt ego quoq; arbitror: & fatale est horum regum alterum eligi, ego Gallum antefero: & nequaquam censeo Hispanum eligendum esse: Sed si lex impedit, ne Gallus accersatur, magis etiam impediat, ne Hispanus eligatur, cum eius electio, quantum prospici humanitus potest, minime salutaris futura Germaniæ videatur. Ac decurramus ad maiorum nostrorum exempla, & vere non callida interpretatione, legem seruemus. Ac vere Germanicum principem, qui non aliud domicilium, nisi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus est, eligamus. Nec me vsque adeo mouet, quod ait Moguntinus leporem leonibus imperaturum esse: magis illud videndum est, ne Ciconiam ranis, seu coruis vulturem, præficiamus.

Potentia Germaniæ satis magna est, si quem eligemus, qui virtute autoritatem.

tatem sibi comparere poterit. Accepit hoc Imperium & pene funditus col'apsum, Rodolphus mediocris Princeps, tantum propter virtutem electus: ac breui ita erexit, vt regibus vicinis omnib. formidabilis esset. Audio Ludouicũ Regem Franciæ proximum, cum essent de Imperio Germanico sermones: Et quidam Maxilianum per iocum vocasset consulem Augustanum, significans eum paucis ciuitatibus imperare, duriter increpuisse illum, & respõdisse: Imo vero nequaquam Germanici Imperatoris potentia contemnenda est, cum ille cõsul tympanum pulsat, tota Francia tremit. Honeste Ludouicus: Noluit enim in Regum maiestatem iocos, aut conuicia dici: Sed tamen illud etiam ostendit, se Maximilianum propter virtutem, cuilibet potentissimorum Regnm parem ducere. Nec adeo videtur extincta esse virtus in familiis vestris, nemo vt reperiri possit, hoc fastigio dignus.

Tres sunt familiæ, Bauarica, Saxonica, & Marchica, quæ quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri possunt. Et sunt in his aliquot principes, qui ingeniis & virtute sustinere magnitudinẽ huius administrationis queunt. Ex his si quem elegerimus, consentientib. suffragiis, eumq; nos defensuros esse ostendemus, vt æquum est: omnes principes & populi erũt in officio. Vt igitur habeat autoritatem, virtute opus est: vt accedant vires formidabiles exteris omnib. vna re opus est, videlicet Electorum consensu, quẽ inter nos quidem perpetuum speto futurum esse. Nemo est enim inter nos, qui sibi potentiam aliquam quætat: quem ambitio aut vlla cupiditas incitatura videatur aduersus communem Imperii tranquillitatem.

Tali sapientia & grauitate prædictos esse Electores, cum salutare est Reipublicæ, tum vero ad omnem posteritatem Germaniæ gloriosum. Itaque mirifice delector recordatione huius vestræ virtutis. Omittamus igitur Hispanum, & virtute cum exteris certemus Non quæramus alios, qui nobis imperent ociosis. Nihil enim indignius est natis Heroico genere, quam inertia fugitantes laborem, aliis concedere Imperii gloriam, & seruitutem accersere.

Quoties in Germania mediocres principes contraxerunt Regios exercitus, & res præclaras gesserunt? fuit recẽs Dux Saxoniæ, Albertus, qui suis sumptibus magna ex parte bellum in Belgico gessit. Quid? ante hunc quantos exercitus sæpe contraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, Duci Ernesto bellum denunciarat Rex Pannoniæ Matthias: quantas copias, quantum robur ex vicinis regionibus subito contraxerunt, pater & patruus tuus? Itaque cessit vobis Pannonius sine dimicatione, quod non fecisset, si duorum fratrũ ingenia & vires contempsisset. Quare non dubito posse iniri rationem electo Germanico principe, ne ei vires, copiæ, arma desint ad tuendam autoritatem domi & apud exteros.

Exposui meæ opinionis causas, non vt postulat magnitudo negotii: sed vt in præsentia potui, maximeq; cupio audire, quid iudicent cæteri Electores,

qui

qui diu Imperii consiliis interfuerunt. Qui Germaniæ statum & vires, qui omnium principũ ingenia & facultates norunt: qui Maximiliani consilia de rebus his meminerunt. Deniq; qui lõgum in administratione Imperii vsum habent: quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius disputare potero.

Cum dicere desiisset Treuir, taciti aliquandiu sederunt principes, tanquã defixis animis in cogitatione vtriusq; orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorum in vtraq; parte, quorundam animos nonnihil impulerat Treuir, vt ad illud decurrerent, vt omissis Regibus quærerent aliquem alium ex Germanicis principibus. Sed hunc quærentes, animis magis etiam dubitabãt. Iubent igitur tandem Fridericum Saxoniæ Ducem, natu maximum, suam sententiam exponere: qui pauca præfatus de lege, dixit: Interpretationẽ Treuiri subtiliorem esse, quam qua vti ipsos deceat. Addiditq;, non dubitandum esse, quin lex impediat Galli electionem, planum & illud esse, Carolum vere Germanicum principem esse: Et in Germania domicilium habere. Et opus esse his turbulentis temporib. principe, qui autoritatem virtute & potentia tueri possit. Ideo se non dubitare, quin omnibus anteferendus sit Carolus Archidux Austriæ. Sed tamen prius conditiones quasdam ei ferendas esse, vt in tuto sit Germaniæ libertas, & vt pericula, de quibus disputatum est, quantum prouideri potest, caueantur. Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus.

Treuir cum videret omnium animos ad Carolum inclinare, agnoscere se, inquit, Germaniæ fatum, & impendentem Imperii mutationem. Quanquã igitur non desinit hortari, vt diligentius hæc res deliberetur, tamen affirmat se publicæ concordiæ causa, suum suffragium cum illis coniuncturum esse. Hac acerrima contentione eius diei in multam noctem producta, tãdem ita discedunt, vt postridie conueniant de conditionib. deliberaturi, quas Caroli Legatis propositurì erant, qui Moguntiæ euentum expectabant.

Fuit igitur de conditionibus illis postea per aliquot dies non minus contentionis: quæ perscriptæ & Moguntiam ad Legatos missæ, cum essent receptæ, dies constituitur, eundi in suffragium solenni more. Itaq; rursus sacro publice facto, ingressi in sacrarium interius templi Diui Bartholomæi suffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum reliquus interrogat Moguntinum, quẽ eligat Regem Romanorum & futurum Imperatorem: is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientib. suffragiis Carolus electus est Imperator. Deinde suffragia relata sunt in literas, & confirmata singulorum sigillis. Postea accersita nobilitate ac multitudine vniuersa, publice facta est renunciatio, cum in hanc sententiam habuit Moguntinus orationem.

Quod felix faustumque sit Ecclesiæ Christianæ, Imperio nostro & patriæ, renuncio vobis electum esse Regem Romanorum, & designatum Imperatorem, Carolum Archiducem Austriæ & Burgundiæ, Regem Hispaniæ. Qua in

re primum agendæ sunt Deo gratiæ, quod summa concordia, & consentientibus Electorum Principum suffragiis res tanta perfecta est. Sæpe enim antea, cum dissentientibus Electorum studiis & voluntatibus diuersi eligerentur, orta sunt inter Germanos bella ciuilia, plena impii furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos nobilitatis extinctus est.

Absumptæ Imperii vires, ac pene vniuersa Germania in solitudinem vastitatemq; redacta est. Foris autem nomen Imperii nostri contemni cœpit: Italia deficere, & alios Reges accersere: Turcæ impune grassari, dum nos implicitì domesticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porro quantum mali hoc tempore discordia Electorum paritura erat? Cum non solum Germaniæ Principes, sed fortassis etiam exteri Reges in media Germania de Imperii possessione dimicaturi fuissent. Nec leniter tentata res est, vt consensus noster dissolueretur.

Quare ego quidem non minus propter concordiam nostram, quam propter electionem ipsam, lætor: Deoq; gratias ago, qui mentes omnium ad cōcordiam retinendam flexit & gubernauit. Qua incolumi speramus huic nationi non defuturum consilium ad defendendam patriam & Imperii dignitatem. Etsi autem diuinitus potius, quam humana prudentia perfectum est, vt voluntates nostræ congruerent, tamen hac in re etiam vestra virtus ac sapientia Electores, maximam gloriam vobis apud exteros Reges pariet: conciliabit & beneuolentiam nostrorum principum, qui vobis tantæ rei arbitrium solis commiserunt, vt Dominum ipsis, vt custodem publicæ salutis, vt Ecclesiæ, orbis terrarum propugnatorem eligeretis.

Apud hos eo plus admirationis hæc vestra diligētia grauitasq; habet, quod ipsi norunt quosdam non modo variis artificiis, sed etiam propositis minis ac terroribus, conscripto exercitu hoc ipsum conatos esse, vt nostras mentes distraherent ac dissociarent. Vtinam nostrum exemplum & posteris prosit, qui quantis laudibus vestram celebrabunt sapientiam & virtutem, quod cauistis ne discordia inter vos orta bellum æternum & exitiale patriæ excitaretur. Sed vt ante dixi, Deum agnoscamus autorem esse huius consensus: eumque ardētibus votis precemur, vt sit perpetuus. Deinde postquam electus est Carolus, non dubitemus, quin Dei consilio & voluntate ad hoc tantum fastigium euectus sit: Nam haud dubie fato & voluntate Dei Imperia dantur.

Agamus igitur Deo gratias, quod principem nobis optimæ atq; amplissimæ spei dedit: ac petamus, vt auspicia Imperii sint fausta & felicia, & vt Deus gubernet Regis Caroli animum, consilia, actiones, ad gloriam Christi illustrandam: ad Ecclesiæ tranquillitatem constituendam, ad patriæ atq; Imperii pacem defendendam, ad religionis, legum, iustitiæ, disciplinæ, conseruationem. Hæc ingentia bona cogitemus vere esse cœlestia beneficia, quæ generi humano per bonos principes Deus impertit. Quare à Deo piis & assiduis

preci-

precibus petenda sunt. Quemadmodum ille, cum inquit de Deo, *qui dat salutem Regibus*: admonet ita esse felicia Imperia, si Deus det salutem, si gubernet atque adiuuet eos, qui Respublicas administrant.

Omnes igitur inuocate Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & hanc Psalmi vocem pio pectore ingeminate, quæ precationem pro rege continet: *Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.* Publico etiam nomine postulamus, vt Carolo Regi Romanorum, & electo Imperatori, ac domino vestro, obediatis. Quod quidem vos pro fide, virtute, ac sapientia vestra, facturos esse, non dubitamus: præsertim cum ille tanta modestia iudicium nostrum ac suffragia expectauerit. Et quemadmodum nos in electione præstitimus, ne qua inter nos discordia oriretur: ita vos propter publicam Imperii tranquillitatem imitamini nostrum exemplum, & communi animo electo Imperatori obtemperate: quem iure ac legibus scitis iam esse nostrum Dominum. Nam electio iure ac legibus facta est. Nullius noui exempli autores sumus contra leges.

Est autem officium necessarium, & præsertim sapientibus ac magnis viris dignum, iuri ac legibus obtemperare, parere Dominis, cauere omni studio, ne contumacia dissipentur Imperia. Ac tamen vt libentius huic Domino pareatis, eædem vos rationes hortentur, quæ animos nostros in Electione mouerunt. Etenim non solum nihil contra leges fecimus, sed etiam quantum prospici à nobis potuit, Deo gubernante nostras mentes in designando principe communi saluti orbis terrarum consulere conati sumus.

Quare, vt sancitum est, Germanicum principem, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus, quem indole ad virtutem egregia præditum esse cognouimus. Eminēt autem in eo duæ virtutes, quæ in summo Principe maxime necessariæ, salubres, & gratæ sunt, videlicet, amor religionis, & bonitas eximia. Quarum altera eum ad fugiendas libidines, ad vitandas temerarias mutationes in Ecclesia & Republica, ad fidem seruandam constantiamque in promissis, ad defensionem Religionis & Imperii; exuscitat. Vtraq; vero prohibet sæuitiam, crudelitatem, iniustam cupiditatem vindictæ. Etsi enim iudicauimus opus esse potente principe, qui autoritatem etiam viribus tueri posset: tamen prius ingenium & mores considerauimus. Potentia enim non salutaris, sed perniciosa esset orbi, si ingenium leue aut malum esset. Est autem ea iam ætas pene quæ fuit Alexandri Magni capessentis Imperium: in qua vires corporis propemodum maturuerunt & ingenii vigor, industria, sagacitas, & mores se proferunt, vt iudicari, qualis sit natura, possit.

Itaq; cū sciremus, Regem Carolū suo iudicio multa honeste & grauiter respōdere: & nō solū non hebetem, sed ēt singulari industria & diligētia in obeundis negotiis, aut ꝓuidēdis, aut iudicādis, præditū esse: & cæteras virtutes habere bono & magno principe dignas, statueremusq; tali præditū natura, opes

& potentiam suam collocaturum esse non ad nocendum, sed ad salutem humani generis: potius duximus tantis instructum viribus eligendum esse, quam alium his necessariis præsidiis destitutum.

Hoc consilio censuimus boni principis potentiam autoritate armandam esse. Et quoniam nos non tantum Germaniæ, sed vniuerso orbi terrarum cōsulere debemus, vires comparandæ sunt, aduersus valentissimos hostes, non modo Germaniæ, sed totius Christiani nominis. Tantis incrementis, & tam subitis, annos iam ferme centum auctæ sunt res Turcarum, vt nemini dubium esse possit, eos Imperium orbis terrarum sibi polliceri, non modo propter virium magnitudinem, sed multo magis propter inusitatos atque admirabiles successus. Et vt omittamus priora, Selymus nuper non minori virtute, quam felicitate Persas, antea inuictos, ingenti prælio superauit, & ex Armenia eiecit.

Deinde duobus amplissimis regnis Syria & Ægypto potitus est. Et in oriente Imperii Turcici limitem eum constituit, qui quondam Romani Imperii fuerat. Ac tantam gloriam consequutus est, vt maiores suos non solum regni amplitudine, sed etiam felicitate superare videatur. Nam & pater & auus Mahometes, cū quidem dux esset vnus omnium eius ætatis acerrimus & felicissimus, cum tentassent Syriam, acceptis magnis detrimentis inde sunt repulsi. At Selymus velut in eodem cursu, profligato Persico exercitu, Syriam atque Ægyptum non sine acerrima dimicatione in potestatem suam redegit. Hunc, cum natura gloriæ immensæ cupidus sit, non accessio virium, non magnitudo successuum incitaret ad res maiores suscipiendas? Ille vero iam classicum cecinit, & exercitus in Pannoniam misit.

Videmus autem fato quodam hoc tempore duas bellicosissimas nationes coniunctas esse, Germanicam & Hispanicam: Ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaq; si omnium gentium consiliis Dux aduersus Turcas legēdus esset, haud dubie omnium votis expeteretur, & omnium suffragiis designaretur Imperator Carolus. Quare & vos & pleraſq; alias gētes, quæ cum Imperio nostro societate, aut fœderibus coniunctæ sunt, speramus iudicium nostrum summo studio probaturos esse: præsertim cum omnes norint Carolum singulari moderatione naturæ præditum esse, maximeque à superbia sæuitia, cupiditate iniustæ dominationis, abhorrere. Esset enim formidanda liberis tanta potentia, essent metuendæ Imperii & orbis terrarum graues mutationes, nisi naturæ bonitate & timore Dei potentiam moderaturus videretur: Quod vt speremus, grauissimis argumentis adducimur. Indoles enim ipsius penitus nobis perspecta est, cognouimusque eum habere infixam animo mirificam reuerentiam erga religionem, fidem pactorum constantissime præstare, & à crudelitate quam maxime abhorrere. Sunt autem omnium reliquarum virtutum nutrices, religio, veritas & mansuetudo.

Deinde

Deinde familiæ natura mouemur, quę Imperium iam annos plus octoginta ita tenuit, vt nondum pœnitere nos Austriacorum principum debeat: Inprimis enim enituit in vtroque, in auo & proauo eximia moderatio & lenitas: quæ quidem in Maximiliano Cęsare non poterat segnities videri. Nemo enim erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicauit ipse? Quoties paruis copiis ingentes fudit exercitus? Nunquam fortunæ succumbebat eius animus.

Rursus in victoria, in toga mitissimus erat. Et quod singularis erat prudentiæ, præcipuo studio cauebat ne iracundia incitatus præberet occasionē mutationibus Ecclesiæ aut Imperii. Ab hoc prognatum Carolum, referre auitam moderationem animaduertimus: & ea esse grauitate præditum scimus, vt intuens in maiorū exempla non sit commissurus, vt ab illis degenerasse dicatur: vt alienos mores, indignos maioribus, accersiuisse, vt primus laudatissimæ familię notam superbię & crudelitatis inussisse, feratur. Meminit etiam aui pręcepta, de timore Dei, de cura tuendæ religionis, de clementia: quæ vt decet, velut oracula obseruat.

Quanquam, quid opus est longa oratione? Iam specimen industriæ & virtutum aliarum dedit in Hispania. Auo eius materno extincto, magni motus in regno, & ciuiles discordiæ erant exortæ. Has aduentu suo repressit: cumque eius nationis ingenia bellicosissima sint, & exteros dominos nō facile patiantur, tamen ipse non tam armis, quam virtutis, ac præcipue bonitatis admiratione, totam Hispaniam nunc ita retinet in officio, vt nemo Regum vnquam tam pacatā tenuerit. Quare quantum humanitus prouideri potuit, elegimus Imperatorem, in quo cum virtute potentia coniuncta est, vt eius vires præsidio essent Religioni, Imperio & vniuerso nomini Christiano.

Proinde vos auspiciis Imperii ipsius læta & fausta precamini: Eique libenter obedire, vt decet Principes & populos amantes publicę tranquillitatis. Postremo cum ingentem luctum & mœrorem, interitus Maximiliani attulerit, decet vos vim fati æquiore animo ferre: postquam nepos, quem ille charissimum habuit, & nobis aliquando cōmendauit, ipsi successit, vt non omnino extinctus videri possit. Deinde ipsius manibus hoc officium tribuite, vt maiori studio nepoti pareatis, & consiliis vestris & copiis, suscipiētem grauissimam Imperii molem, summa concordia adiuuetis.

Quod eo etiam vobis faciendum est maiore cura, vt Imperii possessionem retineatis, quam sine concordia tueri nequaquam possumus.

Cogitare autem quantum decus sit, vnam hanc nationem delectam esse, quæ non tantum suos fines defenderet, sed custos esset etiam cæterarum gentium: & pro communi salute Christiani nominis præcipuam stationem teneret. Hoc decus magna virtute partum à maioribus, & annos fere iam octingentos in hac natione conseruatum sapientia & concordia principum: nolite nunc per discordiam amittere, eaq; in re cum vestræ gloriæ & tranquillitati,

tum vero saluti orbis terrarum consulite. Idque officium, principes & eos qui præsunt Reipublicæ, maxime debere Deo statuite, vt communi saluti omnibus viribus consulant. Hæc renuncianti, populus cum plausu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinibus erat optatius, quam eludi expectationem Gallorum, qui Imperium sibi desponderant. Itaq; audito Caroli nomine, omnes vna voce & consensu electionem approbabant. Agunt gratias Deo Opt. Max. primum, quod metus ciuilium bellorum sublatus erat cōsensu suffragiorum. Deinde, quod omnes iudicabant, diuinitus orbi terrarum salutarem Principem datum esse. Omnes iam tum ominabantur huius Caroli virtutem & felicitatem præsidio futuram toti Europæ: omnes vota faciebant, vt auspicia essent fausta & felicia.

Secundum hæc legati ipsius Caroli Moguntia euocantur : qui magno honore excepti, atq; in comitium introducti, certius ex ipsis Electoribus cognoscunt: Diui Maximiliani nepotem, cuius ipsi legatos agebant, cunctis suffragiis rite electum, & renunciatum esse Romanorum Imperatorem. Deinde adhibiti in consilium ab iisdem Principibus consuluntur, de gubernanda Imperii administratione: donec rebus in Hispania constitutis, Carolus in Germaniā veniret. Nam ipso procul absente efficiendum erat, vt Germania tranquilla esset: neve Gallicæ factiones, motus in Germania excitarent.

Delectus est igitur Casimirus Marchio Brandeburgensis, qui legiones certis in locis collocatas haberet in præsidiis: & duceret exercitum, si qua belli gerendi necessitas incideret. Adiuncti sunt Electores certi, quorum consilio vteretur. His rebus constitutis, legati dimittuntur : quos discedentes prosecuti sunt Principes Electores vsq; Moguntiam. Inde Francofordiā reuersi, suos & ipsi Legatos cum literis ad Carolum mittunt: cuius legationis, Fridericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat.

Interea electionis nuncii magnis, diurnis, nocturnisq; itineribus in Hispaniam contendunt: è quibus vnus eximia celeritate cæteros anteuertens, nono die Barcinum (vulgo Barsellonam vocant) peruenit, ex eo quo Francofordia profectus est: cumq; lætum exoptatumque nuncium illuc attulisset, à Rege, quem in cubiculo mane adhuc quiescentem inuenit, magno auri pondere donatus est. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere moram fecit. Nam pridie Calend. Decemb. eodem peruenit: cumq; ad vrbem accederet Barsellonam, Rex cognito eius aduentu, ad tria ferme milliaria obuiam ei processit, Legatis benigne & comiter exceptis, inq; oppidum introductis: literæ Regi ab Electoribus scriptæ redduntur.

In literis primum inerat commemoratio beneuolentiæ Principum erga Carolum, & officii. Cum autem Imperia fato regantur, narrabant diuinitus hanc electionem gubernatam esse: vt suffragiorum concordiam, & vniuersæ Germaniæ vota consentientia ostenderent: etsi ipsi etiam iudicio suo de familia,

lia, deque ipsius virtute, neminem putarint ipsi anteferendum fuisse. Huic orationi grauiter scriptæ, adiecta erat petitio: vt Imperium sine recusatione acciperet: & constitutis rebus in Hispania, maturet iter in Germaniam. Carolus acceptis & lectis literis, cum existimaret se quasi diuina voce tanto consensu totius Patriæ vocari: etsi videbat quanta rerum moles sibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriam non destituendam esse censebat.

Respondit autem Legatis per Mercurinum Oratorem: Huic enim summa laus eloquentiæ tribuebatur. Vsus est igitur Mercurinus luculenta Oratione, atq; huiusmodi verba fecit: Iure lætatur Rex Carolus, cum beneuolentia, tum vero etiam grauissimo iudicio summi Senatus, Germaniæ Principum: qui tam dubio tempore, Imperii gubernationem ipsi vni, tuto commendari censuerunt. Quid enim aut gratius ei accedere potest? quam quod ab vniuersa patria se vere amari intelligit: aut honorificentius? quam quod sapientissimi Principes tantam ipsi virtutem tribuunt: & quasi diuinantes, eam spem de ipsius fide & felicitate conceperunt, neminem vt ad hoc Imperii fastigium, quam ipsum, euehere maluerint.

Vicissim igitur & patriæ pietatem, & cognatis Principibus beneuolentiam perpetuam pollicetur. Deliberantem autem de Imperio accipiendo diuersæ curæ diu exercuerunt. Etsi enim magni animi est, non deterreri mole rerum & magnitudine periculorum, quæ videntur impendere intuenti nunc Italiā, quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denunciātes bellum Pannoniis: tamē cum vere sit diuina res gubernatio, nec nisi aspirante Deo, felix esse possit, constanter & religiose Imperia accipienda sunt. Hæc etiam Hispania, etsi vires suas, quæ non sunt exiguæ, ad societatem rerum gerendarum offert: tamen ipsum Regem domi, velut in specula regni, assiduum esse mallet. Sed è regione durum videbatur, patriæ opem ab ipso imploranti deesse.

Mouit etiam animum gentilium decus: atq; honestum esse iudicat, aui & proaui exempla sequi. Et cum auus collapsas res rursus erexerit, cumque huic familiæ potitæ hoc fastigio, tantæ accesserint opes: arbitratur diuinitus hanc familiam ad Imperii defensionem vocari. Postremo etiam principum Electorum votis & iudicio permouetur, vt rem omnium difficilimam, Imperii gubernationem, suscipere minus recuset.

Tam multæ graues causæ cum concurrerent: cumq; diuinitus se vocari ad Imperium, Patriæ consensu, statueret: tandem, quod felix faustumq; sit, Imperium accipere Rex Carolus decreuit, & hanc voluntatem suam Dux Friderice à te exponi Electoribus, & perferri in totam Germaniam postulat.

Principio vero quod Regum sapientissimus Salomon vnum optabat, id ipse quoque optat: cum humana sapientia non sit par tantæ gubernationi, vt

Deus

Deus pectus & consilia ipsius in toga,& in armis regat: ac perficiat, vt Ecclesiæ & toti generi humano, hæc ipsius gubernatio salutaris sit. Meminit Rex Carolus, ex hac ipsa Hispania duos principes ad Imperium vocatos esse, Traianũ & Theodosium: quorum alter optimus appellatus est: alter non solum bonitate & armis Traiano par fuit, sed etiam hac laude excelluit, quod vere Deum coluit, ac perfecit, vt Euangelium latius propagaretur: & concordiam Ecclesiæ, pie, diremptis dissidiis, constituit. Hi duo principes ex Hispania euocati, cum fuerint salutares orbi terrarum: lætatur omine.

Horum exempla sibi proponet: & annumerari laudatissimis Imperatoribus volet. Summa virtus maiorum fuit in vtraque familia, Austriaca & Hispanica: Horum similitudo in Regis Caroli natura & indole iam præclare lucet. Comitatur autem felicitas cum cæteras virtutes: tum vero præcipue pietatem erga Deum, quæ in Rege Carolo eminet. Quare spes est eius gubernationem faustam, felicem, & salutarem fore orbi terrarum: & vt sit, omnes boni toto pectore vota facere debent.

Tu vero Dux Friderice ito, & Principibus Electoribus gratias agito: quorũ cognouit eximiam erga se beneuolentiam esse: ac voluntates eorum confirmato: & Imperatorẽ Carolum petere dicito, vt ipsi tanquam custodes publicę pacis, sua fide, concordia, virtute, Germaniæ tranquillitatẽ tueãtur, donec Imperator in Germaniã veniet, qui quidem aduentum maturare quam primum decreuit. Hæc cũ Mercurinus dixisset, tota curia lætitiæ plena, regi Carolo & Imperatori omnia fausta precabantur. Postea scriptæ sunt literæ ad Electores, in quibus Rex se Imperium accepisse profitetur, & de constituendo statu Imperii, nihil sine consilio Electorum facturũ esse profitetur. Commemorat sibi beneuolentiam ipsorum iucundissimam esse, & volũtates eorũ confirmat. Postremo pollicetur etiam breui se in Germaniam venturum esse. Vt igitur solicitis Electoribus quamprimum voluntas Caroli Imperatoris significaretur, Fridericus Palatinus amplissimis muneribus ornatus, statim dimissus est.

Cæsar aũt initio veris ex Hispania soluens traiecit in Angliam, vbi à rege Hẽrico Octauo, non solũ comiter pro ipsorum necessitudine & hospitii iure, sed etiam splendidissimo apparatu, exceptus est. Cumque fœdera inter duos Reges confirmata essent, Anglus pollicitus est, se Caroli coronationi interfuturum esse, honoris ipsius causa. Post paucos dies inde venit in Belgicum, cum magna frequentia omnium ordinum, faustis eum omnib. excepit. Gratulantur reditum eo maiore veneratione, quia iam virum cernebant principem, qui in Hispaniam ante annos aliquot admodum adolescens profectus fuerat. Optant læta & felicia Imperii auspicia. Commoratur autem Rex Carolus aliquantisper in Belgico, tum vt ciuitatum suarum statum cognoscat, tum vt Angli aduentum expectet. Sed hunc facile Rex Franciscus perpulit, ne Carolum comitaretur, ac sibi Anglum nouis pactionibus adiunxit, quæ deinde

magnas rerum conuersiones attulerunt. Tandem igitur Aquisgranum venit Rex Carolus, florem secum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quanquam in oppido & vicinia grassabatur lues pestilens, tamen ne noui exempli autor esset, mutare locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam processerunt Electores, & fere omnes reliqui Germaniæ principes. Aderat & cœtu sacerdotum, Caroli Magni monimenta gerens. Postero die, qui fuit dies 22. mensis Octobris, coronatus est in æde maiori Aquisgrani, vereri ritu. Moguntinus & Coloniensis indutum trabea ad aram adduxerunt. Dux Palatinus orbis figuram præferebat, Dux Saxoniæ ensem, Marchio Brandeburgensis sceptrum. Treuirensis vero more à maioribus accepto, Regem vnxit. Hic ad aram iusiurandum prælectum est. Deinde Corona à Moguntino & Coloniensi imposita. Postea tradita sceptrum & ensis. His ceremoniis peractis, regium conuiuium apparatur: in quo Electorum distributa sunt ministeria. Astat Moguntinus codicillos & sigillum manu gestans, Marchio Brandeburgensis sceptrum: Regis Bohemici Legatus pincernæ munere fungitur: Palatinus dapiferi. Interim in foro Dux Saxoniæ auenam equitibus distribuit. Assatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis, vnde primum coronato regi Romanorum apponitur ferculum. Post coronationē Cæsar cū principibus Coloniam venit, vt de futuro conuentu colloquerentur, in quo de veteri more post coronationem lex de pace communi renouatur, & de summa Reipub. deliberatur. Decretum est igitur, vt ad Calend. Ian. indiceretur conuentus VVormatiæ. His actis & Carolus in Belgicum rediit, & cæteri Principes in suas ditiones discesserunt.

Hactenus electionis & coronationis Caroli V. historia; quæ cum contineat res atq; commonefactiones grauissimas, neminem vestrum ex illius recitatione tædio affectum esse confido.

PH. Malim ego, vt cum Horatio, *me mea tellus lare secreto tutoq; tegat,* quam vt tantis me immergere difficultatibus, quum & ipse Antigonus Princeps, regnum nil nisi gloriosam esse seruitutem dixerit.

EQ. Non opus est, vt tantopere sis anxius, ne forte in te aliquis deuoluatur Principatus. Nosti cæteroquin & illud quam maxime verum esse, quod *non cuiuis homini contingit adire Corinthum*, Itaq; illud Thomæ Mori *lib. 2. Vtopiæ*, consilium vsurpa ac sequere. *Merito, inquit, abstineant sapientes à regenda Republica, habentes satis, vt qui aliena stultitia mederi non possunt, saltim sint in tuto, veluti qui effusum in plateis populum, cum ab imbribus sub tecto reuocare non possunt, consulte agunt, cum se intra tecta continent.*

TH. Diuum certe Augustum regnandi molem à se optasse excutere, Dion refert. Sed & Ælium Pertinacem idem attentasse, Iulius Capitolinus narrat, aliiq; numero permulti, minime permoti incentiuo illo Homerico:

Οὐ μὲν γάρ τι κακὸν βασιλευέμεν, αἶψά τέ οἱ δῶ
Ἀφνειὸν πέλεται καὶ τιμηέστερος αὐτός. Id est,
Non malum est imperare: statim ei domus
Affluens fit, & magis honoratus ipse.

PH. Malum equidem siue peccatum non est, gerere magistratum, at interim admodum est difficile. Hinc grauiter de magistratu bono Seneca: *Princeps*, inquit, *ac magistratus bonus, est anima reipublicæ: est vinculum, per quod Respublica cohæret: est spiritus vitalis, quem multa hominum millia trahunt, nihil ipsa futura, nisi onus & præda, si imperii illa mens subtrahatur.* Atque hinc est, quod Rex caput Regni in sacra scriptura vocatur, quia ex salute, vel ægritudine eius, cætera membra vel valent, vel ægrotãt. Nam si ille ad virtutem præit, sequuntur reliqui, si ad vitia, ad ea inclinantur, si bene beateque agit, florent, si improspere, labuntur, aut ruunt cum illo. Item, & anima, & cor populi dicitur, quia vitam, & nutrimentum vniuerso corpori Reipublicæ præstat, & vt cor, cum corpus somno quiescit, vigilat, sic Princeps, vt optimus pastor: cuius vigilantia somnos omnium defendit, omnium otium illius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio, eoque diligenter moderante placida vita cum pietate, & honestate subditi fruuntur. Cum is sit vere Princeps, qui in summo fastigio non magnus magis, quam bonus audiri desiderat, magisq; virtutem, quam imperium cogitet ac ita omnibus prosit, vt hominum causa sit, nec Dominus, sed tutor videatur, & vt animus corpori, solq; orbi terrarum lucem & vitam præstet; caputq; & corona sit, quæ vt cingit frontem, ita veluti murus ahæneus omnes circundet, & vt alter, Athlas, vlnis & humeris suis orbis curam sustineat, cum Principis magnitudo stabilis, fundataq; sit, quem omnes non supra se solum, sed pro se esse sciunt, illud munus exercendo.

Principis boni consideratio.

EQ. Quemadmodum Plutarcho teste, *Cometes nouus apparens quandoque malum, quandoq; tamen ingens quoque bonum rebus humanis portendit*: Ita nouus Princeps, isque optimus, religiosissimus, beneficentissimus optatissimo exortu magnam rebus vniuersis salutem adfert, & quod Cicero probi magistratus proprium esse scripsit, *Personam* subditorum suorum *gerit, dignitatem & decus Reipubl sustinet, leges seruat, iura fidei ipsius commissa meminit, commoda ciuium defendit, atque omnes æquitate eadem continet, improbos castigat, bonos tuetur, laudat claros viros, præcepta laudis & salutis apte ad persuadendum ciuibus suis edit, hortatur ad decus, reuocat à flagitio & errore, consolatur afflictos, facta & consulta fortium & sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodit, denique pro Ecclesiæ, ac communibus commodis sudat, inimicitias adit, subit tempestates, cum multis au-*

dasi-

dacibus, improbis, nonnunquam etiam, (si necessitas ferat,) potentibus dimicare promptus.

PH. Sicut igitur lumina multarum ardentium lucernarum aut facium, quæ in atrio vno, vna sunt, confusam mansionem, & sedem totius luminis faciunt: omnium enim lumina cum vno lumine consociantur, vnumq; splendorem ex se, qui non separatus est, eiaculantur: nemoq; est mortalium, qui huius vel illius lucernæ aut facis lumen discernere aut partiri à cæteris possit ex aere, qui ambit omnia lumina, nec concernere alterum sine altero, propterea quod tota in totis sine confusione, aut permixtione temperata sint lumina, quin etiam si quis vnam lucernam, aut facem de domo detraxerit, simul proprium quoque eius lumen vniuersum discedet, cum interea nihil de aliis luminibus secum trahet, aut aliis aliquid de suo relinquet. Eadem quoque probe constitutæ reipublicæ ratio est, in qua Deus subinde noua accendit lumina virorum insignium, eoq; rempublicam illam facit illustriorem.

EQ. Equidem lumina huiusmodi admodum illustrant rempublicam, quę etiam vsque adeo sunt necessaria, vt sine illis consistere respublica neutiquam possit. Interim opus est ad decus & ornamentum magno aliquo atq; illustriori lumine; quo referri commode potest, quod Menander ait: Εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος θεῦ, quod Plutarchus sic interpretatur, *vt Deus in cælo pulcherrimum ac iucundißimum sui simulachrum constituit solem & lunam, sic in Republica Principem, qui iustitia, prudentia, benignitate se erga omnes repræsentet.*

TH. Hinc argumentum deducitur perspicuum, & vrgens, quantum vnusquisque subditorum Principi, vt capiti, cordique suo iis ingenuis dotibus, quibus ornatus est, opitulari debeat, præcipue ad dignitatem regiam, regnique auctoritatem publicam, tuendam, cum vt membrum particeps fiat gloriæ, qua caput fruitur. Hincque etiam illa recondita, quæ parum animaduerti solet, ratio reddi excogitarique potest, vnde nascatur incredibilis, & admirabilis in cordibus omnium lætitia, qua abundant ciues, cum Princeps aliquam vrbem aduentu hilari ornat; Vt enim sol iucundo affulgens lumine, discussis vndique tristitiæ nebulis, festiuis gaudiis omnia conspectu serenat, atque in nouum ver terris hiberna niue horrentibus suis illis fauoniis aspirat, ita omnium animos, vbi introitus Principis apparet, noua lætitia occupat; omnis rerum facies mutato squalore enitescit, idq; natura quadam & genio suadente euenit, cum enim Princeps sit anima, cor, caput, radix, solque populi, à quo vita, & lumen eius deri-

Subditorũ erga principes probi affectus.

deriuatur,tunc subito sicut ex musicæ arte fertur, quod vbi duo instrumenta musica consonant, vno pulsato, aliud sine tactu & pulsatione sonat, ita & concentu, & suauitate quadam membra suo capite, corpus anima, sanguis corde, rami radice, lumen sole exultant, virtuteque, & splendore replentur.

EQ. Sane subditi, quanto æquioribus animis subsunt, tanto splendidiorem imperantis laudem efficiunt, Xenophonte authore, cuius hæc in Oeconomico præclara vox extat. Ἐγὼ δὲ καὶ τοῦτο ἡγοῦμαι μέγα τεκμήριον ἄρχοντος ἀρετῆς εἶναι, ᾧ ἂν ἑκόντες ἕπωνται, καὶ ἐν τοῖς δεινοῖς παραμένειν ἐθέλωσιν. *Equidem & istud opinor magnum esse argumentum virtutis in Principe, si subditi ipsum libenter sequantur, & in periculis vna perseuerare velint.*

Dei agnitio est, maxima principis virtus.

TH. Atqui ego virtutis esse maximum argumentum opinor, si Deum recte agnoscat Princeps eumq; indesinenter colat. Ignoratio namq, Dei, causa est subuersionis ciuilis vitæ. Siquidem, vt Poeta inquit:

——Prima scelerum causa mortalibus ægris:
Naturam nescire Deum.

Et, autore Cicerone: *Pietate erga Deum sublata, fidem & humani generis societatem tolli necesse est, & iustitiam virtutem omnium excellentissimam.* Nam & ciuitates ortæ, & vrbes conditæ, & gentes congregatæ fuerunt, non ad commoditatem tantum vitæ degendæ, neque ad iucunditatem consuetudinis mutuæ, neque emolumenta commerciorum: Sed inter hæc, vt & cognoscerent autorem ac conditorem suum, omniumq; bonorum largitorem Deum, & hunc religiose venerarentur, & in coniunctione piç cõfessionis, atq; ceremoniarũ sanctarũ obseruatione, celebrarẽt. Hinc ipse Dominus in Deuteronomio c.17. cũ posteros de Rege, si casus incidisset, designando, monuisset, præcepissetq; eum vt deligerent, qui ex numero fratrum suorum esset, non alterius gentis aut religionis, & quem Deus ipse, non cuiusuis vota voluntasque constituissent; Regi iam constituto legem hæc in verba præscripsit: *Postquam sederit in regno solii sui, describet sibi Deuteronomion legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dextram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse & filius eius super Israel.* Ea antiquissima omnium rerum, Regibus atque Principibus debet esse legis notitia atque custodia, quã etiã vt animis infigãt altius, quotidie legere, imo propria manu exscribere iubẽtur; additis fructib.

quos

quos exinde decerpunt, suauissimis; quorum primus est Timor Domini, qui sapientiæ initium est, *Prou.1.* & bonorum omnium fons atque origo. Secundus est, cœlestium mandatorum obseruatio, quibus fiet, vt populus iussis & decretis Principi libentius obsecundet. Tertius, ne de se magnifice sentiat, nec ob Principatum se efferat insolentius, sed ad Deum omnia referat. Quartus & postremus, firmitudo stabilitasque regni tanta, vt solidum illud & stabile liberis ac nepotibus tradat perpetuo administrandum. Quæ quidem regnandi sceptriq; diutissime conseruandi cupiditas omnib. qui in dignitatib. constituti sunt, communis est; nec quisquam fere est, qui in momentanea illa dominii possessione tuenda tantopere adlaboret, nisi illam ad filios quoq; ac nepotes translatam iri confidat. Hanc autem perpetuam & constantem Imperii & Principatus conseruationem, qui humana duntaxat quadam (secluso Dei timore ac reuerentia) ratione ac disciplina conatus assequi, in vanum omnino nititur, & tandem non sine confusione sui & pessimo interitu:

Ipsorum facta atq; minas ridebit inanes,
Qui super & cœlos & super astra regit.

Quos etiam sub nominib. consiliariorum Ægyptiacorũ pe[redacted] Isaias his verbis: *Sapientes, inquit, consiliarij Pharaonis insipiens dederunt consilium deceperunt Ægyptum, angulum populorum eius, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.*

EQ. Politicam illam Principatus tuendi rationem D[redacted] *in Psal.* 101. elegãtissima Prosopopœia graphice admodum depingit: Qui in aulis, inquit, versatur, ei huiusmodi exempla atq; documenta haud raro occurrunt. Videas namq; illic sedentem Regem aut Principem tibi, vt videtur, omnib. numeris absolute sapientem ac prouidum, quiq; rem, de qua deliberaturus est, iam tũ animo suo expediuit. Hũc iuxta adscitus assidet Iurgista siue Iurisconsult[9] cũq; huic Princeps rem iudiciumq; desuper suum vna exponit, is mori & humori principis se conformare gnarus, iudicium & desuper Principis in Iure vsq; adeo esse fundatum asserit, vt nemo omnium Doctorum reclamare ausit. Huic insuper assistit alius, qui prægnantes imo prægnantissimas vsq; adeo ex natura ipsiusq; causæ bonitate conglomerat rationes, imo rationum rationes, quarũ alia aliam subinde parturit, vt nisi parturiret hoc prægnans caput, metuendũ esset, vt rumperetur. His demum accedit Episcopus, Prælatus siue Theologus atq; is quidem seu arbitrarius seu factitius, eodem recidit; is, inquam, innumera S. scripturæ dicta atq; testimonia ad rẽ iudiciumq; Principis detorquet atq, commodat. Ibi vero nec ipse Diabolus contrauenire, sed omnem hanc rẽ iustam, æquam, bonam, imo plane diuinam esse, etiam nolens volens pronũciare cogeretur. Sedentq; hoc modo quatuor istæ regni siue Principatus columnæ vsq; adeo fixæ atq; præualidæ, vt etiam cœlum, si quidẽ ipsorum prudentiæ committeretur, humeris suis facile ferre ac sustinere possent. Nemo vero

Præsumptuosa Principum prudentia, prudente[redacted] Dei.

interea omnium illorũ est, qui vel minima effusa precatiuncula, imo ne cogitatione quidem, Deum in consilium desuper aduocauerit; aut enim deplorata ipsorum conscientiæ peruersitas eos reprimit, vt errare non ausint, aut præsumptuosa ipsorum sapientia cui tantisper tribuunt, vt errare se non posse existiment, adeoque alieno (diuino) auxilio opus non habeant, omnem precationem respuit, aut praua illa, nimirum absq; vlla nominis diuini inuocatione, negotia deliberandi consuetudo, in profundum incredulitatis barathrum ipsos longius ac longius immergit. Quid vero interea Deus à grauissimorum horum virorum consiliis atq; deliberationibus exclusus? Sermones is interea confert cum Gabriele angelo: Quid arcani, inquiens, viri hi graues machinantur, quod in consilium suum ac deliberationes me non aduocant? Turrim Babylonicam extructuri denuo videntur. Descende ergo, & assumpto tecum Esaia, apertis ipsorum fenestris clanculum insusurra? *Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet. Meum enim est consilium & æquitas: mea est prudentia, mea est fortitudo Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam, &c.* Esa. 8. Prou. 8. Hactenus [redacted]

TH. Meminisse itaq;, quæ rei summa est, debent Principes, vt nisi Deo in consilium adhibito nihil aggrediantur: *Confortare*, inquit Deus ad Iosue, cap. 1. *& esto robustus valde, vt custodias & facias omnem Legem, quam præcepit tibi Moyses seruus tuus.* [redacted]*t ab ea ad dextram, vel ad sinistram, vt intelligas cuncta quæ agis. Non recedat volumen Legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ scripta sunt in eo. tũc diriges viam tuam, & intelliges eam. Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus: noli metuere, & noli timere, quoniam tecũ est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcumque perrexeris.* Hinc Dauid summæ sanctitatis rex, cum expertus sciret, summa æterni Numinis benignitate feliciter propterea regnasse, quod ad diuinam Legem obseruandam, maximam adhibuisset diligentiam, proindeq; vehementer optaret, vt filius Salomon vestigiis paternis insistens, non regni tantum sed etiam pietatis ac virtutis esset hæres, & Deo propitio regnum eius nouis subinde accessionibus cresceret, sic illum moriens 1. Reg. 2. allocutus est: *Ego ingredior viam vniuersæ terræ: confortare, & esto vir, & obserua, vt custodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, & custodias ceremonias eius, & præcepta eius & iudicia. & testimonia, sicut scriptum est in Lege Moysi, vt intelligas vniuersa quæ facis, & quocunq; te verteris: vt confirmet Dominus sermones suos quos locutus est de me dicẽs? Si custodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate in omni corde suo, & in omni anima sua, non auferetur tibi vir de solio Israel.* Hæc Dauid ad Salomonem, quem etiam Deus iam regnantẽ sic est affatus: *Si ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, lõgos faciam dies tuos,* 3. Reg. 3. Quam solicitus fuerit Iosias rex piissimus in restaurando ac promouendo veri Dei cultu, historia

facta, 2. *Reg.* 22. prolixe testatur: *Consuluitq́*, (inquit textus) *Dominum super se & super populo suo, & super omni Iuda, de verbis voluminis illius, quod erat inuentum*; adiecitq́; Magna ira Domini succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, vt facerent omne quod scriptum est nobis.

EQ. Deprauata fuerat anteriorib. seculis, regum Israelis & Iudæ diffidētia, Religionis puritas; qua deprauatione ingentia vtrobiq; sibi acciuerunt mala, regniq; decrementum. Extant econuerso insignia exempla hominum, qui Deum vere inuocarunt, qui maxima regna gubernauerunt, alii aliis ætatibus: quia Deus voluit subinde per aliquos suos cultores iuuari politias. Et minime dubium est, primos Patres in suo cætu, Adami, Enoch, Noham fuisse etiā politicos gubernatores, sicut traditur Nohæ lex de puniendis homicidis. Deinde Melchisedech expresse rex appellatur. Abraham etsi hospes fuit in alienis imperiis, tamen & reges aliquos Ecclesiæ adiunxit, & rexit ipse politico imperio suam familiam. Postea Ioseph non modo rexit, sed etiam nouis legibus regnum Ægyptium constituit. Quid? quod non solus Ioseph inter principes Ægyptios Deum recte inuocabat, sed eius gubernatio regem sua ætate regnantem & multos qui vna rempublicam regebant, ad agnitionem veri Dei pertraxit. Postea etiam Mosen & multos gubernatores in populo Israel Deo placuisse, nihil dubium est. In historiis etiam Euangelicis fit mentio centurionum aliquot, qui Euangelio crediderunt, imo in totam Cornelii militis Romani familiam Spiritus sanctus ingenti miraculo, perinde vt in Apostolos, effusus est. *Religionis puritas conseruanda.*

TH. Christus plantauit vineam Ecclesiæ suæ per omnes Monarchias potentissimas in mundo. Fuit enim in Ægypto domus Iacob Ecclesia Dei sanctissima, tum Iosepho administrante imperium Ægyptium, tum Pharaonibus impie bacchantibus contra Deum. Fuit Ecclesia in Babylonem translata & longe lateq; dispersa per regnum Assyrium & Medorum. Et clarior fuit Ecclesia in peregrino solo sub Ethnicis principibus, mirandis operibus Dei & copia prophetarum, quam in terra Iudææ, regnante Salomone. Deinde reuersis in patriam Iudæis, sub Græcorum, & Romanorum potestate, Ecclesiæ sanctitas & virtus magis emicuit, quam sub Macchabæis pontificibus simul & regibus, concessa iam libertate, & fœdera iungentibus cum Lacedæmoniis & populo Romano.

EQ. Tanta autem est veræ religionis vis, vt etiam hostibus sæpenumero sit formidabilis. Dabo exemplum. Obsederat Alexander Magnus Tyrum, Iudęæ finitimam, ceperatq;. In ardua & longa obsidione, auxilia à Iudæis petierat; repulsus: quia cū Dario vetustius iis fœdus erat. Iræ igitur plenus, & (animos victoria fecerat) mouit in Iudæos, vlcisci certus: & prædę ac cædi omnia destinabat: venitq; ita affect⁹. Sed Iaddus, tūc Pōtifex diuinitus somnio monitus cū

omni

omni populo candidato, cum cætu Sacerdotum Byssino, ipse in hyacinthina stola tiaram capite, & in ea Dei nomen gerens, obuium se dedit, pacis specie atq; habitu. Atq; ita ferocē regē religio obiecta mouit, vt statim initis submissisq; ad Pontificem vltro accederet: & ipsum salutaret: & MIRABILE illud nomen adoraret. Mirati Comites: quidam & indignati: à quibus Parmenio regem adiit: Quid ita hominem adoraret, qui ipse passim iam pro Deo esset? Respondit, non illum se, sed in ipso Deum adorasse: quem ea specie, iam ante, in vrbe Dio Macedoniæ, per somnium vidisset, hortantem, vt prompte in Asiam pergeret, sua ope & numine eam subiecturus. Hæc Alexander: & vrbi ac genti veniam, quid veniam? præmia atq; honores tribuit: & immunes suisq; legibus viuere iussit: & quosdam in militiam suam allegit. *Sic recenset Lipsius.* Extat aliud Antiochi Syriæ regis in eadem gente factum simile, imo à se si nō ab auctore illustrius. Obsidebat Hierosolyma, in vna vrbe bellum patraturus: & ecce festum magnum, Iudæi Scœnopegiæ, siue Tabernaculorum celebraturi erant. Gens nec in afflictis rebus cultum Dei deseruit, & legatos ad Antiochum misit, sine alio colore petitum septem dierum inducias, vt operari sacris magni Dei possent. Magnus ille Deus pectus mouit. Nec petita modo rex indulsit: Sed ipse ad eius cultum versus, boues auratis cornibus, magnam thuris & odorum vim, deduci ad portas iussit: ac sacerdotibus tradita immolari. Quid magis mirer? an victoriæ interpellatæ patientiam? an sacra non solum permissa, sed instructa? sacra, quæ contra se conatusque suos suscipi sciebat, fortasse & caput suum iis peti. Sed fructus, vt solet, pietati adfuit. Et Iudæi moti inopinata benignitate, finem certaminis, initium amicitiæ fecere: ac se suaq; Antiocho permisere. *Idem Lipsius.*

Religionis Summum studium, apud Ethnicos.

PH. Summum semper tuendæ ac conseruandæ Religionis studium etiam apud Ethnicos fuit, non eo tantum, quod religionis incolumitate, Reipublicæ salutem niti, sed quod arctissimo quodam naturæ vinculo, eius cultui obstrictos sese, atq; eos præsertim, qui ad imperii gubernacula sederent, iudicarunt. Testatum id nobis inter cæteros reliquit Plutarchus, Traiani Imperatoris præceptor eruditissimus *in lib. aduersus Colotem*, his verbis: *In legum constitutione primum est & maximum, de Diis opinio. Quamobrem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Ion antiquos Athenienses, & Deucalion Græcos fere vniuersos Diis consecrarunt, votis, sacramentis, vaticiniis, omnibusq; eos ob spem ac metum diis deditos obnoxiósq; reddentes. Et si terras obeas, inuenire possis vrbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numismate carentes, gymnasiorum & theatrorum nescias: vrbem templis diisque carentem, quæ precibus, iureiurando, oraculo non vtatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris auertere nitatur, nemo vnquam vidit. Sed facilius vrbē condi sine solo puto, quam opinione de Diis penitus sublata ciuitatem coire aut constare.*

EQ. Indorū monumentis proditū est Peruanos Reges, quos vocabāt Ingas

cum

cum primum regionem aliquam ad ditionem suam armis adiecissent, distributis in tres partes vectigalibus, primam cultui deorum ac templis solitos dedicare, quod sperarent fore, vt Numinum beneuolentia, tanto pietatis officio conciliata, facilius imperia sua tuerentur, ac propagarent. Atq; hinc à Papiniano legum scientia clarissimo viro, *in l. & si quis, ff. de relig.* verissime dictum est: *Summa ratio est, quæ pro religione facit.*

PH. Aristoteles *lib. 7. Polit. cap. 8.* explicans ea, sine quibus nec ciuitas, nec eius administratio stare potest, alimenta primum ponit, deinde artes, tum arma, pecuniarum facultatem, iudicium pro vtilitate & iustitia contrahentium, præcipuum vero circa rem diuinam cultum, quod sacrificium vocant: dicitque *libr. 5. cap. 11.* Principi pietatem erga Deos retinendam esse. sic enim populi de illo bene existimant, de iniuriis sibi non timent, eius vitæ non insidiantur, quod cum pius sit & Dei amicus, Deum habeat defensorem. Hinc sapienter à Platone *libr. 4. de legib.* scriptum est: *Ante omnia Deum inuocemus, vt ciuitatem nostram stabiliamus, obsecremusque, vt nos exaudiat & nobis propitius sit, atque benignus ad nos veniat & leges ipse nos doceat, nostramq; ciuitatem adornet.* Nam sicut bestiæ (inquit idem Plato, *libr. de regno*,) animantesque rationis expertes sui curam habere nequeunt, neque se ipsæ per se regere possunt, sed ad illas conseruandas regendasque hominis prouidentia & directione opus est: ita homines ad felicitatem suam dirigi non possunt, nisi Deus moderetur, & quasi manu ducat. Hinc Xenophon *in libro octauo de pædia Cyri.* Cambysen filio suo Cyro ad Astyagen auum proficiscenti grauiter sic loquentem introducit: *Hoc vnum præcipue commendo, idque tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tua memoria perpetuo recondi cupio,: Dei esto amicus, in eundem pius, nihilque aggrediaris, nisi Dei Numine implorato: Imbecilla enim est & hebes mortalium natura: nihil Dei sapientiam latet, omniaque ex sententia iis cedunt, quibus illa præsto est.* Quæ præterea admonitio tam alte filii animo insedit, vt non absque admiratione passim lectoribus inculcet Xenophon, qua pietate Cyrus Deos coluerit, & quo studio ac diligentia operam dederit, vt votis, precibus, sacrificiis placaret, siue antequam consilium iniret, bellone lacessendus esset hostis, siue post decretum bellum, priusquam militares copias in expeditionẽ educeret, & acie cum hoste confligeret. Isocrates quoque ad Nicoclem regem scribens, eique de regno conseruando præcepta tradens: *Religionem*, ait, *quam à maioribus accepisti, conserua, solemneque & pulcherrimum sacrificium & cultum maximum existima, si ipse sis optimus & iustissimus. Maior enim spes est eiusmodi boni aliquid à diis impetraturos, quam qui aras delubraque ædificant.* Hinc est, quod Cicero *libro 3. de natura deorum*, asseuerare non dubitat, Romulum auspiciis, Numam sacris constitutis, Romanæ ciuitatis fundamenta iecisse, quæ nunquam profecto sine summa placatione deorum immortalium tanta esse potuisset. Eodemque in libro profitetur, eandem vrbem diligentius religione, quam ipsis mœ-

 nibus

nibus cinctam fuisse. Quod ipse Numa videtur innuisse, dum cuidam dicenti, *Hostes, Numa, aduersus te bellum parant*, ita respondit: *Et ego diis sacrifico.* Id nimirum significans, cœlesti præsidio magis, quam militum robore & armis, hostium copias fundi atq; vinci, & rempublicam conseruari. Proditum quoque est à Plinio Numam exinde Pompilium II. Romanorum Regem, ferum populum *Religionis institutione, & vtilibus legibus domuisse summaq́; Regnum pace formasse, vt pendente eius regno nemo illi bellum mouerit.* Nimirum id effecit, vt quos ratio ob innata feritate & barbarie non poterat, eos Religio ad humanitatis officia reduceret. Cæterum, teste Gellio *ex Varrone lib. 14. c. 7.* eorum quæ religionis erant, tam studiosi fuerunt Romani, vt quotiescunque cogebatur Senatus, nulla de re prius ageret, quam de religione. Quæ lex ita erat solennis & sancta, vt nulla res, neq; tam grauis, neq; tam repentina accidere posset, nulla quæ tantam celeritatem ad deliberandum exigeret, vt hunc proponendi, agendiq; ordinem peruerteret, vt religionis maiestas non cæteris tantummodo rebus, sed ipsis etiam consiliis publicis præferetur. Addit præterea Suetonius, Octauium Augustum legem sanxisse, quæ iubebat; vt priusquam Senatorem quisquam cõtuleret, thure ac mero supplicaret apud aram eius Dei, in cuius templo coiretur. Non enim Senatus, nisi in templo alicuius Dei haberi poterat. In quam curam ea de causa potissimum incubuere, quod, vt Plutarchus *in vita Marcelli* testatur, existimabant Romani, ad conseruandam Remp. plus Religionem quam arma valere, maiusq; diis venerandis, quam hostibus delendis robur inesse.

Religionis in astimatio. EQ. Quo magis deploranda est multorum Principum hodierni seculi socordia, qui plerumq; nihil minus quam de religione sunt soliciti. Siue enim spectes publica comitia Imperatoria, siue particulares multorum, aut etiam paucorum conuentus, vix tamen, ac ne vix quidem ad qua suscipitur Religionis deliberatio, aut, si mauultis, delibatio: & si qua omnino, illa tamen eousq; differtur, dum iam singuli se parant ad abitum, aut pleriq; etiam tum discesserunt. Hinc quoq; etiam in peius ruere, mirũ non est; & quod Horat. *lib. 3. Carm. Od. 6.* de calamitatib. quas importarit Italię religionis neglectus conqueritur,

Dij multa neglecti dederunt
Hesperie mala luctuosa.

Itemq; Symmachus vir patricius apud Imperatorem Valentinianum: *Sacrilegio hic annus exaruit; necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur.* Idem nos sero tandem sapientes, serio deplorabimus.

TH. Addo tuæ nostræq; vtrobiq; sententiæ adstipulatorem, Lactantiũ Firmianum *lib. 5. inst. c. 8.* quem pro omnibus citasse sufficiat, cuius illa sunt verba: *Ideo mala omnia reb. humanis quotidie ingrauescunt, quia Deus huius mundi effector & gubernator derelictus est, quia suscepta sunt, contra quam fas est, impia religiones: postremo, quia ne coli quidem, vel à paucis Deus sinitur.* Proindeque hæc Alphonsi X. regis Hispa-

Hispaniarum cōmendata nobis vox fit: *Rerum omnium principium, mediū ac finis Deus est, fine cuius nutu nihil prorsus consisteret; uncta namq; diuina potestate facta sunt, reguntur sapientia, bonitate conseruantur. Quisquis ergo bonum aliquod opus aggressurus est, exordium sumat à cœlesti Numine, supplexq; petat, vt eius voluntatem intelligere possit, viresq; sibi subministret, quibus coptum feliciter absoluat.*

Cæterū q̄ si Romanorū olim alia. ūq; nationū Principes, tanti superstitiones suas f cere, ac Deos, inanes illos, turpes ridiculosq; & abiectos, Florā scortum, Priapū sal acē Iouem adulterū; Ægyptij (quod Cicero *lib. 5. Tusc.* de iis tradit) q̄uis carnificinam prius subierunt, q̄ Ibin aut aspidem, aut felē, aut canem aut crocodilū violarent; quorū ētsi impudētes quippiā fecissent, pœnā nullā recusabant; & si q̄ alii alii monstra coluerunt, quantū curæ magistratui Christiano adhibendū est, vt præpotenti, veroq; Deo pura mente seruiatur eiusq; sanctissima atq; castissima religio, Doctore Christo nobis tradita colatur diligentissime; eoq; vel potissimū q̄ cœlitus ad nos delapsa est: *vnigenitus .n. qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Ioh. 1.* hoc vnico duntaxat Magistro diuinam potuimus accipere disciplinam; proindeq; vt Hilarius ait: De Deo soli Deo credendum est. Vt enim *nemo scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso: ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. 1. Cor. 2.*

PH. Vere ais. Hanc .n. (Christianam religionē,) nec humana ratio, nec Philosophorum à nobis patefecit industria. Nam priusquā ex hominū pectorib. ignorantiæ tenebras admirabile Euangelii lumen discussisset, tot muti & inanes dii colebantur, vt numerū inire difficilimum sit; adeo vana & præter ordinem cuncta tradebant, qui habebātur magistri ac professores sapientiæ, vt ab vera vitæ humanæ regula, nempe vltimi finis summiq; boni cognitione, tota via deflecterē. Christo ergo mysticæ huius cognitionis reuelatori vnico, imo potentissimo Imperatori, imo Pontifici Maximo, quē ēt ipsa cælitus demissa vox. *Hunc audite*, serio nobis cōmendat, addita grauissima interminatione, quā D. Petrus ex Deuter. allegat: *Omnis anima quæ Prophetam illum non audierit, extirpabitur è populo*, imo quē vt principes cumprimis osculentur, Dauid *Psal. 2.* præcipit, Christo, inquam, vt se submittant Principes, è re ipsorum est omnimodo futurum.

Religionis Christianæ dignitas.

EQ. Narrant Philippum Arabem primum ex Imperatorib. Romanis factū esse Christianū. Cumq; in Paschate ad Cœnam Dñi accessurus esset, non admissus est ab Episcopo Rom. Fabiano, nisi prius inter cæteros, quorū explorabatur pœnitētia, in tēplo staret: sicut mos fuit: eos manifestorū scelerū per aliquot dies stare certo loco, & egredi ex templo ante administrationē Cœnæ Domini. Postea, cum viderentur se emendationem promittere ad Cœnā Domini admittebantur. Alexander Seuerus Imperator Romanus, Christi dictum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, vt regulam omnium legum & actionum, & consiliorum secutus est: fuitque princeps laudatissimus, & reipub.

Principes Christiani qui primi fuerint.

inprimis salutaris. Huic se cum toto Imperio Romano addixit Constantinus Maximus, qui palatium Lateranum & templum in eo constructum, & totam vrbem Christo dedicauit: qui Constantinopolim dedicans, aduocatis sanctis Patribus Niceni Concilii Christo consecrauit, & in eius tutelam posuit Imperium, qui labarum & vexillum Romanum in formam salutiferæ crucis Christi transformauit. At Christi leges Iustinianus per homines eruditos ius Romanum correxit, & emendauit. Ex Iesu Christo sanctissimo Romanum imperium accepit, quantumcunque habet sanctitatis, victoriæ, opum, virtutis, felicitatis. Huic optimo Regi & Pontifici obedire & in fidem ipsius, atque gubernationem sese penitus coniicere, honestissimum & salutare est cunctis principibus & populis, & singulis hominibus. Repugnare autem & Monarchiam orbis Christiani totius moliri, quocunque prætextu, turbare est ordinem diuinum, & labefacere ciuitates, & conari quod assequi nemo potest, & θεομαχεῖν, atque cum ipso Deo bellum gerere: quod nullus impune vnquam tentauit.

Principes religionis curam habeant.

TH. Religio non solum à Principe est colenda, sed legibus etiam firmanda & tuenda inter subditos. Sublata enim ea ex ciuitate, tota etiam Respublica pereat, necesse est; quum omnibus vitiis sceleribusque detur licentia. Vnde vel ea de causa religionem Reipublicæ Varro putabat pernecessariam esse, vt de illo refert Augustinus, quod populus metu deorum iniecto, legibus & magistratui citius pareat. Constituta igitur legibus religione ac firmata imperio, tantum à principe curæ in ea tuenda adhibetur, vt ne occasionem quidem illius prætermittendæ aut negligendæ permittat, aut impios homines impunitos per negligentiam remittat.

PH. Id vero dissuadet Machiauellus *in libro de Principe*, posse enim principem ac debere his sese difficultatibus exonerare, quin belle esse functum officio, si foris speciem tantum Religionis retineat, etiamsi domi minus pensi habeat eius cultum: satis superque esse, si bonam de se concitet opinionem, quo plebeculam simulatione incautam decipiat, remque suam occultis vaframentis augere cumulareque possit.

TH. Profana atque impia plane hæc est sententia, quam etiam ipsi Ethnici explosissent, qui quantam Religionis habuerint rationem, paulo supra à nobis dictum est. Negat Cicero, in bonum virum cadere, mentiri emolumenti sui causa, *lib. 3. de offic.* asseritque alibi: *Totius iniustitiæ nullam capitaliorem esse, quam eorum, qui tum cum maxime fallunt, id agunt, vt boni viri esse videantur.* Verum, quid de his falsitatis figulis tradat Lactantius, *lib. 6. Institut. cap. 6.* audiamus: *Quidam, inquit, probitate ficta, viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa, quæ boni solent, eo quidem promptius, quod fallendi gratia faciunt. Vtinamque tam facile esset præstare, quam facile est simulare bonitatem! Sed ii cum esse cœperint propositi ac voti sui cōpotes, & summū potentiæ gradum ceperint, tum vero simulatione deposita, mores*

mores suos detegunt: capiunt omnia, & violant, & vexant, eosque ipsos bonos, quorum causam susceperant, insequuntur, & gradus, per quos ascenderunt, amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. Itaque bene *lib. 5. cap. 8.* concludit: *Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescunt, quia Deus huius mundi effector, ac gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ Religiones: postremo quia ne coli quidem vel à paucis Deus sinitur.* Nihil profectò magis proprium temporibus nostris dici potest.

EQ. Laudatur summopere, quando in periculis potior religionis, quam propriæ salutis est ratio. Exempla, quod dico, confirmabunt. Romani in arce Capitolina obsidebantur à Gallis, clausis vndique viis, nec aditu, nec exitu: quem tamen Religio inuenit: quæ nihil deterrita, Q. Fab. j. pectus impulit, sacra solennia & familiaria in colle Quirinali, stato die obire. Is cum adesset ipse cultu habituque sacro degressus, per medias hostium stationes, itum tutum & reditum habuit: siue attonitis illis inopinata audacia: siue religione etiam motis, ne pietati intercederent, quam nec præsens periculum, nec mors in oculis impedissent.

Pausanias quoq; Spartanorum rex, & Græciæ tunc totius Dux, in pugna nobili ad Platæas cum Persis, in qua de Græciæ salute agebatur, ingruente iam hoste & lacessente, multosque insuper telis configente, suos continuit, donec per sacra & victimas Dij consulti pugnæ annuissent. Quantus ille fuit animus? quam fixus obnixusque in ceremoniis patriis? qui vel internecione cædi eligebat, quam diis inuitis ferrum stringere?

TH. Quid vetera commemoras, cum habeamus recentia. Ioannes Fridericus, Saxoniæ Elector, etsi sciret, Cęsarem cum exercitu ad ipsum opprimendum aduentare, nec procul à Mülberga abesse: prius tamen, cum is dies esset Dominicus, quo in Ecclesia de bono Pastore, ponente pro ouibus animam suam, tractari solet, sacris interesse voluit. Captus deinde potius de vita periclitari voluit, quam religionem & doctrinam Euangelij abnegare.

PH. Victorem debueras dicere, aut maxime victoris cuiusdam in consimili religionis negotio exemplum allegare, non captum. Captio enim malum ipsius causæ est indicium, malum omen.

EQ. Ridiculus es & indiscretus, quoad isthæc quidem negotia bellica. Nosti vulgatissimum illud: *Ne sutor vltra crepidam* (quam sententiam quidam nuper dictione *crepitum*, ridicule, insulse, indocte, doctus tamen videri volens, exprimebat) Nec Philosophus extra strepitum. Ac plerisq; sane Philosophis, qui siue sponte siue iussi in aciem prodierunt, in crepidis, hoc est, pedibus ac fuga spem posuisse literis atq; experimentis proditum est. Sed ad rem. Ludouicus, cui Diui prænomen virtus & merita pepererunt, Galliæ rex, anno 1227. Hic, inquam, Princeps, moribus optimus, iustitiæ tutor vnicus: histrionum osor, impiorum expulsor; arma pro religione bis cepit, at vbiuis

infelicite . Primo enim in Ægyptum traiiciens, rem infeliciter gessit, copiis, commeatu, machinis amissis: haud tamen animo. Iterumq; in Africam magno exercitu iuit, vxore, liberis, regno relicto: sed nec ibi felix; vitam enim ibi, etsi nō in acie, in expeditione tamen finiit. Ecquis vero exinde ipsius causæ indignitatem arguere vnquam ausus fuit? Cæterum illa captionis exagitatione, è memoria mea fricas ridiculam quandam historiolam, de causa captionis, flagellationis & crucifixionis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, quam me puero recenseri memini. Cum aliquando rusticus, cui durum admodum erat toto quadragesimali tempore à carnibus abstinere, causam huius (quod ab antiquo vocant) carnispriuij, à sacrificulo quodam sciscitaretur, adderetque indignum sibi videri, quod homines tantopere ad eius obseruationem astringantur, cum tamen ipsum Christum, Dominum nostrum, vna cum ipsius discipulis, durantibus quadragesimæ diebus, carnes & quidem assatas (agnum quippe Paschalem assatum) comedisse constet. Ad quæ sacrificulus cum quod responderet expedite non haberet; Et tu vero, inquit, insulse rustice annon ex concionibus meis quadragesimalibus meministi, in quantas ipse Christus vna cum discipulis suis, postero mox ab esu carnis die, angustias coactus fuerit, dum Christus captus ab omnibus illusus, flagellatus, imo crucifixus fuit, discipuli vero omnes hinc inde cum trepidatione palantes ac diffugientes vix mortem effugerunt. En tu insulse rustice, eo ipso quod in medium protulisti exemplo te constringo, annon comestionis carnium tempore quadragesimali, pœnas dederunt præsentissimas? Et sic magistraliter dissolutum fuit obiectum, & rusticus abiit pudibundus. Sed hæc pungunt.

Principum Christianā fidem propagantium apotheosa.

TH. Noli irritare temere crabrones; interim redeo ad institutum. Ac sunt profecto, quod paulo ante à nobis dictum est, vt omnium celebrentur ore, dignissimi, quibus nulla potior quam de constituenda ac promouenda religionis Christianæ puritate, cura est. Vocantur hi in S. Scriptura Angeli Dei, sicut Rex Dauid, 2. *Sam.* 14. *verſ.* 17. & 2. *Sam.* 19. *verſ.* 27. Vocantur Saluatores. Sic enim *Iud.* 3. *verſ.* 9. & *Neh.* 9. *verſ.* 27. legitur: *Iſraelitis preſsis Deus ſuſcitauit Saluatores; liberantes eos de vaſtatorum manibus*, *Iud.* 2. *verſ.* 19. Sicut Deus per Iosephum saluos fecit populos, *Geneſ.* 50. *verſ.* 20. Et per Naeman dedit salutem Syriæ, 2. *Reg.* 5. *verſ.* 1 Vocantur Dij: *Deus ſtat in Synagoga Deorum. In medio autem Deos diiudicat, &c. dicens: Ego dixi, vos dij eſtis, &c.* Psalm. 82. vers. 1. Vnde Deus mandat: *Si duo inter ſe contendunt, vtriuſque cauſa ad Deos perueniat*, Exodi 22. vers. 19. Vocantur pastores hominum. Sic namque Deus Cyrum alloquitur: *Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*, *Eſa* 44. *verſ.* 28. Conferuntur horto concluso, & paradiso malorum punicorum, &c. *Cant.* 4 *verſ.* 12. 13. Item: vineæ plantatæ, quæ faciat frondes, &c. Ezech. 17. vers. 7. 8. Item annulis signatoriis. Sic namq; ad Zorobabel Dominus: *Ponam te quaſi ſignaculum, qua*

quia te elegi, Agg. 1. v. 24. Vnde vocat eum annulum in manu dextra, *Syr* 49. v. 13. De his idem Syracides cum gaudio & congratulatione proclamat: *Laudemus, inquit, viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à seculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua praditi, nunciantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in praesenti populo, & virtute prudentia populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: & sunt quorum non est memoria: perierunt quasi qui non fuerint: & nati sunt quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordia sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, & hareditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filij eorum propter illos vsque in aeternum manent: semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum viuit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Ecclesia.*

EQ. Notabile est quod de Rege IOSAPHAT prodidit sacer Codex: *Fuit*, inquit, *Dominus cum Iosaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris sui primis, & non sperauit in Baal, sed in Deo patris sui. & perrexit in praeceptis illius, & non iuxta peccata Israel. Confirmauitque Dominus Regnum in manu eius: & dedit omnis Iuda munera Iosaphat: factique sunt ei infinita diuitia & multa gloria* 2. Paral. 2.

Et Ocellus ille diuinus DAVID simul inauguratus fuit, de reducenda arca temploque aedificando piam cogitationem suscepit; moribundus autem ad filium Salomonem dixit: *Proficere poteris, si obserues mandata atque iudicia qua praecepit Moyses.* Hic igitur patentis praecepto obediturus, à Deo Sapientiam precatur, Dei templum magnificum exstruxit, religionem amplificauit, viginti quatuor millia Leuitarum constituit. At vero, postquam mulieres paganas & idolatras deperire coepit, iisq; sese iungere, idolaq; earum venerari, iratus Dominus dixit: *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & praecepta mea, qua mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verumtamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed Tribum vnam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, & Ierusalem quam elegi.* Quin etiam diuersos inimicos excitauit Deus, qui contra Salomonem rebellarunt, & Ieroboam dedit decem Tribus Israelis.

TH. Pietas ergo, religionis assertio, sacrorum tuitio, aeternam solent conciliare famam & potentiam. Testanturq; historiae, qui veram religionem propagare & instaurare conati sint, singulari modo à Deo euectos & protectos fuisse. Hoc ipse Deus dicit 1. Sam. 2 *Glorificantes me glorificabo.* Et Paulus 1. Tim. 4. *Pietas ad omnia vtilis, habens promissionem praesentis & futura vita.* *Pietatis & religionis deuotionis praemia.*

Constantinus Magnus ante Principatum affectum aliquem, & iam Princeps amorem erga Christianam religionem ostendit: templa diis clausit,

Christo

Christo aperuit: & omni vi atq; arte hoc nomen & Numen iuit propagatam. Annon se vna? imperium turbidis illis temporibus, & seditioni factis, firmiter ad senectutem tenuit, & suis adeo reliquit. Prospera multa bello gessit: veterem Romam tenuit, & nouam struxit. Hæc omnia cui accepto, nisi Religioni atque eius tutelæ, referat?

Rodolphum Austriacum (an. 1273.) annon his accensebimus. Venatum forte, vt nobilitas illa & nostra solet, cum paucis in equo exiuerat. Pluuius dies erat: & viæ fractæ & sordentes: ecce occurrit sacerdos, venerabilem & mysticam hostiam, extremum solatium ægro laturus: & occurrit pedes. Is aspectus pium pectus perculit: nec sine indignatiuncula aliqua equo desilit: &, Me vehi, te qui seruatoris mei sacramentum portas, pedibus incedere? indecorum vel impium sit: conscende, & equum hunc cape. Iussio, non preces erant. Paret ille: & iste capite reuelato humilis sequitur: ad ipsas ædes ægri deducit: ab iis eodem habitu reducit. Iam domi & apud se sacerdos erat: qui officio attonitus, & mente à Deo mota, abeunti benedixit: & simul Imperium ipsi posterisque prædixit. Alij tamen ad Sueuicam vatem hoc referunt: quidam & somnio sequentis noctis edoctum ipsum volunt. Vnde vnde prædictio: & res illa certa, & rata ista fuit: ac fidem etiam nunc ab euentis habet. *Lipsius in mon polit. cap. 2.*

EQ. Extant & aliorum quoque summorum Imperatorum quoad pietatis iuxta ac Christianæ Religionis negotium exempla laudatissima.

Mos fuit Theodosio mane precationes dicere, & Psalmos canere cum coniuge & sororibus. Habuit autem coniugem Εὐδοκίαν filiam Leontij Philosophi Atheniensis, adeo eruditam, vt Poemata scripserit de victoria Arcadij, & de victoriis mariti. Ab ipsa dicuntur esse congesta ὁμηρόκεντρα. Scripsit Theodosius sua manu libros noui Testamenti, quorum aliquam partem quotidie legit. De dogmatibus cum doctissimis viris ita disseruit, vt intelligi posset, eum non inferiorem esse eruditione. Bibliothecam Byzantij vndique veteribus libris Ecclesiasticis & Ethnicis coemptis valde auxit. Talis cum domi esset, tamen & militiæ labores patienter tulit.

Quandocunq; Carolus Magnus fuit in vrbibus, accessit ad Psalmodiam, vt historia nominat, & vna cecinit ipse, & filiis & principibus distribuit lectiones canendas, & precationem suam cum piis serio coniunxit. Quam pulchrum exemplum fuit toti orbi terrarum, tantum principem acie iam dimicaturum stare in templo, & se & Ecclesiam & imperium Deo commendare, & precationem cum piis omnibus coniungere ipsum Imperatorem, & filios virtute præstantes, & duces omnes cataphractos in panopliis distinctis auro, & ferro, & ad cœnam Domini reuerenter accedere.

TH. Quo quis generosior, eo religiosior. Atque hinc etiam bonæ notæ Principes semper sacrorum antistites magnifecerunt, honorauerunt, audiuerunt.

runt. Alexander Seuerus tanti eos fecit, vt iudicatas à se caussas, à Pontificibus atque Auguribus retractari, atq; aliter quam ipse censuisset, terminari, æquo animo pateretur. Bona hæc fuit submissio, quæ non minuit, sed auxit Principale culmen. Et Robertus Galliæ rex, qui vixit anno Christi 997. quam eosdem honorauit, & misceri eis, honorem suum putauit? scholas & templa adibat; locum inter eos sumebat: nec orabat solum cum iis, sed in publico psallebat. Quin & cantica eius sacra, quæ composuit edidit que, Ecclesia etiam nunc vsurpat. Vir demissæ & raræ sanctimoniæ: cui Deus etiam miraculo attestatus est: cum Auallonem vrbem eo obsidente, muri sponte corruerunt: ipso interea laudes hymnosq; cum sacerdotibus in tabernaculo concinente. *Religionis præcones in pretio habendi.*

EQ. Carolus Magnus deuictis inter initia belli Saxonibus duobus prælis, paulatim progressus, vt de vero Deo gens Saxonica recte doceretur, & assuefieret ad veram Dei inuocationem, cuius rei causa bellum tantum susceperat, destruxit & sustulit Idola in aliis locis alia, ad quæ fiebant concursus, & condidit Ecclesias, quarum curam & gubernationem commendauit Episcopis viris piis & sanctis. Primo vltra Visurgin occidentem versus, peculiarem Episcopum collocauit Osnabrugi, citra Visurgin alium, in oppido quod nominant Historici Selingstet. Vnde postea sedes Episcopalis translata est Osterwigum, & inde Halberstadium. Ac memor dicti Esaiæ, *Reges erunt nutritores tui*, Ecclesiis attribuit certos reditus, quibus Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ, & aliæ paupetes familiæ alerentur. Id factum scribitur circa annum Christi septingentesimum septuagesimum sextum. Constituit aliquando post plures Episcopos alibi, extructis ac distinctis Ecclesiis, & reditibus destinatis, vnde sustentarentur: vt Padebornæ, vbi audiuit legatos missos ad se à Regibus ex diuersis partibus orbis terrarum. Item in oppido Mingeroda, de cuius translatione extitit Monasteriensis: Hildesij, Bardouici, vnde Werdam commigrauit. Adiunxit autem docentium & discentium Collegia, sicut adhuc testantur distincta Canonicorum nomina. In Collegio Hildesiano scribunt educatum esse & institutum Henricum Sanctum. Bremensem Ecclesiam condidit anno à nato Christo septingentesimo, octogesimo octauo, cui Episcopum præfecit Wilhadum, natione Anglum. Mindensem aliquanto ante fundasse memoratur anno septingentesimo, octogesimo quinto, quo Widechindus deposita cum armis superstitione Ethnica, suscepit professionem religionis Christianæ.

Fridericus tertius Princeps Palatinus, Elector, nunquam ita Reip. negotiis tractandis defessus & debilitatus, ita rebus aulæ suæ occupatus, ita pietatis negligens & oblitus visus est, quin vespere aut prima luce nobilibus suis pueris, cubiculariis, administris & satellitibus aliquod sacræ scripturæ caput proponeret, & vna cum ipsis ad *Deum Opt. Max.* pro beneficiis acceptis laudes, gratias & preces peroraret. Is tantum sacras literas legendo, euoluendo & meditando

tando profecit, vt nulla esset rerum diuinarum historia, quam non ille memoriter narrare posset: vt nullus sacræ scripturæ locus aut nodus esset, quem non ille vel ex tempore, si necessitas requireret, interpretari & dissoluere valeret, vel, si quid doctrinæ abditum retrusumque lateret, elicere & enucleare, vt nullum esset Christianæ religionis caput aut membrum, de quo non cum aliis etiam in Principum comitiis conferre soleret, & recte iudicantes laudaret & excitaret, aberrantibus vero Christianę veritatis & religionis viam monstraret & aperiret. Iisdem studiis si cæteri etiam occuparentur Principes, &, quotquot in Magistratu sunt, felicius res Christianæ cederent. At quia in horum locum cæca libido, insanum aleæ studium, Sybariticæ mensæ, venationes immodicæ, verbi Dei & sacrorum omnium contemtus & insatiabilis bellandi rabies successit, parum ab huiusmodi principibus sperare licebit, quod vel publ. saluti, vel Ecclesiarum reformationi & gloriæ Dei seruire possit. *D. Lud. Lauat.* in lib. Hesth. Homilia 30.

Principes lectionibus sacris incumbant.

PH. Laudatur SCIPIO Africanus, qui semper in manibus habuit libros Xenophontis, de Cyri disciplina. Commendatur AGESILAI Spartanorum Regis diligentia, quod nunquam cubitum ire, nunquam è lecto, cum surrexisset, prodire, aut aliquid agere solitus fuerit, quin prius aliquid in HOMERO legeret: Proinde magis laudandi sunt illi, qui libros Propheticos & Apostolicos nunquam de manibus deponere, & præcipua diligentia solent cognoscere, qui doctrinas maxime vtiles Gubernatoribus inprimis continent, vt in illustres imagines piorum Principum intuentes omnia consilia, & actiones referant ad illustrandam notitiam Dei, & ad ornandam gloriam eius, & sic affecti sint, vt cupiant posteris relinquere Ecclesiam recte constitutam, & tranquillam.

EQ. Dabo commonefactionem à re & scientia militari. Vegetius de re milit. & profanis illis disciplinis loquens, affirmare veritus non est: *Nullus est, quem oporteat, vel plura, vel meliora scire, quam principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis*: quanto magis existimabimus, reges & principes ea doctrinæ veritatis cœlestis cognitione præ reliquis instructos esse oportere, vt censuram ipsi instituere & agere possint, quasi verbi diuini pabulo ab Ecclesiarum pastoribus pascantur subditi, pro quorum salute recte administrata, coram tremendo illo tribunali Iesu Christi aliquando illi respondere, rationemque reddere tenentur?

Religionis cura Principibus incumbit.

TH. Cura certe instituendæ seu instaurandæ iuxta verbi Dei normam, ac tuendæ religionis ad Magistratum pertinet. Psal. 2. 12 *Osculamini filium & seruite Domino in timore*: Psalm. 24. 7. *Attollite ô portæ capita vestra, & eleuamini portæ mundi*, id est, aperite portas vestras ò principes, vt Rex gloriæ ingrediatur: Portas enim nominat ipsa imperia adeoque ipsos reges, Principes & Magistratus, quia olim iudicia in portis exercebantur. Quare & *Deut.* 17. 18. Regi præcipi-

ir vt volumen legis secum habeat, legatque semper; & ideo Regi Ioas, um inaugurraretur, datur legis codex Dei in manus, 2. *Paral.* 23. 18. & ob d præcipue Magistratus minister Dei à Paulo vocatur, vt veram religionem curet.

Sic enim Moses supremus Israelis Magistratus personam non sacerdotis, quæ Aaroni incumbebat, sed sublimioris potestatis, regiæ similem gerebat, omnemque in populo Dei religionem sanciebat, ipsique Aaroni & Leuitarum ordini administrandi curam & leges præscribebat. Defuncto Mose cura religionis vna cum Magistratu deuoluta est, non ad Eleazarum sacerdotem, sed ad Iehosuachum filium Nun, de tribu non Leui sed Ephraim: huic mandabat Dominus, vt filios Israel secundo circumcideret, *cap.* 5. Erat autem Circumcisio signum fœderis Dei, omnino ad religionem pertinens.

Hoc idem euinco exemplo tum Samuelis, qui moderandæ religionis curam sustinuit: tum Dauidis Regis sedulo hac potestate, disponendæ ac custodiendæ religionis vtentis, Arcam Dei à neglectu vindicantis, 2. *Sam.* 5. Sacerdotes, Leuitas, cantores & ianitores, qui tabernaculo Domini ministrarent, constituentis, 1 *Paral.* 16. reliquaque munera religionis administrationo [redacted] is, 1. *Paral.* 22. 23 24. 25. Denique Salomonis, Asæ, Io [redacted]

Nec pio M [redacted] Achabi incidat, in quos vltio diuina animaduertit, quod nouos ritus impios & verbo Dei contrarios in Ecclesiam proprio arbitrio inuexerant: cum vl- [redacted] fectu & st [redacted] excogitantes Israeli obtruserant, 1. *Reg.* 12. & [redacted]

EQ. Certi quando Dauid portas iubet attollere capita, siue superiora limina, vt introeat Rex gloriæ, *Psal.* 24. *vers.* 7. & 9. dubium nullum est, quin omnes illos, qui clauum imperij tenent, admonitos velit, vt Christo ipsiusque Euangelio suis in ditionibus hospitium, atque halcyonia præparare curent. Estque valde emphaticum, quod eos admonet, vt filium osculentur, *Psalm.* 2. Apud Esaiam Prophetam Reges vocantur Ecclesiæ nutricij, & Reginæ nutrices, *cap.* 49. *vers.* 23. qua dulcissima appellatione Ecclesiæ omni humano præsidio vt plurimum destitutæ cura, atque clientela illis veluti tutoribus ipsius Dei voce commendatur. Proindeque abesse à nobis debet quam longissime profana illorum sententia, qui Magistratui & quidem Christiano vnicum illum atque vltimum finem debere esse propositum existimant: vt subditis externa felicitas atque tranquillitas procuretur: quorum vocem non aliter æstimare debemus, quam si Magistratum

bubulcum quendam atq; opilionem appellarent. Quemadmodum enim armentorum atq; ouium præfectus suo satis perfunctus officio, si de commodis & salubribus pascuis illis prospiciat, etiamsi cateruatim postea ad lanienam abducantur, ita eiusmodi homines, Magistratum officij sui partes peregisse omnes, existimant, si de corporum cura atque tutela subditis rectè caueat, etiamsi animæ eorum misere langueant, & in languore isto æternum pereant. Non ita statuebant pij Reges in populo Israelitico, Dauid, Iosias, Ezechias, alij: quin potius Ecclesiæ curam ad se spectare credebant quam rectissime, quippe cuius membra erant facile præcipua. Constantinus Magnus laudibus ob id deprædicatus maximis, quod edicto publico templa Idolis Ethnicorum consecrata occluserit, Christianis de libertate religionis cauerit, stipendia piis doctoribus constituerit, & propter hæresin Arianam Concilium Nicænum conuocauerit. Theodosium hoc nomine, commendat Ambrosius, quod morti vicinus potiorem Ecclesiæ, quam Imperij curam egerit. Iustiniani vox memoratu digna extat Nou.3. *Non minor nobis cura est horum, quæ sanctissimis Ecclesiis prosunt, quam ipsius animæ.* Carolus Magnus confecto bello difficili & diuturno, quo Saxones ad Christi agnitionem cultumque traduxerat, Episcopatus complures apud illos instituit. [redacted], in aperto est omnibus, idque nunc breuibus dicam.

[redacted]

Alæ (ciuit. Imperij) an.1575.
Aldenburgi, an.1528.
Argentinæ Missa intermittitur, an.1528.
Augustæ, an.1522.
Augustana confessio exhibita Cæsari, an.1530.
in Austria, an.1568.
in Badensi & Hochburgensi Marchionatu, an.1556.
in Badensi, an.1568. sed post biennium in hoc rursus abrogata, an.1570.
in Benthemensi Comitatu, an.1564.
in Borussia, an.1523.
in Brandenburgensi Comitatu, an.1539.
Bremæ, 1539.

in Brun-

in Brunſuicenſi Ducatu Grubenhagij ditionis, an.1534. D. Erici, an.1540. D. Henrici iunioris, an.1568.
Brunſuigæ, an.1528.
Buxthudæ, an.1543.
Concordiæ liber inſtitutus, an.1579. & in lucem editus an. 1580.
Cothuſij, in inferiori Luſatia, an.1537.
in Creichgoia primum prædicatur Euangelium, an.1521.
in Daniæ regno, an.1537.
Einbeccæ, an.1525.
Embdæ in Friſia, an.1540.
Eſslingæ, an.1533.
Goslariæ an.1522.
Gottingæ an. 1530.
Hagenoæ, an.1565.
Halæ Sueuorum, an.1522.
Halæ Saxonum an.1539.
Halberſtadij, an.1540.
Hailbronnæ an.1540.
Hamburgi, an.1522.
Hannoueræ, an.1534.
in Haſſia, an.1526.
Hildeſiæ, 1543.
Lemgouiæ, 153[illegible]
Lipſiæ, an.1539.
in Lippienſi Comitatu, an.1538.
in Lithuania, an̄.1540.
Lunæburgi, an.1530.
in Lunæburgenſi Ducatu anno 1522. D. Erneſti, an.1525.
in Magdeburgenſi ciuitate, an.15[illegible], in tota Diœceſi, an.1570.
Monaſterij in Weſtphalia, an.1532.
in Megapolitano Ducatu, an.1552.
in Miſnica regione, an.1539.
Norimbergæ, an.1525.
Oſnabrugg, an.1543.
in Palatinatu ſuperiori Neoburg. anno 1542.
in Palatinatu inferiori Electoratus, an.1546.
Paderbornæ, an.1532.
Proteſtantium origo, an. 1529.
in Pomerania, an.1534.
Quedlinburgi, an.1539.

Raceburgi,an.1566.
Ratisbonæ,an.1542.
Reutlingæ,an.1522.
Rigæ in Liuonia,an. 1522.
Rostochij,an.1522.
Sucrini,an.1517.
In Saxonia Electoratus,an.1530.
In Sueciæ regno,an.1528.
Trepte in Pomerania,an.1522.
Vallis Ioachimicæ,an.1533.
Vlmæ,an.1525.
Vratislauiæ,an.1568.
In Verdensi Ecclesia,an.1542.
Wismariæ,an.1535.
In Wurtembergico Ducatu,an.1536.reformantur monasteria,an.1550.
In Wisenstaig Comitatus Helffensteinij,an.1558. Sed post decennium abrogatur.

Quid?quod etiam inter fœminas seu virgines potius generosiores,Reformationis Ecclesiasticæ sanctam susceperunt curam. Enituit inter alias, Anna Abbatissa Quetlinburgensis,Wolfgangi Comitis Stolbergensis filia, quæ diœcesin suam rexit annis LVI.Hæc inquam,mortuo Georgio Duce Saxoniæ, collegii & vrbis Quetlinburgi patrono ac tutore, in omnibus templis [redacted] doctrinam publice doceri,& abusus [redacted] aboleri permisit.Obiit.an.1574.Sed nolo esse prolixior.

TH. Magnum mihi semper addidit in debili hoc corpusculo,animi robur Christianæ religionis constans assertio. Tua res (soleo ego,quoties mihi cum maiestatis Iesu Christi hostibus negocium est,cum exultatione subinde ingeminare,) ô Iesu Christe agitur,de tua certatur Maiestate & gloria. Hæc obfirmato plane animo in sinum Iesu Christi effundo; qua quidem animi constãtia,plirophoria fidei mihi alacriter crescit. Et sane omnes illi, qui Christo firmiter adhærent,in summis omniũ rerum angustiis incredibili demũ perfunduntur lætitia, atq; consolatione; non terræ motu,non fulmine,non prodigiis vllis aut monstris conturbantur. Nihilq; est quod animos illorũ conuellere aut labefactare possit.Sic est.n.institutus hominis Christiani animus, vt si orbem terrarũ bellis ardere videat, si omnia sibi pericula intendi,si cuncta incendio conflagrare atq; pene consumi,ipse tñ optima spe plenus constantiam retineat:nec vllo vnq̃ horrore perfundatur. Scit namq; esse se fortissimis copiis constipatum atq; communitum.Didicit è sacris literis, esse quosdam cœlestes exercitus,qui piorum hominũ salutem tueantur,& ab illis,cum cõ modum est,omnẽ impetum atq; furorem hostium propulsent. Hoc se præsidio valla-

Animi robur & auxilium diuinum ex religionis Christianæ assertione.

vallatum eſſe ſenſit Iacob, cum caſtra Dei ſe conſpicere teſtificatus eſt. Rurſus cum Syriæ exercitus Heliſæi capiti immineret, ipſiuſq; miniſter formidine perterritus opem imploraret, *Noli timere*, inquit Heliſęus, *plures enim nobiſcum ſunt.* Subiungit deinde ſacra hiſtoria: *Cumq; oraſſet Heliſæus, ait, Domine aperi oculos pueri huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri & vidit, & ecce mons plenus equorũ & curruum igneorum, qui cingebant Heliſæũ.* Atq; ne quis in paucos illud diuinum præſidiũ collatum eſſe putet, alibi de vniuerſis, qui pietatẽ colunt, Deũq; caſte & pure venerantur, ſic ſcriptũ eſt: *Caſtra poſuit Angelus Domini in circuitu timentiũ eum.* His igitur teſtimoniis, qui firmiſſimam fidẽ adiungit, ſeq; diuino præſidio munitum eſſe credit, trepidare metu non poteſt, ſed elato animo atq; cõfidenti id, q̃ alio in loco ſcriptũ eſt, vſurpabit: *Si conſiſtant aduerſum me caſtra, nõ timebit cor meũ. Si inſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Item illud: *Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Domini ſpem repoſitam habemus, ipſi conſtracti ceciderunt, nos autem erecti victoriam reportauimus.* Sic Conſtantinus Imperator, non tam numero militum aut robore exercitus aut bellandi ſcientia, quam Chriſti præſidio Maxentium ſuperauit, quem ita prima impreſſione metu perterruit, vt in fugam turpiſſimam verſum ad exitiumque præcipitem, Tyberis alueo demergi compelleret. Illum autem eximium terrorem hoſtium animis, ipſius Chriſti numen iniecerat. Cum enim Conſtantinus iam de Chriſtiana religione præclare ſenſiſſet, vidit eo ferme tempore, quo erat cum hoſte congreſſurus, æthere puro atque ſereno, crucis ſpeciem, diuino ſplendore coruſcantem, vocemque è cœlo miſſam accepit, quæ illi victoriam denunciabat, ſi modo crucem tanquam ſummi atque æterni Dei vexillum ſequeretur. Inde igitur omnibus regiis inſignibus crucis ſignum antepoſuit, in illo omnem ſpem non modo victoriæ, ſed immortalitatis & æternæ gloriæ collocauit: illo inſignitus hoſtium copias innumerabiles imperiumque Romanum lætiſſime propagauit.

Quid de Theodoſio dicam? qui cum Eugenio ita conflixit, vt facilime ſe Chriſti præſentis auxilio ſuperiorem eſſe cerneret. Quamprimum enim ſignis collatis cum hoſte conſeruit, excitati repente turbines vehementiſſime aduerſas hoſtium copias peruerterunt. & tela ab illis in Theodoſij exercitum coniuncta maximo impetu repulerunt. Meminit huius inſignis victoriæ Claudianus, dum ita ad Theodoſium ſcribit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Quid de Carolo Martello referam. Hunc certe ſine Chriſti præſentis auxilio, ſuſpicari non poſſum ab exiguis initiis ad tantam gloriæ magnitudinem perueniſſe; præſertim cum eas res geſſerit, quæ viribus humanis perfici nullo modo potuiſſent. Incredibile fortaſſe multis videbitur, quod eſt tradi-

traditum memoriæ, fuisse vno prælio ad trecenta septuaginta millia Arabum, virtute & auspiciis Martelli occisa, eo præsertim tempore, quo gens illa plurimum armis poterat, & cunctæ Africæ atq; Hispaniæ exitium & vastitatem intulerat. Mihi vero nihil minus admiratione dignum videtur. Nihil est enim tam arduũ atque munitum, quod non excellens virtus religionis studio confirmata expugnet & conterat. Simili religionis studio incensus Carolus Magnus omnium grauissima bella contra Christiani nominis hostes suscepit, quinetiam felicissime confecit.

Persecutorũ Ecclesiæ breuis catalogus.

E Q. Omnium huiusmodi Heroum ac fidei Christianæ propugnatorum memoria est in benedictione, quod paulo supra ex Syracide à nobis dictum est. Cæterorum vero qui sequiori fuerunt ingenio, Christique Ecclesiam maximis quibus potuerunt, affecerunt calamitatibus atque oppresserunt angustiis, memoria est in maledictione, ipsorumque animæ non requiescunt in pace, sed ardescunt in pice. Tales fuerunt inter cæteros, sub primis fere Christianæ fidei incunabulis:

Domitianus, qui multiplicem aduersus Christianos exercuit crudelitatem, quæ quidem proxima post Neronem in Christianos persecutio fuit, in qua & Iohannes Euangelista, cum Ecclesiam Ephesinam doceret, relegatus est in Insulam Pathmon.

Tales fuerunt Diocletianus & Maximianus, qui cum inter ipsos Christianos multa dissidia esse cernerent, diuulsos inter se facilius opprimi posse sperabant. Cumque essent etiam inter eos qui Christiani nominabantur, multi transfugæ & alii Sycophantæ, qui tanquam furiæ & ἀλάστορες incitabant & armabant Imperatores, propterea Christianorum conditio eo erat deterior. Conuenerunt ergo hæc duo καθάρματα Nicomediæ, & de delendis Christianis deliberarunt. Durauit hæc sæuitia circiter decennium, & numerari potest inter exempla diuturnæ crudelitatis præcipua, quæ Ecclesia sensit, qualem in Ægypto Pharaonum tempore, & deinde Antiochi experta est.

Atrocissimam etiam persecutionem contra Christianos Decius mouit. Occidit Romæ Fabianum Episcopum: In vrbe Hierosolyma Alexandrum: Antiochiæ Babylam senem, qui cum tribus filiis suis iussus est sacrificare idolis. Quod cum facere recusarent, ducti sunt ad supplicium pater & tres filii. Cumque supplicio afficiendi essent, pater petiuit prius interfici filios, ne spectantes patris necem fierent languidiores. Ipse interea & mater astantes confirmarunt filios. Postea mater, cum fuisset spectatrix necis mariti & filiorum eos sepeliit. Hæc constantia fidei & fortitudo Babylæ Episcopi & filiorum in historia Decii præcipue recitatur, etsi passim magna agmina Christianorum trucidata sunt.

Sed Iulianus ille apostata reticendus. Is solus imperio potitus edidit edicta

contra Christianos, & rursus iussit aperiri templa Idolorum & eis sacrificari, & in numismate Symbolum fecit: Iouem diadema ipsi imponentem, Palladem circumdantem ipsi chlamydem, Mercurium tribuentem ipsi sceptrum. Reditus Ecclesiis eripuit, ne possent ali docentes & discentes, & virulentos iocos addidit: Se facere expeditiores ad Regnum cœleste spoliatis facultatib. quia in ipsorum libris scriptum sit: Beati pauperes, quia eorum est Regnum cœlorum. Vetuit Christianis tribui honores militiæ. Prohibuit Christianorũ filios admitti in Scholas Rhetoricas, dicẽs οἰκείοις πτεροῖς βαλλόμεθα, propriis pennis ferimur. Scripsit & ipse libros contra Ecclesiæ doctrinam, in quibus præcipue exagitat prohibitiones vindictæ. Ait tolli magistratus, iudicia, pœnas, legitima bella, confirmari latrocinia in infinitum. Denique pugnare eam doctrinam cum sensu communi, & tollere neruos humanæ societatis.

Iudæos etiam hortatus est odio Christianorum, vt suam politiam instaurarent, & eis defensionem, & immunitates promisit. Conuenit igitur ingens multitudo Iudæorum, & magna spe collatis sumtibus & opibus templum ædificare cœpit. Sed cum fundamenta iacerent magno terræ motu dehiscente terra inter fulmina totum opus disiectum est, & multa millia Iudæorum ruinis oppressa sunt.

TH. Quid attinet plurima persecutorum exempla allegare, cum passim in historiis tam trita atque obuia. Fines potius illorum atque exitus, si quid vlterius de iis dicturus es, enarra, quippe ex quibus vitam anteactam vt plurimum metiri solemus. *Persecutorũ Ecclesiæ fata infelicia.*

EQ. Faciam quod iubes; idque cumprimis quod iam dicam, pro regula esto, nimirum: Quod si monarchias omnes ex ordine spectemus, illas tam diu floruisse patebit, quamdiu Ecclesiam vel sua autoritate iuuerunt, vel saltem non oppresserunt. Vt primum vero aduersus illam aliquid crudelius tentarunt, subito & inopinato casu sunt collapsæ. Sic Sennacherib Assyriorũ, Baltazar Babyloniorum, Artaxerxes Ochus Persarum imperio exitium attulerunt, eo quod ad Ecclesiæ conuersionẽ suas vires conuerterent, quas in huius defensionẽ diuinitus acceperant. Alexandro item Magno mirifice fauit Deus, & eidem orbis imperium contulit, quando ille Ecclesiam iuuit, & summum sui populi sacerdotem in honore habuit. Postquam vero illius successores Ecclesiæ molesti esse cœperunt, illos vnacum regnis suis miserabiliter periisse scimus. Nam vt reliquis omissis de solis Syriæ & Ægypti regibus dicamus, constat, vtrumq; regnum non multo post intestinis bellis & parricidiis conuulsum in Romanorum potestatem peruenisse, quando in illo quidem Antiochus Epiphanes Ecclesiæ bellum mouit, in hoc autem Ptolomæus Lathurus triginta millia Iudæorum inaudita crudelitate necauit, & reliquos cæsorum carnibus vesci coegit. Plura & magis illustria huius argumenti exempla Romanum imperium dabit, si illius historiam percurramus. Floruit enim &

per totum orbem incredibili successu aucta est indies illius potentia, quandiu ab Ecclesia Dei manus abstinuit Quāprimum vero Tiberio imperante Dei filius Iesus Christus, in crucem suffixus est, & Nero malis furiis agitatus persecutionem instituit, vt Christi fidem & ecclesiam deleret, mox Prouinciæ res nouas moliri cœperunt, & ipse tyrannus sibi mortem conscinit violentiam, inq; eo vulnus illud letale accepit vetus illa bestia, cuius mentio fit in Apocalypsi, quando deficiente iam Cæsarum prosapia Imperium ad exteros & barbaros pro militum arbitrio transferri cœpit. Quotquot vero post illum Christi fidem persequi & extinguere conati sunt, non minus grauem Dei vltoris manum senserunt. Domitianus enim à suis domesticis & libertis confossus periit. Traianus Tiberis inundatione & diris terræmotibus mulctatus est, quibus vrbes aliquot euersas esse historici tradunt. Sub Antonino, cum hic quoq; persecutionem Christianorū instituisset, pestis Italiam plurimis in locis prope exhausit, & Germani contra Romanos bellum gesserunt, nimirum victores et futuri, nisi Imperator recenti Christi beneficio admonitus animi sententiā mutauisset. Cum enim Christiana legio exercitui sitienti & iam perituro precibus suis aquā & præsens Dei auxilium contra hostes impetrauisset, Antoninus crudelia aduersus Christianos edicta aboleuit. Septimum Seuerum bellis ciuilib. puniuit Deus, cum ecclesiæ molestus esset. Maximinum vero priorum vestigiis insistentē milites vna cum filio discerpserunt, clamantibus vniuersis. Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Quem imitatus Decius in solo barbarico, paludis gurgite submersus est, vt nec cadauer eius ad sepulturā reperiri posset, filius aūt manu hostili in prælio cecidit. Valerianum post occisos Christi seruos, inter quos Cyprianus & Cornelius numerātur, captū legimus à Sapore Persarum rege, qui quoties equū conscēdere volebat, illius ceruici pedē imposuit, & pro scabello vsus est eo, qui aduersus Christum ferocire ausus fuerat: tandem vbi extrema senecta confectū vidit, viuenti cutem è ceruice ad pedes vsque detraxit. Post hunc Valerius Aurelianus, cum ipse etiam manus piorum Christi sanguine cruentaret, suorū insidiis interceptus & crudeliter necatus est. Secuti sunt istos Diocletianus & Maximianus, qui vt reliquis crudeliores & obstinatiores fuerunt, sic etiam illustriora vindictæ diuinæ exempla facti sunt. Primo enim, cum male vsurpatum Imperium se retinere non posse viderent, terrore & metu superati, deposita purpura priuati vixerunt: Deinde vero Diocletianus quidem ipse sibi manum intulit. Maximianus autem cum ad imperium redire conaretur, à Maxentio filio Massiliam confugere coactus est ad generum Constantinum: cui cum strueret insidias, filia maritum patri prætulit, & ille per hanc detectis insidiis dignas perfidiæ pœnas morte luit. Qui vero illis scelerum & tyrannidis socij fuerunt. Maxentius, & Maximinus, ille quidem ad pontem Miluiū prælio superatus in aquis periit, hunc vero phthiriasis sustulit, cum ex vermibus carnem sanguinolentatis horribiles cruciatus diu sustinuisset. Licinius item, qui ex

ecclesiæ hostibus solus superstes manserat cum incurabilis esse pergeret, primum omni dignitate exutus, deinde à Cõstantini præsidio Thessalonicæ occisus impiæ tyrannidis pœnas dedit. De Iuliano quid attinet dicere, qui cum pacem ecclesiarum, à Constantino redditã turbaret, & dirissima quæq; cõtra Christũ moliretur, inexpectato vulnere confossus, inter voces desperationis plenas victorẽ agnouit, quẽ per ludibriũ solebat Galilæũ & fabri filiũ dicere? Tẽpus me deficeret, si quæcunq; in historiis eius generis habentur cõmemorare instituerem: & possent his multa adiici, quæ nostro seculo vidimus, sed sufficiat de illis cogitandi occasionẽ dedisse iis, qui Dei opera obseruare didicerũt.

TH. Sed neq; subiciendus Herodes Agrippa, de quo Act. 12. ita scribitur: *confestim percussit eum Angelus Domini, eo quod non dedisset honorẽ Deo, & consumptus vermibus expirauit*. Eandem seueritatem sensisse Antiochum Tyrannum legimus, quippe qui inuisibili plaga à Deo accepta & scaturientib. è corpore suo vermibus, cum carnis suæ vndiq; diffluentis fœtorem ferre non posset, confessus est, *iustum esse Deo subiici, & mortalem paria Deo non sentire 2 Mach. 9.*

Fuerunt præterea præter eos, quos enumerasti, Impp. alii plures, à quib. Deus seueram scelerum ac prauitatum exegit vltionem. *Constantius Imp.* hæretica prauitate imbutus annotante Pomponio Læto, sacro igne percussus fuit, eoq; interiit. *Valens* à Gothis fusus, in tugurium abditus, ab hostibus est concrematus. *Zeno* morbo comitiali correptus ab Ariadna vxore viuus est sepultus. Hunc secutus *Basiliscus*, qui vna cum vxore & liberis fame interiit. Quid *Anastasio*, similiter hæretico factum? Is cum didicisset ex oraculo, igne sibi pereundum, cisternam in palatio effodit, in qua suborto incẽdio recipere se posset: verum fulmine improuiso ictus, ambustus interiit. Quid de *Heraclione* dicam? is non minus hæresi quam nefaria libidine, cũ esset contaminatus, Deus illũ sic puniit, vt inguine sursum conuerso & semper tento in faciem suã perpetuo meieret; sed quo vrinam auerteret, tabellam ventri apponere consueuerat. Taceãne *Heracleonẽ* Heraclij filiũ, & impietatis hæredẽ? ei nasus præsectus fuit; Martinæ vero vxori, præsecta lingua: ambo tandẽ Imperio priuati, & in exiliũ missi. Quid de *Constante & Philippico* cõmemorem? ille à seruo domestico in balneo necatus; hic à Senatorib. Imperio, & luminib. priuatus est. *Arnolphus* ẽt Carolomanni filius, cum ad rapinas, & templorum spoliationes animũ conuertisset, iusta Numinis ira pediculari morbo interiit. Deniqu; *Honorius* Wandalorum Rex in Africa, cum in Orthodoxos nimium quantum sæuiret, consimili pœna diuinitus punitur, vt qui vermibus vbique scatentibus & rodentibus, miserabiliter expirat. Omitto *Leonem, Constantinum, Copronymum, Nicephorum, Leonem VIII. Michaelem Theophilum*, aliosq; Imperatores Orientis, quos hæretica prauitate corruptos, sanam religionem contempsisse, eoq; diuinam vltionem sensisse, fide dignæ narrant historiæ.

Sed nunc demum ad secundum Schedæ regiæ Aphorismum transibimus.

APHORISMVS II.

MAGISTRATVS IVSTITIAM VTI INtrepide administrare, ita econuerso iniustitiam, eiusque prauos surculos auerruncare identidem alacriter debet.

2 Seu gubernator vigilat perpetuo Imperatoris oculatissimus intellectus, continens tuto æquitatis clauos, atque expellẽs fortiter impetuosos iniquitatis fluctus, vt ne cymba mundanæ reip. illidatur fluctibus iniquitatis.

Ὡς κυβερνήτης ἄγρυπνος διαπαντὸς, ὁ τοῦ βασιλέως πολυόμματος νοῦς, διακατέχων ἀσφαλῶς τῆς εὐνομίας τοὺς οἴακας, καὶ ἀπωθούμενος ἰσχυρῶς, τῆς ἀνομίας τοὺς ῥύακας. ἵνα τὸ σκάφος τῆς παγκοσμίου πολιτείας, μὴ προσπίπτῃ κύμασιν ἀδικίας.

2 *Gubernatoris instar, in naui excubantis, oculatissima mens regis nunquam non aduigilat, ita prudenter & firmiter rectum æquitatis cliuum tenens, iniquitatis autem eluuiem & labem coercens & reprimens fortiter, vt ne mundana Reipublicæ nauis in fluctus iniquitatis impingat.*

DISCVRSVS.

PH: Persarum regis cubiculario, inquit Plutarchus *in libro de doctrina Principis*, olim hoc negotii demandatum erat, vt diluculo ingressus, regi diceret, Surge Rex, atque cura negotia Reipublicæ. Recte id equidem atque ad materiam præsentem apposite dicitur. Rerum namque occasiones tarditatem & ignauiam principum desidiosorum non expectant; sæpeque contingit, vt multarum magnarumque rerum occasio breui tempore offeratur, quam si quis sua voluntate negligat & prodiderit, necquicquam facere poterit, vt eam postea recuperet, extat *in orat. de falsa legat.* planeque adeo: *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno.* Huc spectat illa, *in orat. 5. contra Philipp.* inuectiua: *Quoniam vos neque paruum neque magnum quicquam eorum, quæ oportebat, fecistis, res nostra*

nostra male se habent: quod si omnia quæ decebat, fecissetis, rebus ita affectis, ne spes quidem erat, ipsas meliores fore: nunc autem ignauiam vestram & negligentiam vicit Philippus. Et in orat. ad Philip. *Quænam est causa, cur ille plures res, quam nos superiori bello ex animi sententia gessit? hic ipse militat, labores perfert, periculis adest, neque occasionem rei bene gerendæ prætermittens, neque vllam anni partem omittens: nos vero nihil facientes hic perpetuo sedemus cunctabundi, tum decernentes, tum interrogantes, si quid noui in foro dicatur.*

EQ. Vere ergo dicitur: Quo magis securo sunt animo Magistratus, eo citius peccant; hinc adeo fit, vt vrbes & loca, quorum aliquando fuerunt Domini, destrui ac disiici videre cogantur. Docet id inter alias, Thebanorum olim historia. Cum enim aliquando duodecim adolescentes ex iis, qui Thebis eiecti atque exilio mulctati essent, Duce Pelopida, Athenis interdiu exirent, vt vesperascente cœlo Thebas possent peruenire, (atque id quidem vt minore suspicione facerent iter, cum canibus exirent venaticis, retia ferentes, vestitu agresti,) ad opprimendos inimicos ciuitatemq; liberandam; ac tametsi hic illorum conatus, atq; in vrbem aduentus statim ad Magistratuum Thebanorum peruenit aures; id illi (magistratus) tamen, vino epulisque dediti, vsque eo despexerunt, vt ne quærere quidem de tanta re laborarint. accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. allata est enim Epistola Athenis ab Archia hierophante Archiæ, qui tum maximum Magistratum Thebis obtinebat: in qua omnia de profectione exulum scripta erant. quæ cum iam accubanti in conuiuio esset data, sicut erat signata, in puluinum subiiciens, in crastinum, inquit, differo res seueras. At illi omnes, cum iam nox processisset, vinolenti ab exsulibus Duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non solum qui in vrbe erant, sed etiam vndique ex agris concurrerunt, præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberarunt. auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exsilium eiecerunt. Hoc nimirum illius socordiæ atque securitatis præmium, hic fructus fuit.

Socordia.

TH. Haud abs te itaque ad excutiendam magistratui ignauiam, nauarchi siue naucleri similitudine, Agapetus in hoc Aphorismo vtitur. Quemadmodum enim nauis, nisi peritum nacta fuerit gubernatorem, aut fluctibus facile obruitur, aut scopulis illisa frangitur; Sic ciuitas, quæ imperitum nacta est aut ignauum rectorem, facile concutitur atq; interit. Quod cum ita sit, Plato in eo dialogo, qui *Politicus* inscribitur, non præter rem scripsisse videtur, fuisse quoddam tempus, cum homines à diis regerentur, vt nunc oues, & reliquæ congregabiles animantes ab hominibus, hoc est ab opilionibus, & bubulcis, & similibus curantur & pascuntur: id namq; eo consilio à Platone confictum esse arbitror, vt ostenderet, eos, qui respubl. administrant, quique ciuitatum gubernacula tenent, tanto eis quos regunt, præstantiores esse debere, quanto

opilio ouibus, & bubulcus bobus antecellit: quod item à Xenophonte quodam loco positum est.

Ignauia. EQ. Ignauorum exempla sunt odiosa, quinetiam nuda ignauiæ mentione vitium hoc sordescit; recensebo igitur vnicum, quod vice omnium fiet, illud de Sardanapalo, de quo ita Suidas: Sardanapalus, inquit, Assyriorum rex, Nini degens, perpetuo se intra regiam continuit, neque arma tractans, neque venatum exiens, vt veteres solebant reges: fucata facie, depictisq; oculis cum concubinis de pulchritudine & cincinnis capillorum certauit: Muliebrem denique in modum vitam egit. Aiunt à nemine conspectum esse, nisi ab eunuchis & puellis. Adulatores autem & libidinum eius ac crapulæ & insaniæ æmuli, sub eius persona monumento inscripserunt: *Hac habeo, qua edi,* & reliqua.

Sardanapali spurcum epitaphium. TH. Falso vtique. Neque enim defunctus habet, quæ vorauit, & exhausit: sed in fœtidum interitum illa omnia abierunt: Neque dum superstes est, habet ille quidquam, nisi iniquæ vitæ fœtorem, quæ continenter miseram eius animam affligit, atque excruciat pessime sibi consciam, & iniuriarum, atque flagitiorum admissorum memorem.

PH. Idem Suidas in Nino refert, monumentum fuisse Sardanapali, cui hæc inscripta fuerunt: *Sardanapalus Anacyndaxaci filius, Anchialon, & Tarsum vno die condidit* (vel potius reparauit) *Tu vero hospes: Ede, bibe, lude. Nam catera quidem humana, ne tanti quidem facio,* id est, nec digitorum crepitu digna. Simulachrum enim monumento impositum ita factum est, vt manibus supra caput elatis, digitis crepet.

De eodem Sardanapalo Cicero *in Quinta Tusculanarum quæstionum*: Quomodo iucunda vita potest esse, à qua absit prudentia? absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ Regis error agnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Hac habeo, qua edi, quaq; exsaturata lidido
Hausit: at illa iacent multa & praclara relicta.

Et quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere mortuum se dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat, quam fruebatur. Notus est versiculus vulgaris:

Non homo, sed porcus Sardanapalus erat.

Porro nomen Sardanapali plenum est arrogantiæ, vt plerumq; fit. *Cum impendent ruina, crescit superbia.* Nam *Sar*, idem est, quod Dux; *Dan*, id est, iudex: *Niphol*, euersor.

EQ. De interitu eius Diodorus Siculus *lib.2 cap.7.* ita scribit: Arbaces Medus & Beleser (*Belesbus*) Babylonius præfectus, contra Sardanapalum conspira-

ſpirarunt. Aduerſus hos, Sardanapalus talenta auri ducenta per præconem conſtituit ei, qui occidiſſet; Qui autem viuos tradidiſſet, duplex præmium, ac Mediæ præfecturam pollicitus eſt. Verum nullum ea præmia mouerunt. Aliquot vero prœliis iis infeliciter contra Sardanapalum pugnarunt, Arbaces & Beleſer Babylonius. Ad extremum tandem vicerunt, fuitque adeo ingens numerus occiſorum, vt fluuius redundante hominum ſanguine colorem mutaret. Erat autem prædictum, nunquam capi poſſe Ninum orbem, niſi fluuius hoſtis vrbi fieret. Quod nunquam fore ratus Sardanapalus, tolerauit obſidionem in annum tertium. Sed ex continuis imbribus ſupra modum fluuius excreſcens, cum partem vrbis inundaſſet, muros deiecit, ad ſtadia viginti. Hic Sardanapalus exiſtimans tempus Oraculi veniſſe, deſperata ſalute, ne in hoſtium poteſtatem veniret, pyram in regia ingentem extruxit, ſuperque eam auro argentoque omni, veſte inſuper Regia impoſitis, vxoribus quoque & eunuchis in medio pyræ incluſis, ſe cremandum vna cum his, in ignem conieit.

TH. Sequiori omnino ingenio fuit Cyrus rex, is namque apud Xenoph. *lib 7. de inſtit. Cyri*; Si (inquit) ſocordiæ noſmet ignauiſſimorum hominum tradiderimus (qui laborare arbitrantur ærumnoſiſſimum eſſe, ac vitam laboris expertem pro voluptate ducunt) cito nos dico nullius pretij homines etiam nobis ipſis futuros, celeriterque adeo bona hæc vniuerſa amiſſuros. Et Dionyſius ſuperior, teſte Plut. de tract. repub. *Abſit (inquit) vt mihi vnquam otium contingat. Arcus enim, quando tenditur, rumpitur, animus humanus, quando laxatur ſeu otiatur.* Et quam minimum ſit in adminiſtratione reipublicæ otij, ipſe Antigonus voce memorabili expreſſit. Is namque cum regium ſibi traditum accepiſſet diadema, priuſquam capiti imponeret, dixiſſe fertur: O nobilem magis quam felicem pannum? quem ſi quis penitus cognoſcat, quam multis ſollicitudinibus, periculis & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem iacentem tollere vellet. *Valerius Maximus lib. 7. cap. 2. Stob. ſerm. 46.*

EQ. Nimirum ergo quod ſi vlli hominum generi, certe Magiſtratui φιλοπονία decori eſt atque ornamento, quam propterea ego tanquam penicillo effo mandam hac proſopopœia adumbrabo; adumbraturus in progreſſu noſtræ conuerſationis huius generis, prout ſermo, ipſaque rei materies tulerit, eius generis plura. φιλοπονίαν autem animo meo ſic effinxi: Sedet pului- nari, ſcabellio poſito; ad ſignificandum, vt durare poſſit laboribus, ne aſſidua ſeſſione defatigata languida relinquat opus inchoatum. Rota net; quia mulieres ſolent nere, adiuncto colo & radiolo. A tergo ſellam textoriam vna cum inchoata tela habet, ad ſignificandum laboris amorem; alterum pedem ſcabello tenens, vt eleuatior ſit altero; quo poſito legit & aperto libro nens, quam diligentiſſime. Horologium arenarium in pariete fixum habens, vt videatur temporis haud prodiga. Nudo conſpicitur & ſubmacro corpore, ſola- φιλοπονίας effigies.

tecta

tecta ferens pudibunda; ad significandum, commodiorem esse nudum ad ferendos labores, & egentem vestibus atque diuitiis. Collo pendet signum crucis nigro filo, denotans, afflictiones & sudores se distribuere. Horologium excitatorium pariete fixum appendet, vt surgat matutino tempore. Vnde & gallum ad dextrum pedem canentem habet, qui similiter excitet ad subeundos labores. Bidentes, mallei, furcæ, falces messoriæ circumposita sedentem, innuunt nullum laborem arduum defugere. Capite gerit sertum laureatum, quo præmia sua donat cultoribus, nempe assiduos & honestos labores in æternum victuros, sicut laurus perpetuo viret. Mensæ positam candelam ardentem habet, apposito obumbraculo & emunctorio pro vigiliarum nocturnarum repræsentatione. Circa marginem picturæ, habitaculum formicarum vno latere, altero vero apum aluearium habet, quia hæc animalcula conspiciuntur laboriosissima. Hoc inquam modo φιλεργίαν, ego si pictor essem, penicillo efformarem, quæ quidem etsi non in omnibus & singulis, ad magistratus labores atq; onera, sed ad operas potius literarias, quinetiam manuarias, cumprimis quadrat, conuenit tamen in aliquo tertio.

Gladius publice appensus quid denotet. *TH.* Gladium, non solum pro insigni gerit Magistratus; ipso attestante Apostolo: *Non sine causa, inquit, gladium gerit, sed Dei minister est, vindex ad iram ei qui male agit*, ne videlicet effrenis multorum malitia ruendo contra leges turbet & vastet hominum societatem.

EQ. Bene ego idipsum memini, & vsurpari etiam atque alicubi appendi hodie adhuc apud gentes quoque exoticas in terrorem hominum inquietorum, gladios, probe noui. Recitabo huius meæ assertionis historiam nostra fere ætate gestam: Cum aliquando deditii Christiani, qui sub iugo Turcico in prouincia illa, quæ Daciæ, vel vt hodie vocatur, Transsiluaniæ, præside Themisuatensi (quem vulgo Bassam nominant,) contermina est, viuere coguntur, de statuis & imaginibus in templis, in conuentibus & priuatim, ibiq; vna Christianorum pars abiiciendas, altera retinendas imagines, acriter inter se contenderent; Bassa ille Themisuatensis audita tandem re, disceptationeq; eorum cognita, ante ostium templi iussit appendi acinacem vel gladium incuruum Turcicum, euaginatum, quo significare voluit, vltorem gladium strictum & pœnam capitis, in turbatores pacis & tranquillitatis constitutam esse.

TH. Nouum hoc non fuit, neq; barbarum. Nam & à Romanis olim gladius ad deterrendos seditiosos & sceleratos, publice propositus fuit. Vt enim secundum Festum, apud eos insigne imperij & armorum hasta fuit: (Proconsules enim de ciuilibus prouincialium causis cognoscentes, pro tribunali hastam erigebant,) ita in facinorosos homines animaduertentibus illis gladius semper in conspectu erat.

PH. Traianus Imperator iustitiæ & æquitatis studiosus adeo fuisse fertur, vt ali-

vt aliquando enſem ſtrictum præfecto vrbis in conſpectu omnium dederit, atque dixerit: Cape ferrum hoc, & ſiquidem recte imperium geſſero, pro me: Sin aliter, contra me hoc vtere.

EQ. Moribus quoq; noſtris receptum eſt, quando equites, qui aurati vulgo vocantur, à Cæſare vel Regibus creari ſolent, vt gladius euaginatus illis tradatur, eorumque humeri leuiter eo perſtringantur, cum commonefactione, vt iuſtitiam foueant, viduas, pupillos aliaſque miſerabiles perſonas à vi iniuriave defendant.

Sed videmus, gladium euaginatum, qui in ſolennitatibus Imperatoribus & Regibus præfertur, indicare iuſtitiam, vt terror ſontibus incutiatur, & inſontes ſciant, ſe ſub protectione ſummi magiſtratus, ab iniuria & vi tutos eſſe.

TH. Hoc quoque olim apud Maſſilienſes vſitatum fuiſſe teſtatur Valerius Max. *Cæterum* inquit, *à condita vrbe gladius eſt ibi, quo noxij iugulantur, rubigine quidem exeſus, & vix ſufficiens miniſterio, ſed index in minimis quoque rebus omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda.* Imo adhuc, vt fertur, in quadam Imperij vrbe extat gladius rubigine propemodum, non ſecus ac Maſſilienſis exeſus, quo olim coactus fuit is, qui poſtremo in ſenatum eorum aſſumptus fuerat, ſupplicium de ſontibus ſumere. Huc referri poteſt, quod in quibuſdam locis Franciæ orientalis longiſſima conſuetudine receptum eſt, vt is qui in illo loco, vbi furtum commiſſum eſt, nuperrime vxorem duxit, furi in flagranti crimine deprehenſo laqueum innectat; poſtea omnes eius loci viri, quando nouus ille maritus, ſignum aliquod peculiare dat, inprimis autem Sculteti, illi adiutores eſſe ſolent, vt fur de annoſa & mutilata, extantibus ramis, quercu, ad hanc rem ſuperioribus ſeculis delecta, ſuſpendatur.

EQ. Recordor ego iam vnius huiuſ legis olim municipalis apud Morauos, quæ huic iam dictæ conſuetudini propemodum eſt conformis, quam tragico-ridiculo in medium producto exemplo, recitat Dubrauius *in hiſt. Bohemica, lib.* 32. his verbis: Vladislaus, inquit, in Hungariam reuertens, aliquantum in Morauia ſubſtitit, Olomuciumque ingreſſus cognitioni nouæ ac vix auditæ præſedit. Cum Vratislauienſis honeſto domi loco natus, copiiſque rei familiaris locuples, & vt exiſtimabatur, inter primos habitus, negotij ſui cuiuſdam gratia in Poloniam profectus, diuertit in oppidum quoddam ad domum meritoriam. Ibi caupo quingentos hoſpiti aureos clam ſubducit, accuſatuſque furti, crimen metu tormentorum fatetur, reddere ablatum paratus, nec aliud quicquam hoſpes petebat. Cæterum Iudex & Decuriones oppidi inſtare, vt legibus illorum ſatisfiat, quæ ſanciant, vt accuſator furti ſuis manibus furem in furca ſuſpendat: ſi ad manus carnificem ſuum non habeat, ipſe à fure ſuſpendatur, ſi fur id exequi voluerit; quod ille promptiſſime ſe facturum recepit. His verbis exanimatus metu hoſpes, ignominiam

infamiamque supplex deprecatur, donatque gratuito Iudicibus totam illam summam sibi ereptam, modo abire incolumi inde liceat. Negant illi, fas esse legum custodibus, contra leges quicquam agere. Quid multa? quando nihil æqui impetrat, facere quam pati, quod necessitas iubebat, maluit, continuoque Cracouiam ad Regem Poloniæ perrexit, qui legis huius barbaræ non solum testem se exhibuit, sed literis præterea suis regiis ab omni infamia illum purgauit, quas Vladislaus quoq; Rex suo diplomate confirmauit, addita mulcta, si quis factum illud illi exprobrare auderet. Hactenus ille.

PH. Sed eiusmodi absurdæ & iniquissimæ leges & statuta vel correcta vel penitus sublata sunt in Constit. Imper. pœnalibus. Siquidem male adinuenta, malæque consuetudines neque ex longo tempore, neq; ex longa consuetudine confirmantur. Sed neq; consuetudines nominare liceat, quas forsitan aliqui prædictorum in proprium lucrum iniuste adinuenerunt, *vt est in authent. vt nulli iudici. lic. ca.*

TH. Non tamen sub prætextu rigoris iustitiæ pœnæ ab immerentibus exigi debent, quod Piso Proconsul per sæuitiam aliquando fecit. Is nam que cum iratus duci iussisset eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat, quasi interfecisset, quem non exhibebat; roganti tempus aliquod ad conquirendum, non dedit: damnatus extra vallum deductus est: & iam ceruicem porrigebat: cum subito apparuit ille, qui occisus videbatur. Tunc Centurio supplicio præpositus condere gladium spiculatorem iubet: damnatum ad Pisonem reducit, redditurus Pisoni innocentiam; nam militem fortuna reddiderat. Ingenti concursu deducuntur, complexi alter alterum cum magno gaudio castrorum commilitones. Conscendit tribunal furens Piso: ac iubet duci vtrumque, & eum militem qui non occidit, & eum qui non perierat. Quid vero indignius? Neque fit tamen satiatus Piso, adiecit & tertium, nam illum centurionem, qui damnatum reduxit, duci iussit. Constituti igitur sunt in eodem loco perituri tres ob vnius innocentiam. Te, inquit, duci iubeo, quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, Imperatori non paruisti. Excogitauit, quemadmodum tria crimina faceret, quia nullum inuenerat, inquit Bodinus *lib. 3. de repub. cap. 5.*

EQ. Huius ergo, de quo dictum est gladij, quem Deus ipse Magistratui demandauit, ductrix ac moderatrix debet esse Iustitia; quæ vero ea sit, considerandum nobis est. In vrbe Romuli iustitia primum non à lege, neque à constitutione aliqua, sed arbitratu Regum administrabatur. Sic etiam in Græcia, quoniam Reges eligebantur absque aliqua ambitione ex iis, qui iustissimi ac studiosissimi legum habebantur: & ij quidem primi legibus instituti-

stitutisque seipsos subiiciebant: siquidem iustitia legis finis est, lex vero munus & opus Regis, Rex denique simulacrum Dei Opt. Max. qui omnia recte gubernat, vnicuiq; tribuens quod suum est.

TH. Fanatici quidam, Iustitiam finxerunt esse, nouam quandam barbaricam politiam, in qua sine distinctione dominiorum, & sine imperiis viuant homines, magnam fingentes esse virtutem, non habere proprium, fugere iudicia & ciuiles functiones,&c. Hinc coniugia à Deo ordinata, & magistratuum functiones,iudicia,leges forenses, legitimas pœnas, imperia, bella legitima, militiam,&c. damnarunt. Tales furores olim sparserunt Marcion & Manichæi,quorum deliria diu peruagata sunt Asiam & Africam. Voluerunt hi efficere communionem facultatum Platonicam. Circumtulerunt & similes errores plusquam ante trecentos annos flagelliferi, vt vocabantur, & hoc nostro tempore Anabaptistæ passim vagantes adhuc circumferunt hos errores.In oppido quoque Phrygiæ Pepusa fanatici quidam tale regnum inchoarunt, quale Anabaptistæ antehac in vrbe Monasteriensi conati sunt constituere, & oppidum nominarunt nouam Hierosolymam, quod rectius nominassent ἐμπυζαν. Sed deletum est, & Montanus & Maximilla duces factionis sese strangularunt. Nec desinit vnquam diabolus distortas mentes accendere,vt opiniones falsas de rebus politicis amplectantur. *De iustitia Principum.*

Verumenimuero, vt quæ sit vera illa Principum iustitia, cui sese conformare debeant, constet; sciendum est, iustitiam illam, de qua hic sermo est, esse duplicem, internam nimirum & externam, quarum illa est lux in corde, quæ accendit animum Principis ad veram Dei inuocationem, & alios pios motus legi Dei congruentes: hæc vero foris sese exerit in administratione iustitiæ,tribuendoque vnicuique quod suum est.

Vtramque exercere debet Princeps,exemplo Iosephi, Danielis & aliorum. Ioseph namque in corde circumferebat veram agnitionem & inuocationem Dei: foris vero in curia,in iudiciis,in contractibus, in possessione facultatum vtebatur legibus Ægyptiis. Daniel similem lucem in corde circumferebat. Foris vero in curia,in contractibus,in regenda prouincia,vtebatur legibus regni Babylonici.

PH. Audiamus desuper prius Philosophorum etiam sententias, quippe apud quos insignia admodum extant Iustitiæ elogia. Sic namque Arist. lib. 5. Ethic. cap.3. *Hæc ipsa iustitia non est pars virtutis, sed virtus vniuersa: & iniustitia ei opposita non pars vitij est, sed vniuersum vitium.* Hinc non absque ratione, Portæ cuidam in Vtersheim inscriptum est: *Iustitia sine prudentia multum: Prudentia sine iustitia nihil.* Et Seneca: Iustitia,inquit,non est constitutio nostra,sed diuinus ordo ad vinculum societatis humanæ conseruandum, in adiutorium

multitudinis inuentus, *Seneca de 4. virtut.* omnium domina, regina, causa, sine qua nihil potest esse laudabile, ex qua vna boni viri appellantur, sine qua nihil in imperij administratione laudabile efficitur. *Cic. 3 offic.* quæque ad omnem rem gerendam est necessaria, *Matth. Steph. lib. 2. de iurisd.* Hinc verò dicitur:

Iustitia & pietas tutæ sunt Principis arces,
Nulla tyrannorum vis diuturna manet.

Ipsamque adeo Iustitiam esse virtutem, sine qua Respublica haud diu stare, vel administrari possit, optima sunt tum Græcorum, tum Romanorum testimonia. en Cicero: *Vt in fidibus, inquit, ac tibiis atque cantu ipso, ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione, concors tamen efficitur, & congruens: sic summis & infimis, & mediis interiectis ordinibus, vt sonis, moderata ratione Ciuitas consensu dissimillimorum consistit; & quæ harmonia à musicis dicitur in cantu, ea est in Ciuitate concordia quæ sine Iustitia nullo pacto esse potest.* Eiusdem Cicero in Officiis: *Fundamentum* (inquit) *perpetuæ commendationis & famæ est iustitia, sine qua nihil esse potest laudabile.* Et lib. 1. de leg. *Iustitia omnium virtutum causa atque fontina est ex qua virtute viri boni appellantur.* Quomodo & Iamblichus iustitiam vocat τὸ ἀρετῶν τέλος, καὶ τὴν συνεκτικήν: Et Aristoteles Theognidis versum citat:

Iustitia in sese virtutem continet omnem.

Quippe quæ vsu se fundit in cæteras virtutes, & præter cæteras totam se ad alienas vtilitates porrigit atque explicat, teste Tullio. Vnde etiam χρηστὸν καὶ ἀλλότριον ἀγαθὸν ab eodem vocatur: quod nimirum, vt Seneca loquitur, alienum bonum spectet, nihil ex se petens, nisi vsum sui: quæ idcirco omni ratione colenda & retinenda est, cum, secundum Tullium, nullum sit tempus quod iustitia vacare debeat. Quod & Plato docet in Protagora: Deus (inquit) metuens, ne vniuersa hominum communitas interiret, pudorem iis dedit & iustitiam, vt essent ciuitatum vincula atque ornamenta, sine quibus ciuilem societatem coniunctionemque dissipari necesse fuisset. Et Cicero *lib. 2. Offic.* Etiam homini solitario atque in agro vitam degenti opinio iustitiæ necessaria est: atque iis etiam, qui vendunt, emunt, locant, conducunt, contrahendisque negotiis implicantur, iustitia ad rem gerendam necessaria est, cuius tanta vis est, vt ne illi quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, possint sine vlla particula iustitiæ viuere. Hinc pulchre Aristophanes:

Si iustus es, tranquilla vita te manet.

Et Euripides in Helena:

Qui iustus est, salutis hic spem possidet.

TH. Iustitiam de cœlo prospexisse, inquit Psalmus 84. Ideoque D. Paulus, vt iuste & pie viuamus in præsenti seculo, monet. *Tit.* 2. Quæ quidem sententia cum optimo Poetarum facile principis versiculo congruit:

Discite iustitiam moniti & non temnere diuos.

Et eleganter Cyprianus in tract. de 12. abusibus: *Iustitia,* inquit, *regis pax est populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibimetipsi spes futuræ beatitudinis.*

PH. Nulla re quæcunque respublica magis florebit aut floruit, quam rigida & immota iustitia: nulla re magis flaccescet & deficiet, quam illa deficiēte.

EQ. Boetius egregie annum bonum non tam de bonis fructibus, quam de iuste regnantibus æstimandum. Et Homerus:

Vt cum rex bonus imperat & metuens diuorum,
In multis populis & fortibus: ille quoq; idem
Iustitiam colit: obseruet & tunc sola terra
Fructus ferre suos, & fruges fundere, itemque
Fœtificare armenta, & pisces exundare.
Nempe ex iustitia populisque bene atque beate est.

TH O quam pulchrum est, quando licet gloriari aut dicere, quod Guilielmi, quem Acquisitorem vocant, temporib. A. C. 1085. in Anglia; totum regnū puellā onustam auro posse peruadere! adeoq; omnia tam tuta sunt, vt liceat viatori aurum in aperto capite gestare, Gold auff dem Kopff tragen / quod in prouerbium apud Germanos abiisse allegat D. Cramerus *class.* 4. *schol. proph. vat.* 8. §. 528.

Hinc Leo Eurycratis filius sciscitanti, in qua demum ciuitate tuto habitare liceret? *Vbi iustitia viget,* inquit; præclare admonens, eam demum ciuitatem habitari sine periculo posse, in qua iustitiæ cura haberetur. Nihil verius. Nam remota iustitia, inquiente Augustino, quid sunt regna, nisi magna latrocinia.

PH Optimus & laudatissimus Cæsar Ferdinandus nihil in ore sæpius habuisse fertur, quam iustitiam: vnde Symboli loco vsus est hoc dicto: *Fiat iustitia, & pereat mundus.* Sentiens nimirum, iustitia sola vitam humanam conseruari, quæ gloriæ & famæ omnium regum ac principum, quibus Respublica commissa est, fundamentum sit firmissimum; cuius tanta vis est, vt sine ea nec hominū vniuersum genus stare, nec rerū natura oīs, nec ipse mundus possit. Et Antiochus tertius, Asiæ rex omnib. regni sui vrbibus scripsit, si quid in literis, quæ eius nomine scriberentur, esset, quod legibus aduersum videretur, crederent, ignaro se eiusmodi literas scriptas fuisse, & propterea eis non parerent. Sanctissimum profecto verbum, & quod iusto regi maxime conueniat: vt quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges atq; æquitatem præesse intelligatur, inquit Camillus Gilinus *lib.* 6. *c.* 5. *de iustit.*

Iustitiæ effigies.

EQ. Hinc variæ illæ Iustitiæ picturæ atque imagines. Chrysippus imaginem iustitiæ fecit forma virginali, aspectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, reuerenda dignitate, &c. *Gellius lib.14 cap.4.*

Herodotus vulturem ab Hercule pro Iustitiæ symbolo habuit, quod eà iustissima omnium auium, quæ volatilibus vescantur, iudicetur, eaque de causa semper apud eum magnæ æstimationis fuisse, lætarique solitum, cum inter res agendas vulturem aspexisset. Vultur enim nihil quod viuit, attingit, nec animatum quicquam interficit, quod accipiter & aquila faciunt.

Iustitiæ veteres ascribunt libram, significantes, omni diligentia & summo studio expendenda, nec huc nec illuc declinare iudicem. Græcis σάχιν hæc libra appellatur. Tradunt itaque nobis veterum monumenta, Ægyptiis regibus ex præscripto legis antiquissimæ moris fuisse, Indices mox futuros iureiurando adigere, ne si rex quidem iniusti quippiam iniunxisset, à virtutis medio declinaturos, nec lineam omnino (quod dicitur) moturos.

Hesiodus à Ioue natam dixit esse iustitiam, virginemque & incorruptam, quoniam à Regibus oriebatur, conseruabaturque virgo nulli hominum subdita aut prostrata; germana etiam Mineruæ; ambabus enim idem pater ascribitur, sed altera in virtute, altera iuxta thronum appingitur.

PH. Adulatores quidam ideo iuxta Iouem depingi dixerunt Iustitiam, quia quodcunque Rex iubet & statuit, iustum est. Ego vero sic dico: Quod si iusta sunt placita Regis, tunc vigorem legis habent: Si vero æqua & iusta non sunt, tunc neque leges esse, neque legum vigorem habere vllo pacto possunt. Absit, inquit Plato *in Minoe*, vt iniqua sanctio lex sit: iniqua enim sanctio semper est, si ad proprium commodum constituatur; hinc enim Reges efficiuntur tyranni, siquidem Rex ille est, qui communem vtilitatem respicit, & obiectum eius est obseruantia iusti: tyrannus vero est, qui ad nullam alterius vtilitatem, nisi ad suum commodum, dirigit actiones, & eius obiectum est id, ꝙ placet. Igitur placita Regis, nisi æqua & iusta sint, leges esse non possunt, sed tyrannides potius. Sic C. Cæsar Caligula tyrannus ex Imperatore effectus, atrocitate naturæ & assuetudine transgrediendi leges, eo est licentię prouectus, vt non erubesceret auiæ monenti respondere: *Memento, mihi in oēs omnia licere.*

EQ. Hartmannus Hartmanni ab Eppingen, in dedicatoria sua epistola, quam præfixit practicis obseruationibus Cameræ, refert, priscos poetas, qui etiam Theologi sunt habiti, cum Principes officij admonere vellent, Iouem medium inter Themin & Cratos, in stellato solio, miro splendore quaquauersum coruscante sedentem finxisse, cuius iussu aquila, quæ Iouis armigera & gestatrix fulminis dicitur, sceptrum flammas vndiq; euomens principibus in manus porrigat: Themi, quæ iustitiæ, legis & pacis mater habita est, ensem: τῷ κράτει, quæ Latine potentia est, diadema aureum Regibus largiente: hoc inuolucro significare volentes, dum sceptrum ab aquila, Iouis iussu tribuitur,

buitur, imperium non nisi à Deo dari: & ideo à Themi gladium porrigi, vt Princeps nihil agat præter id, quod fas & iura permittunt: à potentia vero coronā exhiberi, ne coronas, id est, ciuitates, quæ turrium ac mœnium figuram habent, vi atq; armis opprimet, sed legibus & humanitate conseruet. Idipsum Polyphilus suis hieroglyphicis figuris demonstrare voluit, vbi in circulo trutinam pingit, quæ à gladio, cuius mucronem corona circundat, dependet, cum tali subscriptione: *Iustitia recta amicitia & odio euaginata, & nuda, & ponderata liberalitas regnum firmiter seruat.* Est etiam ibi depicta arca veluti repleta auro, qua capulus gladij nititur, & ab vna parte anguis, ab altera canis.

Circumfertur etiam Iudicis Iustitiæque adeo Præconis Typus scite & eleganter 17. notis æri impressus, cui explicationis vice, subiunctum est hoc quod sequitur carmen:

Iustitiæ antistes sedet hic Consulque forensis,
Legum tenax, legumque consultus probe.
Iustitia ex omni constans, quadrataque parte est
Bilance, gladioque vsa firma vt anchora.
Quadrupes en abacus totidem mixusque columnis,
Ex vnionibus coruscans quatuor.
Vt trahit & retrahit ferrum insuperabile Magnes,
Sic eloquentia trahit animos vigor.
Plus palloris habens Beryllus vt optimus esto,
Sic pallidus Dei timore est optimus.
Chrysoprasus noctu lucens, sed pallidus idem,
Rubente sole, fit nota patientia.
Gaudia conciliat noua Sardius; hoc facit ipsum
Amor Dei gliscens piis in cordibus.
In montem crescit Pietas, sublimior ipsa
Cedro, hinc fluit amicitia atque veritas.
Erigitur cœlo Sapientia montis ad instar,
Vt quercus irridet Iouis fulmen minas.
Ebullit riuus duplex ex culmine tali,
Hac Æquitas, hac ampla liberalitas.
Rectum Iudicium è libris, dignumque corona
Vt sit, monet Dice dea illa Iudicum.
Consilium fit causa bonum, via Iuris & Æqui,
Ianique bifrons instar Prudentia
Incorrupta aures feriat sententia donis:
Statua manibus hoc trunca Iudices manet.

TH. Ego omnia illa Iustitiæ simulacra susq; deq; fero; sunt enim mera humani cerebri & nō raro etiam assentatorum commenta ac figmenta, eosq; insigni illo Lactantij Firmiani *diu. inst. lib. 5. c. 8.* coarguo: Quid inquit vobis inane

iustitiam depingitis, & optatis cadere de cœlo tanquam in aliquo simulacro figuratam? Ecce in conspectu vestro est: suscipite si potestis, eamq; in domicilio pectoris vestri collocare, nec difficile aut alienum à temporibus existimetis. Estote æqui ac boni, & sequetur vos sua sponte iustitia, quam quęritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris, & statim vobis illud tempus aureũ reuertetur, quod aliter consequi non potestis, quam si Deum vere colere cœperitis. Hæc Lactantius. Sed hæc obiter ac punctim.

PH. Extant alicubi etiam aliæ aliis figuris atq; imaginib. expressæ commonefactiones Principum, quarum partẽ aliquam recenset Alexander Sardus *de morib. gentium, lib. 2. cap. 12.* his verbis: Ægyptiorum, inquit, Reges Diadema aspidis imagine habent, vel leonis aut tauri. Græci reges olim galeas, & regni insigne ferebant hastã, quod σκῆπτρον dicunt; in summo ciconia, in imo Hippopotamus erat, vt continue admonerentur, violentiam cohibendã, sectandam pietatem, cum ciconia parentes alat, Hippopotamus occidat. Regũ Æthiopum sceptrum aratro persimile erat: Lydi securim gestabant, quam Hippolyte ablatam dederat Omphali Hercules. Postea regius ornatus fuit sceptrũ, diadema, aurea corona, myrtea quandoq; mitra lapillis distincta, vestis aurea, longaq; Chlamys purpurea cum fimbriis & gemmis, rubri calcei. Antigonus pro diademate hederam, pro sceptro tenebat thyrsum, Liberi patris exemplo: alij Macedones chlamyde, crepidis, causia & diademate, fascia scilicet, qua frontẽ ornati erant. Æthruscis singulis regib. quos Lucumones dicebant, singuli lictores præcedebant cum fascib. si cõmuniter omnes conspirassent, 12. lictores vno, tot. n. erant vrbes: corona is vtebatur aurea, sceptro eburneo aquilam in summitate tenente; tunica purpurea auro intexto, purpureo ẽtamictu vario (vt erat Lydorum & Persarũ regum) sed non quadratum, vt Græci stolas ferebant. Æthrusci rotundum, quas dixere Romani togas: has cum fascib. sella curuli cæterisq; accepit ab Æthruscis Tarquinius, quib. & vsi sunt Consules, corona excepta, sceptra & toga picta, quæ tñ triumphantiũ erat, vt purpura omnium magistratuum, præterquam Tribunorum, &c. Sed nolo in his recensendis bonas horas perdere. Ad exempla administratæ laudabiliter iustitiæ transibimus.

Iustitia rigidioris exempla. Commendaturque inter cæteros hoc nomine Philippus, Herodis Antipæ frater, qui præfuit triginta annis Tragonitidi. Is igitur quoties domo progrederetur, iter cum paucis selectis comitibus faciebat, subsequente sella, in qua ius reddere solebat; ac si quis ex occursu opem eius imploraret, sine dilatione mox sella posita residens causam cognoscebat, aut sontẽ damnaturus, aut absoluturus innoxium. Sed & Tyberii Constantini, iam morituri, & imperium Mauritio genero tradentis, præclarum extat elogium: *Sit tibi, (inquit) imperium, cum hac filia puella concessum: vtere eo feliciter, in mente habens æquitatem ac iustitiam præcipua esse optimi Principis insignia.* Vide Aimon. de gestis *Franc. c. 35.*

EQ. Vul-

EQ. Vulgaria hæc sunt. Præstat potius rara, quam passim obuia proferre iustitiæ seuerioris, laudabiliter t. m. n, a d iniust.atæ exempla; è quorum numero est illud, quod de Cambyse narrat Herodotus. Is Præsidem Sisamnem, qui pecunia corruptus iniustam sententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamq; instrauit tribunali. Postea filium Sisamnis O.a em in eandem sedem collocauit, ac iussit eum intuentem patris exuuias iuste iudicare, ne simili supplicio adficeretur.

TH. Scripsit idem Andronicus Imperator Byzantii ad Præsides & magistratus his verbis: Aut iniurias aut vitam relinquite. Nam vos iniuste agere & viuere, nec Deo gratum, nec m hi eius ministro ferendū est. Atq; is idem Andronnicus nullo discrimine nobiles aut nouos, tenues, diuites, suos aut alienos, solitus fuit culpæ conuictos damnare. In his Theodorum quendam suis charis, quem agricolæ detulerant, diuertisse apud se aut se cum seruitiis, nec in discessu quicquam soluisse. Res erat (vt hodie) non nimis noua insolens Palatinis. Tamen Imperator hominem statim corripi, fusti duodecies in publico cædi iussit: tum agricolis damnum largiter rependi.

EQ. De Alexandro Seuero Imperatore Lampridius in eius vita, (quem citat Erasmus *in Chiliad.*) ita scribit: *Si vnquam furem vidisset iudicem, paratum habebat digitum, vt illi oculum erueret, tanto odio prosequebatur iudices, qui furtorum fama laborassent, vt si eos casu aliquo videret, commotione animi choleram stomacho euomeret, toto vultu inardescente.* Sic de Bruto, Consule Romano, ita scribit Matthæus Bossus: *Quanti (inquit) extitit incomparabilis illa & immortalis Bruti seueritas, qui patria libertate tuenda filios de reducendis regibus cogitantes, interimere non dubitauit, exutus tenerum genitoris affectum, & infractum indutus Consulis animum. Quale illud tribunal aut quale spectaculum, Deus immortalis, vbi tam districtæ iustitiæ tam que seueræ vltionis laus cum natura ipsa & pietate pugnabat? Videbas Brute filios seruari tua indulgentia posse, sed contra gloriæ tuæ & perpetuo nomini plus is stare splendorem iustitiæ libertatemque seruatam. Te spectante lictor sublata securi filiorum ceruicibus imminebat intendens susurro tibi quid velles. Filii in te conuersi. Parce, ô genitor, & & serua nos tibi, precari non desinebant. Quid agis Brute, quo te vertis in tam graui & ancipiti lucta? Si te liberis orbas, infelix. Si parcis, iniustus. At tandem non quod paternū & iucundum, & molle, sed quod honestum & probabile videbatur deliberans, Percute, inquis,*

Vincat amor patriæ laudisque immensa cupido.

PH. Balduinus VII. Comes Flandriæ vndecim equestris loci viros, quod tres mercatores per viam bonis, & deinde vita exuissent, vocatos in palatium damnauit; statimque se coram laqueis iniectis, destitui super tabulam annexos ad trabem iussit: ac manu tum sua tabulam subduxit, ac pensiles fecit suffocauitque. Rem laudo, modum improbo; potuit enim debuitque hoc manibus alienis.

EQ. Alphõsus rex Hispaniæ, sed Imperator cognomẽto, quia huic dignitati destinatus, insignis æqui iustique cultor fuit. Exemplum. Nobilis quidam in Galæcia, stirpe sua fisus, & temporum perturbatione confisus, rusticulum bonis omnibus spoliauit. Prætorem ille adit, hic nobilem monet desistere & reponere: nõ audit; rex aditur. Iubet idem, nec obtẽperat, in locorũ longinquitate spem etiam ponens. At rex, cæteris omnibus omissis, priuati habitu, quo res occultior esset, Toleto in extremam Galæciam pergit. Militis ædes obsidet, d.l. ipsumque comprehendi è fuga, & pro ipsis foribus laqueo suspendi, & cum ignominia strangulari mandauit.

TH. In Belgio etiam Balduinus Septimus, Comes Flandriæ, Petrum virum nobilem, & Orscampi toparcham, ob duos boues pauperculæ viduæ reclamanti abductos, re ad eum delata, subito arripi iubet & atroci morte puniri. Forte lebes aquæ feruentis in medio B. gensi foro erat, monetario puniendo destinatus: in hunc sine mora hominem coniici iubet, sic vt erat, ocreatum, vestitũ, gladio accinctum. Quid ais? sic calide, & an non temere? Nihil, nam inquisitio præcesserat, & culpa conuictus, per aliam causam euocatus, pœnas sic luit: meo ani mo, recte & salubriter. *Ex Iusti Lipsii monitis politicis.*

Pudicitiæ assertores ac vindices.

EQ. Dura hæc fortassis quibusdam videbuntur; at duriora, quod quidem delicatuli ac luxuriosi iudicabunt, sunt, quæ nunc referam.

Fecerat C. Marius (ille septimum Consul) Tribunum in legione, sororis suæ filium, militiæ fortasse fortem, libidinis impotentem. Amare is (Tribunus) cœpit in legione sua C. Politium, tironem militem, & in flore adhuc æui: nam Romani ab anno decimoseptimo eos scribebant. Igitur aliquoties tentauit, & de stupro eum appellauit: ille aspernatus conuitio mox eum repulit. Tanto autem flagrantior, & ad imperii vim versus, noctu adolescentem in tabernaculum vocauit; & capitale erat, non parere tribuno. Venit, & solita audit & flagitii tentamenta aut præmia: quæ cum fortiter reiiceret, manus Tribunus inicit, & vim parat; cum ille boni sanguinis gladio educto, Virum me scito, inquit; & Tribunum transfigit. Clamor in tabernaculo, tumultus in castris: nouum & atrox facinus omnes concitat: Tribunum à manipulari occisum. Ducitur mane ad C. Marium, qui forte ea nocte non fuerat in castris; qui tribunali conscenso, voces & præiudicia militum audit, disciplinam castrorum & suam etiam cognationem cogitat: atque omnia prædamnabant militem: Sed eius innocentia & Marij fi ma æquitas eum eripiunt. Nam cum ille ægre & inuitus, sed victo pudore denique rem explicasset, Marius nihil cunctatus sententiam & infamiam in defunctum vertit: & hunc noxæ absoluit. Absoluit tantum, imo & laudatum corona donauit, cum elogio; quod pulcherrimum facinus edidisset eo tempore, quo fortibus exemplis opus esset.

TH. Talis

TH. Talis Andreæ regis Vngariæ iustitia nec in causa minus dispari. Iuit in terram sanctam cum copiis, religione impulsus, & curam regni Bancbano commisit, fidei eius & vxore Gertrude commendata. Quæ apud eum sancta, non ipsam fuit. nam cum frater Gertrudis, adolescens lasciuus & petulans, absente rege, visum ad sororem venisset: illa iuueni gratificatura, vxorem Bancbani, pudicam ad id formosamque fœminam, fraudibus & pellaciis ei substernit. Quæ post facinus pœnitentia ducta, rem omnem marito exponit, & simul reginæ fraudes, & iram à se in illam vertit. Qua iustissima Bancbanus accensus, vt erat doloris recens, reginam adit, exprobat factum, & gladio vlciscitur. Cæde patrata Byzantium abit, Andreæ regi occursurus, illac in Syriam tendenti, quam mox reperit, & rem aperit: illum vnum iudicem, & si meruit, vindicem poscit. Rex differt in suum reditum, & vultu atque animo composito: *Tu vero abi*, inquit, *& in regnum redi, vicem meam, vt ante, functurus. Nam reduci mihi, si Deus annuit, stat hanc causam cognoscere & decidere. Si innocens es, tunc libens absoluero: sin autem nocens, ne nunc quidem damnatum volo, nec expeditionem hanc in hostes fidei sumptam, Christiano sanguine aspicior & perfundo.* Vterque abiit: ille in Asiam, hic in Vngariam. & cum rediisset, causa serio inquisita & cognita pronunciat, Vxorem suam iuste cæsam videri: O multa in hoc facto insignia; Quod nihil sacræ expeditioni anteposuerit: quod suspectum, si non conuictum, iterum regno præposuerit, quod amorem coniugalem iustitiæ postposuerit. Salue vel hoc facto magne rex. *Ex I. Lipsii monitis politicis.*

EQ. Leo Armenus Byzantii Imperator cum palatio digressus adiretur à tenuioris sortis homine, qui vxorem suam diceret à Senatore raptam stupratamque & id se facinus ad Præfectum detulisse: nec ius adhuc sibi dictum: Leo confestim mandauit, vt reuerso sibi Actor, reus & præfectus sisteretur. Quos deinde auditos cum noxæ reum, negligentiæ Præfectum comperisset, hunc dignitate, illum vita exuit.

Neque aliter in causa fere simili Totila rex eo laudabilior, quod barbarus patrauit, & in militem, non sine metu seditionis militaris. Accessit eum Calaber quidam, incusauitque è satellitio eius militem filiæ suæ per vim compressæ, Totila statim in vincula hominem dat, pœnas sumpturus quas tamen milites remorantur, miseratione, an cupidine similis licentiæ: atque agmine adeuntes petunt dimitti, & sibi donari, commilitonem notæ virtutis, & facinorum clarum, Totila auditos acri oratione castigat: Quid an vobis parum prouidi, ut vobis vultis Sine iustitia rem ciuilem aut militarem [illegible] posse, satis vos Theodahadus rex docuisse debuit: qui pretio aut [illegible] quas clades ipse passus est, & per eum gens Gothorum? Nunc me rege & illa reuixit, ac statim caput sustulit vetus illa gloria

nostra ac fortuna: & vultis illam & hanc iterum (nexa ea sunt) labi? Vnus scelus commisit, & vos venire in consortium eius vultis? Nam assident inter se & pene paria sunt, delinquere, & tueri delinquentes. Nisi quod hic etiam maius peccatum, viam aperire & struere peccaturis: Summa est, milites: ego non feram, & me potius auferte. Moti sunt, & animos ponunt, rem ei permittunt, qui hominem carcere eductum audit, ac capitis damnat: damnati bona vitiatæ velut in dotem donat. *Ex. I. Lipsii monitis polit.*

TH. Maria coniux Ottonis III. Imperatoris Romani, Comitem Mutinensem in amorem sui pellicere conata, postquam libidini reluctari suæ audiret, coram Ottone III. eum accusat, quasi ab illo de stupro interpellata esset. Sigon. *lib.* 7. & specioso sermone occupauit mariti animum, vt suæ iniuriæ vindictam susciperet. Eius rei porro admonitus Comes, totam rem, vt erat, coniugi suæ, mulieri prudentissimæ patefecit, se millies potius moriturum, quam tantum Imperatoris dedecus palam facturum. Proinde eam precibus omnibus obtestari cepit, vt forti atq; imperterrito animo apud Imperatorem innocentiam suam, se iam mortuo purgaret. Neque ita multo post Comes irati & creduli Imperatoris iudicio condemnatus pœnas capite dedit. Conuentu autem populis ad Roncalias instituto, quo die ius viduis, more veteri solemni, dicebatur, mulier processit, atque ex lege Imperatorem ipsum ad supplicium, quo maritum suum necasset, postulauit. Qua voce audita mirabundus Otto, at tu quonam pacto, inquit, viri tui, quam iactas, innocentiam comprobabis? cui illa; Candenti lamina, inquit, atque mox inspectantibus omnibus, ferrum ignitum iussu Ottonis adlatum sine vlla offensione apprahendit, & in locum constitutum detulit. Ea re Otto confusus, se quidem pœna dignum esse dicere, verum ad eam subeundam spatium postulare: Tum mulier quatuor vadimoniis dilatis, atqui, inquit, ego supplicio reginæ contenta sum, cuius nefaria calumnia necatus est meus maritus. Otto muliere collaudata, Mariam reginam igne cremari iussit: mulierem vero propter quatuor sibi dilata vadimonia in Hetruria castris donauit. Cranz. *in Saxon. libr.* 4. *cap.* 26. Ecce quam ingens iustitiæ exemplum: Cum Otto nulla, vel dignitatis Augustalis, vel affectionis maritalis ratione habita, iustitiam administrari fuerit.

EQ. Erat Carolo Audaci Burgundiæ Duci, vir nobilis in feruenti gratia, atque ei præfectitram oppidi in Zelandia dedit. Ipse ibi in otio, amorem concipit in fœminam corpore scitam, & moribus, animo meliorem, vt elocuit euentus. Primo aspectus, obambulatio, suspiria, & quæ solent amantes: mox audacior & verba miscet, & affectum aperit, & solatium orat. Neque promissis abstinet, & omnia tentat. Frustra, munita vndique castitas erat. Igitur desperatione ad facinus se vertit.

Præfe-

Præfectus erat, vt dixi, & Carolus noster in bello: maritum igitur amatæ fœminæ proditionis insimulat, & statim in vincula missum carcere custodit. Quo fine? vt vel hoc metu minisque illam moueat, & obnoxiam sibi reddat: vel maritum ipsum amouat, remoram amori: Custodit igitur & mulier casta & viri amans, statim ad carcerem; à carcere ad præfectum, deprecatura aut liberatura, si possit. Præfectus: *Et tu ô mea me rogas? imperium quod in me habes, ignoras? affectum saltem mutuum redde, & maritum ecce reddo. Detinemur enim vterque. Ille in meo, ego tuo carcere aut vinculis: ah quam facile vtrumque soluis? Quid renuis? amans peto, & per meam vitam; præfectus peto, & per mariti tui vitam. Vtraque agitur: & perire si debeo, perdam. Atqui miserere, & mulierem te & coniugem ostende.* Mulier rubere ad illa, & stupere: & tamen pro marito etiam timere. Constat magis animo quam corpore, & trepidat & pallet. Atque ille, quia moueri visa & leuiter vim verecundantiadhibendam ratus (soli erant) in lectum impellit, fruitur fructum vtrique mox acerbum. Nam mulier confusa & lachrymabunda abiens, pudoris magis quam peccati ægra, iram & vindictam coquit: quam magis etiam accendit barbarum (quomodo aliter appellem?) præfecti factum. Nam ille voti potitus, & cætera prolixa autumans, si æmulum sustulisset: maritum damnari curat, damnatum capite plecti. At id non in publico, sed in carcere ipso factum: atque ibi cadauer in arcam ligneam inclusum, mox sepeliendum. Venit interea mulier, siue accita ab ipso (vt quidam tradiderunt) siue sponte, & super salute mariti anxia: sed venit, & vel ex pacto maritum recipere se sperat. Ille benigne affatus, *Et maritum*, inquit, *quæris? habebis. Abi*, (& digitum ad carcerem intendit) *inuenies & tolle.* Nihil suspicata abit, videt & percellitur, & animo ac corpore lapsa super cadauer se abiicit: ac diu lamentata, recipit animum atque iram, rediensque atroci vultu & verbis. *Et hercules*, inquit, *reddidisti maritum, gratia debetur, exoluam.* Retinere & placare conatur; frustra: non tigris magis sæuiat, fœtu erepto. Statimque amicorum fidis aduocatis rem denarrat, eius ordinem, & culpam suam non-culpam: ac consilium viamque vltionis exquirit. Censent omnes ad principem eundum: qui inter alias virtutes (insignes habuit, nisi superbia & peruicacia corrupisset) eximius iustitiæ cultor erat. Accedit duobus amicis comitata, auditur: vix creditur, & indignatur & dolet princeps, hoc in suo solo, & è suis, quenquam ausum. Sed & mulieri edicere minaciter, nisi vera & certa afferret, malum habituram; iubet manere in aula, & in vicinum cubiculum secedere, dein Præfectum vocat: nam forte & ipse in aula erat. Venit, introducitur & mulier. *Hanc nosti?* ait Princeps. Colorem homo mutat: & princeps exequitur: *At querelas, quas super te defert, etiam nosti. Atroces sunt, & quas nolim esse veras. Quid ais?* Vacillat, perplexe loquitur, negat aliquid, &

 annuit,

annuit, donec princeps ex vultu ipso & sermone culpam suspicatus, vt tamen certior esset, remotis omnibus solum alloquitur: *Quam fidem mihi debeas, & quam beneficiis meis gratiam non nescis. Per hanc & illam te adiuro, vt quid in hac re sit, liquido & sine ambagine denarres. Fatenti gratia, aut aliqua seueritas non deerit: Nec abnuenti tormenta.* Ibi illi ad genua se abiicere, factum agnoscere: denique mulierem culpæ omnis liberare, se onerare: sed in gratia principis refugium & solatium ponere. Quam vt magis impetret, illicitam libidinem purgaturum matrimonio offert. Princeps quasi aures præbens, & iam mitior, mulierem reuocari, quosdam è suis assistere iubet. *Et heus tu, quoniam huc ventum est, mulier, placetne maritum hunc habere?* Illa abnuit: & tamen voluntatem aut iussa principis timens, adspicit circumstantes. Qui certatim innuunt aut suggerunt, accipiat conditionem viri nobilis, diuitis, apud dominum gratiosi. Victa dat manus, quas princeps iungi cum præfecti iubet, & solennibus verbis matrimonium firmari. Firmato iterum princeps: *Tu noue marite, hoc iam nunc largire, vt si prior sine liberis obeas, hæc coniunx hæres omnium bonorum tuorum sit.* Libens concedit, testes audiunt, tabellarius scribit. Et his iam peractis, noster Carolus ad fæminam: *Dic sodes animo tuo factum iam satis? Satis,* inquit mulier, *At nondum meo,* ille subiicit: Et ablegata fæmina, iubet Præfectum in illum ipsum carcerem duci, in quo maritus cæsus & pariter cæsum in arcam ligneam siue capulum deponi facta sunt. Tum mulierem ignaram eo mittit: quæ inopinato iterum casu conterrita, duobus maritis eodem fere tempore, eodem certe supplicio amissis mox in morbum incidit, & fato obiit; hoc solum alteris nuptiis lucrata, vt liberos ex priori coniugio diuites relinqueret noua hæreditate. Tragædiæ exemplum est: sed gratulor Belgiæ, talem exitum sub tali iustitiæ vindice: & vos successores seruate. *Ex I. Lypsii monitis politicis.*

PH. Video vos instructos exemplis; at modum ponite, atq; ego hoc quod dicere instituistis, breui hoc, sed memorabili facto claudam; Mahumetis secundi Turcarum principis, quem verius Muchumetem scribit, gnari linguæ persuadent nobis. Memorabili, quia circa filium: & quod propius tangit! Is igitur Machumetes filium habuit Mustafam, imperio destinatum, & cætera bonum, libidinibus pronum. Hic Achmetis Bassæ vxorem, insigni forma adamabat, & blanditiis diu peruincere conatus, cum non succederet, insidiis tentauit. Speculatus est tempus, quo in balneum mulier iuit (vt sæpe lauant Turcæ:) & mox secutus cum paucis suorum, ibi nudam & frustra renitentem compressit. Illa ad maritum, maritus ad Imperatorem flagitium detulit, pœnas poposcit. Muchumetes primo cunctari, tum asperioribus verbis (sed alius in mente sensus erat) Bassam excipere: *Et quid,* inquit, *sic grauiter*

niter de filio queri tibi visum est? An nescis, te & tuam, iuris mancipiique mei esse? Si filius igitur illam amplexus est, & animo suo morem gessit; nempe ancillam meam amplexus est, sine vlla quidem culpa, si me volente. Hæc cogita, atque abi: cætera mihi permitte. Sed ista iuris tuendi causa magis, quam quia sentiret, dixit: atque animi æger & saucius, filium ad se vocatum primo examinauit; tum confessum pessimis verbis minisque acceptum dimisit. Et mox minas in rem confert: ac triduo post cum aliquandiu in pectore filius & iustitia pugnassent, hac vincente fauces Mustafæ neruo arcus iussit effringi, & morte pudicitiæ litare. *Ex I. Lypsii monitis politicis.*

EQ. Virtus etiam in hoste laudanda; proinde Mahumetes hic, cæteroquin pessimus, in hoc tamen summopere prædicandus, quod defloratæ matronarum pudicitiæ vindicem sese præbuit acerrimum. Nouerat nimirum imperii conuersione ex impotenti tyrannorum libidine maturari; Tyrannorum namque libido non modo subditos ad odium, verum etiam ad contemptum excitat: cum intelligunt, hominem voluptatibus deditum, impotentis animi esse: nec imperio dignum videri, qui imperare sibi non possit, *ita Bodinus lib. 4. de rep. cap. 1.* *Luxuria impiorum mors.*

TH. Nota est historia de Sichemo filio regis Emor; huius namque adolescentis flagitio, quod filiam Iacobi patriarchæ impune stuprauerat, paterque Emor audaciæ & libidini adolescentis indulserat, regnum euersum, adeoque stultitia adolescentis huius Principis in ciuium capita & perniciem redundauit. Sed & Beniamitæ aliquando propter libidinosos quosdam Beniamitas, in quos digne non animaduerterant, omnes pene internecione deleti fuerunt.

EQ. Hæ ipsæ libidines initio turbarunt, mox euerterunt rempublicam Romanam, & eum statum, qui ex regio, optimatum & plebeio concinnatus fuerat egregio temperamento, illum dissoluerunt.

Memorabilis est historia de Appio Claudio Decemuiro, quam prolixe recitat Liuius *Decad. 1. libr 3.* Ita autem orditur Liuius: sequitur aliud in Vrbe nefas ab libidine ortum, haud minus fœdo euentu, quam quod per stuprum cædemque Lucretiæ vrbe regnoq; Tarquinios expulerat: vt non finis solum idem Decemuiris, qui Regibus, sed causa etiam eadem amittendi imperii esset. Appium Claudium virginis plebeiæ stuprandæ libido cepit. Pater virginis

L. Vir-

L. Virginius honestum ordinem in Algido ducebat, vir exempli recti, domi militiæque. Desponderat filiam L. Iulio. Hanc virginem adultam, forma excellentem, Appius amore ardens, pretio ac spe pellicere adortus, postquam omnia pudore septa animaduerterat, ad crudelem superbamque vim animum conuertit. M. Claudio clienti negotium dedit, vt virginem in seruitutem assereret. Virginij venienti in forum minister Decemuiri libidinis manum iniecit; serua sua natam, seruamque appellans esse, sequique se iubebat: cunctantem vi abstracturum. Virginius pater vbi ab exercitu in vrbem rediisset, nihilque auxilii, sed omnia vi geri videret: data venia seducit filiam, atque à lanione cultro arrepto. Hoc te, vno quo possum ait, modo filia, in libertatem vindico: pectus deinde puellæ transfigit, respectansque ad tribunal, Te, inquit, Appi, tuumque caput sanguine hoc consecro. Post multas demum concertationes Appius in carcerem abripitur, in quo sibi mortem consciuit, & potestas Decemuiris abrogata est. Sed vberius hac de re erit tractandi locus infra Aphorismo XVIII.

Iniustitia malum.

PH. Sunt hæc condigna denegatæ maleve administratæ iustitiæ præmia. Vera namque & seuera iustitiæ administratio in republica est, quod anima in corpore, *Pet. Gregor. lib. decimo de republic. capit. septimo.* Fatalis econtra seculi litigiosi terminus ab omnibus & historicis & politicis statuitur, quod nimirum male imperando & iustitiam male administrando summum imperium amittatur.

TH. Ludouicus XII. rex Gallorum legens Psalmum 106. dixit Principem qui punire crimen potest, nec punit, non minus esse reum, quam si ipse perpetrasset. Estque pietatis opus, non sæuitiæ iustitiam facere, quia dum facinorosi publice non puniuntur, publica turbatur lætitia. Et pessimorum felix improbitas, optimorum est calamitas.

PH. Alphonsus Aragonum rex eos principes, qui iustitiam non colerent, persimiles sibi videri dicebat iis, qui morbo caderent comitiali. Nam cum animæ materia sit sola iustitia qua tenditur ad vitam: quid reliquum principibus, sublata iustitia, quæ est vitæ quasi nutrimentum & cibus.

EQ. Constat certe, iustitia ciuitates à paruis & humilibus profectas principiis breui tempore ad magnam peruenisse potentiam: iniustitia econtra florentissimas & opulentissimas breuiori tempore funditus concidisse. Neque enim adamantinis illis vinculis, quæ Dionysius senior crebro in ore habebat, vi atque metu, sed iustitia & æquitate, magna imperia retinentur. Quare sapienter Persæ ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique in spem regni educabatur, cum alios ad virtutem magistros dabant, tum

vnum inprimis, à quo iustitiam doceretur; quam quidem si colerent omnes, nunquam tubæ, nunquam lituі audirentur: arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur: belli, dissensionis, nimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita essent. Quod scite & ex patriæ suæ consuetudine Agesilaus expressit: ex quo cum quæsitum esset vtra esset virtus præstantior, iustitia ne an fortitudo: hæc, inquit sine illa tantum ad perniciem valeret: illa si pareant omnes, huius vsus nullus futurus est.

TH. Dominus auersatur omnem iniustitiam, *Deut.* 25. Nec permanebunt iniusti ante oculos Domini, *Psal.* 5. sed disperibunt: reliquiæ impiorum simul interibunt, *Psal.* 36. Propter iniustitiam enim suam humiliati sunt, *Psal.* 106. Et in corruptione sua peribunt percipientes mercedem iniustitiæ, 2. *Pet.* 2. Non enim placet Deo iniuria iniustorum, *Eccles.* 9. Quinimo, quod Sapiens ait: Creatura tibi factori deseruiens excandescit in tormentum aduersus iniustos, & leuior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt, *Sap* 16.

Propter iniustitiam transferuntur regna de gente ad gentem, ait Syrach. *capit. decimo.* Hinc pro regula infallibili traditur: *Violando ius diuinum* non stabilitur maiestas Imperii. Semper igitur habeatur pro signo mox ruituri imperii, quando turpia exempla nimis late vagantur, & neglectio doctrinæ ac disciplinæ supra modum crescit. Vbi iniuriæ præualent, inquit Sophocles, & quisque quod libet facit: eam vrbem existima mox præcipitem ruituram.

Huius regulæ exemplum proponitur in Saule, qui non solum regno, sed etiam vita exuitur, partim propter iniquè vsurpatum dominium, partim propter contemptum verbi diuini, partim propter commercium cum organis Diaboli. In hoc speculum intuentes Reges & Principes discant iustitiam & non temnere diuos. Si enim Deus non pepercit primo Regi Israëlis, sed eum propter causas quas dixi, hostibus trucidandum obiecit: quanto minus parcet aliis qui similibus delictis polluti sunt. Semper ergo in auribus gubernatorum sonet illa vox, quæ in libro Sapientiæ legitur: *Potentes potenter tormenta patientur.*

EQ. Remota iustitia, quid aliud sunt regna, quam magna, mera & vera latrocinia? *teste August. libro 4. de ciu. Dei.* siquidem iustitia est fortitudo regnorum, & frenum populorum, iuxta illud Virgilii:

Iustitiaq; dedit gentes frenare superbas.

Imo vbi iniustitias reprobatur & deponitur Rex ipse, *Lancell. in templo iud. l. 1. cap. 1. no. 15.* quia iniustitia facit vacillare corda subditorum à suis dominis. *Paris de Put. verf. an si rex. num. 3.* Et iustitiæ denegatio, iusta belli litigiique

Mm publi-

publici causa est. *Lips lib.5. Polit. c.* 4. Et Farin. *de indic. & tort. lib.1. tit.5. q.37 n.* 74. emphatice inquit: quod si princeps contra iustitiam faciat, suam potestatem contra iura exercendo, parum regnabit ipse aut eius posteritas. Hinc scientia absque iustitia calliditas potius litigiosa, quam sapientia neruosa dicenda est, Ordelaph. *ad l. fin. nu.652 de R. V.* Et officiis scientiæ anteponenda sunt officia iustitiæ: considerate enim agere plus est, quam cogitare prudenter, *Cic. 1. Off.* Et sicut præstare iustitiam cuiquam nihil est aliud, quam animi partes in ordinem suum redigere, vt ad naturæ normam pareant atque imperent; sic præstare iniustitiam nihil aliud est, quam animi partes ita confundere, vt contra naturam exuperent inuicem atque succumbant. Hinc recte Verinus:

Nil iniustitia misera est infestius vrbi:
Funditus hæc muros vertit & ipsa domos.

PH. Vere quidem isthæc à vobis dicuntur, sed quotusquisque est, qui deplorato hoc seculo, quod plus scientiæ quam conscientiæ habet, atque in quo Iustitiæ inopia, Litium est copia, Ius ac Iustitiam, prout decet, amplexetur, colat, administret? Antigoni potius, Alexandri Magni successoris vox insana debacchando inclamatur. Cum enim Philippus quidam coram Antigono librum de Iustitia ab se conscriptum recitaret; illudens Antigonus respondit: Insanus es bone vir, qui mihi de Iustitia prędicas, quem vides alienas vrbes expugnare: Omne ius in gladio & armis positum est.

TH. Expertus id suo malo fuit Nabothus Israelita, qui prope regis palatium, vinetum coluit, fundum paternum: quem regi neque vendere pretio voluit, neque permutatione concedere, lege videlicet diuina prohibitus. Ea de causa Achabus tantopere stomachatus est, vt cibum præ ægritudine non caperet. Regina facinorosa literas ad senatum & optimates mittit, quibus Nabothum læsæ maiestatis falso accusat: is vocatus in iudicium, & testibus conductis damnatus, saxis obruitur. Eius vinetum rex occupat, agri alieni raptor iniustus: cuius tamen possessionem filii regii nõ retinuerunt. Et sane vereri dum, si sua cuiq; hodie restituere homines cogerentur, quæ vi aperta, dolove malo ac sub specie recti occupauerunt, ad casas & egestatem plurimum reuersuri sint.

EQ. Extant multa librorum qui *de Iustitia & iure* inscripti sunt, plaustra, neque tamen vllus litium est finis, quin potius lites propagantur, vt vires, quæ quidem titulari Iustitiæ encomio plerunque commendantur, nihil tamen minus quam Iustitiæ titulum merentur, id quod tamen non ipsi Iustitiæ, quæ virtus est: non iudici, qui Iustitiæ minister; non parti innocuæ: sed aut accedenti-

deceptibus occasionibus, aut parti calumniatrici, aut procuratoribus & aduocatis adscribi debeat, vt inquit Ioh. Bapt. Mag. *tr. de recta patroc. rat. c. 61. no. 4.* proindeque isthæc Hesiodi sententia è Græco translata, *in Er. lib. 1.* ad deprauatum hoc seculum concinne accommodari potest:

Ego porro ne ipse nunc inter homines iustus esse velim
Neq; meus filius: quando malum est iustum esse:
Siquidem plus iuris habet iniustior.

Hinc Lysander, culpantibus ipsum, quod multa per dolum agendo indignum Hercule se gereret, dixit, vbi leonina pellis non sufficeret, ei assuenda esse vulpina.

Idem de agro controuerso, cum viderentur Arg'ui iust'ora, quam Spartani afferre argumenta, stringens gladium: hunc, ait, qui tenet, is optime de agrorum finibus disputat. *Plut. in apoph.*

PH. Recte atq; accommode itaq; Plato: *Ne dubita,* inquit, *si aurum quidem inquirendum proponeretur, nunquam alterum alteri sponte concessurum in inquisitione, & in eius rei onem eius perditurum. Cum autem inuestiganda sit iustitia, res auro longe pretiosior, annon absurdum est, tam temere alios aliis inuicem cedere: nõ autem vnumquemq; id studere vt sibi imprimis appareat.*

EQ. Quamuis omnia vitia bonis viris odiosa atq; inuisa sunt: tamen iniustitia præcipue alienat ab iis, in quibus est, aliorum animos: omniumque sibi odia conflat, conciliat, colligit. Cæteris vitiis affectos aliquo modo ferimus: quibusdam ignoscimus: quibusdam non nimis offendimur: quibusdam in hac vitæ ac morum corruptione etiam oblectamur: prodigos multi amant: auaros tolerant: multos aliena intemperantia non offendit: audacium in bello interdum aliquis vsus est: timidis & nimis cupidis vitæ ignoscitur. At iniustus communi omnium mortalium odio flagrat: suis, alienis ciuibus, peregrinis, notis, ignotis iuxta omnibus inuisus, exosus, intolerandus est. Itaque etsi illud omnibus à natura tributum est, vt raro sua vitia agnoscant, eaque modis omnibus tegere & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere: vt se prodigi pro liberalibus, auari pro parcis ac frugi, timidi pro cautis ac consideratis, audaces pro fortibus haberi & prædicari velint: facilius tamen reperias, qui se auarum, timidum, audacem, libidinosum, quam qui iniustum esse fateatur. Quinetiam cæteris vitiis suis hanc aut defensionem aut excusationem prætendere ac prætexere consueuerunt, se in neminem iniurios esse. Auarus sum, fateor, sed ita, vt mea conseruem, suo neminem fraudem.

Prodigus, sed cui, vt largiar, eripio? in quem contumeliosus sum. Indulgeo voluptati, hilare viuo: quicquid animo meo cullubitum est, facio: sed quid tum postea? meæ libidines nemini nocent. Et ita ille, apud Terentium homo impurissimus:


Leno sum, fateor: pernicies communis adolescentium.
Periurus, pestis: tamen tibi à me nulla est orta iniuria.

Videte, quam odiosa, quamque abhorrens à natura sit iniustitia: cum qui negare non possunt, aliis se vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc careant, ferri se non posse tantum, sed propemodum etiam debere arbitrentur.

PH. Aristoteles, referente Stobæo, *serm.* 10. iniustitiæ affecta dicebat esse, patriam violare, & instituta & iura, nec parere legibus, nec magistratibus, mentiri, peierare, transgredi conuentiones & fidem fallere. Comites autem iniustitiæ esse, calumniam, iactantiam, inhumanitatem, simulationem, malignitatem, calliditatem. Iniustitiam itaque *μακρὰν χαίρειν* iubentes Principes Iustitiam *χαίρειν* optent, exosculentur, venerentur.

-ↄ(:)ↄ-

AYMO-



APHORISMVS III.

PRINCIPES FRAGILITATIS HVMANÆ, illiusque adeo γνῶθι σεαυτὸν probe memores, ad Dei verbum ac voluntatem omnia sua acta simul & cogitata dirigant & metiantur.

3 DIVINVM documentum & potissimum nos homines, vt cognoscat se quisque docemur, qui enim seipsũ cognouit, cognoscet Deum: Deũ vero qui cognouit, assimilabit Deo; assimilabit autem Deo, qui dignus factus Deo est: dignus deniq; fit Deo: Sed qui, vt cogitat quæ ipsius sunt, ita tam loquitur quæ cogitat, quam facit quæ loquitur.

Θεῖον μάθημα καὶ πρῶτον οἱ ἄνθρωποι, τὸ γνῶναί τινα ἑαυτὸν διδασκόμεθα. ὁ γὰρ ἑαυτὸν γνοὺς, γνώσεται θεόν. θεὸν δὲ ὁ γνοὺς, ὁμοιωθήσεται θεῷ. ὁμοιωθήσεται δὲ θεῷ, ὁ ἄξιος γενόμενος θεοῦ. ἄξιος δὲ γίνεται θεοῦ, ὁ μηδὲν ἀνάξιον πράττων θεοῦ, ἀλλὰ φρονῶν μὲν τὰ αὐτοῦ, λαλῶν δὲ ἃ φρονεῖ. ποιῶν δὲ, ἃ λαλεῖ.

3 *QVI homines sumus, hoc primum & præcipuum discendum accepimus: Quilibet vt cognoscat se ipsum. Qui enim seipsum cognouerit, idem & Deum cognoscet. Deum vero qui cognouerit, similis Dei euadet. Dei autem similis existit, qui dignus eo ab ipso factus fuerit. Dignus autem Deo iudicabitur, qui Deo nihil indignum molitur, sed qui tum cogitat ea, quæ sunt ipsius; tum loquitur ea, quæ cogitat; tum vero etiam facit, quæ loquitur.*

DISCVRSVS.

PH. Crœsum olim Lydorum Regem opulentissimum, petendi oraculi causa Delphos misisse, literis proditum est, qui sciscitarentur ex Deo, non equid leue quiddam aut nugatorium, vt antea, cum clam in eodem aheno testudinem simul & agnum coquens experiri voluerat, nunquid eorum, quæ agerent homines, Deum lateret, & si quæ sunt huius generis ludicra: γνῶθι σεαυτόν.

Sed rem omnium multo maximam, multoq; dignissimam, in qua cognoscẽda plurimum ab omnibus operæ ac studii collocetur: quomodo nimirum felicitaté consequi, & quid agens, id quod supererat ætatis, beatissime transigere posset? Responsum autem ei redditum est plane præclarum, & illa, quæ iũ de Apollinis sententia erat, opinione dignissimum: Non si maximos auri argentiq; aceruos extrueret, non si multos exercitus aleret, non si terminos Imperii sui lõge lateq; ꝓferret, sed si se ipse cognosceret, ita demũ ſi beatũ fore.

EQ. Quid Apollinem nobis ad confirmationem huius Aphorismi crepas? quippe cuius apud Christianos deleta debet esse omnis memoria, nedum vt tantundem eius debeat valere ad confirmandum autoritas.

PH. Iuuenalem igitur producam, qui sententiam hanc γνῶθι σεαυτὸν, de cœlo descendisse asserit. Sed enim siue Apollinem siue Iuuenalem produxero, erit tamen nihilominus, quod cum Plauto *in Pseudolo* quetar:

In foro vix decimum quemq; esse, qui seipsum norit.

Cæterum, etsi apud nos, qui vera religione imbuti sumus, nihil Apollinis debet valere autoritas: tamen eiusmodi oracula, quæ præceptum aliquod vtile ad instituendam vitam continent, amare & magnifacere debemus. Constat enim, ea nihil aliud esse, quam insignes quasdam & eximias sapientissimorum hominum sententias, quæ quoniam diuinitus immissæ in eorũ animos videbantur, ad Deum referebantur autorem. Quoties igitur audimus, Apollinẽ respondisse Crœso beatum eum fore si se cognosceret; quoties præceptum eadem de re in templo Delphico inscriptum fuisse legimus: toties illud cogitare debemus, magnum quoddam bonum esse, cognitionem sui, cum inter omnes homines omnium ætatum sapientes viros conuenerit, in eo positum esse fundamentum felicitatis: neq; vlla re vnumquemq; nostrum in plura aut grauiora mala, quam sui ipsius ignoratione prolapsum esse; proindeq; omnibus viribus vnicuiq; laborandum esse, vt cognitionem sui, quando tantum in ea momenti ac ponderis ad vitam beatam situm est, consequatur.

Crœsi vox in rogo. TH. Is ipse Crœsus cum huic sese postea non conformaret sentẽtiæ, insuper ẽt Solonis monitũ atq; commonefactioné, neminé videlicet ante vitæ finẽ, beatum esse iudicandum, aspernaretur, sero tandẽ, at serio suam deploratæ securitatem atq; dementiam. Rogo namq; impositus, cũ ter, *o Solon*, inclamasset, & quid sibi hac voce vellet, rogaretur; cogitantem se, inquit, de Solonis commonefactione, deplorasse suam stultitiam, quod confisus præsenti potentia bellum Cyro intulisset, tunc non cogitans fortunæ inconstantiam, cũ quidẽ & oraculo recte monitus esset, si beatũ fore, si se nosset Quo cum indicasset se moneri, ne quid moueret: tamen ab adulatoribus incitatum esse, qui oraculum sic interpretati essent, vt potentiam suam cogitaret [illegible] esse Cyri potentia, & permotum esse, vt bellum moueret.

PH. Plutarchus *in vita Solonis*, sententiam illam Solonis, quam cum Crœso

protulerat, aliquáto vei bis prolixio..bus exprimit. *Cum videamus* (inquit apud Plutarchu Solon.) *hominũ vitam nunquã non variis casibus esse obnoxiam; non patimur quenquam præsentium bonorũ cogitatione efferri neq; admirari alicuius hominu felicitatẽ, quam immutare tẽpus possit Vnicuiq; enim varia res futura, de quibus nil certi cõstat, ingruunt. Cui vero res secundas ad finem vsq; Deus prorogauit, hunc felicem esse statuimus. At viuenti adhuc & in discrimine versanti felicitas, quæ tribuitur, nõ magis certa atq; rata est, quam si victoriam coronamq; alicui adhuc decertanti adscribamus.* Cui consonat, quod Numa Põpilius: Nihil inquit, in rebus humanis stabile, ideo cõueniens, vt quocunq; modo vitã nostrã Deus torqueat atq; reuoluat boni cõsulamus. *Plut. in vita Numæ Põpilij* Et Optimũ est (inquit Seneca) ferre, quod mutari nequit & Deo quo regnãte cũcta fiũt, sine murmuratione obedire *li. 18. Epistolar.*

Fortuna lubrica.

EQ. Exempla subitarum istiusmodi mutationum extant passim, compertumq; sæpenumero est durasse maiestatem, durasse splendorẽ augustũ, quãdiu illis quibus imperarunt placuit, ac multi sæpius opinione citius inde deturbati fuerunt. Idipsum vult illa Amphitryonis apud Euripidem oratio cum ad aram à Lyco mactandus inquit.

ὁρᾶτέ μ' ὅσπερ ἦν περίβλεπτος βροτοῖς,
ὀνομαστὰ πράσσων, καί μ' ἀφείλεθ' ἡ τύχη,
ὥσπερ πτερὸν πρὸς αἰθέρ' ἡμέρᾳ μιᾷ

Aspice me, qui eram conspicuus mortalibus, præclara peragens, & me deiecit fortuna, velut plumam ad æthera vna die. Quid de Priamo Asiæ rege potentissimo aliud Poeta canit?

——— ——— Omnia vidit
Euersa, & flammis Asiam ferroq; cadentem.
Tunc miles tremulus posita tulit arma tiara,
Et ruit ante aram summi Iouis, vt vetulus bos,
Qui domini cultris tenue & miserabile collum
Præbet, ab ingrato iam fastiditus aratro.

Quid de eodem Seneca?

——— ille tot regum parens
Caret sepulchro Priamus, & flamma indiget
Ardente Troia.

Et hoc erat opinor, quod Cyrum, bellũ contra Tomyrin Massagetarũ reginam mouentẽ Crœsus monuit: hominẽ sese vt agnosceret: ẽt atq; etiã cogitaret, circulũ quendam rerũ humanarũ esse, qui rotatus, eosdẽ semper fortunatos esse nõ sinat. Expertus hoc scil. ante Crœsus fuerat: sed Cyrus idẽ breui post, cum Crœso obtẽperare nollet, sensit: plurimi reges alii suo exemplo cõprobarunt. Vbi nunc huius filii Cambysis potentissimũ nunc est imperium? Periit. Vbi nunc eius [illegible] ingens, quẽ in Hã nonios misit: vbi quẽ in Græciam duxit Xerxes, nunc est ex[illegible]? Periit. Vbi Alexandri re & nomine Magni, magna nunc est potentia? Periit. Vbi summorũ aliorum Regũ atq; principũ nunc est dominatus?

periit

periit. Imo vbi nunc nos ſedemus: vbi docemus, vbi diſcimus, vbi diſſerimus, dicimus, habitamus? In illis ſcilicet omnibus, quæ in aliorum aliquando poteſtate fuerunt: quæ & nos aliis, cum ita rerum omnium moderatori Deo Opt. Max. placuerit, relinquemus. Verumque adeo eſſe multi experiuntur id, quod quidam dixit, ſcenæ ſimilem vitam hanc eſſe: in qua ſæpe perſonæ media in actione mutantur: aut eadem finita, perſonam, quam auro & purpura fulgentem ad tempus in theatro ſuſtinuerunt, exuere, ornamenta reſtituere ſua cogantur, neque illud dictum male videtur:

——— quid gloria? quid laus?
Quid fama eſt? quid honor? voces & opinio vulgi:
Omnia longa dies abolet: cum viuere ceſſas,
Omnia ſic abeunt, vt lux cum ſole recedit.

Cæterum de cunctis iis, quibus vitæ huius æſtimari felicitas ſolet, recte illud vſurpari poſſe videtur, quod ſepulchro quidam ſuo inſcribi curauit: *Quid? Omnia. Quid omnia? Nihil. Si nihil cur omnia? Nihil vt omnia. Nihil enim in his ſtabile aut firmum arbiter ille rerum eſſe voluit præter ipſum.*

Exemplar præbent Gilimer Rex in Africa Vandolorum. Diu felix fuerat, opes terraſque victoriis quæſierat: vertit ſe fortuna, & Beliſarius à Iuſtiniano Imperat. miſſus, cum exigua manu hominem euertit. Acie igitur victus fugit in Numidiæ excelſum montem Papum, atque illic obſidione aliquandiu tolerata, deſperans ad Pharam miſit, qui mandato Beliſarii obſidebat, actum ſuper deditione, ſimulque petitum, *Panem ſibi mitti, ſpongiam & citharam.* Panem, fami releuandæ; ſpongiam, ſiccandis oculis; citharam, leniendo animo. Dedit ea Pharas, & mox ſe ſ. Gilimer, qui ad Beliſarium deductus, nil niſi riſit. Deſipere cum è cladibus homines cenſebāt; vera ſapientia erat, qua inconcuſſa, hæc rerum, vſu edoctus, ridebat. Idque apertius in pſo triumpho oſtendit, cum per pompam Bizantii, ad Iuſtinianum in ſublimi ſolio ſedentem, adductus, hoc tantum effatus eſt: *Vanitas vanitatum, & omnia vana.*

Fatum. *PH.* Sunt qui fato cuidam iſthæc adſcribunt, ac ſuauiter deſuper obtegun-tur. Apud Lucianum in Νεκρικοῖς, quod ad fatum attinet, ingenioſe iocatur Proteſilaus coram Æaco inferorum iudice. Rogatus enim cauſam, cur hanc Helenam irruens miſeram ſtrangularet, ὅτι διὰ ταύτην, ἔφη, ἀπέθανον ἡμιτελῆ μὲν τὸν δόμον καταλιπὼν χήραν τε τὴν νεόγαμον γυναῖκα. Quia huius [illegible] gratia domum è fundo in medium euectam, nondumque abſolutam, ſimul cum vxore recens nupta, relinquens interii. Verum Æaco in Menelaum cauſam reiiciente, qui Græcos ad Troiam ob Helenam recuperandam duxiſſet, illum ſibi potius petendum Proteſilaus cenſuit. At Menelaus totius mali autorem dixit eſſe Paridem, qui præter omne fas ſibi diripuiſſet Vxorem. Itaque in illum conuerſus, audit amorem ſiue Cupidinem in illum miſerum Paridem, cui non potuerit repugnare. Quæ cauſa optare fecit Proteſilaum,

laum, vt sibi contingat Cupido, quem hostili congressu adoriatur. Atque causam aliam intercessisse accepit, videlicet, immodicam gloriæ sitim, quæ adhibuerit stimulos, vt primariæ militum cohorti se inuoluēs Protesilaus, cū Troianis commissa pugna occubuerit. Porro ille magis accusauit fatum, quo factum sit, vt antesignanis Græcorum in conflictu committerentur. Ambiguum postremo Æaco relinquitur: τί ὧν τούτοις αἰτία, quæ nam ratio fatum impulerit.

TH. Sunt qui felicitati, quam veluti Deam, obseruant atque exosculantur, quæcunque ipsis obueniunt grata, adscribunt. Hinc ille apud Ouid.

Sum felix, quis enim neget hoc? felixque manebo:
Hoc quoq; quis dubitet? tutam me copia fecit.
Maior sum quam cui possit fortuna nocere,
Multaq; vt eripiat multo mihi plura relinquet,
Excessere metum mea iam bona, &c.

PH. Longe aliter ac rectius sane Æmylius Paulus: Successus, inquit, rerum mearum tam felix effecit, vt diffiderem fortunæ: cumq; nihil restaret ab hostibus periculi, maxime veritus sum, ne nauigantem me cum exercitu victore, spoliaque & captos Reges mecum vehentem in ipso cursu, fortuna mutata, aliquis casus feriret. Postquam incolumis ad vrbem redii, vrbem videns plenam lætitia, & gratulatione, fortunam adhuc habui suspectam, quam compertam habebam, ea esse inuidia, vt nullum magnum munus hominibus sincerum, & non aliquo malo infectum largiretur. *Plutarch. in vita* Pauli Æmylii.

EQ. Opinor ego Fortunæ simul ac felicitatis quasdam in animis suis circumferre atq; exosculari imagines; quarum hæc (Felicitas) vt id obiter dicā, ab antiquo sic pingitur: Sedet in splendido palatio, sella deaurata, coronam & sceptrum gerens, capite & manu excellentiam suam indicans; pretiosis amictus vestibus, quod multis bonis referta sit. Duabus manibus virunculo genua coram illa flectenti & procumbenti coronam deferens; significat bonitatem maximam quam impertit suis cultoribus, item brabæa & præmia. Palatium ambit profundissimus amnis fluctuans; littore stant vepres & spinæ, sub quibus latent prospiciuntq; aspides & serpentes, item feræ; quod per multa pericula sit adeundum optimum bonum, vel summa εὐδαιμονία. *Felicitatis pictura.*

Fortuna vero sic depingitur: Excæcatis stat luminibus, quod merita hominum & facta non discernat. Facie atroci ac furenti, quod nihil iudicio agat. Alatis humeris, propter inconstantiam; quod non diu duret. Auratam pateram manu, dona sua, monstrat ferens. Frenum manibus, quo retrahit & aufert quod contulit. Insistit globo, quo non facile figi passus possunt, iuxta illud Ouidii: *Fortunæ pictura.*

Passibus ambiguus fortuna volubilis errat.

PH. Fortuna non vno modo efficta est ab hominibus sapientibus, veræ tamen religionis ignaris: siquidem alii inter maris vndas velificantem: nonnulli in saxi vertice montisve cacumine ventis omnibus expositam: quidam sedentem in cylindro cum gubernaculo: plerique rotæ aut orbi insidentem effinxerunt. Nam & secundum Marcellinum, versatiles fortunæ motus ludunt mortalitatem: nunc euehentes quosdam in sydera: nunc ad Cocyti profunda mergentes. De qua Cebes ille Thebanus in Tabula sic scribit: Quænam est illa mulier, quæ velut cæca atq; insana super lapide quodam rotundo consistere videtur? Fortuna (inquit ille) vocatur; ea autem non solum cæca, sed insana quoq; & surda est. Quænam huius sunt partes? Obambulat quocunq; gentium, & aliis quidem voluptates eripit, aliis tradit, & ab his rursus aufert quæ tradiderat, atque aliis temere tribuit. Et Pacuuius in Rhetoricis ad Herennium:

Fortunam insanam esse & cæcam & brutam perhibent Philosophi,
Saxoque instare globoso prædicant volubili:
Ideo quo saxum impulerit sors, eo cadere fortunam autumant:
Cæcam ob eam rem iterant, quia nihil cernat quo se applicet:
Insanam autem aiunt quia atrox, incerta instabilisq; sit:
Brutam, quia dignum atq; indignum nequeat internoscere.

Et Curtius *lib.7.* Sine pedibus dicunt esse fortunam; quæ manus & pinnas tantum habet: cum manus porrigit, pinnas quoque comprehendere non sinit.

Præcipitem mouet illa rotam, motusq; laborum
Nulla quies claudit, nec sistunt otia motum.
Hos premit, hos releuat, hos deiicit, erigit illos,
Cogit & in varios, homines descendere casus.

Et Antonius Mancinellus:

Fortunam pedibus carere dicunt.
Hæc alas retinet manusq; solum
Palmu fert regimenq; copiamque:
Extensis manibus repellit alas.
Hinc est lubrica semper hincq; cedit
In sphæra residens, vt inquieta.
Ergo nec manibus, nec illa duris
Vinclis, ni placeat, tenetur vnquam.
Qui paulum sapiunt, minusq; cernunt,
Inuitam quoque se tenere credunt.

TH. Somnia sunt vana sunt; de quibus Dauid Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Vitam illorum so-

somnum vocat. Etsi enim vigilant, ad peccata nimirum, vt ventri & iis, quæ sub ventre sunt, seruiant, vt decipiant, atque opprimant alios, &c. Reuera tamen dormiunt. Quemadmodum enim somnus omnem adimit sensum homini: Sic illi quasi nihil sentientes, de Deo eiusque voluntate ac prouidentia nihil cogitant; Si moneantur, corripianturve, non audiunt; non perpendunt ruinam instantem, mortem imminentem, terribile Dei iudicium, inexpugnabiles gehennæ pœnas. Et sicut somnus omnem adimit operationem, sic tales dicuntur otiosi, quia nihil boni faciunt, etsi inquieti in rebus malis. Sed sicut dormientes interdum habent iucunda quædam somnia de thesauro inuento, de percepta aliqua voluptate, quibus etiam in somno delectantur: ita illi sua quædam somnia habent: vacant delitiis, somnium est; in libidinibus volutantur, somnium est: honoribus tumescunt, somnium est. Quo sensu pulchre Leoninus Brechtus in Euripo:

Luxus, delitiæ, pompaq; seculi,
Fasces, nobilitas stemmata, purpura,
Nomen, diuitiæ, fluxaq; gloria
Ecquid sunt aliud quam breue somnium?

Sed sicut illi quando euigilant, nihil inueniunt in manibus suis: ita & hi in morte, quando aperiuntur oculi eorum, se miserrime deceptos queruntur: *Quid nobis profuit superbia? Diuitiarum iactura quid contulit nobis? Transierunt illa omnia tanquam vmbra*, Sap. 5.

EQ. Vtinam ergo saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent, vt monet Moses in Cantico *Deut.* 32. Ne quando sero nimis atque extremo suo malo vocem illam ex Ieremia sonantem audiant: *Leua oculos tuos, & vide vbi nunc prostrata sis, Ier.* 2.

PH. Cohibendus igitur erit animus, ne efferatur, ne insolescat, ne obliuiscatur sui ipsius, atque ita instituendus, vt se è libertate in seruitutem, è diuitiis in paupertatem, atq; ex alto atque illustri loco in infima obscuraque deiici aliquando cogitet. Bellerophontes, vt est in fabulis, cum equo illo alato ferretur, & sublimem teneret aera, præceps excussus est, quo casu, vt est in vetere versu, miser ac mœrens terris errauit alienis: quod euenire sæpissime iis solet, qui secundis rebus inflati, superbe nimis & intemperanter agunt. Proindeque ex Aphorismi huius (γνῶθι σεαυτὸν) sententia, hæc, quam quilibet attente obseruare debet, summa esto: *Insolentia compescenda.*

Cætera si vis noscere, teipsum noscere discas;
Cætera si vis vincere, teipsum vincere discas;
Noscere seipsum, vincere seipsum, maxima virtus.

Et quod Claudianus ad Honorium Imperatorem de victoria erga seipsum canit:

Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent,
Si metuis, si praua cupis, si duceris ira,
Seruitij patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis.
Cum poteris Rex esse tui.

Et certe sui ipsius victoria atque agnitio constansque adeo in rebus etiam desperatis vultus, mentis heroicæ ac magnanimæ indicium est: Stilpo, quem citat Seneca, *Epist.* 9. capta patria, amissis liberis, amissa vxore, cum ex incendio solus exiret, interroganti Demetrio, nunquid perdidisset? *Omnia,* inquit, *bona mea mecum sunt.*. Ecce vir fortis & strenuus, ipse hostis sui victoriam vicit. Omnia mea mecum sunt, inquit, Iustitia, virtus, temperantia, prudentia; quæ sane flammis eripi ac deflagrare non possunt. Miramur animalia quædam, quæ per medios ignes sine noxa corporum transeunt. Quanto hic mirabilior vir, qui per ferrum & ruinas & ignes, illæsus & indemnis euasit. Videtis, quanto facilius sit totam gentem, quam vnum virum vincere. Hanc spectat illud incerti autoris:

Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia: nec virtus altius ire potest.

EQ. Extat grauissima Electoris Marchionis Brandeburgici, huic rei accommoda oratio atque commonefactio ad Carolum V. in obsidione Witebergensi, cum captiuus Princeps Iohannes Fridericus crimine læsæ Maiestatis à duce Albano & aliis consiliariis Hispanicis condemnatus esset, quam Henricus Merckelius in descript. obsid. Magdeburg. his verbis recenset: *Vide*, inquit, *Cæsar*, *si secus feceris*, *vt factum ab Imperij ordinibus accipietur? Quantam odij immortalis materiam tibi*, *tuis omnibus ac posteritati conflabis? Si me consultore (nam quid alij consulant*, *gentis suæ more*, *nihil ad me) vti velis*, *moderare victoriam, eaque vtere*, *vt te dignum est. Parum est*, *quod hostes tuos bello superaueris*, *nisi teipsum vincas. Qua re nihil fortius*, *nihil præclarius*, *aut Maiestate Imperij dignius. Alterius victoriæ laus bona ex parte*, *ad milites, quorum opera in bellis vsus es*, *pertinet*: *huius vero summa gloria*, *Iram vincere, hostemque clementia superare*, *propria tua est. Quod si Germaniam in fide continere velis*, *lenitate*, *haud quaquam crudelitate opus est. Cogita Cæsar*, *huius maiores paternum tuum regnum olim cum summa laude gubernasse*, *magna bella gessisse*; *patruus huius beneficio*, *ad summum Imperium te ex Hispaniis euocatum*, *cum ipse suffragiis omnium designatus, illud suscipere recusasset, &c.*

Facile autem elector Brandeburgicus hac sua commonefactione exquisita, animum heroicum Caroli victoris mitigauit, quum ipsius generosa natura alioquin ad clementiam, quam rigorem propensior esset, &

antea

antea quoque statuisset, & actiones mitiores & consilia, tutiora esse, quam crudelia, & sanguinem tam illustrissimum sitientia & spirantia.

PH. Huiusmodi suimetipsius victoria etiam à Iacobo Aug. Thuano *hist. lib. 3. par. 3.* commendatur in captiuo Principe Ioh. Friderico, quem ita colloquentem cum Ernesto Brunsvvicensi eodem modo captiuo, introducit: *Si te bello inferiorem doles; vt superior sis, constantiam indue, & te calamitatem tuam contemnere ostende: sic victoriam hosti eripies, & victus victorem vinces. Hac expedita ratio est, vltionis de hoste vel in hac captiuitate sumendæ.* Additq; insuper Thuanus hoc Principis huius encomion insigne: *Magnus vtiq; ille vir, & qui, vel inimicorum testimonio, comitate, liberalitate; prudentia & animi inuicti fortitudine excellentiss: mos principes æquans, in eo multis præponi meruit, quod aduersam fortunam constantia sua omnium iudicio superauit.*

TH. Recte hæc à vobis dicuntur atque accommodantur; congruuntque omnino cum iis quæ in eandem sententiam inquit Bernhar. libr. 2. de consid. *Sapiens Dauid, sapientior Salomon erat; blandientibus tamen minus prosperis & secundis rebus, alter ex parte, alter ex toto desipuit. Et facilius inuenies, qui sapientiam retinuerunt contraria sibi fortuna, quam qui prospera non amiserunt. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat*, ait Hieronymus in Epist. ad Heliodor. (loquitur autem de mundo blandiente,) *noli credere, noli esse securus. Intus est periculum, intus est hostis. Tranquillitas ista tempestas est.*

O igitur *homo* (inquit Augustinus in psal. 58. loquens in persona ipsius Dei,) *si te videres, tibi displiceres, & mihi placeres. sed quia te non vides, tibi places, & mihi displices: veniet dies, quando nec tibi nec mihi placebis; mihi, quia peccasti; tibi, quia in æternum ardebis.* D. Prosper sent. n. vlt. *Diuitiis flores & maiorum nobilitate te iactas & exultas de patria, & de pulchritudine corporis & honoribus, qui tibi ab omnibus deferuntur. Respice teipsum, quia mortalis es, & quia terra es, & in terram ibis. Circumspice eos, qui ante te similibus splendoribus fulsere. Nonne omnia puluis? nonne omnia fauilla: nonne in paucis ossibus eorum vita memoria est? Respice sepulchra, & vide, quis seruus, quis Dominus: quis pauper, quis diues. Discerne, si potes, vinctum a rege, fortem à debili, pulchrum à deformi. Memor itaq; naturæ, ne extollaris aliquando. Memor autem eris, si teipsum respexeris.*

Et D. Chrysostomus citatus in method. Conf. ff. *Intuere nunc sepulchra superborum, & vide. Si est aliquod in eis iactantiæ suæ vestigium, si aliqua diuitiarum vel luxuriæ signa cognoueris. Require nunc, vbi vestes & ornamenta peregrina, vbi spectaculorum voluptas? vbi assectarum turba? Conuiuiorum cessit opulentia, risus, iocus, immoderata atque effrænata lætitia, quo abiit? quo recessit? vbi illa nunc? vbi ipsi? Quis finis vtrorumque intuere diligentius, & accede propius ad sepulchra eorum, & vide cineres solos & fœtidas carnes, vermiumq; reliquias; & recordare, hunc esse corporum finem, etiamsi in deliciis & lætitia, etiamsi sine labore & commentia transegerint vitam. Atq; vtinam*

omnis res nostra vsque ad cineres veniret & vermes, parua viderentur hæc damna, & quæ facile excusare posset natura nostra conditio. Nunc autem conuerte oculos tuos ab his cineribus & sepulchris, & reuoca cogitationem tuam ad illud diuini iudicii tribunal horrendum: vbi fletus & stridor dentium vbi tenebræ exteriores, vbi vermis ille conscientiæ, qui nunquam moritur, & ignis qui nunquam extinguitur.

Vsque quo ergo filii hominum, qui diligunt vanitatem; cum ipso etiam obseruante Seneca, *Quem dies vidit veniens superbum. Hunc dies vidit fugiens iacentem. Caduca nimirum & fragilia, puerilibusq; consentanea crepundiis sunt ista, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Affluunt subito, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt, sed incertissimo flatu fortuna huc atq; illuc acta, quos in sublime extulerunt, improuiso recursu, in profundo cladium mirabiliter immergunt*, inquit Valerius Maximus *lib 6. c. 7.*

EQ. Quotusquisque vero est, qui illud, γνῶθι σεαυτὸν serio ac sedulo suamque exinde meditetur fragilitatem. Sentiunt pii, sentiunt impii, in suo quisq; loco atque ordine mirificas omnium rerum metamorphoses. Ac pii quidem cum Dauide clamant: *Respice in me, & miserere mei, quia vnicus & pauper ego sum.* Et cum S. Iobo: *Etiamsi occiderit me Dominus, tamen sperabo in eum*, nimirum in patientia possidentes animas suas. Impii vero, non secus ac si cum morte atque inferno fœdus inierint: *Venite*, inquiunt, *& fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ: vbiq; relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra & hæc sors. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiæ: quod enim infirmum est inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, &c.* Sap. 2. Sic quidem illi. Interim Deus identidem quæ vult facit, dissipat prauas illorum cogitationes, & irritas facit vias eorum.

Rerum vicissitudo pios & impios manet.

Alexander Magnus maximis rebus gestis indicat hoc pulcherrimum regnum partum esse consiliis & dimicationibus suis: delectatur hac sua sapientia, sua fortitudine: incipit contemnere & premere inferiores: nec agnoscit, has tantas res gestas esse Dei auxilio, qui Persis eripiebat imperium, vt eos puniret, sicut & postea Alexander factus nequior punitur.

Talis describitur & Nabuchodonosor, qui castigatus agnoscit hanc arrogantiam & se emendat.

Sed Sennacherib simili elatus fiducia sui, non emendatur, sed interficitur.

Et historiæ ostendunt, plerunque heroicos viros tandem opprimi tristissimis

mis caſibus. Id vero eo fit, quia ſeipſos nimium admirantur, & confidunt donis ſuis ſine agnitione humanæ infirmitatis, ſine agnitione & petitione auxilii diuini, & ſæpe mouent res periculoſas, aut etiam iniuſtas ex priuatis affectibus, fiducia ſuæ potentiæ, vt Pompeius.

Accedunt & alia vitia; luxus, deſpectio & oppreſſio aliorum, vt: Alexander ſecurus helluabatur, interficiebat optime meritos Duces, ideo ſequuntur pœnæ.

Hoc ipſum Poemata etiam ſignificauerunt de Aiace: quem ſcribit Sophocles ideo punitum eſſe furore, quia cum pater Telamon abeunti dixiſſet, vt pugnaret quidem ſtrenue, ſed à Deo victoriam peteret? reſpondit Aiax, etiam ignauos adiutore Deo poſſe vincere, ſe vero vel ſine Deo.

Ex his exemplis facile intelligi poteſt, quare heroici viri tandem ſæuis caſibus plerunque opprimantur. Et ſcriptum eſt de hac elatione & fiducia ſui: *Abominatio eſt coram Deo quicquid eſt ſublime coram hominibus.*

TH. Quinetiam Deus ſæpenumero ſigna atque indicia inſtantem ruinam portendentia conſpectui hominum exponit. Vnicum è perquam multis, quod de Alexio Iohannes Comnenus ſcribit, referam. Alexius, inquit, Imperator in caſtris deſignatus, omiſſo contra Vlachos bello, Conſtantinopolim rediit. Templaque ibi poſt inaugurationem egreſſus, cum conſcenſurus eſſet equum Arabicum, ſeſſorem ille non voluit admittere, ſed oculis ſanguine ſuffuſis, auribus erectis, crebro ſolum pulſans, & anterioribus vngulis cum fremitu ſublatis, indicium præbuit, qua Alexium tergo recipere dedignaretur. Vbi vero poſt multos popiſmos & ceruicis palpationes placatus, crebros illos gyros & calcitrationes omiſſurus videbatur: Imperator in eum inſiliit, & habenas prehendit. Nihilominus ille ferocit, nec prius importune ſaltare deſiſtit, quam gemmata corona capite Imperatoris excuſſa, & ex parte comminuta, ipſum quoque deieciſſet. Alio equo adducto, fracta corona inauſpicatum omen viſa eſt imperii cladium non expertis, & imminentis ruinæ, noxæque hoſtilis. *Præſagia.*

EQ. De præſagiis alibi (in continuatione Dierum canicularium) à nobis dictum eſt. Nunc quod dicere inſtituimus, proſequamur, Deum nimirum piis iuxta atq; impiis, fragilitatis huiuſce, quamq; nihil in vita humana ſi mũ ſit ac ſtabile, tranſlatione regnorum, deſtructione ſiue expugnatione vrbiũ, extirpatione familiarum, ſæuitia in proprium ſanguinem & quibus non? experimenta permiſſiua ante oculos ſtatuere. Atq; vt de ſummo ad imum digrediamur; Imperium certe Romanum ſummum quibus varietatibus concuſſum, dilaceratum, translatum ſit, nemini non conſtat.

Aſſi-

Regnorum incrementa & decrementa.

Aspicis vt iaceant disiecti membra Colossi,
Quem Rex Chaldea vidit in arce senex.
Stat tantum pars vna pedum ferroq; lutoq;
Mixta, statim rimis corruitura suis.
Deleuere vrbes Turci populosq; potentes,
Nec gens Imperium seuior vlla tenet.
Sunt igitur Turci magnæ pars ferrea plantæ,
Et sunt infirmum cætera regna lutum.
Sed lapis absq; manu celso de monte reuulsus,
Mox aderit iudex Filius ipse Dei.
Totius & plantæ delens ferrumq; lutumq;
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergo Dei Gnato dedant se pectora nostra,
Ipsius & discant iussa verenda sequi.

PH. Elegans extat Seb. Munsteri de incremento & decremento Imperiorum similitudo: Vt homo, inquit, ante conceptionem, nihil plane est, conceptus vero acquirit esse, nasciturq; paruus & inops in terram, atque sensim tacitis auctibus grandescit, donec iustam attigit ætatis mensuram: ac deinde rursum incipit deficere, viribus corporis destitui, atque mentis vigore languescere, donec tandem penitus in mortem resoluatur: Sic etiam regna monarchiæ & magni principatus plerunq; habent exilia principia: accipiunt paulatim incrementa, crescunt, roborantur, dilatantur, ac veluti per gradus ad summum ascendunt fastigium: & quantumlibet armis, legibus & consiliis ad tempus firmentur, tamen interim consenescunt, & tandem penitus concidunt. *lib.1. Cosmographiæ, cap. 32.*

EQ. Fato euenire mutationes, quæ efficiunt vastationes in Imperiis, seditionibus aut bellis, ciuilibus vel externis, præsertim si plures simul in eundem quasi articulum temporis locis diuersis incidant, non est dubium. Antecedunt has mutationes fere in animis Principum amentiæ & cupiditatum immodicarum implacabiles furiæ, quibus impelluntur autores, vt moueant vel irritent non necessaria bella. Suntq; errores consiliorum, & furores libidinum cupiditatum simul primæ & proximæ peccatorum in magnis Principibus pœnæ, & caussæ ruinæ atque interitus:

Iratus enim ad pœnam Deus si quos trahit,
Auferre mentem talibus primum solet.
Caliginemq; offundit, vt ruant suas
Furentes in clades, sibi quas noxiis
Accersierunt vltro consiliis malis.

Et in

Et in Lucani versibus dicitur:

Hoc placet ô superi cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nocituraq; poscimus arma.

Cœcitas enim aberrantia parit consilia turbata ratiocinatione. Cupiditates feruntur extra metas, nec parcunt coniunctissimis etiam: Hinc odia & distractiones: ex his bella, vel domestica, vel post præconsumptas domi vires externa, quibus implicitos opprimunt aut clades insignes, aut ruinæ perpetuæ. Tales cum viderit mutationes pars maxima orbis terrarum diuersissimis in locis hoc ipso tempore, quo interregni fluctibus quassata est Germania, fatales omnino & occultas præcessisse causas necesse est.

TH. Vult sciri Deus. Imperia non rapi aut obtineri viribus, nec regi aut sustineri consiliis humanis, nec consistere aut ruere casu: sed constitui ac seruari diuinitus, & rursus, crescentibus gubernatorum ac subditorum vitiis & impunitate, vel deleri, vel mutari ac transferri diuinitus non tantum de gente in gentem, sed & de stirpe in stirpem. Vix enim in vllis historiis diuturnam fuisse eiusdem familiæ potentiam, & vltra quintum successorem pari sese felicitate extendisse reperias. Sicut & oraculi versu dicitur: καὶ σὺ καὶ παῖδες καὶ παίδων οἱ κε μετὰ παῖδες.

Sæpe etiam ostendit Deus totarum familiarum deletione, regnorum conseruationem non ita esse alligatam ad successionem ex certa stirpe, vt his fastigiis posteri excidere nequeant, & propterea vel perpetuam potentiam, vel certum atque immutabile ius sibi somnient. Nec si quæ mutationes accidant bello, aliisue de caussis, quenquam fiducia generis inuadere & occupare dominationem, aut recuperandæ potentiæ studio moliri aliquid, vel muniendi sui caussa præsentem formam gubernationis turbare debere. Deniq; nullam esse felicem gubernationem, nisi Deo adiuuante. Quam infelices sint magnæ potentiæ extra vocationem & ordinem affectationes, ostendunt exempla historiarum.

Transfertur legitima electione Imperium à Saxonibus in Conradum Saliquum, & huius posteros, quibus cum Saxones fiducia generis, quod Henrico Aucupe nati & propagati essent, qui primus in eam gentem fastigium Imperii intulerat, & alieni iugi impatientia parere recusarunt, funesta bella ciuilia accensa sunt, flammas etiam subdentibus Pontificibus. Hæc bella vtrisque familiis absumtis, & pluribus aliis, non solum Germaniam præstantissimorum virorum presidio orbarunt, vt desineret esse formidabilis exteris regibus, sed & Imperii formam mutarunt, & Pontifices seditiosis consiliis ac molitionibus implicitos, noua Tyrannide armarunt.

Sint etiam in conspectu caussę innumerabilium vitiorum & calamitatum, quibus Imperia opprimuntur, & tandem euertuntur. Ordo in Imperiis, vt in

rerum natura, sine dubio est opus Dei. At co[illegible] & boni ac præstantes humanoq; generi vtiles Principes & fœlix ac salutaris gubernatio. Huius ordinis confusiones nec vult, nec approbat, nec adiuuat Deus, etsi permittit, & metis constitutis, quousq; toleraturus sit, tandem autores confusionum grauissime vlciscitur, sarcitq; ac restituit labefactata. Oriuntur autem confusiones in gubernatione à Diabolorum furoribus, qui odio Dei ordinem diuinum, quibus possunt modis, turbare conantur, & ab hominum imbecillitate, quæ & per sese facile labitur, & furoribus diabolorum incitata magis ruit extra metas & ordinem, idolatriis, libidinibus, tyrannide, quæ fere ex superbia orta, vel auaritia desinit in seditiones, in quibus vere secundum Thucydidem, πᾶσαι [illegible] ἰδέαι κα[illegible], sicut Germania experta est in belllis Henricorum. Et omni tempore vel in seditionibus extulit sese improbissimorum hominum audacia, & creuit eorundem potentia, secundum versum veterem: ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς, vel propter seditiones attracti sunt homines peregrini, qui dom[illegible] sese conflictantes oppresserunt, vt historiæ omnium temporum testantur. Etiam Imperia quæ amplitudine sua fulta ac maiestate, solius potentiæ nixa, & sese sustentarunt, & omnem vim externam respuerunt, tandem intestinis quassata conuulsaq; motibus corruerunt. Sed de Imperiorum mutationibus infra *Aphor. XI.* vberior erit dicendi locus. Nunc de vrbium etiam expugnationibus ac vastitatibus aliquid attingemus.

Vrbium expugnatio & vastitas.

EQ. Sunt, vt in cæteris rebus, sic instantibus vrbium vastitatibus, euidentia plerunq; præsagia, quæ earundem exitia antecedunt, totisque gentibus clades denunciant & accelerant, qualia sunt 1. Enormium delictorum magnitudo. 2. Delinquentium multitudo. 3. Delinquendi consuetudo, naturam ipsam inficiens & deprauans. 4. Et atrocium delictorum publice concessa licentia atq; impuritas, quo consuetudinem in ἀπαιδίαν seu impudentiam vertit: & mentes in effrenem ac portentosam rabiem agit, vt instar brutorum erubescere nesciant, & scelera sceleribus annectere non desinant, donec eadem clamore suo nubes penetrante, iustam in se Dei vindictam prouocēt & concitent; estque tunc, quod Seneca ait, consummata infelicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ antea vitia fuerunt, mores fiunt. Hinc certissimum ac iustissimum illas manet exitium. Exempla extant passim.

Lacedæmonii cum non vellent punire nebulones, qui stuprauerant filias Scedasi: amiserunt libertatem, ac in seruitutem venerunt, ac plane cōciderunt.

Cum Paris nollet restituere raptam coniugem Menelao marito, Troia euersa fuit funditus.

Cum Gibeonitæ iussi nollent sistere ciues Gibeonitas, qui stuprarent Le-

uitæ

uitæ coniugem, tribus Beniamin ad internecionem propemodum deleta fuit.

Arunti Hetrusco abducitur coniunx à quodam adolescente, quem ipse domi suæ alucrat. Re delata ad iudices, vicit adolescens, & causam obtinuit ope amicorum & pecuniæ, qua iudices corruperat. Irritatus Arunx hac iniuria profugit in Galliam, Gallosque in Italiam attraxit. Direpta est tunc vrbs Roma, & deleta à Gallis. *Vide Plutarch. in vita Camilli.*

TH. Itaque tanto est miserabilius, quod, quando semel facta est destructio alicuius regni, aut prorsus deleta est vrbs aliqua, nunquam postea recuperatur vetus dignitas, nec spes vlla est restaurationis; omnino quemadmodum (dicente Oratore Attico,) homo viuus ex aduersis rebus eluctari potest: mortuo nihil spei in hac vita superest: sic Vrbium, quæ opibus & gloria floruerunt, mors est desertio & vastitas. Exempla id loquuntur.

Regnum Ægyptiacum euersum per Moysen, quod sine vlla dubitatione fuit omnium regnorum pulcherrimum, nunquam recuperauit pristinam dignitatem.

Regnum Hierosolymæ destructum à Nebucadnezar, nunquam est restitutum in pristinum statum.

Carthaginis magna fuit potentia, antequam deleretur à Scipione. Post excidium vero, etsi fuit restituta ab Augusto Cæsare, tamen non fuit par potentia & opibus vrbi veteri.

Thebæ excisæ ab Alexandro Magno, cum antea fuissent inter potentissimas Græciæ vrbes, postea restitutæ nullam amplius habuerunt potentiam.

Cum Troia fuisset maxima vrbium eius temporis, & Asiæ domina, postquam semel à Græcis euersa & deleta est: postea nunquam est restaurata.

PH. Exotica sunt hæc. Vel sola vrbis Gothanæ, quæ propugnaculum fuit Germaniæ, intra hominum memoriam facta destructio, sufficiens huiusce assertionis præbet documentum, cuius ego historiam, nisi in omnium propemodum versaretur manibus ab ouo recenserem; recensebo igitur aliam, vrbis nimirum Constantinopolitanæ, quæ Christianorum aduersus Turcam cumprimis propugnaculum fuit, expugnationem. Expugnata autem fuit Constantinopolis, Imperatore Constantino Palæologo vltimo, à Mahomete post obsidionem dierum quatuor & quinquaginta, quarta Calend. Iunii, id est, die Maij vicesimo nono, anno Christi millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio.

Obsidionem tradunt inchoatā esse Nonis Aprilis, & intra mœnia præter vrbanam multitudinem tantum fuisse sex millia Græcorum militum & auxiliariorum Venetorum & Genuensium tria millia. Contra Mahometes adduxerat quadringenta millia hominum, quæ multitudo maxime collecta fuit ex vicinis gentibus, quæ adhuc nominabantur Christianæ, ex Græcia, Illyrico, V Vallachia, Dardanis seu Rascis, Tribalis seu Seruiis, Bulgaris seu Mysis. Turci pauci fuerunt. Europæis fuere admixti Asiatici ex Bithynia Galatia, Lydia, & Cilicia. Sic nobiscum bella gerunt Turcici Tyranni, vt gentes cognatas nobis, nobiscum dimicare cogant.

Oppugnationem Mahometes terra marique est aggressus. Terra copias ita distribuit, vt tribus in locis muros concusserit ac disiecerit, & per ruinas tentarit irruptiones. Virtus in defensoribus egregia fuit, quorum Dux Iohannes Iustinianus Genuensis, multum vsus consilio & opera viri fortis atque industrii, qui nominatur in historiis Iohannes Grandis Alemannus, fortiter impetus irrumpentium hostium sustinuit atq; elisit. Sed quod copiæ exiguæ essent, & tribus in locis ad ruinas deiecti muri, atq; insuper ad portum assidua prælia multos milites quotidie absumerent, diu contra tantam multidinem sufficere non potuerunt, præsertim cum vtrinque cuniculi acti essent, etsi in his conatus fossorum Turcicorum fuerunt irriti.

Adduxerat Tyrannus Turcicus ex diuersis littoribus maris Ægæi & Euxini ducenta & quinquaginta nauigia, vt portum Byzantinum obsideret, & littora nauibus tanquam ponte iungeret. His in portu opposita fuerunt septē Genuensium, tres Cretensium, & aliquot ex Chio naues. Fuit & portus ipse cathena ferrea clausus, ne perrumpere & penetrare in eum classis Turcica posset. Eruperunt & propugnatores per occasionem, ac cum Turcis fortiter præliati classem eorum iniecto igne ad eum modum corruperunt, vt aliquot diebus sine vsu fuerit. Tandem tamen Turci effracto, qui obseratus erat cathenis seu repagulis, aditu, intra portum peruaserunt. Ibi cum terra marique quassatis ac prostratis muris Tyrannus spem expugnandæ vrbis suscepisset, irruptiones ex portu & aliis locis, totis viribus tentatæ sunt.

Stetit spectator tyrannus in vicino colle, cohortatus suos, vt fortiter muros conscenderent, & vociferatus horribili vlulatu, sicubi repelli eos aut inertius fieri vidit, minitatus etiam cedentibus. Nam & cohortes, quas velut triarias apud se retinuerat, summisit, qui cedentes iugularent.

In hoc prælii feruore, etsi spes victoriæ animum & robur defensoribus addidit, præsertim vbi cæsorum multitudine exercitus Turcicos animaduerterent nōnihil turbari: tamē rursus cōuersa est prælii fortuna, Iustinianus Genuensi vulnerato, qui etsi obtestaretur eum Imperator Palæologus, ne fugeret ex sua turri, cum vulnus non esset lethale, tamen deseruit stationem, nullo

alio

alio in eam speculam collocato, fractus animo potius quam vulnere. Fugam Ducis secuti milites speculam nudarunt. Hoc animaduerso Turci magno agmine in ea loca infusi, vrbem occuparunt.

Iustinianus in vicinam Peram euasit, vnde postea in vicinum Chium nauigans, seu vulnere seu mœrore animi extinctus est. Imperator Palæologus cũ multis aliis, quibus spes vitæ in fuga erat, si ex vrbe eff igissent, in ipsa porta, vel trucidatus vel collisione multitudinis conculcatus est. Nam in porta octingenta cadauera reperta sunt.

Victores Turci grassati per vrbem, & obuios quosq; & abditos in ædibus senes, matronas, virgines, puberes & impuberes crudelissime trucidarunt. Raptæ sunt matronæ nobiles & virgines ad stupra: quæsita est præda in omnium ædibus & templis, quam Mahometes si vrbs caperetur, militibus tribuerat. In templis picturæ Christi contumeliis affectæ, & omnia in vrbe toto triduo scelera commissa sunt, quæ gens barbarica, impia, libidinosa, obscœna, auara & crudelis in capta vrbe regia opulenta & ornatissima audere potuit.

Post triduum Mahometes vrbem ingressus tumultus sedauit, & inquisitos proceres aliquot, qui adhuc reliqui erant, dissecari iussit. Narrant & in conuiuiis Turcicis honestas matronas & virgines, etiam ex regia familia, post alias contumelias per ludum in frusta concisas esse.

Talem cum vrbium omnium regina in toto genere humano experta sit sæuitiam obscœnissimorum & crudelissimorum latronum, exemplo moueamur, vt cogitemus de pœnis, quæ aliis gentibus & vrbibus impendent, ac metuentes iudicium Dei, exuscitemus nos ad veram Dei inuocationem, ac petamus assiduis gemitibus, vt Deus propter Filium & seruet inter nos Ecclesiam, & mitiget pœnas. Nec tantum pœnæ exemplum intueamur: Sed & de antegressis Principum ac gentis Græcæ peccatis cogitemus, & petulantiam vsurpatam in lacerando regno discordiis ac bellis ciuilibus consideremus: Et moti exitu tristissimo, viuamus modestius, foueamus ac tueamur concordiam, nec diffidentia, ambitione, cupiditate vindictæ aut pleonexia turbemus tranquillitatem communem, ne diuulsis nobis & laniena mutua vel præconsumptis vel attritis, accidat quod euenit genti Græcæ.

TH. Dira metamorphosis miserabilis facies. Vrbs hæc (Constantinopolis, cuius ambitum tradunt esse centum & vndecim stadiorum, id est, milliarium Germanicorum trium & dimidii,) equidem antea quoque domesticis & externis bellis interdum quassata fuit, habuitque principes dissimiles; mansit tamen & arx Imperii Orientis, & præcipua doctrinarum sedes, & hospitium Ecclesiæ, sed alias magis, alias minus puræ. Nunc deletis Ecclesiis, Bibliothecis & studiis doctrinarum, sublatis ordinum gradibus, Senatu & Magistratibus, & extinctis vel oppressis Nobilibus familiis, arx

est blasphemiæ Mahometicæ; & stabulum Turcicorum latronum, qui doctrinas, honestam disciplinam, leges, coniugorum fœdus, castitatis decus furenter contemnunt, & nulla ciuilia ornamenta magnifaciunt.

EQ. Exemplis non destituimur; temporis angustia, qua opus institutum absoluendum est, vt progrediamur, iubet. Cumque hactenus Imperiorum & vrbium conuersiones simul & ruinas diximus; proximum nunc est, vt etiam hominum, illustrium cumprimis fata quædam, quantum id quidem nostri instituti ratio patitur, delibemus.

Hominum fata diuersa.

PH. Omnes quidem eodem modo nascimur; Sed non omnes eodem modo viuimus. Sunt quos fortuna toto vitæ tempore fatis iniquissimis vexat, extremo autem termino benigne respicit: Sunt qnos fortuna initio complexa est, tandem vero deserit: Sunt quorum termini, initium, & finis tristis, læto interuallo medio, atque ita per interualla in infinitum. Sigismundum Imperatorem, quem adhuc puerum Ludouicus Vngariæ Rex in filium adoptauerat, mortuo Ludouico, varia & diuersa fortuna, etiam ante annos adhuc pubertatis, excepit. Cum enim vidua Ludouici à mariti morte durius imperaret subditis, proceres inita conspiratione euocarunt ex Apulia ad regnum Carolum Dyrrachianum. Hunc magno applausu ac studio ab Vngaris exceptum, vidua Ludouici veneno interimi curauit, genero futuro regnum vt traderet sine certamine. Sed necem Caroli vltus Iohannes Horuatius Banus reginam in aquam demersam suffocauit. Huius facinoris fama cum percrebuisset, Sigismundus, qui annum iam agebat vicesimum, Vngariam, ne regnum amitteret, cum exercitu ingressus, susceptisq; insignibus & ornamentis Regiis, ac nuptiis celebratis, de Horuatio parricida & aliis triginta duobus, qui cum illo de abrogando sponsæ suæ regno consenserant, supplicium sumpsit.

Hac seueritate irritati Vngari, captum Sigismundum tradiderunt custodiendum ad exquisitam corporis pœnam fœminæ viduæ, cuius maritum è nobili familia Garenorum inter factiosos supplicio affecerat. Ex ea custodia liberatus diuinitus, cum promissis amplissimis iratum viduæ animum placasset, mox regno recepto præsidiisque firmato autorem captiuitatis Stephanũ Veiuodam securi feriit. Exemplo territi reliqui quieuerunt.

Tanta cum difficultate regno potitus, quarto demum à primo ingressu anno, postea conatu omni incubuit in bellum Turcicum, multis obtestationibus accitus à Palæologo aduersus Baiazeten obsidione vrgentem Byzantium. Contrahit ergo validas copias ex suis regnis finitimisque Germanis, quibus cum Iohannes Philippi audacis Burgundi filius Caroli Sexti patruelis impulsu, iunxisset lectissimas equitum Cataphractorum turmas, quas multi

præ-

præstantes viri ex proceribus Sueuicis, Bauaricis & Austriacis auxerunt & ornarunt, directo in hostem itinere penetrarunt ad Nicopolim vsque Myſiæ vrbem, quæ monumentum est victoriæ, quam de Dacis denique retulit Traianus. Ad eam vrbem improſpere tentatam hærentibus exercitibus, superueniens Baiazetes, attrahens sexaginta equitum millia, seque ad tertium Calend. Octob. nostris in conſpectum dedit.

Pugnatum est anno millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, summa nostrorum temeritate, Gallorumque præsertim, qui primi agminis decus deposcentes, cum retineri non posset, quin vel inuitis & frustra retentantibus ducibus in primos hostium antecursores impetum facerent, antequam Germanorum phalanges, & Hungari Bohemique equites appropinquarent, à Baiazete lunata acie circumuenti, partim cæsi, partim capti sunt.

Hoc infelici Gallorum casu territi cæteri diffugerunt, trepidatione tanta, vt Sigismundus exutus castris, & omnibus spoliatus ornamentis, vix euaserit ex hostium manibus, Iohannes cum paucis ducibus viuus in potestatem hostium deuenerit, cui proiecto ad pedes & salutem suppliciter deprecanti respondit Baiazetes: se vitam ei libenter concessurum, ob id quod iuuenis, & regio sanguine natus esset; Sed reliquos captiuos ad vnum omnes, præter quinque proceres, carceris comites in conspectu ipsius trucidauit.

Sigismundus parua nauicula Byzantium delatus incidit in classem Venetam, qua reductus in Italiam, cum inde sese in regnum recepisset, reperit animos suorum clade Nicopolitana non confirmatos tantum vehementer, sed & alienatos à se, quæ res nouas illi difficultates obiecit, quas tamen explicauit celeriter.

Hæc infelicia belli iusti ac necessarii auspicia ostenderunt, qualis reliqua eius militia esset futura. Non fuerunt enim iterati conatus prosperiores prioribus.

TH. Exempla huiusmodi ac fortunæ per interstitia varietates quotidie occurrunt; itaque rem pressis habenis atque exemplis raris, ad imitationem ipsius Hieronymi prosequemur. Is namque enarrans fragilem humanæ conditionis statum, varia affert Regum ac Principum exempla, qui de altissimo dignitatis gradu repente præcipitati, misere perierunt; & qui dum rerum potirentur, terrori gentibus erant, capti ante ora victorum steterunt, & prius ignominia seruitutis quam hostili mucrone confossi sunt. *In Epist. ad Heliodorum.*

EQ. Vna

EQ. Vna Græcia, præsensím à Constantino Magno, qui imperium in eam transtulit, tot exempla dat, vt sit opus alio theatro. Quid in Italia? ab Augusto ad eundem Constantinum numerantur Imperatores quadraginta tres. Vix decem ex istis dabitis, qui sua morte sint defuncti. Alios ferrum, venenum, laqueus abstulit: à filio, fratre, vxore, amico, inimico. Sed & fati alia genera miseranda. Polycratem in cruce mori video, Dionysium in schola, Boleslaum Poloniæ regem in culina. Antiochum Syriæ à latronibus occisum, Pyrrhum à fœmina, Henricum Galliæ à Monacho.

PH. Valeriano Imper. quamdiu vixit, Sapores Persarum rex, ipso incuruato, pede calcans eius ceruicem, quasi sui pedaneo vsus subsellio, equum conscendere consueuit; ab eodem iussus tandem excoriari.

Initium lætum, terminus infelix.

EQ. Memorabilis fortunæ lusus, fuit in Baiazete I. quem Childerum Can à fulmine Turcæ dixerunt. Is namque varie & per decem amplius annos victor tandem cum Temire Chano, quem Temirlancum à claudicatione item dicunt, congressus infeliciter admodum cum extremo suo damno, dedecore atque ignominia conflixit; Conflictum paucis referam. Cum Tamerlancus (siue Tamerlanes) in Asiæ anterioris aditu, aliquot Armeniæ vrbibus captis, & Sultania, Persarum olim Regia direpta atque incensa, Euphratesque ad Arsingam superato, expugnataque Sebastia, quæ sita est in Cappodocia, Orthobulen Baiacetis filium captum paulo post interemisset, quinetiam in captiuos sæuitiam exerceret tantam, vt omnem promiscue multitudinem, quam affirmant pene numerum duodecim myriadum æquasse, equis conculcandam obiecerit. Ibidem moranti obuiam factus Baiazetes cum ingentibus copiis castrametatus est ad Stellam montem, Pompeij Magni de Mithrydate victoria celebrem, cui ab Antitauri radicibus exporrecta planicies ampla subiacet, campis ad acies commode struendas ac disponendas vndique late patentibus, qui Turcarum lingua Cassouasi, id est, Anserum campi nominantur, inde quod id genus volucrum statis anni temporibus eo conueniat, vt totis agminibus in Europam commigret.

Dimicatum est inter hos anno Christi millesimo, trecentesimo, nonagesimo septimo, secundo post Nicopolitanam cladem anno, eo exitu, vt circiter centum quadraginta millia hominum ceciderint, & Baiazetes equo plurimis sagittis confixo captus, atque ad Tamerlanem perductus, miserabile fortunæ ludentis spectaculum toti Asiæ præbuerit. Nam ad victorem Temirem perductus, honeste primum exceptus est: Cum & obuiam pedes extra tentorium iuisset, illi in equo aduentanti. Cum descendisset; vterque pro more gentis, humi in tapete consedit, atque ibi Temir (operæ pretium visum, fide annalium Turcicorum verba dare) *O Chan*, inquit, *magnas vterque Deo gratias debemus: ego quod claudus, ille ab ipsis*

India

Indiæ finibus ad mœnia Siuastæ imperium extenderim: tu quod à Siuasta ad ipsos Pannoniæ fines. Orbem terræ inter nos partiti pene sumus: Debemus igitur gratias, atque ego reddidi atque reddam: tu vero parum fortasse memori, grataque mente fuisti, & ideo hæc calamitas interuenit. Sed age, mi Chan, si ego in tua sic sim potestate, quid ageres? dic libere & veraciter. Ibi aiunt Baiasitem, qui feroci & elato animo erat, subiecisse: *Equidē te, si numen victoria adnuisset, in ferream caueam inclusum circumduxissem, spectaculo & ostentui cunctis.* Temir eo audito, sententia hac in ipsum est vsus, & sic inclusit. Miser triennium fere ita vixit: & cum desperata liberatione audisset, in Tartaros se abducendum, caput validis iteratisq; ictibus caueæ ferreæ incussit, & indignantem animam sic emisit. Sed & inter conuiuandum acerbissime insultantem, exprobrantemque venationis studium barbarico truculentoq; ie fastu assidue audiuit, & coniugem Lazari Despotæ filiam, quam vnice dilexerat, pocillatricis loco ad mensam famulantem spectauit. Aiunt Tamerlanem cuidam pro Baiazete deprecanti, & claritatem nominis ex tot preclaris victoriis commemoranti, respondisse, se non regem rebus gestis aut nobilitate clarum, sed hominem improbum & nefarium, fratris natu maioris parricidam punire.

PH. Atila Hunnorum rex, flagellum qui se Dei omnipotentis nominare consueuit, ipsa nuptiarum festiuitate, in amplexu nouæ sponsæ, repentina morte sublatus; omnem regalis magnificentiæ splendorem & lætitiam in pannos pullos & funerum luctum conuertit.

TH. Henricus Rex Galliæ, constituta pace, & inito fœdere cum Philippo Rege Hispaniarum, eique data in matrimonium filia, & sorore Margarita elocata Philiberto Allobrogum Duci regales celebrat Lutetiæ nuptias. Ipse ludis equestribus toto triduo vacat. Interim autem misera in Gallia adolescens Ecclesia, edicto regio prædæ exponitur cunctis eam inuadere volentibus: & Anna Burgæo, viro in Parlamento consulari, aliisque quamplurimis in custodiam datis, & Momgomerio commissis, Ecclesia in summis versatur angustiis, ita vt de ea actum esse in Galliis, tum maxime crederetur. Tertio equestrium certaminum die, Rex ipse in hippodromo ad vicum Antonium, non procul ab ea arce, vbi Annas & reliqui captiui tenebantur, excurrens, hunc ipsum Momgomerium vel inuitum, dehortantibus etiam amicis, data in manus lancea, ad certamen prouocauit. Sed vbi congrediuntur, fracta in Regis pectus lancea, & crustulo per galeam non recte clauso, perque oculum in cranium vsque, tanto impetu ingresso, vt phregma omnino violaretur; oculum primo, post mentem, tandem inter summos cruciatus, vitam nono die amisit. Rex ætate, viribus, opibus, fortuna florentissimus, inter hostes tutus, in ipsa nuptiarum festiuitate, morte sua inopina, summam lætitiam in miserabilem luctum & mœstitiam conuertit: & regia, opere textorio, splendidissimis pretiosissimisque aulæis vndiquaque operta & ad tripudia saltationesque

tionesque magnifice extructa, repente pullis funereisque obducta pannis, ac lugubribus næniis nocte dieque personans, miserabilem spectantibus præbuit aspectum, & insigne vicissitudinis rerum humanarum exemplum.

EQ. Alexandri VI. quoque Pontificis Romani filius natu maximus, Dux Candianus vulgo dictus, infaustum fortunæ ludibrium subiit, quippe Cæsaris Borgiæ fratris sui (tum Cardinalis, postea Ducis Valentini) cruenta fraude periit. idque anno 1498. Is enim, qui animo prorsus à sacerdotio alieno ad rem militarem aspirabat, quum hunc locum à Candiano, in quem Pontifex omnem profanam potentiam & opes conferre statuerat, occupari cerneret, præterea etiam illum à nobili quadam muliere sibi anteferri ægre ferret, libidine & ambitione, ad quoduis magnum scelus perpetrandum potentissimus ministris concitatus, noctu, cum solus per vrbem equitaret, clam eum necari atque in Tyberim proiici curauit. *Ex speculo tragico.*

PH. Miserabilem fortunæ inconstantiam de Carolo Crasso refert Ioannes Bocatius: Carolus Crassus (inquit) imperio depositus, in summa egestate adeo vixit, vt sæpius quotidiani victus sentiret penuriam: ab omnibus suis derelictus, priuatam vitam miser vixit, adiutus ab Arnulpho, certis ex Alemannia redditibus pro victu quotidiano, quem supplex rogauerat, ne fame periret. Et cui Bernhardum ex pellice filium vnicum commendauit. Mortuus itaque pauper sine honore, in Augeo maiori monasterio prope Constantiam, humili ac abiecto monimento sepultus. 2. Idus Ianuarij, anno Virginei partus octingentesimo octogesimo octauo, Imperij decimo, vt aliqui tradunt: alij vero, Imperij sexto à suis strangulatus etiam scribunt. Res digna spectaculo, & magnis Principibus animaduertenda, humanæ sortis insigne exemplar. Qui enim paulo ante tot tantisque regnis sine labore, sine sudoribus, sine sanguine partis à Carolo Magno, nulli Francorum erat inferior, momento temporis vt sic dicam, fragilitatis humanæ exemplum, omnibus suis regnis exutus, egenus & inops quærit corporis alimoniam. Nemo itaque confidat rebus, nimium prosperis, cum & regibus plerumque varietas fortunæ occurrat, vt miseris coæquentur. Ostendit enim sæpe Deus potentiam principibus, vt intelligant, quoniam solus est adorandus, cuius regni nullus est finis.

TH. Omnium vero maxime miserrimum est, quando immerentem plane, (loquor iam humanitus,) tragica fata manent. Cuius rei exemplum esto, quod de Conradino referam. Conradinus Imperatoria & Regia stirpe iuuenis, vltimus ducum Sueciæ fuit. Pater ei Conradus Rex Neapolitan. & Siciliæ; mater è ducibus Bauariæ; auus Imperator Fridericus II. auia, Constantia, filia Ferdinandi Hispaniæ regis fuit. Quam amplam & illustre

Immerentium fata.

hor-

hoc stemma' quos animos non faciat? quæ fata non promittat? sed spes vndique destituit, & statim à puero aduersa sorte, regna Neapolitana & Sicula, iure debita, Manfredus patruus fraude inuasit. Cum ille abiisset aut pulsus esset, auctoritate Pontificis (Clemens quartus tunc erat Gallici sanguinis, & genti fautor) Carolus Andegauensis aduocatur & inuadit. Quem Conradinus, dum pellere conatur, copias contrahit, è Germania in Italiam venit multa nobilium manu: inter eos, Friderico Duce Austriæ cognato suo. Sed & Itali se iungunt, quidam ius eius, plures commoda vel affectus suos spectantes. Pugna cum Carolo commissa, primo victor, denique vincitur: & fugit cum eodem Friderico Austrio per ignotam Italiam, trepidi, & agasonum habitu se occultantes. Ita Asturam ventum, vbi consilium capiunt nauis conscendendæ, & Pisas dirigendæ, sociam & fidam vrbem. Conueniunt cum nauiculatore, & iam in naui erant, sed panis & commeatus deerat, quem mittunt eundem destinatum. Pecunia etiam deerat: ergo annulum alter de digito detrahit, siue pignus nauiculario, siue pretio ab eo permutandum. Is annulus gemmam raram & æstimatam habebat: itaque aurifex miratus à sordido homine deferri, suspectans, *vnde habeat?* quærit. Ille candide, à duobus iuuenibus, ingenui vultus & sanguinis, sed habitu & vestitu squalidis: neque vltra se scire. Defertur res ad Dynastam vrbis (qui tunc illius proprius erat) Ioannem à gente Frangipanum: atque is ex euentu pretij vel fama tale suspicatus, nauem instrui iubet, adolescentes retrahi & ad se duci. Dictum factum: sistuntur, agnoscuntur: & putabant extra periculum esse, quia extra hostile solum erant, esse. Aliter accidit, prauitate siue auaritia Dynastæ, nam is Carolo indicat, qui statim cum copiis terra marique aduolat, & captiuos suos Neapolim abducit. Quid expectas? aliquid regium? pudor est Andegauensis stirpis & macula, quod dicam. Diu deliberato concluditur, tollendos adolescentes, & publice capite minuendos. Quid? vt sicarios aut prædones? qui ius suum repetierant? qui bellum intulerant, & iure ac more gentium administrarent? Omnia in hoc facto sæuitiam & barbariem habent: etsi Pontificem etiam obtendunt, atque illum consensisse aut suasisse. Alterum potest, vix alterum: sed æstimatio aliorum etiam esto, in re autem istud. Producuntur in scenam publicam, concursus ad tale spectaculum è tota Italia: pleriqueomnes miserantur & lacrymantur: sed nil [illegible] inane fauore, iuuat. Conradinus animose loquitur, Carolum accusat, [illegible] excusat: Deum vindicem inuocat. & ius suum in hæc regna Henrico Castelano in hoc luctu donat. Huic rei tesseram, chirotecam exuit, abiicitque. Tum Fridericus ingeniculare iubetur, & caput inciditur: quod sublatum è tabulato, Conradinus (quis sine motu audiat?) pectori appressum, deinde ori applicuit; & sortem miseram eius defleuit, cui auctor ipse esset. Tum & ipse in genua prouoluens, fortiter carnificem expectat: qui caput ampu-

tat, & cum fecisset, statim alius hunc interficit, ne exstaret, qui iactaret generosum illum sanguinem à se sublatum. Hoc vnum Carolus magno in speciem animo: cætera feritatem habent; etiam illud, quod ipse spectator supplicij esse sustinuit, in alta quadam turri occultus. Illi obierunt: nec diu victoria aut regnis Caroli posteri gauisi sunt, & Hispani (an non morituri voce & voto?) eiecerunt.

EQ. Est in Ergauia arx quædam, ad lacum sita, in qua patrum memoria vir stemmatis virtute & religione nobilis, diuersatus est cum grandæua coniuge, & duobus frugi filiis. Præter hos duos, qui iam tum adoleuerant, nulli ipsi liberi, res autem familiaris lauta erat. Euenit autem messis tempore quum serui & ancillulæ in agris abessent, nemo vt domi remaneret præter patrem & matremfamilias, & duos heriles filios. Quum autem his duobus placuisset refrigerandi corporis & exercitij causa in lacu limpido, cœlo sereno, sese exercere natando, patre heroico sene è sublimi prospectante, ibi vero alter è duobus natando longius profectus in altum, incidit in quandam voraginem, in qua circumactus & demersus interiit suffocatus. Quod aqua limpidissima tum esset, & Solis splendor clarissimus, cernere pater cum morte luctantem, & demum succumbentem in agone filium poterat. Vt autem *nulla fere calamitas sola*, alter vt fratri laboranti subueniret, natando propius accedens, ipse quoque patre ista suis oculis minime siccis spectante demersus, supraque Germani vix dum extincti corpus iacens, exspirauit. Aderat nemo mortalium, qui periclitantibus succurreret. Pater cum lacrymis & lamentatione horas duas dedisset, lota facie, abstersis lacrymis, altum corde dolorem nonnihil premens, descendit, & ἐγκύκλια οἰκονομικὰ tractantem coniugem offendit. Aperuerat autem illa arcam ingentem, vt linteamina diu non visa exploraret. Tunc nobilis, *Dic mihi*, ait, *charissima coniunx, qua tandem consolatione tibi vtendum censes, si quem intelligas frustra deplorare omnium pretiosissimæ rei iacturam, quæ neque opibus, nec consilio vllo cognatorum & amicorum opera redimi, aut recuperari valeat?* Respondit heroina: *Equidem auctor illi essem, vt suam voluntatem diuinæ reuerenter subiiciens moderate & patienter ferret id quod mutari non potest.* Tum ille rursum erumpentibus præ dolore lacrymis lamentabili voce vsus, *Det*, ait, *tibi Dominus Iesus eam gratiam, qua tibi mihique nunc maxime opus est, quando* ἀμφ:σδ οι ἤτως *me spectante, duo charissimi filij nostri in lacu submersi interiere.* Heroina his auditis sentit aliquid humani, quum in eliquium animi prius incidisset, quam consolatione se ipsam erigere posset.

TH. Fuit hic casus tristis admodum & miserabilis. Verumtamen omnium maxime miserabile est, quando parentes excussa omni pietate, atque affectu naturali in proprios, eosque plane innoxios sæuiunt liberos, cuius rei hanc quam referens admodum horresco, audite historiam. Requiescunt in templis cœno-

cœnobij *Celicorona*, duo infantes, puellus videl. & puella, patre Comite Orlemundensi, matre vero Ducissa Meroniæ nati, crudeliter ac misere trucidati, annos fere ante ducentos (cum nondum essent bini) ab ea ipsa matre sua Meroniæ Ducissa, Blassenburgi tunc temporis habitante; quæ cum esset vidua procax & lasciua, formæ vero elegantia vbique celebris, amauit ipsa non tantum Albertum quendam illustrem iuuenem, ac fortissimum Principem, Burggrauium Noribergensem, Friderici Comitis à Zollern, primi Burggrauij filium, sed ab eo etiam vehementer & ardentissime est redamata. Hunc suum amorem fassus aliquoties Burggrauius, publice dixisse fertur: se (nisi prohiberent quatuor oculi) libentissime ducturum viduam illam Blassenburgensem: quæ verba cum relatu clancularij alicuius internuncij, & quasi pronubi, peruenissent ad aures libidinosæ; ac iam tum vehementissime prurientis in Albertum fœminæ, mox furore & amore magis incensa, liberos suos propria occidit manu, capitibus eorum vel capitum verticibus adhuc teneris acu contusis & perfo[illegible]s, ne facile talis perfidia agnosci, & ipsa, liberos morbo aut contagio [illegible] sublatos esse, commodius ac verisimilius fabulari posset. Cæterum exitus (minime felix) & catastrophe huius tragœdiæ prolixe exstat in monumentis cœnobij Grunlacensis.

Matris in liberos furor.

Hos innocentes Martyres, inquit Iohan. Wolffius *in suis Memorabilib.* ipse meis oculis vidi, meisque manibus contrectaui. Puella tota adhuc integra est, vt putes, eam vix ante vnum annum emigrasse, adeo nihil prorsus adhuc in ea apparet cineribus simile. Masculi vero puelli pectus humoribus & aquis, (qua per parietem sudantis hyberno frigore templi descenderunt in parieti contiguum sarcophagum) aliquo modo læsum in cineres resolui cœpit. Caput tamen, humeri & crura integra adhuc sunt, nec tantillum immutata.

PH. Vt te dij deæque omnes perdant perditissima venefica. Itane potuisti exuere omnem affectum maternum, vt propriis tuis visceribus vim inferres? Debuerat huius facinoris flagitiosissimi etiam ipsa deleri memoria.

Filij erga parentem improbitas.

EQ. Non omnino. Nam & alia passim extant exempla, liberorum è conuerso in parentes sæuitiæ atque immanitatis. Exemplum hoc habete. Fuit Alphonsus Egmondanus, cui pater Arnoldus Geldriæ dux & dynasta erat. Ille adoleuerat, iste senuerat, & ægre ferre cœpit patris diuturnum imperium & vitam. Itemque per factiones, quosdam è popularibus in arma trahit, & patri bellum palam facit. Sed pater viribus & causa melior, obsessum in oppido Venlone tenet: ac denique principum vicinorum interuentu pax coit, hac lege: vt iuuenis vrbem Nouiomagensem sibi accipiat, teneatque, in qua libere & solus dominetur. Sed exigua hæc ei portiuncula visa, resilit mox à fœdere, familiares patris, in eius contumeliam laqueo enecat: & cum videt, à se vim frustra tentari, ad alienam potentiam fugit, ad Philippum nempe Bonum. Bruxellam venit, patrem accusat, sese approbat: promittit multa: sed

apud vere boni principis surdas aures. Desperatis igitur auxiliis, ne patrem videat, Hierosolyma properat, homo sacer scilicet ad terram sacram: paulo post redit omnium inops, quo nisi ad patrem? Recipitur amice, & ipse pœnitentiam & amorem simulat, sed vultu non animo bonus. Nam fraudem & insidias patri statim ita struit. Erat senex Grauiæ, ditionis suæ tunc oppido, cum vxore: venit quasi per officium filius. More gentis epulantur, & bibunt largius, saltant etiam in multam noctem: ipso sene Duce sustentante, & in filij gratiam præter vires & morem leuiore. Tandem cubitum sese confert. Vix fecerat cum adsunt à Nouiomago (ij iuueni parebant) ciues armati, & ab Adolpho clam intromissi; recta ad cubiculum Ducis, duce filio tendunt. Pulsant fores, ille in lecto, iocos & choreas etiam tunc cogitans, *negat id noctis saltare vltra posse: Iuuenes faciant, & abeant.* At illi effractis iam foribus adstant, iubent surgere, & se consequi. *Quo autem?* ait senex, *& vbi filius?* Miser vbi auxilium putat, exitium est: & ille improbus. *Pater*, inquit, *necessitati parendum est, age sequere* Nec tantillum expectant, vt tu[illegible]lam [illegible]teriorem aptet atque induat, ne tibialia quidem sumat: sed pater equ[illegible]tem filium, nudis pedibus & corpore ita sequitur Buram vsque. Ibi carceri tetro includitur, & sex annos totos (non illius, sed popularium impietatem culpo) sex inquam annis continetur. Tandem improbitas querelas vulgi excitat, sed & minas principum vicinorum: è quibus Iohannes Cliuiæ dux, ipsius Adolphi auunculus, arma etiam sumit. Qui tamen à se parum validus, auctoritatem, & auxil[illegible] à Pontifice Paulo II. & Friderico Imperatore petit. Illi statim annuunt, ad Adolphum acres literas mittunt, & vt parens luci & libertati reddat, iubent. Nihil fit, ridet. Itaque iidem Caroli Audaci, valido Principi totam rem committunt, liberet senem, reconciliet filium, denique faciat, quo ex æquo & vsu videretur. Ille vtrumque coram se sistere iubet, qui in Galliæ finibus. Dorlani tunc erat. Adolphus hunc spernendum iram & iussa tam potentis vicini ratus, patrem secum eo ducit: accusat in consilio, fœda & falsa in eum ingerit: quorum facile purgatus senex, bonorum & illustrium virorum testimoniis, tamdem impatientia & fiducia eo prorumpit, vt filium ad singulare certamen prouocaret, ferro & Deo iudicibus innocentiam suam assertionis. Mos tunc satis creber illic erat: Sed *Audax* tamen abnuit, fœditatem rei proponens & insolentiam, & simul in euentu incerto certum scelus vtercunque vicisset. Ita re cum suis deliberata, pro sententia dixit: *Arnoldus pater solus titulo ducis notatur: sed filio oppida, arcesque totius Geldriæ cedat, sola Grauia sibi excepta. Recipiat in alimoniam de manu filij tria quotannis aureorum millia.* Hæ conditiones quis abneget, imo quis non miretur filio tam bonas? sed non silent histori[illegible] Carolum nescio qua occulta causa, an pacto, in filium proniorem. Quid tamen deinde? Refertur ad filium, & quidem à viris primariis & grauib[illegible], inter quos Philippus ille Cominæus erat, qui hæc scripsit. At ille respo[illegible] in

hæc

hæc ipsa verba: Malle se præcipitem dare parentem in puteum, se deinde insilire, quam vt in has conditiones paciscatur. *Quid malum?* inquit, *pater aliis imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit? Æquum est, vt nostræ quoque iam vices sint: nec aliud admisero, quam de pensione trium millium, sic quoque, vt pater tota Geldria cedat, atque excedat, nec vnquam pedem in eam referat.* En responsum non tam impium (& ita nunc omnibus visum) quam insanum. Igitur Carolus, cui aliæ res præuertendæ, cum idipsum temporis Ambianum Galliæ Rex intercepisset; lata hac cognitione, expeditioni se parat. Iuuenis suspicatus, detentum se iri, auersione animorum cognita, fugam cum duobus Comitibus, Gallica veste, ad suos capit: omnia in reditu vi & armis occupaturus. Sed ecce Namuri, dum Mosam flumen cymba transmittit, agnitus ab vno alteroue vectorum, mox à pluribus, capitur, & ad Audacem reducitur, qui Viluordiam, atque deinde Cortracum duci, & in honesta custodia obseruari iussit. Mansit ad Audacis ipsius mortem: cum Gandauenses, pro suo tunc more turbas daturi, hunc idoneum ducem arbitrati, eum soluunt, & bello in Tornacenses præficiunt, quos tunc Galli habebant. Iuit cum manu aliqua, adequitat mœnibus, erumpunt præsidiarij, & miser inter primos cecidit. Quid tu nunc pater? talionem aliqua parte a iusto iudice vides. Carcere te puniunt? ipse sustinuit. Mortem machinatus est? ipse subiuit. Nec sanguis hic multus fusus, aut violentæ cædes, fateor: mihi tamen libranti, impiæ impietatis exemplum visum est, & supra omnia infixæ & obstinatæ. Nero Tullia, aut alius aliquis, impetu peccauerint & calore: hic meditatum, hic diuturnum scelus est, nec adhæsit animo sed insedit. *Ex I. Lipsij monitis politicis.*

TH. Ingens etiam scelus est, quando parentes vna cum filiis, illius γνῶθι σεαυτὸν immemores in vnum scelus flagitiose perpetrandum conspirant ac consentiunt; è quo tamen, siquidem in ipsorum redundat caput, haud leuis iocandi ansa (modo liceat miserorum, quamuis malorum, calamitates scommatum acerbitate insectari) arripi plerumque solet. En exemplum. Cænaturi erant Alexander VI. Papa & ipsius filius Cæsar Borgia, Dux Valentinus in Cardinalis cuiusdam vinea (nomen ei Adriano Corneto) quem Cæsar Borgia veneno tollere constituerat; hæc enim patris & ipsius frequens consuetudo fuit, vt veneno non modo aduersus hostes vltionis vel metus gratia vterentur, verumetiam nefaria cupiditate aduersus ditissimos quosq; quamuis amicissimos coniunctissimosque, quo ipsorum facultates occuparent. Suum igitur secutus morem, quum lagenas quasdam vino venenato plenas præmisisset, easque ministro cuidam rei minime conscio, cum mandato ne cuiquam daret, tradidisset; forte fortuna Pontifex ante cœnæ tempus eo venit, qui siti ingentique vt tunc erat, æstu victus potum petiit; sed quia nondum e Vaticano ea quæ ad cœnam erant necessaria allata fuerant, minister is qui id vinum velut præstantius conseruari crederet, ex eis lagenis quas Valenti-

Patris & filij consensus sceleratus.

Anno 1503.

nus

nus præmiserat, Pontifici infudit. Valentinus patre bibente eo superuenit, atque ex eodem vino bibit; sed ipse ætatis vigore, optimis statim atque ei veneno accommodatis remediis vsus, longa & graui ægritudine oppressus vitam tamen conseruauit. Pater vero postero die extinctus est; cuius corpus ritu Pontificio in D. Petri ædem illatum nullis fere lacrymis exceptum fuit.

Patris exitum filij calamitas merito excepit, æque memorabile vltionis diuinæ testimonium. Defuncto enim Alexandro Valentini potentia non minus crudelitate & fraudibus, quam Pontificij imperij autoritate & armis repente euecta, magis repente corruit; ipse è Principe captiuus vitam multorum ab armis vindictam sitientium, Pij III. Iulijq; secundi sequentium Pontificum beneficio ægre conseruauit. Nec tamen violentam mortem omnino effugere potuit; nam cum aliquot annos in sorte satis humili apud Ioannem Nauarræ regem coniugis fratrem vixisset, ad quem ex Hispania (quo eum mandato suo Neapoli captiuum à magno Consaluo missum rex Ferdinandus in custodiam dederat) subtili artificio & audacia admirabili è Medinæ campestris arce fune delapsus sese contulit, tandem, dum cum ipsius copiis, quæ ad Vianam regni Nauarreni ignobile castellum castra habebant, esset, cum hostibus qui ex insidiis prodierant pugnans hastæ ictu occisus fuit.

Iuuenis tyrannici exitus tragicus.

EQ. Notum est etiam Petri Aloisij, Parmæ & Placentiæ Ducis, Pontificis Romani filij, tragicum exitium, qui horrendis flagitiis acerbissima subditorum odia in se concitauit. Coniurauerunt igitur in illius caput atque vitam quidam ex nobilitate. Hi conductis aliquot sicariis, & eo stipati satellitio, pro se quisque, propter inimicitias priuatas istud fieri præ se ferunt, atque interim è suis priuatim singuli percunctantur an in vlciscenda iniuria fidelem operam ipsis nauare velint, quam ab aulæ præfecto Aloisij sibi factam esse dicebant. Illi suam operam, non in eo tantum, sed in ipso quoque domino trucidando pollicentur. Sub hoc ipsum tempus Aloisio scripsit Paulus pater, vt à decimo Septembris die sibi caueat, astra enim ei prænuntiare cladem aliquam insignem. Erat autem Paulus Pontifex insignis astrologus, vsq; adeo, vt & necromantia quoque peritus à nonnullis indicaretur. His acceptis literis Aloisius erat in metu ac solicitudine; cumque dies ille venisset, magno cum comitatu lectica deportatur, arcem egreditur, vt vrbis munitionem, quam instituerat, videret. Aderant etiam coniurati, sed cum ibi non possent, quod vellent, exsequi, subsistunt, & cum ille domum rediret, comitantur, & tanquam officij causa præcedunt numero triginta sex, & vbi iam in arcem cum lectica peruenisset, è vestigio pontem pensilem ad se deducunt, ne quis præterea subsequi posset. Ibi continuo strictis mucronibus illum petunt, & acerbe tyrannum increpantes in lectica confodiunt, ac vna sacrificum quendam, & stabuli præfectum, & satellites 5. Germanos trucidant. Postea per arcem discurrunt, & omnia diripiunt, maxima vi pecuniæ reperta quam ille munitioni vrbis designa-

ſignauerat. Interea fit ciuium concurſus ad arcem, & quid rei ſit quæritur, cum fremitus atq; clamor intus exaudiretur. Illi de ſublimi reſpondent ſe occidiſſe tyrannum, & ciuitati priſtinam recuperaſſe libertatem. Cum autem eius rei vix ægre fidem facerent, interpoſita cautione ciuium, & impunitate promiſſa, corpus exanime catena religatum muro ſuſpendunt, & agitatum aliquandiu præcipitant in foſſam, ſuper quod pueri tantum lapidum congeſſerunt, vt menſuram trium plauſtrorum impleuerint. Deinde ex foſſa productum populus ita paſſim traxit, vulnerauit, iactauit, vt nullus canis ſolet. Poſtea etiam ſepultum effodit, ac contumelioſius tractatum quam ante, extra vrbem nudum, præciſis virilibus (quibus tam multa nefanda atrociaque patrauerat) volucribus & quadrupedibus deuorandum abiecit. Cædis authores per celeres (quos Ferdinando Gonzagæ Inſubriæ præfecto, quid actum ſit enuntiant, & auxilia quam primum mitti poſtulant. Ille ſtatim præſidium eo mittit, & occupata vrbe, in Cæſaris fidem per iuſiurandum ciues adigit. Fuerunt autem qui conſulto rem actam eſſe, & pauciſſimis horis à facta cæde Gonzagam ad portas vrbis adfuiſſe cum præſidio dicerent.

TH. Huc ſpectat memorabilis & tragica hiſtoria Theodorici Marchionis Brandeburgici, quam recenſet Georgius Sabinus in eius vita: Hic Princeps potentia & ſtudio rei militaris nimium inſolens factus & efferatus, cum etiam conſiliarios arrogantia, & elatione inſignes circum ſe haberet, eorumque impulſu, nihil non temere & iniurioſe faceret, tandem ſic deprauatus eſt, vt induceret animum ſibi licere, quod vellet. Accidit autem, vt erga Miſtouium Obotritorum Regulum, nuper ad Chriſtianiſmum conuerſum (cui Dux Saxoniæ Bernhardus ſororem deſponderat) & reliquam Vandalicam gentem valde iniquus & ſæuus eſſet, vt non ſolum, in eius contumeliam, effecerit, quod duo Luſatiorum Principes, iuſſu Henrici II. capti, laqueo ſuſpenderentur, ſed etiam ſuaſor Bernhardo Duci fuerit, vt ſuam ſororem alteri deſponderet, nec veritus eſt dicere: Vandalos eſſe indignos, quibus cum Germanicus ſanguis miſceatur; Quinetiam Ducem Saxonicum admiſſurum dedecus, ſi ſe, cum iſto cane (ſic enim Miſtouium appellare ſolebat) affinitate deuinciretur. Hæ vero contumelioſæ & inſolentes voces & actiones, non ſolum Theodorico, ſed vniuerſæ ipſius ditioni, & Saxoniæ, reique Chriſtianæ multum calamitatis attulerunt. Miſtouius enim hac contumelia ita irritatus fuit, vt abnegata fide Chriſtiana totam Vandalicam gentem ad arma excitarit, & miſſo feciali ad Theodoricum illi nunciare iuſſerit: Miſtouium, canem iſtum Vandalicum, iamiam editurum latratus, effecturumque morſus, quos tota Marchia & Saxonia perhorreſcat. Quum autem Theodoricus non minus260 ferociter reſpondiſſet, ſe curaturum canicidas, qui latratum & rabiem ipſius compeſcant, & non expectato auxilio, cum Vandalis temere conflixiſſet, mox victus & profligatus, tota ſua ditione exutus eſt, & quoad vixit,

Faſtus tyrannici pœna.

nulla vnquam aut reconciliatione potiri, aut suam ditionem à Vandalis recuperare potuit, neq; amicorum quemquam habuit, per quem restitueretur, omnibus adeo inuisus, vt nemo eum respiceret, & nemo eius mentionem faceret, quin eum execraretur. In perpetuo igitur exilio vitam traduxit miseram, Magdeburgi eleemosyna Canonicorum sustentatus. Hic fuit exitus praecocium consiliorum, & fortuna Principis, nobilitate generis & potentia clari, qui cum in hanc miseriam incidisset, tum demum demisit animum, quo nihil antea fuerat elatius, agnouitque se vindice & vltore Deo è diuitiis in paupertatem, ex alto atque illustri loco, in infima deiectum esse, propter iniustitiam & insolentiam, quod nimium onerasset suos ciues, quod fiducia potentiae & assentationibus inflatus, vix se hominem esse, meminisset. Quoties enim calamitatem suam lamentabatur, fassus est palam, se dare pœnas eorum, quae superbe & intemperanter egisset, idque his verbis: Excitaui ego iram Dei, aduersus me, quum imposui nimium oneris populo meo, cuius me curatorem, non afflictorem Deus constituerat, cum opibus armisque fretus nihil moderate feci. Sustineo ergo pœnas iustas ac debitas ac rerum humanarum infelix spectaculum praebeo. Has lamentabiles voces non semel edidisse fertur, ac quanquam erat redactus ad summam egestatem, tamen eum non tam cruciabat afflicta fortuna, quam conscientia magnorum delictorum. Etenim quoties ei in mentem venit, quantarum calamitatum fuisset causa, solitus est illachrymare, ac miserandum in modum deplorare, Templorum, Vrbium, Agrorum inflammationem, direptionem, vastationem ac infinitam hominum caedem: Ac inprimis deplorauit tot populorum defectionem à Religione Christiana, saepe conquestus est etiam de Consiliariis, quos habuerat adiutores & ministros iniustarum actionum, & quorum assentatio ei attulerat tantos spiritus, vt non dubitarit, concitare offensiones, vnde teterrimum bellum nasceretur. Incusauit denique, & seipsum, qui recte monentes auersatus, & ad voluntatem loquentes plurimum apud se valere passus esset. Ita fit, vt Principes, apud quos improbi consiliarij meliori conditione, & maiori in gratia sunt, quam boni, non, nisi tristissimo casu & stultorum illo magistro euentu edocti, errata sua agnoscant.

E Q. Seianus Senator, qui Tiberio nitenti Christum inter diuos referre, valde obstitit, tanta fortuna vsus memoratur, vt toto orbe celeberrimus nomine amplissimas quasque dignitates fuerit assecutus, vel ipsum imperium pro libitu administrans, absente enim Tiberio apud Insulam Capream, seipsum pro Imperatore, Tiberium vero pro Insulae Rectore habebat: quin sibi tanquam Deo res sacras fieri permittebat: Consul quoque designatus est cum prorogatione quinquennij. In literis quoque publicis à Senatu, vt Ty-

berij,

berij, ita & *Seiani* nomen præſcribebatur, ac velut Imperator aureo curru in theatrum adueheba ur, admirabanturque omnes fortunam eius. Tandem conuocato à ſe Senatu ſpe literarum *Tyberij* recitandarum, quibus ſibi delata tribunitia poteſtas ferebantur, depoſitus iuſſu *Reguli Conſulis*, conſentiente Senatu, in vincula ducitur, capite mulctatur, ad Gemonias ſcalas vnco trahitur, triduo habitus ludibrio à populo, poſt in *Tyberim* tandem proiicitur, liberi quoque ex Senatuſconſulto, maxime vero filia, quam pater pactus fuerat *Claudij* filio, prius à carnifice ſtuprata, necati ſunt. *Dion. lib.* 58.

TH. Erat Ruffinus *Eluſæ* in Aquitania humili loco natus, ac Conſtantinopoli in aula verſatus, atque is quidem ſeſe etiam in *Theodoſij Imperatoris* gratiam inſinuauit, aſcendens vſque ad conſulatum vna cum *Arcadio*, poſt maximos Magiſtratus: pro libidine ipſa ſæuiebat in multos, ſæuireque etiam Imperatorem adegit: prouinciis, quos vellet, præſides dabat. Tandem factus eſt Imperij, ad quod aſpirabat, proditor, accitis *Hunnis* Imperij hoſtibus. O rem perpetua memoria recolendam! Cum iam acclamandus eſſet Imperator, iam parata purpura ac diademate, aulaque regio apparatu diſpoſita, epuliſque ſplendidioribus apparari iuſſis, numiſmatibus quoque aureis cum *Ruffini* imagine iam cuſis, vt ſingulis conuiuis donarentur, à mille gladiis appetitus perimitur, ſecatur in fruſta, atque inter milites (erat is exercitus ingens) diuiditur: caput imponitur pilo ad vniuerſæ vrbis ludibrium, manus integra circumfertur hoſtiatim, velut obolum mendicans ludicrum in modum: nam eius nerui, qui permouent articulos, cum prominerent, dum trahebantur aut remittebantur, efficiebant, vt manus aperiretur aut clauderetur, cum efferebatur igitur manus cuicunque aperta velut obolum petens, remiſſis neruis, ac poſt obulum datum, dum attraherentur nerui, manus acceptum obſtringebat: atque is luſus per omnem vrbem repræſentatus eſt.

EQ. Nunc etiam ad extremum breuiter attingemus horrendos exitus eorum, qui cultum & honores diuinos affectarunt. Atque equidem multis hiſtoriis demonſtrari poteſt, quando homines immemores ſortis ſuæ caducæ, & ſingulis momentis ærumnis & morti obiectæ, ſeſe diuinis honoribus & titulis veluti titillarunt, & deſpectis aliis, arrogantia quadam ſeſe mox ex alto ita nimium extulerunt, tunc ſubito atque improuiſo ita præcipitati & ad humilitatem redacti fuerunt, vt ſibiipſis & aliis exemplum præberent manifeſtum, ne vltra quam decet, ſe efferrent. Hoc docet Coſroes II. huius nominis, Rex Perſarum potentiſſimus, qui dum eo inſolentiæ & arrogantiæ peruenit, vt diuinos ſibi honores arrogaret, confeſtim cœleſtis νέμεσις in ipſum exarſit, vt contemptus morte crudeli occumberet, de quo late Reineccius de Regibus Perſicis in vita eius. *Honorum diuinorum affectatores.*

Eodem modo Philippo Regi Macedoniæ, patri Alexandri Magni ista affectata apotheosis infeliciter accidit. Cum enim, vt refert Diodorus Siculus *lib.* 16. in pompa quadam celeberrima, supra alium maximum apparatum, XII. deorum (qui à veteribus Magni dij vocabantur) simulachra essent inuecta, artificio & ingentibus structuris mirifice exornata, & post illa tertium & decimum ipsius Philippi signum diuino habitu repræsentatum esset (qua in re dignitate parem XII. diis rex ostendere se voluit) mox pleno theatro, quum ipse coronatus prodiisset, spiculatoribus à se amotis, à Pausania interfectus est.

TH. Refert Iosephus lib. 19. cap. 7. Cum Cæsareæ (quæ prius Stratonis turris dicta fuit, solennes ludi pro salute Cæsaris celebrarentur, ad quam festiuitatem magna multitudo Nobilium ac procerum, ex tota prouincia conuenerat; Eius celebritatis die secunda, processit Agrippa mane in theatrum, amictus veste, tota ex argento, mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis solis percussa, & diuinum quendam fulgorem emittens venerationem cum horrore incutiebat spectantibus, moxque adulatores perniciosi, alius aliunde acclamantes, Deum consalutabant, rogantes, vt faueret propitius. Hactenus enim vt hominem reueritos; nunc agnoscere, & fateri in eo quiddam, mortali natura excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigauit, nec repulit, pauloque post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem, moxque vt sensit hunc esse calamitatis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia, per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit, annum natus quartum supra quinquagesimum, postquam regnasset per septennium. Atque hic fuit exitus Agrippæ regis. Hactenus Iosephus. Lucas vero, in actis Apostolorum, succincte mentionem huius Agrippæ, sub nomine Herodis, facit, cui certa fides adhibenda est. Nempe cum is Iacobum fratrem Ioannis occidisset, & Petrum in vinculis morti adiudicasset: Is autem ab Angelo Domini ex vinculis liberatus esset, eumque, postquam custodes carceris excruciatos interfecisset, indignatum Cæsaream profectum, eo animo, vt bellum Tyriis & Sidoniis (forte quod B. Petrum apud illos delitescentem fouissent, sicut nonnulli causam illam huius indignationis & belli prætendunt) inferret. Sedata autem, intercessione consiliariorum, eius ira, cum regia veste, & ornatu, populo in tribunali se ostentasset, eique à multitudine diuini honores attributi essent, ab Angelo, quod cultum Deo non tribuisset suum, sed sibi vindicasset, percussum, & à vermibus corrosum fuisse. Non igitur frustra inducitur à Iosepho moribundus ita amicos compellans. En ego ille, vestra appellatione, Deus, vitam relinquere iubeor, fatali necessitate coarguente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior, &c.

PH. I nunc,

PH. I nunc & γνῶθι σεαυτόν. Hoc nimirum eſt, quod de inſanæ illa ac deplorata inſolentiæ temulentia Mantuanus canit:

Hæc ſcelerum dux atque parens, ſublime nitentis
Imperium cœli, ſummamque ambire tonantis
Auſa poteſtatem, quantum tentauit in altum
Surgere: Tenarios tandem deſcendit ad amnes.

Quin ergo potius grauiſſima illa Ciceronis *in Paradox.* commonefactio iis cumprimis, qui regiminis capeſſunt aut etiam dum tenent gubernacula, omnino commendata eſto: *Refrenet*, inquit, *primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, auaritiam coerceat, cæteras animi labes repellat: & tunc incipiat aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis Dominis, dedecori & turpitudini parere deſierit.*

* * *

APHORISMVS IV.

NOBILITATIS, NISI VIRTVTE AC PIETATE suffulta sit, nulla est æstimatio.

4. MAiorum nobilitate ne quis delicietur. Limum enim habent omnes generis autorem, & qui purpura byssoque turgent, & qui paupertate & aduersa valetudine affliguntur; tam qui diademate redimiti sunt, quam qui per cubicula excubant. Ne igitur lutulentum iactemus genus, sed morum integritate gloriemur.

Ἐπὶ προγόνων εὐγενείᾳ, μηδεὶς ἐναβρυνέσθω. πηλὸν γὰρ ἔχουσι πάντες τοῦ γένους προπάτορα, καὶ οἱ ἐν πορφύρᾳ καὶ βύσσῳ καυχώμενοι, καὶ οἱ ἐν πενίᾳ καὶ νόσῳ τρυχόμενοι, καὶ οἱ διαδήματα περικείμενοι, καὶ οἱ διὰ δώματα προκείμενοι. μὴ τοίνυν εἰς πήλινον ἐγκαυχώμεθα γένος, ἀλλ' ἐπὶ χρηστότητι σεμνυνώμεθα τρόπων.

4. MAiorum nobilitate ne quis insolentius se efferat. Omnes enim limum habent generis auctorem, tam qui purpura & bysso magnifice & gloriose vestiuntur, quam qui egestate & morbis atteruntur: tam y, quibus diademata sunt imposita, quam qui ante domos positi versantur custodia causa. Ne igitur nos de luteo genere iactemus, sed morum innocentia probitateq; nos venerabiles præstemus & commendemus.

DISCVRSVS.

EQ. Quamuis inter omnes homines vna & eadem sit conditio & æqualitas, omnesque eandem nunc habeant ingenuitatem, *Nou. 18. l. in orbe ff. de stat. hom.* Cum tamen non æque omnes virtuti dent operam; non immerito virtuosiores præ aliis præmium suæ virtutis ac rerum bene gestarum habent, quod in dignitate ac præeminētia quadam præ reliquis minus virtuosis consistit, quæ Nobilitas vocata est.

Nobilitatis gradus. Atque hæc quidem per se vna est & eadem: gradu tamen tam arcte & varie distinguitur, vt varia eius genera esse censeantur: sicut omnium fere dignitatum sunt gradus alij maiores, alij minores, & in omnibus rebus bonis aliquid

aliquid est melius, aliquid honestius, Hinc Tiraquellus reprehendit inferiores nobiles, nō tam vere quam superciliose iactantes se tam nobiles esse quam Principes & Reges. Nam certe Barones, Comites, Marchiones, Duces, Archiduces, Principes, Electores, Reges, & denique ipse Imperator, præter communem inferioris ordinis nobilitatem maius quid habent, quo cæteris nobilibus sunt illustriores. Imperator enim est fons nobilitatis, *l. Imperatores C. de decur.* Imo & nobiles ipsi inter se aliis sunt nobiliores, *l. tam dementis C. de Episc. aud. l. furiosi C. de nupt.*

PH. Ipsa certe Nobilitas secundum magis & minus discernitur, maiorque generositas in vno elucet quam in altero, namq; te nobilitas regia multis parasangis eminentior est vulgari illa nobilitate, dum enim regium genus appellamus, illico nobile & illustre intelligimus, & si quis velit comparare subditorum nobilitatem & splendorem generis cum regio sanguine, præter dignitatem ageret, cum enim rex sit ipsa nobilitas, & fons à quo dimanat omnis regni dignitas, quomodo riuus cum fonte, & membrum cum capite æquari poterit? nec comparari qui accipit, cum eo qui tribuit. *Hic* namque *honorabitur, quem rex voluerit honorare*, Esther 1. Ex quo, & Plinio & aliis optimis autoribus Tiraquellus ostendit, nobilitatem è regibus pendere, qui eam tribuunt, conseruant & honorant. Et cum ex metallis, ex plantis, & aliis rebus, vnum alterum dignitate vincit: cur non & homo hominem? qui rebus eiusmodi mutis longe præstantior est *l. 44. ff. de edil. edict.* Idque ex effectu l. quet. Indeque tot imagines & insignia nobilium conspiciuntur.

EQ. Nobilitas vocata est, quasi noscibilitas, *Tiraq. de nobilit. cap. 2.* Et nobiles dicti à noscendo, quasi noscibiles, & præ cæteris noti. Nobilis enim vulgo dicitur, qui propter genus, familiam, virtutes egregias, singularem eruditionem, bellica aliaque facta præclara præ aliis notus est & eminet, cuiusq; fama per multorum ora circumuolitat, vt incitamentum habeant reliqui ad similes virtutes.

Cæterum Imperator solus, & cui ille hanc potestatem concessit, nobilitatem confert, nobilesque creat. *Dd. in l. 6. ff de natalib. rest. Bartol. in l. 1. C. de dignit. Tiraq de nobilit. cap. 6.* Et exstat Constitutio Zenonis, qua expresse mentionem facit nobilitatis, quam sine administratione per honorarios codicillos quibusdam collatam testatur *Conrad. Lagus in Meth. iur. ciu. Rubr. de priuata dignitate & vtilitate personarum.* *Nobilitatem Imperator confert.*

PH. Rectissime itaque definiri posse puto Nobilitatem, quod sit dignitas ciuis Reipublicæ alicuius, quam ille vel à Principe siue Imperatore; ob virtutes suas proprias sibi acquisiuit, vel à Parente, sanguine in se deriuatam possidet. Proindeq; nobilitas, aut in primo acquirente consideratur, aut in acquirentis sobole: Quæ in acquirentis sobole cōsideratur, dicitur nobilitas generis vel gentis; q̄ in primo acquirente, dicitur nobilitas scientiæ siue literaria, *Nobilitas quid.*

lega-

legalis aut beneficiaria. Illud autem omnibus his nobilitatis speciebus commune est, vt nobilitas virtute promerita à Principe sit confirmata. In priori specie in maioribus: in posterioribus vero in persona ipsius primi acquirentis.

EQ. Nobilis quantum ignobili præstet, natura ipsa quadam communi omnium consensione inita & vsu recepta satis indicat. Et cum duo in statu hominum sint gradus, nobilium & plebeiorum, ita duplex nobilitatis diuisio; alia qua nascimur, quæ generis & sanguinis dicitur, cum sit à natura data, non à nobis quæsita, quæ mutari non potest iure aliquo. Alia autem est exterius parta & quæsita, vel profluens ex diuitiarum abundantia, vel sapientiæ excellentia, vel rei militaris gloria, aut alio cœlesti munere priuato, quo deficiente deficit nobilitas ex eo descendens.

TH. Ego vero cum Pittaco, non quam quis sit locuples, quo loco natus, qua præcipuus ætate, ponderandum: sed quam sit vir bonus ac probus, considerandum esse existimo. Ac primum quidem dignitas huius ordinis, me ita vt sentiam, adducit. Est, vt suis in libris *de Repub.* Plato scribit, magistratuum conditio è communi hominum sorte exempta, ac quodammodo diuina. Etiam sacris in literis, Deorum his nomen tribuitur: ad quos in excelso collocatos omnium oculi respiciunt: quos venerantur: à quibus opem & auxilium exspectant. Vt ergo inter metalla aurum, & pulchritudine fulget, & vitibus præualet, & rubiginem non contrahit: sic in societate ciuili Magistratum, ornamentis virtutum splendere: plurimum consilio posse: & vero vitiorum ac prauorum næuis nullis esse deformatum decet. Officium deinde eorum qui aliis sunt præfecti, si perpendamus: rursum quo quisque melior ac pluribus instructus virtutibus est, eo digniorem hoc tanto eum munere deprehendemus. Nempe cura ista Magistratui incumbit: vt, quod est bonum atque vtile subditis, id promoueat: quod periculosum, aut noxium, prouideat ac repellat: præstet idem in Ciuitate Princeps, quod in corpore oculi largiri solent. At quomodo bonum videbit is, qui ipse bonus non est? Malo quo pacto aduersabitur, cui cordi malitia & improbitas? Aristoteli profecto si credimus: prauitas intellectum peruertit: efficit, vt qui est malus, etiam in rerum agendarum principiis erret ac labatur: imo Deus ipse non nisi bonis bona subministrare consilia consueuit. Itaq; præclare Romani olim inter alias leges etiam hanc de Magistratu tulerunt: Is ordo vitiis careto: cæteris specimen esto. Et Iosaphatus Israelitarum rex hoc nomine laudatur, quod Magistratus non quosuis, sed pietatis studiosos, amantes veritatis, à vitiis omnibus alienos constituerit. Quemadmodum contra Caligula & Tiberius, duo probra, pestesque Romani Imperij reprehenduntur: quorum hic quidem adeo iniquus in Rempubl. extitit, vt non nisi compransores & collusores suos amplissimis præficeret muneribus: ille iniquitati vesaniam quoque adiungens, pessi-

Nobilitas magistratus in quo consistat.

pessimum quemque sinque similem ad honores publicos euexit: imo etiam equum suum consulem facere voluit.

EQ. Recte sentis. Nobilitas namque ac præeminentia magistratuum in eo consistit, vt virtute cæteris præfulgeant. Hinc Agesilaus Lacedæmoniorum rex, cum audiret Persarum Regem Magnum appellari; *Qua re maior me est?* inquit, *nisi iustior est ac temperantior.* Censuit ille, cum demum principem Magni cognomento dignari, qui virtutibus & rerum gestarum gloria alios omnes superaret. Neque prætereundum est illud Regis eiusdem memoratu dignum responsum: qui rogatus quomodo quis potissimum apud homines probaretur? *si dicat*, inquit, *optima, faciatque honestissima.* Virtus enim eiusmodi est, quæ ipsis statim rebus gestis ita afficiat homines, vt non modo admirentur opera, verum in auctorem quoque summo studio incendantur. Et CYRVS apud Xenophontem præclare dicebat, *Imperium nemini conuenire, qui quibus imperat, melior non sit.* Quid de Alphonso (vt antiqua prætergrediar) Aragonum Rege potentissimo, iuxta ac eruditissimo dicam? Eum dicere solitum legimus, eos demum principes magnificandos, qui virtutem probe excolerent: Quippe in quo virtus fuerit, eius Imperium æquo omnes animo patiuntur, illiusque moderationi sæpe etiam sponte subiiciuntur. Vere itaque ac merito Græcorum Orator Isocrates maximus, Regi suo præcepit, ac sua sit, ne deterior ipse melioribus impertiet, neue indoctior peritioribus. Etenim, vt apud Romanos ludibrio habitus est *Sylla* à bonis grauibusque viris, quod cum ipse intemperantissimus esset, luxuque difflueret, ciues tamen Romanos legibus ad frugalitatem, sobrietatemque reuocare niteretur; ita quoque frustra est eius illecebra, qui cum ipse probrosus sit vita, alios tamen ad probitatem, vitæque integritatem fucosa facie pellicere conatur.

Principes sint exemplar subditis.

PH. Solet Deus in quibusdam naturis mature suscitare heroicæ indolis quasi prodromum, qui quidem multorum cum admiratione simul & congratulatione sese solet sæpenumero exerere: Exempli gratia: Cum Alexander Magnus Bucephalum equum, qui præter sessorem Alexandrum neminem ferebat, summa prudentia primus domaret, pater Philippus Alexandrum filium deosculatus, admiratusque singulare eius ingenium ad res maximas natum, dixit: Quære, fili, par tibi regnum, siquidem non capit te Macedonia.

Indolis heroica prodromi.

Cumque Darij Persarum regis matrem, vxorem & filiolum captos in potestate haberet, & hunc in amplexum sublatum aliquandiu tenuisset & exosculatus esset Alexander, atque singularem in eo puero indolem conspexisset, ad Ephæstionem conuersus, inquit: *Quam vellem Darius vel tantillum ex hac indole habuisset.* Et Xenophon totus in eo est *lib. 1.* vt ingenitam naturæ Cyri heroicæ bonitatem ostendat. Certe insigne animositatis & fortitudinis futuræ

Rr edi-

edidit documentum, cum puer in venatu, quotiens ceruam prosilientem, aut aprum irruentem vidit, frustra inhibentibus corporis custodibus, cum periculo etiam vitæ, impetum in illas feras faceret; instar, inquit Xenophon, generosi catuli, &c. Idem de Alphonso, filio Ferdinandi Regis Arragonum, commemoratur, qui, vix adolescentiam ingressus, cum in venatione aprum eximiæ magnitudinis in fugam conuertisset, non destitit eum insequi, per loca inuia, dura & aspera, etiam postquam in rapidissimum flumen Iberum, aper fugiendo sese demitteret; ipse, frustra vociferante præceptore, cuius custodiæ commissus fuerat, periculumque ostendente, eum insecutus strenue occidit. *Iulius Cæsar*, Alexandri Magni res gestas legens, non tenuit lachrymas, atque ad amicos: *Hoc*, inquit, *ætatis qua nunc sum, Alexander deuicit Darium: mihi vero ad hunc vsque diem nihil præclari facinoris gestum est.* Suetonius tradit id accidisse, quum prætor iure dicundo conuentus obiens apud Gades in templo Herculis vidisset Alexandri Magni statuam. Vtinam hoc ingenium ad moderati potius, quam ad maximi Principis æmulationem properasset. *Plutarch. in apoph.*

EQ. Sicut præstantia equorum certis signis cognoscitur, in breuitate capitis, longitudine iubæ, rotunditate tergi, & clunium, contractione ventris, & colli, teneritudine cutis, latitudine pectoris, gracilitate crurum, vigilantia oculorum, pernicitate pedum, saliendi, gradiendi, & adhinniendi modo, (quæ omnia, & in mulieribus formosis reperta, illas facere perhibentur longe adhuc formosiores, & decentiores, præsertim cum ad has, sicut ad equos elegans vestitus accesserit, & cum equi commodum sessorem nacti sunt.)

Ita quorundam hominum actiones certis depræhenduntur signis, magis ad heroicam & diuinorum virorum famam, quam mortalium, aut humanorum: & ad formosissimam virtutis pulchritudinem aspirantium.

PH. Habet nimirum hoc proprium generosus animus, quod ad honesta concitatur; neminem excelsi ingenij virum humilia delectant & sordida. *Seneca in Epist.*

EQ. Fuerunt antiquitus Nobiles (seu Patricij potius, nam Nobiles inter plebeios numerabantur) à plebeiis, certis notis, quas exterius prætulerunt, distincti. Duo maximi & excellentissimi populi, Athenienses in Græcia, Cicadam in pallij fibula; & Romani in Italia, Lunæ crescentis hemicyclum in calceis gestabant. His scilicet notis se αὐτόχθονας, nobiles indigenas, non aliunde aduenas, continuisque successiuum augmentis in suæ originis cœlo & solo crescentes ostentabant. E terra namque nascuntur cicadæ, & vnde ortæ sunt, ibidem viuunt, canunt & moriuntur, nusquam alio euolantes. Luna simi-

similiter singulis mensium Neomeniis nasci videtur, & crescere in suo eodem cœlo.

PH. Notæ quibus Patritii olim à plebeiis secernebantur, exprimit Alexander ab Alexandro Genialium dierum *lib. 5. capit. 16.* his verbis: Patritii, & qui nobilitate præstant, quique honeste geniti & liberaliter educati erant, bullam in pectore, lunulam in pedibus habebant. erant enim fibulæ eburneæ corniculantes instar lunæ. Quod à Numa institutum ferunt, vt senatores eorumque posteri nigris calceis lunas annecterent; ab Arcadibus deductum, vt se proselenos designarent, velut amplissimum testimonium nobilitatis ferrent, quippe in calceis senatorum lunam adscripsisse, centenum numerum designauit, quo tunc Senatores continebantur. Ea enim bulla aurea fuisse traditur, figuram cordis habens, qua etiam obsignasse dicuntur veteres: cum plebeii & libertini scorteo loro munirentur: quam quidem pueri ingenui, & illorum qui equo meruissent, filii, ad pubertatem vsque vna cum prætexta inducbant: illamque exacta pueritia, solenni Festo laribus suspendebant. *Hactenus Alexander ab Alexandro.* *Patritiorū sive nobilium olim nota.*

EQ. De bulla, pectori appensa, cuius meminit Alexander ab Alexandro, tradit Plinius *libro 33. capit.* 1. à Prisco Tarquinio omnium primo filium, cum in prætextæ annis occidisset hostem, bulla aurea donatum fuisse: vnde mos bullæ durauit, vt eorum qui id meruissent, filii, insigne id haberent, cæteri lorum. Et Asconius *in tertia in Verrem actione:* Simul inquit, cum prætexta bulla suspendi in collo infantibus solet aurea, libertinis scortea, quasi bullientis aquæ sinus communiens pectusque puerile. *Bulla pectori appensa.*

PH. Lunularum in pedibus rationem ostendit Plutarchus *Problem. capit.* 76. longa disputatione: Quid est, inquit, quod qui nobilitate præstare videntur, lunulas in calceis ferunt? An, vt dicit Castor, signum est eius, quæ in Luna esse dicitur, habitationis, & quod post mortem animæ rursus Lunam sub pedibus habeant. An quod Arcades, qui cum Euandro in Italiam venerunt, Proselenes appellati, hoc est, Antelunares, eo calcei genere vterentur. Omitto cætera, quæ apud Plutarchum legi possunt. Ex quo illud Iuuenalis *Sat. 7.* *Lunula in pedibus.*

————— Et nobilis & generosus
Appositam nigræ Lunam subtraxit alutæ.

Cæterum de bulla, cur figuram cordis habuerit, extat apud Macrobium *libro primo Saturn. c. 6.* Nonnulli, inquit, credunt ingenuis pueris attributum, vt cordis figuram in bulla ante pectus annecterent: quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Sed hæc obsoleta sunt.

TH. Lunularum in calceis gestamine (lamina erat aurea, figura, qualis

ferme in Luna prima conſpicitur) aliud inſuper innuiſſe videntur Romani, nimirum, quemadmodum varij in Luna vultus: Ita varios nobilibus Fortunæ vultus eſſe extimeſcendos indicarunt: Ex obſcuro prodit illa, tenui luce coruſcans: mox maiorem acquirit. Soli oppoſita; plena luce reſplendet; ſed cum iam clariſſimam lætamque oſtentat faciem; rurſus conſeneſcens deficit; donec plane luce omni amiſſa, ex conſpectu hominum euaneſcat. Ita meminerint NOBILES, commonefacti nobili hoc antiquitatis documento & nobilitatis primæ inſignio, variis ſe fortunæ caſibus obiectos eſſe, & fieri poſſe, vt mutata ſæpius Fortuna, tandem omnes prorſus Lunulas ſuas amittant: Vti in Eſaiæ vaticinio *cap.* 3. Deus illis comminatus eſt. Quanto itaque genere ſunt ſublimiores, tanto ſint animis ſubmiſſiores: & ſedulo dent operam, vt Phaetontis currum recte gubernent, regia via incedant, mediumque ſemper curſum teneant, ne à recto tramite deficientes, ad ima præcipites ruant.

EQ. Alexander Sardus de moribus gentium lib. 1. cap. 15. Apud Perſas, inquit, Cyri lege, Nobiles equo vehebantur, pedibus enim ingredi ſeruorum erat, prohibitumque nobilioribus, & turpe apud Halanos: equis ephippia ea apponebant, quibus iam vtuntur equorum domitores, abſque annulis ferreis, quibus ipſi imponimus pedes.

Apud Ægyptios, qui nobilis eſt, annulo, torque & purpura à Rege donatus, curru circumducitur per vrbem, clamante præcone, nobilem illum eſſe; quod ſcriptum eſt apud Ioſephum.

Apud alios, aurum auriculis geſtare nobilitatis ſignum erat; ſeruitutis vero, ſtigmate punctiſque notari.

TH. Bullas, lunulas, equos, annulos, & ſi quæ ſunt alia Nobilitatis inſignia, ego cæteris deficientibus omnia ſuſque deque fero; quinimo rectam cumprimis educationem atque inſtitutionem ego requiro; cuius quidem vel maxime reipublicæ intereſt. Enimuero cum illi ſint quaſi vicarij quidam in terris Dei Opt Max. quibus non beſtiæ ratione deſtitutæ; ſed homines ad Dei imaginem creati, regendi deſtinantur & ſubiiciuntur: par eſt etiam, vt quemadmodum de Imperio eius participant, de eiuſdem participes fiant bonitate, & in perſona ſua cœleſtis naturæ repræſentent maieſtatem. Quomodo enim officij ſui ſcopum attingent, qui molliter educati, praueque inſtituti, virtutis cognitionem habent nullam? Quam partem Reipubl. dextre complectentur, aut feliciter adminiſtrabunt, ſine Prudentiæ perſpicacitate, Temperantiæ freno, Fortitudinis ſublimitate, Iuſtitiæ vigore? Hoc cum ita ſit, plurimum illorum mihi iudicium placuit ſemper, qui iuuentutem nobilem, à teneris ſtatim vnguiculis ad hanc Philoſophiæ partem adſueſcunt, diutiuſque in ea detinendam cenſent.

Ad virtutes matura aſſuefactio.

Diſſen-

Diſſentio enim ab iis totus, qui illorum ætati, omnia promiſcue concedenda putant, quaſi priuilegia quædam licentiæ flagitioſæ, ac propria eiuſmodi, quæ nobilitatis eſſentiam neceſſario conſequantur. Turpe natura ſuum quod eſt, vbique eſt turpe, ſiue videatur, ſiue non videatur cuipiam. A cuius contagione ij maxime ſunt arcendi, qui fulcra Reipubl. ſunt futuri, quibus ſalus publica nitatur. Ac ſi quid ætati illi dandum eſt, id moderatum eſſe debet, & intra honeſti pomeria concluſum, ne qua in re decorum, cuius maieſtas mirabiliter non tantum oculos, ſed animos etiam percellit, violetur. Quod niſi fiat, etiam eæ artes, vel occupationes, quæ voluptati magis ſeruiunt, quam vtilitati, integritatem perdunt ſuam, & turpitudine non vacant. Omnino namque:

Qualiter in primis adoleſcens vixerit annis,
Talem præbebit curua ſenecta patrem,
Turpibus aſſuetus turpem feret ille ſenectam,
Nequitiamque ſuam ſub ſua buſta trahet.

Neque enim, vt inquit Socrates, frumentum optimum iudicamus, quod in pulcherrimo agro natum eſt, ſed quod commode nutrit: neque virum bonum & ſtudioſum, aut amicum beneuolum, qui genere clarus, ſed qui moribus egregiis fuerit.

PH. Recte ſentis; Ac ſane ſi vlli, huic maxime hominum generi, vt ad virtutes ab vnguiculis aſſuefiant, competit. Videmus namque in optimis fere conſtitutis rebuſpubl. eam iamdiu inueteraſſe conſuetudinem, vt homines plebeij & orti obſcura familia perraros, nobiles autem & dignitate præſtantes, fere ſemper ad capeſſendam rempubl. ſeuocentur è cæteris, ac velut excerpantur. Ineſt enim in omnium animis, quo nobilitati præclare volunt, idque non traditum à magiſtro, ſed acceptum à natura: nec frequenti actiuncula comparatum, ſed tributum hercle diuinitus. Atque inde fere eſt, vt nobilium non ſolum ingenio ad conſilia capienda de rebus grauiſſimis, ſed etiam opera ad rem gerendam vtantur. Si quis de eo dubitet, is cogitet de Gallia: vbi qui vel in rerum vrbanarum procuratione aſſidue verſantur, vel ad munus bellicæ diſciplinæ acceſſerunt, ij familiæ claritate maximam partem antecellunt. Intueatur etiam, ſi placet, Hiſpaniam: in qua non ex agro ruſticanus, nulla ſtirpis commendatione notus, ſed à generoſi familia eques ad gerendos in republ. magiſtratus admittitur. Contempletur Angliam, Ecquis fere eſt, cui vel domi pacatis rebus, vel militiæ in armorum ſtrepitu procurandæ reipubl. munus aliquod demandatur, qui non poſſit generis dignitatem afferre? *Nobiles reip administrationi adhibentur.*

EQ. Fuit hæc antiquitus etiam vſurpata conſuetudo. *Exemplum.* Cum capta Tyro, trucidatiſque 7000. ciuium, & 2000. ſuſpendio necatis Alexan-

dei Magnus iussisset, Ephestionem eis constituere Regem: Ephestion ciuem primarium, apud quem fuerat hospes, voluit facere Regem. Ille noluit accipere regnum: & dixit, reliquum esse vnum ex cognatione regia omnino pauperem. Ad istum accessit cum laboraret in horto, eumque deduxit ad Ephestionem, Ephestion & vestiuit eum purpura, & pronunciauit Regem. Sic iste ex infimo gradu factus fuit rex, cum reliqui ciues potentes perirent, *Buntingus in Itinerario, par. 2. pag 36.*

Nobilium paupertas quomodo subleuata.

Quinetiam ij qui præ cæteris sapuerunt Principes, omnem ad id adhibendam esse industriam existimarunt, vt antiquam nobilitatem in suo principatu sartam tectam conseruarent, atque matrimonia inirent, ne familiæ deficerent, curauerunt, eorumque paupertatem adiuuerunt non propter aliam causam, nisi quia, quo illustrioribus imperant, eo sibi maiorem imperantes gloriam vindicant. Inter cæteros id perappositè præstitit Augustus; non enim solum Hortalum Hortensij nepotem, vt vxorem duceret, hortatus, sed ei pecuniam largitus est, ne vt inquit autor, clarissima familia extingueretur. Idemque fecit Tiberius erga quosdam ad paupertatem redactos Senatores, nobilitatem illorum iuuandam præfatus; Sed & Valerio Messalæ donauit in singulos annos quingena sestertia, quibus innoxiam paupertatem sustentaret.

TH. Nobilium familiæ emortuæ, aut ipsorum exterminatio, instantis ruinæ atque confusionum regni plerunque solet esse indicium; id quod ipse etiam Ieremias Propheta in lamentatione illa, qua nobiles ciuitatis Hierosolymæ delendos fore deplorat, haud obscure innuit: *Abstulit magnificos meos Dominos de medio mei*, Thren. 1. Proindeque cumprimis illorum habenda est ratio.

EQ. Carolus ille vere Magnus, Nobilibus insigniter prospexit, id quod inter alia, ex oratione, quam subactis Saxonibus ad Nobiles Francos & Germanos habuit, perspicuum est: *Ite* (inquit) *mei milites, vos heroes vocabimini, socij regum, iudices criminum. Viuite posthac laboris expertes, consulite regibus publico nomine, fauete orphanis, iuuate pupillos, consilio circundate Principes, ab his victum & vestitum & stipendium petite: si quis negauerit, inglorius infamisque esto. Si quis iniuriam vobis intulerit, reum se maiestatis agnoscat. Vos autem cauete, ne tantum decus tantumque priuilegium, iusto bellorum labore partum aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quouis vitio maculetis, ne quod largimur vobis ad gloriam, redundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forte excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum regibus perpetuo reseruamus.* Hactenus oratio Caroli Magni, quæ & magnanimitatem militum ipsius, eiusdemque munificentiam erga bene meritos satis arguit; quam vtrinque vti quisque suo loco imitetur,

letur, votum & operæ pretium est, ne in pretio antiquitas solum, sed & posteritas fiet.

TH. Ipsi etiam Nobiles plerique rei familiari quam maxime, imo sæpenumero plus nimio sunt intenti, ita vt vere dixerit, qui dixit: lites ab illis propagari vt vites, quarum tamen vuæ ratissime ad iustissimam perueniunt maturitatem, imo in ipsorum surculorum germinatione sæpenumero deferuescunt. Exemplum rarum, at verum tamen in medium producam, quod recenset Ioannes Schenck à Grafenberg *in libro obseruat. admirabilium, lib.* 4. his verbis: Anno Christi 1584. posteaquam vir nobilis, D. Ludouicus ab Hirshorn (cuius sedes fuit in Palatinatu, tribus ab Heidelberga milliaribus: in oppidulo, quod eiusdem nobilis viri nomen sibi vindicat) rebus humanis exemptus esset, neque vllum post se hæredem reliquisset: vidua interim ipsius vterum ferente: statim ipsius defuncti agnati, & feudorum successores (vt qui vehementer dubitarent, ferretne masculum grauida vidua, an potius fœmellam?) non solum omne ius successionis feudorum, in omnem euentum. à feudorum dominis obtinuerant: verum etiam, quia libenter plenam & fundamentalem notitiam omnium feudorum & redituum habuissent: ideo statim à morte prædicti nobilis, superstitem ipsius viduam, adhuc immaturam defuncti mariti mortem lugentem, sua in domo operuerunt: eique claues ad cryptas & cellas è lumbis, non sine vi & vehementia detraxerunt. Quæ res adeo miseram & tristem viduam affecit, vt coniectis in verticem suum manibus, vociferari & eiulare magis cœperit: vt quæ grauiter molest. quæ huiusmodi sæuitiam & agendi modum ferret. Quin etiam paucis interiectis diebus, tandem peperit, & quidem egregium puellum, sed mortuum, & caluaria carentem. *Nobilis fœmina partum inopinatum.*

Cæterum cum agnati & hæredes defuncti Nobilis, ea de re certiores facti essent, persuaserunt sibi, suam ipsorum spem iam expletam, & ipsos sui compotes voti factos fuisse. Quare ius suum in vtenda fruenda hæreditate feudorum persecuti sunt. Sed Deus Opt. Max. velut è saxo alium partum masculum, & paternorum bonorum hæredem viduæ illi mœstæ & desolatæ suscitauit, atque donauit. Etsi enim non ita pridem puellam enixa esset, tamen subtumida à partu remansit, nihil aliud suspicata, quam vel tumorem præter naturam, vel aliquem morbum in suo residere corpore; id quod etiam aliquibus Medicis (quorum consilium separatim requisitum & auditum est) visum fuit. Causam enim morbi quiduis aliud existimarunt, quam quod, ipsam grauidam adhuc esse, suspicarentur. Quare consilium ei dederunt, vt ad Thermas fontis acidi ad Rhenum (bey Erfal am Rhein) sese conferret. Ad quas illa Thermas, secuta ea in re Medicorum consilium, vt vidua mœsta & orba, vnica ancilla comitata, profecta est.

Verum

Verum enimuero vt tandem mense Iulio, ann. 1584. eo loci venit, ob Thermas: accidit, vt ibi inueniret Electorem Saxoniæ Augustum (qui paulo post in fata concessit) cum coniuge; nec non alios, aliasque Principes: qui ita loca præoccuparant, vt ipsamet in diuersorio locum manendi non inueniret: præsertim cum nemini notum esset, quæ, qualisve matrona foret, quæ vnica tantum ancilla comitata venisset. Porro tandem eius loci Præfecto, quænam esset, significans: & suum ei casum, qui non ita pridem acciderat, commemorans: ægre ab ipso hospitium ad sequentem noctem obtinuit.

At vero ea ipsa in nocte, cum iam decima ageretur hebdomada à priori & proximo partu, Deus Opt. Max. ipsam & mœstam atque afflictam, & apud peregrinos, pulcherrima prole mascula, eaque viua, ditauit. Id quod statim fando peruenit ad aures illustrissimorum Principum. Et quidem ei Elector Moguntinus lautum ac nobile puerperium instituit: Elector vero Augustus eidem mille Thaleros dono dedit. Quin etiam omne ius hæreditariæ successionis & feudorum ab aliis repetitum, & huic ipsius filiolo, hæredi videlicet legitimo, restitutum est, qui adhuc ad præsens est in viuis. *Imp. Rud. 2. Papa Vrb. 7. VVolfius in 2. Tomo Memorab. fol. 287.*

EQ. Exemplum quidem id fuit rarum; quod vero spe inani fuerunt delusi, id vero non admodum illis est rarum. Cæterum referam ego hoc loco de Nobili quodam historiam, qui quidem spe sua, quantumuis in speciem valde ambigua minime frustratus fuit, ridiculoque stratagemate generosum equum à fratre suo, Episcopo impetrauit, quod his quæ sequuntur verbis, recenset Scala cœli (liber sic inscriptus) *tit. seu cap. de orat.* Abusus religione (inquit) fuit & quidam nobilis, frater Episcopi cuiusdam, vt eius equum extorqueret strenuum & sibi valde idoneum, quo solo tantum Episcopus equitaret: & ideo facile ei non fuisset daturus. Is enim super prædictum equum clam frater solitus erat equitare: dumque calcaribus vrgebat, dicere: *Deus in adiutorium meum intende*; quibus valide infixis equus saltu crebro se extollebat cum impetu: eaque tandem consuetudine vsus, donec equus, quoties audiret, *Deus in adiutorium meum intende*, metuens sibi à calcaribus, saltibus crebris se extolleret. Voluit autem in eo equitare Episcopus, quia optimus erat: & vbi viam ingressus fuisset, & cœpisset dicere cum capellano suo matutinas, & pronunciaret: *Deus in adiutorium meum intende*: id audiens equus, metuensque calcaria, tam valido saltu se extulit, vt sessorem Episcopum excuteret, & in lutum proiiceret. Vnde miles frater, qui equo inhiabat, occasionem captans, persuasit illi, ne vnquam in posterum equum conscenderet: quippe qui potius requireret militem, quam Episcopum: & ita facile equo potitus est.

Equus deuotionis impatiens.

TH. De

TH. De Nobilium paupertate paulo ante à vobis dictum est, cui & ego addam aliquid: Nobilis qui paupertatem habet comitem, non magni fit, inquit *Melanthon in 2. parte Postillæ*: cuius rei historiam vnâ hanc recenset: Fridericus Thuen, inquit, dicebat, se aliquando fuisse consolatum senem de Orlamunde: & inter alia dixisse: eum esse ex vetustissima nobilitate Thuringica. Sed responderat ille: Quid mihi dicis de nobilitate: etiamsi essem tam nobilis, vt perdicum pennæ mihi per nares erumperent: & non haberem pecuniam, tamen essem miser. Cæsar Pflug, pater Iulij Episcopi, etiam dicere solitus est: Nobilis est ille, quem nobilitat sua villa. Mutauit studiose alterum illum vulgarem: Nobilis est vere quem nobilitat sua virtus. *Paupertas nobilium vnde.*

EQ. Portentosa hominum in vestibus, supellectile, & epulis nostri temporis luxuries eo rem perduxit, vt quam plures, dum nihil aliud student, quam vt pascant ventrem, & famulatu, omnique œconomia potentioribus pares haberi curant, non tam homines, quam Epicuri de grege porci, & gulæ mancipia videantur. Crepidarij, Sartores, Carpentarij, Ferrarij, Fullones, Dardanarij, Caupones, & omnium vilissimi lanij, & alij huiusmodi farraginis, non lanis, vt eorum officinæ postulant, sed iam nobilium, & equitum more bombycinis, & gausapinis sericis indui, & vxores, vt Neronis mulos argenteis soleis, crepidare non verentur. Nobiles itaq; quando luxum hunc cernunt, sui muneris pleriq; esse existimant, ne videlicet ordinem suum prostituisse videantur, vt subinde noua luxus genera ac modos excogitent, qui plebeiorum luxum exuperet. Hinc deinceps pessum omnia eunt. *Plebeiorum simul & Nobilium luxus.*

PH. Id vero ex præpostero plurimorum, quo dignitatem Nobilitatis metiuntur, iudicio pullulat; quos idcirco Melissus *in voto Posthij* eleganti hoc carmine grauiter arguit:

Nobilitas, veluti vulgus putat inscius, aut est
Copia nummorum, & collectio diuitiarum:
Aut sanguis quoties generoso è stemmate quisquam
Natus, auos atauosque suos gentiliaque arma
Iactat, & eximios laudat virtute parentes.
Iudicium tamen hoc vulgi mendaciter errat,
Vt plerunque solet; communis opinio multis,
Paucorum ratio est. Si nobilis ille putari
Debet, quicunque est diues: Sic nobilis esse
Cerdo potest, lanius, tonsor, piscator, equiso,
Pastorque & pistor, coriarius atque bubulcus,
Et leno, & latro, & quiuis de plebe lutosa.
Namque ex his multi rebus nummisque potentes
Et sunt & possunt fieri. Fortuna frequenter
Extollit miseros: eadem detrudit ad imum

Sæpe illos, quos ante rota commiserat alta.
Nobilis ergo fuit tantum, quum mœnia victor
Æneadum intrauit Marius, *plaudente senatu*
Ac populo, insignis lauro niueisque quadrigis:
Sed postquam eiectus Syllanis viribus, exsul
Minturnis latuit, latuit quoque carcere fœdo:
Vel quum mendicus panem per Punica rura
(Proh superum leges, & non bene nota potestas)
Quærebat, panem durus fossoribus aptum.
Non erat infœlix tunc nobilis: abstiterat tunc
Nobilitas fugiens longe: mox ipsa reuertit,
Quum Marius *rediit mutato sydere* Romam.
Nimirum stulta hæc sententia: si fit ab auro
Nobilitas, certe de terra nascitur aurum.
De fraude, & furto, de fœnore: nascitur ergo
De fraude, & furto, de fœnore nobilitas ô
Iudicium vulgi insanum! ô sine pectore turba!
Nobilitare hominem non vlla pecunia, nulla
Diuitiæ possunt: precio nam dignior omni
Nobilitas. Hæc non emitur, nec venditur auro.
At genus ille suum iactat, laudesque suorum
Inculcat, cum sit turpissimus: atque recenset
Gesta patris, monumenta atavi, patruique trophæa.
Et quanquam innumeris, demens ignauus, abundet
Criminibus, virtutis inops, tamen esse putatur
Nobilis, est alto quoniam de sanguine natus.
Cur aliena tibi tribuis? laudemque tuorum
Esse tuam censes? cum tu sis dedecus illis,
Degener, infamis? mentito nomine cygnum
Graculus appellat sese: cornicula plumas
Pauonis furata cupit pauo ipsa videri:
Sed natura vetat, quæ nobilitatis origo est.
Hinc animi viles, hinc & cœlestia corda
Proueniunt: hæc largitur sua semina cunctis.
Nempe animum propter, non propter corpus haberi,
Nobilis & dici debes. Nam corpora multa
Seruorum pulcra, & magna & robusta videntur.
Nobilitas quidam est animi proprius decor, atque
Vis quædam natiua, cupit qui grandia, semper

Viba

Vilia contemnit, quæ sursum tendere vt ignis
Nititur, & summas penetrat velut ardea nubes,
Infima despiciens. Hanc vim qui munere cœli
Accipit, ille bonus fiet patiensque laborum
Consilioque potens, curis vigilantibus vt quid
Dignum laude gerat, vt sit laudabilis ipse.

TH. Diogenes, Nobilitatem, atque hoc genus fortunæ bona, nihil aliud quam velamina malitiæ esse decebat. Nobiles enim, quum aliis nihilo sint meliores, tamen peccant licentius, iuxta Horatij dicterium:

Et quicquid voluit, veluti hoc virtute peractum,
Sperauit magna laudi fore.

Hinc adeo fit, vt, quod D. Leuchterus grauiter inquit, Vitiorum incrementa virtutum decrementa comitentur. Iuuentus namque, vt inquit Valerius Max. lib. 6. cap. 9. non voluptatum illecebris tantum, sed & ipsa infamia gaudet.

PH. Vbi luxus, insolentia & alia vitia regnare consueuere, & veluti pro virtutibus habentur: fieri non potest, quin diuitiæ & opes prodigaliter consumantur, ex quo deinde egestas oritur. Non abs ratione igitur Appius Claudius contra Valerium à Dionysio Halicarnasseo ita differens introducitur: Eos qui ventri & fœdissimis voluptatibus indulgentes, patrimonium suum absumpserunt, dedecus & detrimentum reipubl. existimandos esse, & rempublicam magnum facturum quæstum, si ipsi vltro ex vrbe excedant. Fiunt enim, inquit Aristoteles, in Republica mutationes, cum homines sua consumunt, prodige viuentes. Et quod Salustius inquit; Hi quibus opes nullæ sunt, bonis inuident: malos extollunt: vetera odere: noua exoptant: odio suarum rerum omnia mutare student. *Ex luxu paupertas.*

EQ. Noui (inquit Richterus in Axiom. Polit.) adolescentes duos nobiles, qui adeo luxuriose viuebant, vt etiam vinum Rheticum vino Rhenano, æstiuali tempore, tanquam sordidæ aquæ, imponerent, vt maiori cum voluptate bibere possent. Vinum autem Rhenanum alias suis tanquam vilissimum potum bibendum dabant. Hi post aliquot menses in tantam redacti sunt paupertatem, vt & cum coniugibus & liberis non sine maximo vitæ discrimine, ex ciuitate à creditoribus expellerentur: & nisi parentes intercessissent, creditores in liberos & coniuges impetum fecissent.

TH. Heu quæ metamorphosis! Referri possunt in catalogum filij illius prodigi, qui tamen in hoc fuit illis felicior, quod sub tectum paternum rediit, id quod ipsis quum omnia abliguriissent, minime licuit.

Cæterum ſunt præter delicatulos etiam ſordidi quidam, qui à ſorditie ac ſpurcitie propedum Nobilitatem ſuam metiri velle videntur, è quorum numero fuit quidam, Pina dictus, iſque admodum ſordidus; de quo extat, quod iam dicam:

Quod ſit nobilis & ſatus vetuſta
Stirpe: non aliter probare Pina
Nouit, quam ſimiles ſui Cyclopes,
Multa ſcilicet belluatione,
Et plus quam nimia bibacitate,
Et ructu, & crepitu, & quotidiana
Crapula, vomitu, ſupremum & imum
Per guttur. Niſi namque quis ſit ingens
Potator, niſi (proh pudor) valenter
Bacchari queat, aut tumultuando
Strictis enſibus angulos per omnes
Hinc diſcurrere & inde, ni frequenter
Sacramenta, elementa, vulnerumque
Periuro tonet ore mille plauſtra,
Vere nobilis ille non putatur,
Vt vane nimis arbitrantur illi.
O priſcum genus: ô Viros equeſtres!

Nobiles ſordidi.

EQ. Leuitatis notam etiam haud raro, præſertim ſi apud exteras nationes ganeis rebuſque ſcurrilibus nauarunt, Nobiles incurrunt. Cuius rei exemplum hoc habetote: Dux primus Cliuenſis Dominus *Arnoldus* in vehementer acerbum apparatus ſuperbi ac peregrini luxus odium peruenerat. Simplicem igitur ac modeſtam in aulis viuendi rationem à filio Domino *Ioanne*, eius nominis Duce Cliuenſi primo, ſeruari voluit. Sed hic in Gallijs aliquot annos vitam exigens patriam dedidicit, ac ſuperbiorem exteræ gentis conſuetudinem aſſumſit. Quare cum è Nauarrorum nobiliſſima familia duxiſſet vxorem, ſtatuit in patriam redire, ſed apparatu & equitatu Gallico inſtructus. Aduentantem filium & peregrino luxu tumidum videns, adhæc plurimorum inſuetas campanellas & tintinnabula multorum audiens, D. Pater excanduit, inquiens ſua dialecto: Da kompt Hennicken mit den Bellen. Hoc eſt, filius meus Iohannes venit cum tintinnabulis; quibus exprobrauit illi peregrini, quem affectaret, luxus vanitatem. Hoc ipſo ſenis Principis dicto, vt prouerbio celeberrimo filius ſæpenumero ſolebat vti, ac ſecum iocari, confeſſus, Dominum patrem vera dixiſſe; nempe ridiculum eſſe, ſi quis Principum frugalitatem patriam cum luxu peregrino non erubuerit permutare.

Nobilium vanitas.

TH. Si.

TH. Si contingat, (inquit Guazzus differt. 2. de ciuili conuersat. pag. 50.) te aliquo versum per Pedemontanam & Montisferratensem regiones excurrere: quemadmodum mihi ex Gallia redeunti vsu venit, reperias ibi nonnullos etiam, qui Nobilium in numero habentur, vel in ipso foro chartis lusoriis aleæq; lusu, eadem libertate sese exercere; qua in propriis ædibus vtuntur. Eiusque plane sum opinionis; si quis delicati stomachi Nobilis ludo & spectaculo isti studiose & de industria se velit subtrahere: nec aliis se immiscere dignetur: derisum eum, aut superbi, aut sapientis, aut doctoris, aut poetæ nomen reportaturum esse: quæ tamen noua viuendi forma sub se coloratam habet & speciosam quandam excusationem. Montanæ enim istæ regiones, quandoquidem multis iam annis diuersæ nationis & regionis milites continue receperunt: factum inde est, vt incolæ isti non tantum Martiales euaserint, sed & militares istos mores imbiberint: & quasi proprios sibi fecerint. *Hactenus Guazzus.* Nimirum consuetudinis vis tanta est, vt nimia sui tolerantia, subiugata quasi tandem contineat rationem. *Nobiles chartis lusoriis intenti.*

PH. Nihil ergo obstet, quo minus illud Codri Vrceoli Epigramma in huiusmodi Nobiles degeneres vsurpari queat:

Sis licet ingenuus, clarisque parentibus ortus,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Adde decus patriæ, & claros tibi sume propinquos,
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Sint tibi diuitiæ, sit larga & munda supellex:
Esse tamen vel sic bestia magna potes.
Denique quicquid eris, nisi sit prudentia tecum,
Magna quidem dico, bestia semper eris.

Nec minus illud eiusdem Vrceoli, contra nobiles identidem degeneres: adeoque virtute carentes:

Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quam tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

TH. Recte itaque Platina in lib. de vera nobilitate: Quonam, inquit, pacto fieri potest, vt is nobilis censeatur, qui sine doctrina & eruditione intemperantiæ se, iniustitiæ, impietati, & nequitiæ addixerit: imo vero hunc non modo ignobilem, verumetiam scurram, & nebulonem improbum appellabimus: id quod sentire & Cicero videtur, scribens enim ad M. fratrem, de petitione consulatus, cum Antonij & Catilinæ mentio fieret: Nequaquam sunt, inquit, ij tam genere insignes, quam vitiis nobiles. Nobilitatis enim proprium est, recta sequi, gaudere officio, cupiditatibus imperare, auari-

tiam cohercere: Hoc qui facit, etiam si ex infima sorte hominum natus fuerit, is merito suo nobilis haberi & dici potest, neque est cur parentem rerum omnium naturam (vt quidam improbi faciunt) reprehendamus, quod hos nobiles, illos vero ignobiles faciat, æquale siquidem omnibus temperamentum præstat, non genus, non potentiam, non opes inspiciens: eadem enim quoad animum pertinet, nascendi ratio in priuatorum hominum filiis est, quæ in principum ac regum natis, licet ii in purpura & magnis domibus, illi in centonibus & casulis plerunque nascantur. Virtutes certe & vitia faciunt, vt alter altero nobilior sit.

Nobilium virorum lapsus.

PH. Prauos equidem nobilium excessus minime probo. Condonandum tamen aliquid interdum est, si quandoque in quibusdam claudicare eos comperiamus. Nullius enim tanta virtus, quæ nusquam incurrat aut impingat; & constat, in magnis & sanctis viris iam senescentibus, nonnunquam simul sapientiam senescere ac decrescere, & virtutum vigorem deflorescere; omnesque adeo fere viri heroici insigni aliquo probro à Diabolo deformantur; suntque magnæ infirmitates & multa errata omnium gubernatorum & optimorum & vigilantissimorum; omnino vt Plato similitudine rem confirmans: Sicut (inquit) in Ægypto nascuntur optima remedia, & nocentissima venena: ita in heroicis viris cum magnis virtutibus coniuncta sunt magna vitia. Exempla sunt notissima de Saulo, Dauide, Salomone, Gedeone, Osia, Iosia, item Hercule, Alexandro Magno, Alcibiade, Themistocle, Pausania, Cyro minore, Pompeio & aliis.

EQ. Alcibiadem, Clinæ filium, Atheniensem, in medium produco. In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus. Nam in amplissima ciuitate, summo genere, omnium ætatis suæ multo formosissimus, ad omnes res aptus, consiliique plenus. Namque Imperator fuit summus mari & terra, disertus, vt in primis dicendo valeret: & tanta erat commendatio oris, atque orationis, vt nemo ei dicendo posset resistere. Idem cum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minus in vita, quam victu: affabilis, blandus, temporibus callidissime inseruiens. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, vt omnes admirarentur, in vno homine tantam inesse dissimilitudinem, tamq; diuersam naturam.

TH. Sed nec ipsi Christiani principes, quinimo nec viri Ecclesiastici, ab huiusmodi lapsibus sunt immunes. Constantinus Magnus, qui abolitis blasphemiis Ethnicis orbem terrarum coegit amplecti doctrinam Euangelij:

tan-

tandem lapsus fuit, subscripsit blasphemiis Arianis, persuasus incitationibus sororis: Ipsum etiam Arium reuocauit, ipsiusque dogma impium obtrusit Ecclesiis; quod tamen paulo ante publico decreto damnarat.

Inter Epiphanium & Chrysostomum tanta extitit contentio & disceptatio, vt Epiphanius calore iracundiæ dixerit: Non morieris, Chrysostome in tua Ecclesia: & Chrysostomus responderit: non rediturum in patriam superstitem Epiphanium. His imprecationibus respondit euentus. Nam Epiphanius nauigans in Cyprum extinctus est: & Chrysostomus non ita multo post in exilium pulsus est.

Sic Hieronymus strinxit stylum aduersus Ruffinum, cum quo multos annos coniunctissime, amantissimeque vixerat.

EQ. De Tiberio Cæsare Xiphilinus ait: Tiberius fuit homo magnis virtutibus præditus, coopertusque sceleribus: ac ambobus pariter vsus est, quasi tantum in alterutro se exercuisset.

De Traiano optimo Imperatore Dion ita scribit: Cuncta in eo viro optima atque præstantissima erant: sed amoribus puerorum & vino deditus erat.

Exercuit etiam sæuitiam in Ecclesiam, sicut historiæ ostendunt, quod sub eo interfecti sint Simeon, frater Christi, Archiepiscopus Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Ignatius Episcopus Antiochenæ Ecclesiæ, qui bestiis obiectus est.

TH. Facile est naufragium sapientiæ: facilis iactura virtutis: nisi ad omnem nutum Dei, clauum tenentis, manus nostræ remigium munus summo conatu obeant, & exequantur. Exempla. Saul primus rex Israelis initio res gloriosas gessit. Tandem vero interficit sacerdotes: & magicam mulierem de exitu postremi prælii consulit: in quo fractus desperatione, sibi mortem consciuit.

Quid pulchrius fuit rege Ioas, cum adhuc regeretur consiliis Ioiadæ? Idem vero post mortem Ioiadæ non modo idola coluit, sed etiam trucidauit Zachariam, filium Ioiathæ 2. *Paral* 24.

Milo Crotoniata confisus suis viribus misere periit, cum forte in syluis rimam arboris manu diduceret: & postea rursum coeuntes partes alterum eius brachium corriperent, non erat alterius brachij tantum robur, vt iterum diuulsa rima brachium liberaret. Dum sic hæret, veniunt bestiæ, & ipsum discerpunt.

Pertinet huc querela Ciceronis in Epistol. ad Octauium: O me nunquam sapientem, & aliquando id, quod non eram, frustra existimatum: quantum te, popule Romane, de me fefellit opinio? O meam calamitosam ac præcipitem senectutem: O turpem exacta dementique ætate canitiem.

PH. Hu-

PH. Huiuſmodi vero, quantum id quidem fieri poſſet, vt obuiaretur exceſſibus; magna olim fuit legum & diſciplinæ imperialis acerbitas, rigidiraſque, & mira, Electorum Ducum, & Principum erga Imperatorem ſuum Romanum reuerentia & obedientia. Nam cum Arnoldus Archiepiſcopus Moguntinus, & Hermannus Comes Palatinus bellis mutuis totum pene Rheni tractum infeſtarent, & depopularentur aliquando: in ius vocauit ipſos Wormatiam ad Comitia Imperator: ibi cum vterque reus huius malefacti conuinceretur, ex lege conſuetudinis Francorum & Sueuorum antiquæ, hæc pœna irrogata fuit pacis turbatoribus, & aliis decem Comitibus & Magnatibus eiuſdem facti ſociis: vt canem quiſque humeris geſtarent per integrum miliare Germanicum, ex territorio ſuo in aliud: reliqui autem nobiles eidem pœnæ obnoxij ſuum Dominum ſequerentur ferentes ſcabellum, in quo reſidere poſſet Princeps; ſi vel laſſus ex via, aut onere cuperet, reſpirandi gratia, quieſcere.

Canum deportatio, pœnaque.

Hoc ſtricti lege tenendum erat, nec vlli hæc pœna, qui ea dignus erat, remittebatur, præterquam vbi vel ſ[illegible] mio cuiuſquam, aut aliis grauiſſimis ex cauſis alicui videbatur eſſe parcendum: tunc enim ipſimet quidem indulgebatur reo, ſed tamen pro illo alius quiſpiam optimatum ſummo loco natus legi ſatisfacere coactus fuit. Sic nobiles, quando ob petulantiam & peruicaciam ſuam pœnas merebantur, à principibus ad ſtiuas fuerunt admoti, atque eos ſub iuga aratri coactos, equorum vice terram ſulcare oportuit, donec poſitis ſupercilijs didicerunt tandem continere ſe & humiliare. *Hoc teſtatur hiſtoria Landgrauij Ludouici Ferrei in Chronico Saxoniæ, Mansfeldico, & Othonis Friſing.*

Stiua & aratri iuga.

EQ. Vſurpatum fuit etiam aliud medium, quibus Nobilium feliciter admodum repreſſa fuit audacia; Torneamenta nimirum, quæ olim ex conſilio prudentiſſimorum virorum, Henricus I. Auceps, Imperator LXXXVII. primus exhibuit nationi Germanicæ Magdeburgi, eaque in laudem & decus eximiæ nobilitatis: & ad excitandum in nobilibus ſtudium virtutis & laudis, in poſterum quoq; celebrari iuſſit cum obſeruatione duodecim ſtatutorum ſeu legum, quæ ſequuntur.

Torneamenta.

Prima lex. Ne admitteretur quis Chriſtianæ religionis hoſtis, aut prævaricator.

2 Qui contra Cæſ. Maieſtatem & Imperium peccaſſet.

3 Qui virginem vitiaſſet aut viduam oppreſſiſſet.

4 Qui iuramenta, chirographa & pacta, manu ſubſcripta ſigillisq; confirmata violare aut negare conſueuiſſet.

5 Qui prodidiſſet Dominum ſuum, eumve deſeruiſſet in caſtris & militia, vel autor fuiſſet datæ in prælio fugæ: ſuoſque ſubditos iniurioſe prægrauaſſet, preſſiſſet aut interemiſſet.

6. Qui

6 Qui homicidium commisisset.

7 Qui templa expilasset, aut viduas & pupillos deprædatus fuisset, vel molestasset.

8 Qui latro, pirata, prædator vel sicarius esset.

9 Qui author nouorum vectigalium aliorumq; reip. grauaminum & incommoditatum extitisset.

10 Qui adulter vel mæchator esset.

11 Qui fœnerator, mercator seu artifex manuarius foret.

12 Qui nobilitatis testimonium non à quarto progenitore haberet.

13 Fuerunt autem celebrata hæc quæ sequuntur torneamenta in Germania:

1 Magdeburgi ab Henrico I. Aucupe Imperatore Romano, anno post natum Christum 930.

2 Rotenburgi ad Tuberum à Conrado duce Francorum, anno 942.

3 Constantiæ ad lacum Bodamicum, à duce Ludolpho de Sueuia & Alemannia anno 948.

4 Meresburgi à Marchione Ridaco de Misnia, Comite Meresburgico, anno 968.

5 Brunswigæ à Marchione Ludolpho de Saxonia, Domino in Braunsweig, anno 996.

6 Treuiræ ab Imperatore Romano Conrado II. anno 1019.

7 Halæ in Saxonia ab Imperatore Henrico III. 1042.

8 Augustæ Vindelicorum ab Hermanno duce Sueuorum anno 1080.

9 Gottingæ in Saxonia, Comite Supplingiburgi, anno 1119.

10 Tiguri, quod vocant vulgari lingua, an der Limdmat/à Welpho Duce in Bauaria, & Spoleti, Marchione in Corsica, Domino Sardiniæ, filio Ducis Welphi III. splendidissime, an. 1165.

11 Coloniæ Agrippinæ ad Rhenum, à Florente Comite in Holland & Seeland, anno 1179.

12 Noribergæ ab Henrico VI. Imperatóre, laudatissime, anno 1197.

13 Wormatiæ ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1209.

14 Wirtzburgi ad Mœnum in Franconia orientali, ab equitibus Franconiæ anno 1235.

15 Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus Bauariæ, anno 1284.

16 Swinforti ad Mœnum ab equitibus Franconiæ, anno 1296.

17 Rauenspurgi Sueuorum, ab equitibus Sueuiæ, anno 1311.

18 Ingelhemij ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1337.

Tt 19 Bam-

19 Bambergæ in Franconia orientali ad Rhednisum, ab equitibus in Franconia anno 1362.

20 Esslingæ ad Nicrum ab equitibus Sueuiæ, anno 1374.

21 Schafhusij ad Rhenum ab equitibus Sueuiæ, anno 1392.

22 Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus Bauariæ, anno 1396.

23 Darmostadii ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1403.

24 Hailpronnæ ad Neccarum ab equitibus Sueuiæ, anno 1408.

25 Ratisbonæ ad Danubium ab equitibus in Bauaria: anno 1412.

26 Stutgardiæ in Sueuia ab Vlrico Comite in Wirtemberg & Mompelgard, anno 1436.

27 Landeshuti Boiorum ad Iserim à Ludouico Diuite, Comite palatii ad Rhenum, duce Bauariæ, superioris, & inferioris, anno 1439.

28 Wirtzeburgi ad Mœnum ab equitibus Franconiæ, anno 1479.

29 Moguntiæ ad Rhenum, ab equitibus Rheni, anno 1480.

30 Heidelbergæ in palatinatu, ab equitibus Rheni anno 1481.

31 Stutgardiæ in Wirtemberg ab equitibus Sueuiæ, & Eberhardo Comite Wirtembergico, anno 1484.

32 Ingolstadii ad Istrum in Boiaria ab equitibus Franconiæ, anno 1484.

33 Onolsbaci Noricorum ab equitibus Franconiæ, & Alberto Marchione Brandeburgico, anno 1485.

34 Bambergæ ad Rhenisum ab equitibus Franconiæ, laudabilis societatis Vnicornis, anno 1486.

35 Ratisbonæ Boiorum ab equitibus Bauariæ, anno 1487.

36 Wormatiæ ad Rhenum ab equitibus Rheni, anno 1487.

Ab hinc quare egregia & vtilia hæc exercitamenta desierint, variæ reddantur à prudentibus & consultis viris causæ. Num vero virtutis & fortitudinis exercitia consistere in talis, ocio, patinis, poculis & Phrygia mollitie, Turcæque his expugnari possint, dubito. Certe non sic veteres Germani poculis inhærebant, domique otio marcescebant: Sed in peregrinas terras ad comparandam fortitudinis bellicæ laudem, militatum abierunt. Et certe hodie cumprimis expediret Reipublicæ Christianorum, habere viros armis industrios, & studiis bellicis exercitatos, quorum opera defendi religio & patria contra hostes posset. Quid enim detrimenti datura sit nobis resupina hæc desidia, quando omne fere fortitudinis exercitium & laus exoleuit dum nos manum, vt aiunt, in sinu fouemus, & proiecta iacent arma altoque veterno sepulta quiescit virtus Germanica, ipsa re propediem, ni Deus prohibeat, experiemur.

PH. Io-

PH. Ioannes à Schellenberg *in Epistol.* de morum deprauatione disserens: Doleo, inquit, grauem Maiorum nostrorum, morum censuram, quæ nobiles in officio retinebat, vna cum celeberrimis hastiludiis, quæ Itali barbare Torniamenta vocant, simul interiisse. Malitiosi enim ignominia notabantur, würden zu Schelmen gemacht; quam vocem Cypræus *tract. de iure connub. cap.* 3 *num.* 4. à Schildt / à scuto deducit; Schelmen quasi Schildt nemen / qui scutum deseruerunt, secundum illud Taciti *de moribus German.* scutum reliquisse, præcipuum flagitium. *Schelm unde?*

TH. Recensebat aliquando mihi strenuus, grauissimus iuxta ac humanissimus vir Ioannes Gothefridus Schütz ab Holtzhausen, cuius memoria est in benedictione, quæsiuisse ipsum adhuc iuuenem aliquando à viro Nobili, ætate ac prudentia conspicuo, qui nimirum fiat, quod torneamenta in vsu atque exercitio amplius non sint; Nobilemque illum ad hoc ipsius quæsitum his verbis respondisse: Frage mich erst / warumb man keine Schelmen mehr mache / quære ex me prius, cur non amplius infamiæ nota publica plectantur; nihilque addidisse præterea, ipseque Gothefridus Schützius tunc cum hæc recenseret, multa grauiter de Nobilitate Nobilumque moribus disserebat, quæ referre longum foret.

EQ. Habet certe nobilitas etiamnum multos generosos & strenuos viros, mihi fauore & familiaritate notos, quibus hæc desiisse ex animo dolet, & redintegrari atq; reuocari denuo cuperet. Sed quid agant? Vident virtutem non solum in suo, verum etiam aliis statibus consenescere, omnia orta & aucta occidere, fato in peius ruere, & retro sublapsa referri: adeo vt nec ipsa Petri sedes à ruina sit immunis, vt Christus & Platina loquuntur. Nec dubium, inueniri adhuc in Germania Henricos Ferreos atque animosos; quorum ope ac magnanimitate res hinc inde collapsæ reparari facile possent. Fuit autem Henricus cognomento Ferreus (vt id obiter dicam,) Eduardo III. regi Angliæ, in cuius aula viuebat, cum ob virtutes reliquas egregias, tum ob fortitudinem inprimis erat gratus. Vrebat id Anglorum proceres, & consilium eius perdendi capiunt, absenteque rege, Reginæ suggerunt, Saxonem hunc Teutonicum, quem Rex multis nobilibus Anglis prætulerit, vere nobilem non esse, cuius rei periculum, vel in leone fieri posse, quem natura aiunt internoscere sanguinem nobilem ab ignobili. Reginæ ergo permissu leo noctu laxatur, vt Henricum antelucano tempore auras captare, & intra arcem obambulando scrutari portarum claustra solitum aggrediatur. Henricus de more seminudus balt heum cum gladio manu gestans prodit ex cubili, & in gradibus leonem rugientem & ferocem obuiam habet. *Henrici Ferrei magnanimitas.*

Cui interritus, *Quiesce*, inquit, *quiesce canis ferox.* Ad quam vocem leo ad pedes eius prosternitur, quem manu apprehensum duxit in caueam. Ferunt eundē aliquando stantem ad cancellos leonis, Anglis qui vna astiterant, dixisse: Si quis inter vos est nobilis, imitetur factum meum. Moxq; ingressus ferocienti leoni crinale capiti suo detractum imposuit; stupuit leo. Tum ad Anglos conuersus; si quis, inquit, confidit stemmati suo, referat crinale quod intuli; illi rubore perfusi abierunt: *Crantz. in Saxon. lib. 9 cap.* 24.

PH. Metuendum, huiusmodi Henricos Ferreos inueniri numero admodum paucos. Malunt enim vt plurimum decertare pro inanibus titulorum ampullis. Ac sane, plerumq; ita fieri assolet, vt decrescente virtute, crescat iactantia, ostentatio, gloria inanis. Ideo recte dicitur: *Crescentibus titulis, & ambitiosis nominibus, decrescit virtus*; seu: *Cum decrescit virtus, titulorum crescit arrogantia.* Et plerunq; principes fatui, cum ruina propinqua est, assentationib. gnathonū in aulis persuasi, tribuunt sibi maiora, quam inter se esse sciunt & experiuntur: admirantur se illisque gloriosis titulis, quibus extolluntur, efferuntur in quādam sui admirationem. Hinc antiquum illud de Republica Veneta prouerbium: Cum vsurparetur titulus Domine, simpliciter, tunc facta est respublica: *Mi Domine*, stabilita est: *Magnifice Domine*, tunc euersa est.

Titulorum inanis iactantia.

EQ. Olim non amplior fuit virorum nobilium titulus, quam vt *strenui famul*, nominarentur. Equites vero aurati vt dicerentur *milites.* Fabricius in sua Misnia sub anno 1382. ponit Epitaphium Henrici Schleinicii eo anno mortui cum tali inscriptione: M. CCC. LXXXII. obiit strenuus famulus Henricus à Schleinitz.

PH. De inani titulorum ostentatione, Petrus Greg. Thol. *lib. 6. de repub. ca.* 11. sic scribit: Sunt quidam principes, qui multis titulis sese exornāt: multisq; ditionum nominibus sibi applaudunt, ex quibus forsan aliquando vxores prodierunt: vel quorum maiores possessores fuerunt: Sed possessione deturbati sunt: vel cessione facta, vel venditione eam in alios transtulerunt. Quod quidam faciunt: vt generis sui nobilitatem commendent: vel vt persuadere possint iure quodam in his in idea retento. Quod certe rident alii principes, qui vere possident: & somnia illa contemnūt, Sicut Constātinus cognomine Magnus Imperator, *vt narrat S. Aurelius Victor in Epitome*, Traianum Imperatorem, herbam parietariam ob titulos multos ædib. inscriptos vocare solitus erat. Sūt certe, vt noui aliquando certissime, isti tituli inanes & vacui à possessione, plerumq; occasiones, cur principes, qui reipsa possident, denegauerint auxilia laborantibus titulariis, cum quibus alioquin non leuis amicitia fuit. Hoc vnum laude dignum in Gallia, quod Reges vnico nomine Reges Francorum, solis Liliatis insignibus sese exornant. Neq; enim titulos illos, quæ diuisionem continent, neq; tot incisa insignia, quæ mixtionem plurium indicant, ad vnicam domum nobilitandam habent. Quod enim per se sufficit, non eget alterius accessione. *Hactenus Greg. Tholos.* *TH.* Con-

TH. Congruit hoc ipsum cum eo quod Plut. in Arati Princ. Vita his verbis scripsit. τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί. Quis patrem laudabit, nisi filii degeneres, illaudabit, atque infelices; quærentes scilicet aliunde virtutis opinionem, quam factis consequi propriis nequeant.

EQ. Hæc vero sententia nequaquã tanti est momẽti, vt vel anim⁹ idcirco generos⁹ ab omi honorifica maiorũ suorũ mẽtione debeat absterreri: vel ex horum prædicatione nihil ad eum recedere ornamenti existimandũ sit. Etenim cui talis cõtigit indolis bonitas vt vitam moresq; vnice ad preclarissima quæq; maiorum exempla instituat, ille omnino habet, quod infelicitatis quadam atq; gloriæ parte laudes progenitorum ponat, siue celebret ipse, siue alios celebrantes auscultet. Iudicat ita cum Pindaro Plutarchus, & hoc eodem teste nobilis ille philosophus Chrysippus, cum hoc alias sensu recitaretur prouerbium:

Quis patrem laudet, nisi nati laude parentes?

Repudiato illo, ad hunc citare modum solebat: *Gloriatio de parentibus vana.*

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί.

Quis patrem laudet, nisi nati laude vigentes.

At si recte Euripides infames parentes, quoddam in liberos etiam dedecus transfundere affirmauit, quid obest, quo minus à maioribus gloriosis pars aliqua laudis cum posteris communicari perhibeatur.

PH. *Insigniter stulti sunt qui ob maiorum antiquitatem & nobilitatem tam fastuose efferuntur*; cum lutum habeamus omnes generis principium, tam qui in purpura & bysso sunt educati, quam qui in paupertatis abysso consumpti. Et vel maxime

Aurea nobilitas luteam si vestiat ollam *Nobilitas inflatus.*

Non ideo sequitur hanc minus esse lutum.

Quibus conuenit, quod Seneca *1. de benef. cap. 38.* Vt loca (inquit) sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendent. Atq; hinc Iacobus Lectius in bardum, generis claritudine insolescentem sic inuehitur:

Pondus iners Plumbum, sed auita luce superbum?
Ambigis illustrem qua ratione vocem?
Scilicet auri como lustratas sole cloacas
Dicere lucentes qua ratione licet.

TH. *Recte Epicharmus poeta*: Tantum, inquit non suffocor, cum nobilitatem aliquis homo nihili & malus nominat, qui moribus ignobilis est: Quid enim commercii speculo cum cæco?

PH. Elegans est Agesilai apud Plutarchum huic rei conueniens sententia: Si quod, (inquit Agesilaus, cum ciues ei statuam erigere vellent) præclarum

facimus gessi, hoc erit monumentū mei: sin minus ne omnes quidem statuæ, vilium opificum opera, mei memoriam illustrabunt.

TH. Qui imagines (inquit Seneca 3. *de benef.* 28.) in atrio exponunt, & nomina familiæ suę longo ordine ac multis stemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt.

PH. Ipsius etiam Galeni concinna desuper est sententia: Solus inquit, homo rationalis dicitur, quod ratione cæteris animalibus antecellat. Quare longe turpissimum est, hanc ipsam rationem, quæ nobis cum Deo communis est, negligere & caducarum rerum studio teneri, spretis artibus nos improbæ fortunæ committere, quæ plerunq; bonis viris posthabitis, quotum oportebat haberi rationem locupletat indignos, ac ne id quidem constanter, sed tantisper, donec pari, qua dedit temeritate, rursus eripiat donata. Qui igitur ex fortunæ solo nutu dependentes, honestissimas artes & disciplinas ceu virus torue intuentur, cum interim equos ipsos exercitiis erudiant, solos seipsos negligant, An non ii, quamuis Crœso ditiores sint, omnium infelicissimi existunt? Eiusdem farinæ videntur, qui nobilitatem sui generis vendicant, atq; hinc sibi solum placentes erigunt cristas: quanquam non vident infelicissimi, qui generi non respondent sui, eos magis infelices esse, quam obscuro loco natos. Siquidem imperiti qui genere sunt vehementer obscuro, hoc lucrifaciunt, quod pleriq; nesciant, qualesnam illi sint. At quos decus & claritudo generis non sinit latere, quid aliud fructus ferunt ex illa nobilitate, nisi vt illorum infelicitas sit illustrior? In exhortatione ad bonas artes discendas.

TH. Frustra omnino gloriantur nobiles & aliæ illustres personæ de generis sui & maiorum suorum splendore, atq; superbiunt, Ierobeam in quartam generationem maiores reges habuerat: verum cum impius esset, audire cogitur Domini vocem, Amos 7. cap. *Consurgam super domum Ieroboam in gladio.* Atque idem euenit Iudæis ob genus suum superbientibus. Nam Deus resistit superbis, & impietas euertit domos potentum.

EQ. Ita nimirum est. Deus stemmata ac familias etiā nō moratur. Quotiescunque vult regnum aliquod aut politiam florere. dat ei viros heroicos: eosq; instruit excellenti sapientia, virtute & felicitate. Ita Dauid, cum suæ virtutis eximium hoc documentum edidisset, vt Goliathem ausus vnus fuerit adoriri, eumque superasset; non modo hoc fortitudinis & industriæ præmium à mulieribus retulit, quod virtutes eius insigni ode prosecutæ sunt: verum etiam ipse Saul antea à Deo Rex Israelis electus, iam vero ob impietatem reprobatus eum ad sublime hoc sustulerit fastigium, vt data filia in generum asciscerct. Dauid rursus Ioabum, ob insignem fortitudinem, cuius documentum edidit, dum primus Iebusæorum muros præ altitudine formidabiles ascendit, Polemarchum constituit. Ita Ioseph à Pharaone: Daniel à Dario & Balthasare: Mardocheus ab Ahasuero: ob eruditionem & insignem sapientiam fidemque,

qua

qua reliquos superarunt, magnis honoribus afficiuntur: anulo Regio, catenis aureis, magnificis titulis, quibus patres patriæ dicti sunt, purpura & eiusmodi aliis nobilitatis insignibus ornantur. Sed & Ioseph à fratribus suis venditus in Ægyptum, omni Ægyptiorum disciplina imbutus, factusque somniorum interpres, quinetiam œconomicæ disciplinæ peritissimus, eamque ob causam Pharaoni regi gratissimus esset, constitutus est ab eo princeps super omnem Ægyptum, atque ex seruili mancipio, solenni Ægyptiorum ritu nobilis creatus est. Posuit enim rex annulum in manu eius, & torquem in collo eius auream, & induit eum purpura fecitque ascendere currum, clamante præcone, vt omnes deinceps tãquam nobilem, & principem reuererentur illum.

PH. Multi ex obscuris clari nobilesque euaserunt. Exempla passim extant. Basilius Macedo obscuro & ignobili genere ortus, & venalis inter captiuos Constantinopolim adductus, commendatione Medici in notitiam Micaeli venit: apud quem tantum creuit gratia & beneuolentia, vt tandem cubicularii dignitatem consecutus, & Micaelo interfecto, imperio sit potitus. *Humilium exaltatio.*

TH. De Catamelata furnarii Narniensis filio refert Iohan. Iou. Pontanus *lib. 1. de Fortuna, pag. 167.* cum is lignatum puer à patre missus esset, amissa in silua falce lignaria, dum patris iram veretur, prætereuntem secutus est militem. Breui autem is euasit Dux: vt à Veneto Senatu, virtutis ergo, statuam equestrem, in maxime celebri Patauii loco positam, solus tempestate nostra, patrumq; nostrorum, meruerit.

EQ. Memorabile est, quod refert Wolfius in suis Memorabilibus de Monacho quodam, ad seculares dignitates euecto, his verbis: Rex, inquit, Carolus, ad subigendos Barones & nobiles regni Bohemiæ, vsus est opera & consilio vnius fratris religiosi de ordine Cistercienſium: nomen illi Theodorico Kageluuid, cœnobio Leuin erat innutritus. Cuius cum esset industria regi comperta, magnus cœpit haberi apud illum, vsque adeo, vt curiam eius multis annis rexerit: ita ingenio, prudentia, & rerum dexteritate pollebat. Perpendit de minimo Rex hominis industriã. Arci præfecit, quæ tenui erat prouentu: & transiens è vicino Rex, experiri constituit, quid faceret ille arcis suæ præfectus, & si ex tempore consulere posset necessitati. Nihil ante præmonito superuenit cum regio comitatu: iubet apparare mensam. Ille subitum accepit consilium. Mittit, qui ad proximam villam cogant omnes sues, quarum aures caudasque præcisas iubebat introferri. Paruum erat detrimentum villanis, quibus suus numerus in pecudibus constabat. Acceptas aures cum caudulis, mox iubet coquum vario genere impiperare, & quanto potuit celerius, ac promptius, Regi ad mensam importari.

Delectatus Rex hominis ingenio cum vrbanitate (nam ex ridicula re pauit tum Regem, cum familiam) cum deinde maioribus rebus præfecit. Vbi iam

ali-

aliquot annis rem omnem ex dignitate gesserat, suum peculium non mediocriter adauxit. Non potuit inuidiam euadere virtus. Inuenti sunt, qui calumniarentur apud Regē, carperentq; quod frater vnus, tantis auctus opibus, regiam administrationem non satis ex fide ageret. Crebrescunt accusationes, aggerit quisque suum, crimina cumulantur in vnum caput. Rex sciens, hominem facile se ingenio suo expediturum de obiectis difficultatibus, iubet adesse, cunctis eius calumniatoribus in conspectu regis astantibus. Præfinit illi diem Rex, quo de sua administratione calculum ponat. Ille sub hoc: Quod, serenissime rex, præcipis in diem fieri, possum etiam hoc momento expedire. Expectabat Rex, quid faceret: iussitque, quando vellet, poneret rationem. Nihil moratus Theodoricus, ait: En breuis est calculus. Ad te veni, Rex, simplici religionis habitu, & pauculis in loculo denariis: quæ si mihi permiseris, omnia reliqua, quæ teneo, tua sunt: tibi Rex habeto. Exhilaratus Carolus, hominisque facetia simul, & facilitate delectatus, ait circumstantibus: Quis ex vobis est, qui talem mihi suarum administrationum faciet rationem? Illi verecundati, deiectis in terram vultibus, siluerunt. Ea de re charior cœpit esse Regi, primum ad episcopatum Mindensem, deinde etiam Magdeburgensem prouectus. Sed ille vtroque relicto, redibat ad Regem.

PH. Fuit in hoc Monacho liberale admodum atq; apertum ingenium, quod nullis machinationibus aut cuniculis sede sua deturbari potuit. Fuitque in hoc Monacho verum quod Seneca *de consol. ad Alb. cap 13.* Cum inquit semel animo virtus indurauit vndiq; inuulnerabilem præstat. Quodq; idem Seneca, *lib. 10. epist. 73.* Virtus, inquit omnia rerum aduersarum onera sustollit, non incuruatur, non succumbit, stat recta sub quolibet pondere, scit se oneri ferendo. Idemq; *lib. 9. ep. 67.* Dolores, molestias, iniurias virtus magnitudine sua elidit atq; opprimit: & quocunque affulsit, ibi quicquid sine illa apparet, extinguitur.

TH. Pulchre Chrysostomus: *Virtus, dum patitur, vincit*, & T. Liuius Dec. 3. libro 2. *Pertinax virtus omnia vincit.* Et paulo post: *A veritate laborare nimis ius sæpe aiunt: extingui nunquam.* Sic & veritas premitur, sed non opprimitur: quin ipsa potius se prementes tandem opprimit. Sic enim Cicero pro Cluentio: *Multorum: inquit: improbitate depressa veritas emergit: & innocentiæ defensio interclusa respirat.* Quod autem patitur virtus: fit hoc, non ipsius culpa virtutis, sed vitio improbitatis humanæ, quæ splendorem virtutis ferre nequit. Nam aut ingrati vniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes virtutem præmiis spoliant: nec se illa multis oblectat solatiis: maximeque suo decore se ipsa sustentat, vt grauiter omnino & vere dixit M. Cicero *in lib. de Rep.* citante D. Augustino. Quanquam igitur magna est vitæ humanæ perturbatio, in qua Socrates, secundum Lucianum, sæpe in sentina iacet: & alius fortassis homo improbus clauum tenet, vt merito hominem ludibrium quoddam Deorum Philosophus

Virtutis commendatio.

phus

Phus dixerit, tamen virtus non continuo ipsa infelix aut misera: eamque ob causam fugienda est, neque ea opibus potius & honoribus metienda: quam suapte vi & natura, bonaque conscientia, qua nullum virtuti est maius, theatrum. Pulcherrimum igitur est & tutissimum, secundum Liuium, in sola virtute, secundum Deum, spem positam habere: & ad hanc, vt Bion monet, tanquam ad asylum confugere: quippe in qua præsidii ad viuendum satis est: neque solum ad viuendum, sed & ad bene beateque viuendum, quæq; non solum ipsa per se immortalis est, sed & possessores suos facit immortalis. Præclare enim Cicero pro Sestio: *Virtus:* inquit: *seipsa contenta & in tempestate sæua quieta est: & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atq; hæret in patria: splendetque per seipsa semper, nec alienis tanquam sordibus obsolescit.*

Sic Valerius Maximus lib. 1. *Nihil est:* inquit: *in rebus humanis, excepta virtute, quod mortali animo ac manu immortali queri possit.* Et Fab. Quintilianus lib. 3. *Virtus ad posteros durabit, non perueniet inuidia.*

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaq; late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausuue petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus ex alta mortalia despicit arce.
Hanc tamen inuitam blande vestigat, & vltro
Ambit Honor, docuit toties à rure profectus
Lictor, & in mediis consul quæsitus aratris.

EQ. Neque tamen inuidia caret virtus, cuius indiuidua fere est comes, Poeta sic canente:

Vt segetem canas cum iam producit aristas.
Florentem rodit Cantharis vsq; rosam;
Sic quo celsa magis se tollit in æthera virtus,
Inuidiæ tanto huic officit vmbra magis.

Virtus tamen interim odiis exercita crescit, attestante Dionysio Lebeo:

Suauius vt spirant, cæpe inter & allia mista,
Fragrantiq; magis floris odore rosæ.
Sic odiis virtus probrisq; exercita crescit
Fortior, in celsas luxuriatq; comas.

Torpet vero non exercita virtus, iuxta illud:

Vt stadio solitus, qui vincere Olympia, solus
Si steterit longo tempore, languet equus:
Haud aliter virtus, nullo in luctamine, torpet
Viribus, & secum sola fatiscit iners.

V u Exer-

Exercita vero habet comitem gloriam:

Per radios solis veluti praecedit euntes
Vmbra vel inuitos, subsequiturq; comes:
Sic praecedentem sequitur, sic prauia & anteit
Gloria virtutem duxq; comesq; tuam.

Fortior vero est virtus arietata, teste Iac. Lectio,

Occulit astra dies: ardent tunc purius astra
Nox medio nigras cum vehit orbe rotas.
Sic quoq; viuidior media inter nubila virtus
Emicat, in mediis exoriturq; malis.

PH. Prudenter itaq; *Pyrrhus*, quum à filiis etiamnum pueris interrogaretur, cui nostrum relinques regnum? Quicunque inquit, vestrum acutiorem habuerit ensem. Significans, se non aetati daturum principatus successionem, sed virtuti. Hoc stimulo liberos omnes ad certamen fortitudinis excitauit. *Plutarch. in apoph.*

EQ. Extat insigne huic congruens carmen Rod. Goclenii ad translatorem Hispanicae confessionis, ab ipso exaratum:

Nobilis arte mihi est pluris quam nobilis ortu,
Siue sit illa toga, siue sit illa sagi.
Qui Marte, arte & utroq; valet, me iudice, prisca
Hic omnes numeros nobilitatis habet.
Te tria nobilitant Martis decus, Artis & Ortus,
Adde quod in lucem das pietatis opus.
Qui virtutis egens tantum sua stemmata iactat,
Nobilis ille magis, nobilis ille minus.

PH. Nimirum haec eo tendunt, vt appareat, viam ad virtutem omnibus patere, quam quicunq; meant, fructum eius haud poenitendum exinde aucupari atq; percipere. Exemplis quod dixi, illustrabo: Antigonus rex Bionem Philosophum de ignobilitate criminatus, interrogauit: quis & cuius es? vbi tua ciuitas est? vbi sunt parentes? Cui Bion respondit: atqui ô rex benefacis, cum indiges sagittariis, quod non interrogando genus, sed scopum proponendo, optimos illorum tibi deligis: sic igitur amicos etiam explorandos, non vnde nati, sed qui & quales sint.

Seneca ex Stoicorum secta philosophus insignis, ad Lucilium scribens, nô fuit, inquit, Socrates patricius, non eques Romanus, quem tamen philosophia non accepit, sed nobilem reddidit, hunc item, quo nemo mortalium doctior, aut sapientior, Apollinis oraculo iudicatus est, mater obstetrix, & pater marmorarius in lucem edidit, vt esset qui sua doctrina multos ad nobilitatem traduceret.

EQ. Proinde praestantius est nobilitatem nouam parere, quam acceptam

corrumpere, id quod etiam ex Iugurtha Salustii in oratione Marci contra nobilitatem, his verbis exprimitur Bellum me gerere cum Iugurtha iussistis, quam rem nobilitas ægerrime tulit. Quæso, reputate cum animis vestris, num id mutari melius sit. Ecquem ex illo globo nobilitatis ad hoc, aut aliud tale negotium mittatis hominem veteris prosapiæ, ac multarum imaginum, ac nullius stipendii: scilicet, vt in tanta re ignarus omnium trepidet, festinet, sumat aliquem monitorem ex populo officii sui: ita plerunque euenit, vt quē vos imperare iussistis, is sibi alium imperatorem quærat. At ego scio, qui postquam cōsules facti sunt, acta maiorum, & Græcorum militaria pręcepta legere cœperint, præposteri homines. Nam gerere quod fieri tempore posterius, re atque vsu prius est, comparare nunc Quirites cum illorum superbia me hominem nouum. Quæ illi audire, & legere solent, eorum partem vidi, alia egomet gessi, quæ illi literis, ea ego didici militando. Nunc vos existimate, facta an picta pluris sint. Contemnunt nouitatem meam, ego illorum ignauiam. Mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quanquam ego natura̅m vnam, & communem omnium existimo, sed fortissimum quenq; generosissimum: ac si iam ex patribus Albini, aut Bestiæ quæri possit, me ne an illos ex se gigni maluerint, quid responsuros crederis, nisi sese liberos quam optimos voluisse? Quod si iure me despiciunt, faciunt idem maioribus suis, quibus vti mihi ex virtute nobilitas cœpit. Inuident honori meo, ergo inuideant labori & innocentiæ, periculis etiam meis, quoniam per hæc illum cœpi. Verum homines corrupti superbia, ita ætatem agunt, quasi vestros honores contemnant, ita hos petiuit, quasi honeste vixerint. Næ illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expetant, voluptatem, & præmia, virtutes, atque etiam quum apud vos, aut in senatu verba faciunt, plerunque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando clariores sese putant, quod contra est: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitiosior. Et profecto ita se res habet, maiorum gloria posteris quasi lumen est, neq; bona eorum, neq; mala in occulto patitur. Huiusce rei ego inopiam patior Quirites. Verū id, quod multo præclarius est, mea facta mihi dicere licet, nunc videte, quā iniqui sint, quod ex aliena virtute sibi arrogent, id mihi ex mea nō concedunt, scilicet, quia imagines non habeo, & quia mihi nobilitas noua est, quā certe peperisse melius est, quam inceptam corrupisse, &c.

Nobilitatem parere quam corrumpere melius.

Non possum fidei causa imagines, neque triumphos, aut consulatus maiorum meorū ostentare. At si res postulet, hastas, vexilla, phaleras & alia militaria dona, præterea cicatrices aduerso corpore. Hæ sunt meæ imagines, hæc mea nobilitas, non hæreditate relicta, vt illa illis, sed quæ ego meis pluribus laboribus, & periculis quæsiui, &c.

Hæc atq; alia maiores vestri faciendo, se & rempub. celebrauere. Quis nobilitas freta, ipsa dissimilis moribus, non illorum æmulos contemnit, & omnes

honores non ex merito, sed quasi debitos à nobis repeti. Cæterum homines superbissimi procul errãt. Maiores eorum omnia, quæ licebat, illis reliquere, diuitias, imagines, memoriam sui præclaram, virtutem non reliquere, neque poterant, ea sola neq; datur dono, neq; accipitur, &c.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.
Proposita arma peto, meritis expendite causam:
Nec sanguinis ordo,
Sed virtutis honos spoliis quæratur in istis, &c.

TH. Huic affinis est historia illa de Iohanne Hunniade. Is enim cum misisset ad Huldricum Ciliæ Comitem, vt ad se veniret in castra, hoc facere plane noluit, & ad se missis respondit: Ego comes & princeps, & tam nobili familia natus: ad te veniam, hominem nouum, & nostra ætate nobilitatum? quod cum accepisset Ioannes: *Non ego* (respondit) *tuis maioribus, sed tibi me comparo: quanquam neq; illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatus, maius lumen posteritati meæ comparaui: atq; vt in te Ciliensis comitatus turpiter extinguitur, ita in me domus Nistricensis exornatur.* De quo vide Æneam Syluium *de dictis Sigismundi & Frideric. Impp.*

PH. Salustius in Iugurtham in oratione Marii, cum quidam de ipsius ignobilitate insultaret: Quia, inquit, imagines non habeo, & mea noua mihi est nobilitas, quam melius est peperisse, quam partam corrupisse. Me quidem ex animi mei sententia oratione nulla lædere potest; vera quippe necesse est bene prædicent, falsa vita mea moresq; mei superant. Hasta, vexillum, phalera, & alia militaria dona, cicatrices aduerso corpore. Hæc sunt imagines meæ, hæc nobilitas mea, non hereditate relicta vt illis, sed meis pluribus laboribus, & periculis acquisita. Vnde bene ait Iuuenalis,

Malo pater tibi sit Tersites, dummodo tu sis
Æacidæ simi'is, Vulcaniaque arma capessas;
Quam te Tersitæ similem producat Achilles.

EQ. Cicero ob suum cognomen dicteriis vexatus, & ab amicis admonitus vt aliquod sibi cognomen adsciscceret, respondit, se Ciceronis nomen illustrius effecturũ, quam esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum: nam hæ familiæ cum primis illustres erant apud Romanos, cum Tullius esset nouus homo. Cognomen enim ideo patebat Catullis, quod à cicere vilissimo scilicet legumine dictum videretur, quasi vero non Fabii à fabis, & Lentuli à lente cognomen habuisse viderentur. Parum illustris est, qui præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis: pulcherrimum autem nobilitatis genus est, quam sibi quisq; propriis virtutibus cõciliat: nec fefellit. M. Tul. Ciceronis enim nomen hodie decantatius est, quam trecenti Catulli, aut Scauri, cum suis stemmatis, statuis, ac imaginibus, *Erasm. lib. 4. Apophthegmatum.*

Idem

Idem lib. 5. *Apoph: heg.* Themistocles, Seriphio cuidam obiicienti, quod non ex sese, sed ob vrbis nobilitatem celebris esset: vera, inquit, prædicas, neque enim ego si Seriphius essem, clarus essem, neque tu si Atheniensis: non inficiatus est, vrbis celebritatem nonnihil facere ad illustre nomen, sed illum esse tam ignauum, vt etiam si natus esset Athenis, nihilominus fuisset obscurus futurus.

PH. A primo mundi ortu, inquit Seneca 5. *Epist.* 44. vsque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Animus facit nobilem, cui ex quacunq; conditione licet surgere.

Et *ibi.* Si quid aliud est in Philosophia boni, hoc est, quod stemma non inspicit. Omnes si ad primam originem reuocentur, à diis sunt bona mens omnibus patet, omnes ad hoc nobiles sumus. *Idem* 9. *Epist* 67. Potest ex casa vir magnus exire, potest & ex deformi humiliq; corpusculo formosus animus ac magnus. Idem 5. *Epist.* 44. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit. Idem 2. *in Sap. non cad. iniur.* Iphicratres, cui mater barbara & Thressa obiiciebatur, respondit; & Deorum matrem Idæam esse. In hunc sensum idem Senec. de sent. orat. *Si possent*, inquit, *homines facere sibi sortem nascendi, nemo esset humilis, nemo egenus, vnusquisq; felicem domum inuaderet: sed quamdiu nos sumus, natura nos regit, & in quemcunque vult casum, nos mittit. Quemcunque volueris reuoluere nobilem, ad humilitatem peruenies. Quid recenseam singulos, cum hanc vrbem tibi possem ostendere? nudi steterè colles, inter quos tamen effossa mœnia. Nihil est humili casa nobilius.*

TH. Extat hac de re etiam Chrysostom. similitudo in Matth. *Stannum de argento egreditur, sed non est argentum. Itaque argentum colatum seruatur, stannum autem foras expellitur. Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est solius: sed communis videtur: qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius solius est: qui vero de contemptibili genere contemptibilis nascitur, turpitudo contemptibilitatis solius eius non est, sed etiam generis. Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpitudo est eius solius. Ideo melius est, vt in te glorientur parentes, quam tu parentibus glorieris.*

PH Poggij Florentini desuper similitudo hæc est: Quanto maioris habetur ædificare domum, quam habitare, aut ornare ædificatam: tanto præstabilius est atque excellentius ab se partam nobilitatem possidere, quam seruare ab aliis acceptam: cum alter suis viribus & lumine resplendeat, alter præ se ferat alienum. Quare soli virtuti palma nobilitatis tribuenda est. Atria vero maiorum imaginibus referta, porticus signis ac tabulis ornati, magnificæ villæ, templa constructa, varia domus ornamenta, plus admirationis aspicientibus, quam nobilitatis secum ferunt.

Nobilitatis fundamentum virtus.

EQ. Fundamentum itaque & Origo Nobilitatis Virtus est. Hæc fons est augustissimus, limpidissimus, vberrimus, ex quo omne nobilitatis decus promanat. Proinde vt nihil in omni vita nobilitate, virtute decorata & fulta, est amabilius, iucundius, augustius, sanctius: Ita eadem rursus nihil tetrius, nihil detestabilius, si virtute careat, aut si nobiles vitiis delectentur, hæc foueant, sectentur & amplectantur. Amissa enim virtute, ipsa nobilitas amittitur, & nobilitatis nihil nisi inane remanet nomen.

Sudorem posuere Dij virtutis ad arcem,
Est ad eam longus rectusque per ardua callis
Asper & inprimus, vbi in alta cacumina ventum est,
Mollis adest, quæ visa fuit durissima quondam.

PH. Inseram hic verba elegantia Iouiani Pontani, quibus ipsius virtutis velut theatrum ingressus, inter cætera vtitur. Profecturū, inquit, in militiam filium, atque in hostem, pater instruit armis ac telis, quibus & se tueatur, & hostem petat: omnia demum illi suggerit, quibus comparare sibi victoriam ex hoste valeat. Negotiator item missurus filium, aut nepotem Alexandrina, aut Lugdunensia ad negotia, suffulcit illum, & quasi subarmat pecunia, per literas commendat amicis ac mercatoribus aliis, demum illis instruit, atque conuenit omnibus, quæ sint mercaturæ idonea, ac faciendis lucris. Multo profecto apparatius, instructiusque muniuit nos natura comparandis virtutibus, quam aut pater ille proficiscentem ad certamen filium, aut hic ipse negotiator ad mercaturam exercendam. Cæterum vt neque in armis filio traditis, sed in optimo armorum vsu pugnæ euentus ostenditur: neque in pecunia lucrum existit, sed in filii solertia, qui vtiliter, prudenterque vtetur illa. Sic neq; in iis opibus, viribusque, quibus natura nos instruxit, armauitq;, verum in actionib. ipsis, & in vsu, exercitationeq; agendi virtus cognoscetur nostra. Quo circa perinde vt affectus ipsi virtutes minime sunt, sic neque vires, facultatesque nobis à natura concessæ, per quas tamen ac per potestatem ab illa tributam, faciles, apti, appositique ad agendum sumus, virtutemque comparandam. Per affectus vero ad illam excitamur, excitati[illegible] progredimur, quo commotio ipsa nos vocat, dirigitque recta ratio. No[illegible]m autem est, & naturæ ipsius vti potestate, ac muneribus, & affectus ita sequi, intra gyrum rationis illos vt contineamus. Denique opus ita informemus nostrum, munusq; impleamus proprium, vt quod pictorum est, forma quam maxime pulchra illud honestemus.

Et Paulo post: Quamobrem, inquit, sic accipite, viri optimi, iidemque amicissimi, virtutem quidem ipsam dignitate atque autoritate sua omnino esse summam, proque maiestatis amplitudine ac præstantia habendam esse pulcherrimam, ac maximam rerum humanarum omnium, eandemque etiam augustam, cæterum suam sibi sedem medio quodam in suggestu collocasse, quo

se, quo è loco pari autoritate, atque imperio host.bus aduersaretur suis ac nostris. Habent enim virtutes fere singulæ, immo pene omnes, duos aduersum se constitutos, & quidem inter se quoque dissentienteis aduersarios: alterum qui vt violentus quidam, atque superbus, & contumax imperio nolit eius acquiescere, aut audire præscribentem: alterum qui imperium reformidet, deterreaturque illius ab aspectu atque augusta facie. Quas ob res prætorium sibi vtrosque inter hosteis, aduersantiaque inter se, ac virtuti vitia, excessum scilicet ac defectum, media in regione collocauit, quo in loco pari cum dignitate ac viribus æque magnis consideret. Qua è constitutione ac locorum positu effectum est, vt virtutem dixerint in mediocritate, hoc est, medio inter vtrunque vitium spatio consistere, ibique sibi delegisse curulem quasi quandam sedem, prætoriumque suggestum, in quo residens ipsa, à dextra excessum, vt impotentem ac contumacem, sibique præsidentem, si reuocare ad imperium possit, hortatur verbis, admonetque oratione: sin minus, male parentem illum, superbeque atque impotenter agentem repellit, atque insectatur, perduellemque tandem iudicat, interdicitque aqua & igni. A sinistra vero, quæ pars in nobis imbecilla est, defectum, languentem quidem eum, maximeque diffidentem, quem etiam blande ad se vocans, ac nihilo minus conspectum eius verentem, vertentemque subinde terga, retrahere ad se omni arte contendit: quod vbi impetrare parum potest, latitare illum, & tanquam in specum confugientem beluam, degere illic ignobiliter permittit. Ipsa vero suo se in statu atque autoritate retinens, ita quidem illis irascitur, vt cupiat melius illorum vtrunque rebus suis consuluisse. In medio igitur constitu a rationem secum in consilium adhibet, quæ recti, ordinatique illam admonens, aberrare certo, suoque ab itinere nunquam sinit. *Virtus media.*

EQ. Obscura sunt hæc. Ego pro faciliori ac iucundiori Virtutis intellectu, eam quasi penicillo ex variis hinc inde desuper editis autoribus depingam.

Pictores Virtutis imaginem atq; naturam quandoq; in hunc ferme modũ finxisse vidi. Vt sit illa forma eleganti virginal que decore. Aspectu sublimi & formidabili. Oculis acribus atque terrificis, armata vndique corpus, & sudans in facie. Resideat in cacumine montis omnibus prominens, premat vestigio adamantes geminos fulgentes ac cuspide rectos. Palma virente frugiferaque nitatur, dexteraque elata polum contingat ac sydera. Sit caput redimita lauro. Exeat de toto corpore nitor quidam eximius. Ad eam ducat perlongos anfractus difficilis semita. Et asper vbique sit per sudorem incessus. Vbi vero ad eam ventum est, ibi plana omnia, dulcia, suauia, fausta, fœlicia. *Virtutis pictura ac imagines.*

Extaat

Extat insuper alia virtutis (nescio iam quo autore) descriptio hoc carmine,

Quaenam tam lacero vestita incedis amictu?
Virtus antiquis nobilitata sophis.
Cur vestis tam vilis? Opes contemno caducas.
Cur gemina est facies? Tempus vtrumque noto.
Quid doces hoc frenum? Mentis cohibere furores.
Rastros cur gestas? Res mihi grata labor.
Cur volucris? Doceo tandem super astra volare.
Cur tibi mors premitur? Nescio sola mori.

Virtutis sedes & ad eam via in Palingenii Leone, *lib.* 5. talis describitur:

Est locus aetherei praerupto in vertice montis,
Delitiis plenus, quo non felicior alter
Creditur esse vsquam, cui cedunt Thessala tempe
Elysiique lares, & fortunata vireta.
Hic habitat vicina polo, conterminaque astris
Innumerisque bonis fruitur sanctissima virtus.
Atria prima labor, tecti penetralia virtus
Seruat, in extrema parte locatur honor.
Sed salebrosa via est, angusta atque ardua, densis
Sentibus hinc atq; hinc horrens, quo tendere viles
Ignauique animi, & terrena faece grauati
Haud possunt, sursumque vehit mens ignea paucos,
Quos Deus ad caeli sedes elegit habendas
Difficiles aditus virtus habet: at vitiorum
Prona via est illic vltro descendimus omnes.

PH. Addo ego Iacobi Fabri Stapulensis ad Paulum Æmilium carmen,

Quid Virtus? quod Sol medio clarissimus orbe.
Quid Virtus? Phoebe tota nitidissima nocte.
Quid Virtus? roseus qui sydera ducit ad ortum
Lucifer, haud aliter lucens ad lucida regna
Ipsa animos reuocat, vitae dux atque magistra.
Quid facit ipsa leuis flamma? eleuat, albicat, vrit.
Ipsa aqua quid? purgat. quid flos? quid cinnama? odorant.
Sic leuat ipsa animam Virtus, sic flammat & vrit,
Eluit, elutam proprio ipsa refundit odore.
Virtutes igitur, Sol, Phoebe, Lucifer, Ignis
Et flumen lustrans, & flos & cinnama odora.
Quid Vitium? quod nox, stygia de valle tenebrae?
Quod chaos horrendum, & foetum serpentibus atris,

Quos

Quos mulcent diræ genitæ sub nocte sorores
Vltrices animæ. lacrymæq; dolorq; sequuntur,
Et furiæ,& stridor. Vis nos concludere paucis?
Virtus ad superos, vitia ad nigra tartara mittunt.
Mortales igitur meliora capessite fata
Et firmate animo, memoriq; reuoluite mente
Virtutem cœlum, vitium ferale abyssus
Excipit: hæc tenebris, illud quoq; lumine gaudet.
Immortalem animum cognato reddite cœlo.
(Quod breue præcipitur) morum præcepta sequendo.
Auro quid melius? Iaspis. Quid Iasside? Virtus.
Quid virtute? Deus. Quid Deitate? Nihil.

EQ. Cum ergo tanta sit virtutis dignitas, qui etiam sordidum non recipiat amatorem, proinde soluto ad illam sinu veniendum est, inquit Seneca, *4. de benef.* Cæterum de virtutis duratione hæc itidem extant:

Præter virtutem non est durabile quicquam,
Diuitiæ pereunt, species quoque, robur, honores,
Cuncta cadunt, virtus æterna in tempora durat,
Quam fortuna nequit, nec tollere longa vetustas.

Et de virtutis æterna possessione, alibi extat:

Sola immortalis probitas, virtusque sub orbe,
Et quæ posteritas carmina pacta probat,
Exemplum vobis imitabile sumite quæso,
Continuus vobis quo sit in orbe labor.
Nihil superest de me quando omnis terra dehiscit,
Quam quod nunc vobis mortuus ipse loquor.
Mortuus & viuus vates æternus in orbe est,
Et qui virtutis stemmata clara colunt.
Prima ætas puero fuerat mihi phlegmate plena
Sanguineo, subiit mox iuuenilis honos:
Tertia deinde virum fecit prudentibus annis,
Quarta melancholico iam mihi vita venit.

TH. Prolixiora hæc fere sunt, quam par fuit, neque tamen omnino iniucunda, infœcunda. Cæterum cum de Principis virtute dicere instituti nostri sit, nos hanc telam porro pertexemus Est autem Virtus Principi & sui ipsius gratia & Reipublicæ, summe necessaria; sui causa, decorum enim est, vt virtute emineat, qui & dignitate micat. Vnde Cyrus apud Xenop. *lib. 8. pædiæ Cyri*, non censebat cuiquam cōuenire imperium: q nō melior esset iis quibus imperabat, quū dicēte Seneca *lib. 1. de clem.* & omnia dicta *Virtutis in Principe necessitas.*

& facta Principis rumor excipiat, nec magis ei quam Soli latere contingat. Quid? quod etiam Dominii cuiuslibet fundamentum præcipuum in obedientia subditorum Principi præstita consistit, quæ in Principis virtute fundatur. Vt enim elementa & corpora inferiora motui cœlestium Sphærarum, ob ipsarum naturæ nobilitatem absque repugnantia obediunt: Sic populi libenter se illi subiiciunt, in quo eminens virtus micat. Superiori enim virtute nemo parere dedignatur.

Reipublicæ quoque causa virtus Principi eminens inesse debet. Nam ille Reipub. status optabilis & firmus est; in quo & priuatim sancte & innoxie viuitur: & publice iustitia ac clementia viget: & quales in Rep. principes sunt, tales solent esse ciues. Quicquid enim faciunt principes, præcipere videntur. Vnde & vitia non solum ipsi principes concipiunt, sed etiam in ciuitatem infundunt, plusque exemplo quam peccato nocent, vt inquit Cic. *li.3. de legib.* Et vt ad prosperam gubernationem opus est bono & perito gubernatore, sic & in principe virtus ad Reip. bonum requiritur.

PH. Requiruntur in bono principe virtutes, quibus & amabilis & venerandus populis reddatur: quæ duo ad Imperii soliditatem requiruntur. Amorem & beneuolentiam conciliat humanitas, clementia, liberalitas, mansuetudo & iustitia, quibus hominibus beneficia præstantur. Venerandum reddunt temperantia, religio, fortitudo, constantia, ingenii præstantia, literarum eminens possessio, prudentia, potentia: quibus fides & honor Principi libenter & prompte defertur: & in animum inducunt, eum omnia populi gratia & in ipsius bonum peragere; vt docet etiam Cicero *lib. 2. offic.* Autoritas enim & maiestas in Principe est veluti anima regni: efficiens vt tot homines vni sæpe seni & inualido obediant, vt dicit Seneca *lib 1. de clem.* cum vires Imperii in consensu obedientium sint, vt dicit Liuius *lib.3.*

TH. Pristinis etiam temporibus multi etiam extiterunt nobiles, de quibus Syracides *cap. 44.* his verbis: *Laudemus viros gloriosos & parentes nostros in generatione sua. Dominantes in potestatibus suis homines magni, virtute & prudentia sua præditi, in pueritia sua requirentes modos musicos, & enarrantes carmina scripturarum, homines diuites in virtute; pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis, omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.* Et paulo inferius: *Sed illi*, inquit, *viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum.* Vult hoc Syracides dicere, Nobiles illos sanctorum librorum lectioni studiose vacasse; virtutumque diuites esse studuisse, ac summopere liberos suos ad sui ipsorum imitationem exhortatos fuisse. Denique illos viros misericordiæ, id est, eius amantissimos extitisse: atque ita in ea perseuerasse, vt eorum pietates nulla vnquam seculorum ætate defuerint. Ac sane si adhuc

hodie ita viueretur; in tranquilliori statu res nostræ forent. At vero nunc:

Probra regunt orbem, scelerumq; licentia regnat:
Relligio contempta iacet. spretusq; Deorum
Cultus abit, tritaq; Fides iam pallida veste
Infirmis titubat pedibus; pessundata legum
Maiestas: tot monstra pios immania mores
Inuasere: silet probitas, pudor exulat, ales
Explicat ad lumen pietas reditura paternum.
Vilis & attrita VIRTVS in veste, relictis
Vrbibus egrediens, loca per deserta vagatur
Solaque. Nam merces, laus, gloria fama, triumphus,
Gaudia, pax, successus, honor, reuerentia, cultus,
Maiestas fauor, imperium, populiq; secures,
Virtutum comites olim, dum pinguia curuo
Iugera scindebat consul Romanus aratro,
Et dum prima suis gaudebat ouilibus ætas:
In scelerum fugere domus: dolus arma, rapina,
Furta, venena neces, veneres, iniuria, fraudes,
Insignes celebrant solenni laude triumphos.
Pallida velato virtus abscondita vultu,
Qualis it amisso mulier viduata marito,
Visa sub ambiguo nocturnæ lumine lunæ
Sæpius est. & sola die lugere per vmbras,
Per loca, syluosas inter, frigentia, valles
Qua Dryades habitant, vbi fessa quiescit Oreas.

Virtutum deprauatio.

PH. Cum tanta sit rerum omnium confusio, vsque adeo, vt etiam ex vitiis laudem virtutis aucupari haud raro quidam conentur, ego hic locum ex Iouiano Pontano, qui de virtute agit, & simul eleganter instruit, adiungam. Verba Pontani hæc sunt: Virtus nihil extra se quod sit, quærit aliud, nihilque simulatum patitur, aut fictum, nihil etiam aliunde arcessitum, astu vacua, à fraude auersa, à precio incorrupta, à fuco prorsus aliena, libera, sui iuris, opibusque etiam suis contenta. Histriones in scena regiam nunc personam referunt, nunc mercatorum, aut militum: cum tamen nec reges ipsi sint, nec mercatores, aut milites. Itaque cauendum prorsus est, ne sub iustæ actionis specie lateat malitia, ne sub liberalitatis amictu delitescat captatio atque largitio, liberarum prorsus ciuitatum pestis, vendibiliumque ciuium corruptela, vitia profecto fronte virtutibus aduersantia. Agenda sunt igitur & fortia, & liberalia, quæque virtutes ad alias pertinent, non vt ab simulato homine, ciueque

peruerso, atque in libera patria regnum meditante, verum ab homine, vt par est, forti ac liberali, atque ab eo viro, qui ad virtutem quamcunque aliam se instituat. Heutenus Pontanus.

TH. Virtute, non scelere nomen immortale paratur, quin potius scelere plane deletur. Nam & ipse Dominus sceleratorum nomina vsurpare quam minimum solet, præterquam in allegatione scelerum, quæ perpetrarunt, & diro vitæ exitu, qui plerumque illos manet; cum econtra piorum hominum etiam post ipsorum mortem, nomina frequenter alleget atque vsurpet.

Herostrati facinus. *PH.* Memoriæ proditum est, olim Herostratum, alioquin obscurum hominem, Dianæ Ephesiæ templum toto orbe celeberrimum de industria concremasse: idque nulla alia de causa, quam vt scelere aliquo atrocissimo, quia virtute non posset, sibi nouam compararet. Verum aliter accidit. Nam lege cautum fuit, ad illius memoriam abolendam, ne deinceps quis eius nomen in annalibus aut historiis referret: & ob hanc causam nomen eius pene abolitum rarissime inuenitur.

Venetorum in sceleratis puniendis mos. *EQ.* Hoc imitati sunt Veneti, qui post Tepulanam coniurationem decreto cauerunt, ne quis Baiamontis aut cuiuspiam coniuratorum signa in albo aliave materia referret. In hoc proposito etiam manseruut, postquam Valerius dux eorum, ob coniurationem in patriam, supplicio affectus esset. Cum enim omnium Ducum imagines ab initio vrbis ad hæc tempora in comitio referantur: ne Martini Valerii perniciosi principis imago, in tanta Maiestate Ducum conspiceretur, thronum vacuum nigro velo opertum figurare voluerunt. Animaduerterunt enim eos, qui de republica male meriti essent, multo maiori supplicio affici posse, quam si eorum nomen, vna cum perpetuo silentio, occulto premeretur odio. Nec enim vllum supplicium grauius est publico odio.

Claritas scelere acquisita. *TH.* Sæpe quibus in patria, vel paupertas, vel nominis obscuritas, vel aliud quid obstitit, quo minus honores & autoritatem consequi potuerint: apud exteros scelere, perfidia, apostasia aut aliis facinoribus facile inclarescunt. Ita nimirum cogitantes secum:

——— tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, celebrisque virum volitare per ora.

Sicut nunc fit (inquit Melanthon in lect. Chron. die 11. Ianuar. Anno 1556.) quando Itali currunt in aulam Turcicam. Quia Itali regunt Cancellariam Turcicam: fiunt valde potentes, & habent hanc occasionem. Quia per illos Italos negotia ordinantur: omnia negotia proponuntur & aguntur: ideo accipiunt ab eis magna stipendia, magna munera. Rex Ferdinandus quando mittit legatos Constantinopolin, tunc habet ali-

bet aliquos Italos notos, per quos illa negotia aguntur & referuntur. Sic rex Polonicus, rex Gallicus habent Italos aliquos notos in aula Turcica, ibi fiunt potentes & magni. Id quod etiam hodie in Germania vsuuenit, ibi enim apud potentiores calle de sese insinuant. Atq; ita fit, vt sæpe etiam mali nebulones & pauperes perueniant ad summam potentiam, per illas occasiones. Ita Hispani pauperrimi veniũt in Italiam, & fiunt gentilani: postea incedunt aurati & purpurati: domi sunt κα ἑταῖοι, baiuli ac nebulones nescio quales. *Hæc Melanth.*

Cæterum sub finem huius D. s ursus nunc adiungam, inuectiuum illum propemodum Cornelii Agrippæ *in lib. de natura scientiarum*, Discursum de nobilitate eiusq; origine, in quo multa quidem odiose dicuntur; quæ tamen non in veros nobiles, sed in eos duntaxat, qui prauitate vitæ suæ, de quibus supra, decus nobilitatis turpiter demaculant ac perfundant. Sic autem Agrippa *in prædicto de vanitate scientiarum libro, cap. 80. de nobilitate*, inter alia scribit: Ego, inquit, hanc rem, quam hic summario conceptu tetigi, ampliore volumine descripsi alibi, ipsam nobilitatem suis coloribus & lineamentis exacte expressi, ostẽdique, non fuisse, nec esse aliquod in orbe regnum, insignéue principatum; quæ non inceperint patricidio, proditione, perfidia, crudelitate, strage, cædibus, aliisque horrendis sceleribus, artibus inquam nobilitatis, cuius cum talia sint capita, facile cognoscere poterimus, cuiusmodi sint reliqua belluæ illius membra, eaque omnia ad violentiam, ad rapinam, ad cædem, ad venationem, ad libidinem, & omnis generis luxum prona, & exercitata. Velit quis nobilis fieri primum venator fiat, hoc primum elementum est nobilitatis, deinde miles mercenarius, & pretio locet homicidia, hæc vero nobilitatis virtus, in qua si se fortem latronem exhibuerit, nulla maior nobilitatis gloria. Qui ad hæc ineptus est, hic nobilitatem emat pecunia: siquidem & ipsa etiam venalis est: aut si id non poterit, parasitetur regibus, aut alia quauis aulica fraude se intrudat, & palatinarum meretricum lenonem agat, aut principi prostituat vxorem vel filias, aut ipse dominarum expleat libidinem, aut regio scorto nubat, aut eorundem spurias filias ducat vxores, hic summus est nobilitatis gradus: vnum siquidem corpus efficitur cum illis. Hæc sunt itinera, hæ scalæ, hi gradus, quibus ad nobilitatis apicem compendioso tramite conscenditur. Qui vero cæteris generosiores, & in genere sui nobilissimi omnium videri volunt, progenitores iactant eiusmodi, cuiusmodi nemo non contemneret, videlicet homines alienos, Troianos, & Macedones, incertis sedibus vagabundos, ac transfugos, & mille scelestissimis facinoribus coopertos, atque adhuc (si diis placet) laudare oportet, & extollere hanc eorum nobilitatem, quæ tam scelestissimos habuit ortus. Alii cum à meretriculis, & scortis ortũ habuerunt, turpitudinem hanc fabulis tegunt, qualem de Melusina legimus. Sunt qui alios sceleratos habuere ortus, incestus, stupra, raptus, adulteria & eiusmodi.

Sic Balduuinus, ob raptam Iudith filiam, à Carolo Caluo primus Flandriæ comes creatus est. Sic Marchiones illi Pedemontium, videlicet montis ferrati Salutiarum, Senæ, & cæteri multi ab Othone Imperatore, ob raptam filiam instituti sunt. Solent enim nonnunquam reges & Imperatores, quas sine summa verecundia, iniurias vlcisci nequeunt, dignitatis aliquo titulo perducere ad gloriam. Porro quatuor principalia sunt nobilium istorum munera, in quibus omnis eorum sita est fœlicitas: Primum illorum rapacitas, qua præter fas, & æquum habent, capiunt & possident: alterum voluptas, qua omni luxus & libidinis genere insolescunt: tertium libertas, qua contemptis legibus, violentiæ viribus stipati, omnia pro libito agunt: quartum ambitio, qua intumefacti supra sortem & statum suum, nullo non scelere altiora petunt. Omnium denique nobilium sufficientia in eo probatur, si venaticam nouerint, si in alea fuerint damnabilius instituti, si corporis vires ingẽtibus poculis commonstrẽt, si naturæ robur numerosiore Venere comprobent, si audacter strenueque profundant, si fastu, si luxu, omnique intemperantiæ dediti, virtutumq; hostes obliuiscantur, quod nati, quodque morituri sint. Nobiliores autem, si hęc pernicies à patribus emanarit in filios, magnisque subintrarit authoribus: vt,


Si damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Hæc sunt nobilium insignes virtutes. Sed habent præterea alias quasdam nobilitatis artes, quibus cum maxime omnium nocentissimi sunt, id agunt, vt viri probi, atque boni esse videantur, & prudentia, libertate, pietate, iustitia, insignes appareant, adeo se præbent faciles, beniloquos, affabiles, omnium & virtutum hypocrisi claros, molliunt sermones suos supra oleum, & ipsi sunt iacula, conquisitis quotidie conuiuis, epulantur splendide, in sermone & colloquiis liberiores disputant de Republica, aliorumq; sententias captantes, ex illis sapientię prudentięque famã in principum conciliis sibi aucupantur, liberalitatis etiã famã sibi ex auaritia vsurpãt, dum quod auferunt vni, dono dant alteri, munifici prædones, & quod veteres de Sylla scribunt, alios per aliorum iniuriam locupletare studentes, ipsi inter quotidianas rapinas semper inopes. Proinde iustitiæ & pietatis nomen sibi venantur, dum pauperum quæstiones libenter suscipiunt, fouentque eorundem causas contra ditiores, sed eousque duntaxat afflictis illis succurrunt, donec interim exhauriunt loculos pleniorum. Neq; enim animus est, prodesse pauperibus, sed nocere diuitibus, quod cuiuis illorum facilius est, quam prodesse, atque hac iustitiæ pietatisque vmbra, tantam sæpe licentiam sibi arrogant, vt ciuitatibus & potentioribus vim inferant, & publica hostilitate vexent, & vnde legum authoritate nullis sperare licet veniam, isti nobilitatis prætextu assequuntur gloriam, & tanquam antiqui gigantes gloriantur in peccatis suis, & cum veluti mali dæmones vndique quærunt, vt noceant, tunc maxime prodesse putantur, quando solum nocere

cere desistunt, agentes vt omnibus sint terrori, amentur à nullo, cum sceleratis & flagitiosis omnibus ponentes portionem, & qui se custodiæ eorum tradunt, depopulantur, & opprimunt: nec vllum hominum genus ciuitatibus pestilentius, quam nobiles isti, qui sibiipsis placentes, quasi cæteris generosiores, semper superbo spiritu turgent. De quibus idcirco non male consulit Aristophanes, inquiens, non oportere in vrbe nutrire leones, sin autem alti sunt, obsequi illis oportere. Horum tyrannide oppressi olim Heluetii, nobiles omnes occiderunt, & totam eorum progeniem patria extirpauerunt, hac insigni nobilium strage, nomen sua virtute celebre cum libertate adepti sunt, qua plus quadringentis annis, in hunc diem fœliciter imperant, atq; regnant, semperque hoc nobilium hominum genus oderunt. Hactenus Agrippa. Sed nos huius inuectiuis remisso nuncio, transibimus ad Aphorismum V. proxime sequentem.



APHO-



Aphorismvs V.

QVO PLVS GRATIÆ AC DONORVM MAgistratui diuinitus collatum est, eo plus ad agendum gratias, & opere & verbis, obligatum sese existimare debet.

5. Scito ô pietatis diuinitus fabricatũ specimen: quia quanto maioribus dignus habitus es tribuente Deo muneribus, tanto maius ipsi nomen es. Ergo redde benefactori debitum gratitudinis, acceptanti debitum vt meritum, & beneficio beneficium rependenti: ipse enim semper & beneficiis prior promeretur, & vt debitum beneficia repensat. Gratitudinem autem exigit à nobis, non quæ verborum blãdorum prolatione, sed quæ rerum piarum oblatione peragitur.

5. Ἴσθι ὦ εὐσεβείας θεότευκτον ἄγαλμα, ὅτι ὅσῳ μεγάλων ἠξιώθης παρὰ Θεοῦ δωρεῶν, τοσούτῳ μείζονος ἀμοιβῆς ὀφειλέτης ὑπάρχεις αὐτῷ. οὐκοῦν ἀπόδος τῷ εὐεργέτῃ τὸ χρέος τῆς εὐχαριστίας, τῷ λαμβάνοντι τὸ χρέος ὡς χάριν, καὶ τὴν χάριτος χάριν ἀντιδιδόντι, αὐτὸς γὰρ ἀεὶ καὶ χαρίτων ἄρχει, καὶ ὡς χρέη τὰς χάριτας ἀποδίδωσιν. εὐχαριστίαν δὲ ζητεῖ παρ' ἡμῶν, οὐ τὴν διὰ ῥημάτων ἀγαθῶν προσφοράν, ἀλλὰ τὴν διὰ πραγμάτων εὐσεβῶν προσφοράν.

5. Scias, serenissime Imperator, qui à Deo fabrefacta es pietatis effigies, quanto maiora Dei benignitate consequutus es dona, tanto etiam ad gratiam reddendam obligatiorem ei esse te debitorem. Ei igitur, cuius in te tam insignia exstant benefi.ia, redde grati animi debitum, ei maxime, qui ex misericordia, quod debitum est, acceptat, vt meritum, & gratiam gratia remuneratur. Ipse enim semper & gratiæ donis nos anteuertit, & gratiæ munera, ac si essent debita, reddit. Gratiam autem à nobis requirit, non talem, quæ in bonorum verborum prolatione terminetur, sed quæ cum piorum operum oblatione sit coniuncta.

DIS-

DISCVRSVS.

EQ. Cum Pietas fundamentum reipublicæ, mater felicitatis, omnium bonorum conciliatrix, adeoq; testibus D. Paulo & Augustino, ad omnia vtilis sit, non abs re me facturum existimo; si ipsam pietatis effigiem, prout effingi à statuariis pictoribusue quibusdam solet, in ipso statim Discursus nostri vestibulo prius proponam. Atque hæc quidem sic effingitur: Pietas ante aram flexis genibus & complicatis manibus vultu tristi precatur; sunt enim hi gestus piorum hominũ ad placandum Numen. Inspicit cælum, cui Deus insidet, eam inspiciens eiusq; gemitus. Ara posita est. Cor discissum & perfossum, lignis ardentibus circumdatum, iuxta illud Prophetę regii: *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies, & præ sacrificiis eliges.* Perfossum significat assiduos gemitus & cruciatus, quos fert Numinis gratia conquirenda. Quod & capilli inordinate comperti denotant. *Pietatis effigies.*

TH. Pietatis effigiem vt in seipso efformet Princeps, adeoq; pietate subditis, tanquam fax accensa, prælucceat, æquum; quippe qua deficiente, etiamsi omnes Principum libri ac parietes, Pietatis externam præferant effigiem, omnia in peius ruunt. Magistratum autem pium Deus clementer respicit, quinetiam sæpenumero miraculose defendit atq; eripit. Exempli gratia, Moysen & Aaronem contra lapidationem, *Nu.14.v.10.* seditionem, *Nu.16.v.19.* Murmura totius populi, *Num.20.v.6.* Expostulationes contra Iephthe, *Iud.12.v.6.* inprimis defendit Dauidem cõtra ciues Ceilenses, *1.Sam.23.v.11.& 12.* Absolonem, *2.Sam.18.v.9.* & Sebam, *2.Sam.20 v.22.* Contra impias gentes & hostes Ecclesię, quod patet in rege Iosaphat, 2. Paral. 20. v. 22. Ezechia & multis aliis 2. Paral. 32. v. 22. Vnde Dauid canit: Domine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi, &c. *Ps.20.v.2.* Et: in Deo lætatur rex: *Ps.63.v.12.* *Magistratus pii Deus est custos.*

Cumprimis autem Reges & Principes sub omnipotenti Dei manu sese humiliare debent iuxta dictũ: Seruite reges Domino, *Ps.2.v.11.* qui alioquin sunt filii hominum, in quibus non est salus, *Ps.146.v.3.* Nam reges quoq; sicut homines moriuntur, *Ps. 82.v. 7.* exit spiritus eorum & reuertitur in terram, *Ps.146.v.4.* Mors abripit eos, *Syr.40.v.3.* Hodie rex, cras cadauer. *Syr.10.v.12.* Vnde Ioseph dixit: Nolite timere, sub Deo sum, *Gen. 50. v. 19.* Et propter Dei timorem noluit grauare populũ Nehemias, *Neh.5.v.15* Nabuchodonosor cecidit in faciem adorans, *Dan.2.v.46.* Cyrus omnia sua regna adscripsit Deo, *1. Esd. 1. v.2.* Et Artaxerxes potentiæ magnitudine abuti noluit, *Esth.13.v.2.*

Cumq; ad administrationem diuina requiratur sapientia, reges & princi-

pes hanc cumprimis petere debent. Si quis sapientia indiget, postulet à Deo, inquit Iacobus *cap.1.v.5.* vt fecit Dauid, Ps.86.v.11. Da mihi intellectum, inquit *Psal.*118.*v.*34.*&* 35. Idem fecit Salomon, 1.*Reg* 3.*v.*8.*&* 9. Da mihi, inquit sapientiam, 2.*Paral.1.v.10.* Mitte eam de cælis, vt mecum sit, Sap.9.v.10.

Atq; hanc Deus serio petentibus non tantum largitur, sed alia insuper necessaria dona, & imprimis motus heroicos ipsis addit, iuxta dictũ: Ipse operatur digna principe, *Es.32.v.8.* Et: Sapientia datur omnib. postulantibus, *Syr.1.v.* 1. Est enim Deus sapientiæ Dux, *Sap.7.v.15.* Sicut de Iosepho dicitur, quod non fuerit Iosepho sapiẽtior in tota Ægypto, *Gen.41.v.* 38. Iosue spiritu sapientiæ repletus fuit, *Deut.*34.*v.*9. Spiritus Domini induit Gedeonẽ *Iud.6.v.*34. vt & super Iephthe factus est Spiritus Domini, *Iud.11.v.29.* Cum Samsone cœpit esse in castris, *Iud.13 v.*25. Sauli immutauit Deus cor, 1.*Sam.10.v.10.&* 26. Spiritus Domini directus fuit in Dauidẽ per vnctionem, 1.*Sam.16.v.13.* quo prostrauit Goliath Gigantẽ, 1.*Sam.17.v.*50. egitq; prudẽter in omnib. 1.*Sam.*18.*v.14.* Imprimis vero Salomoni dedit Deus sapientiã multã nimis, 1.*Reg.*4.*v.* 29. Fuit etiã Deus cum Ezechia in cunctis, 2.*Reg.*18 *v.17.* Hinc etiam fit, vt subinde magis sibi autoritatẽ & obedientiam apud subditos concilient, iuxta dictũ: Sicut opus ipsũ celebrat artificem: ita & principẽ res gestę, *Syr 9.v.24.* Sic Deus honorauit Mosen, *Syr.45.v.3.* Iosuã corã omni Israel *Ios.*4.*v.14.* Sauli dedit victoriã, 1. *Sam.* 11. *v.11.12.* Dauidem diligebat populus, 1.*Sam.*18.*v.* 16. Samuelem timuerunt ob sapientiam, 1.*Reg* 3.*v.21.* Ezechiæ obedierũt, 2.*Paral.*30 *v.*12. Ob magnificentiã Nabuchod. vniuersi populi tremebant, *Dan.5.v* 19. Pro tot ac tantis donis igitur pii reges Deo debent esse grati, sicut gratias egit Dauid, *Ps.*18. *v.* 47.48. Salomon, *Sap.7.v.7.& cap.*8.*v.*14. Dauid rex inquit, *Ps.*102 Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnis retributionis eius. Et hortatur D. Apostolus. *Colos.*3. Omne quodcunque facitis, in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum.

EQ. Ex pietate, nimirum cui veritas simul & Iustitia subseruiunt, velut ex generosissima propagine, egregia illa soboles Gratitudo oritur digna sane suo ortu, & ideo ab omnibus expetenda, quæ adulta propagatrix & nutrix aliarũ præclararum virtutum esse solet. Hinc recte Seneca 5. *de benef.c.*17. Grati simus aduersus deos, grati aduersus homines, grati aduersus eos qui nobis aliquid præstiterunt: grati etiam aduersus eos qui nostris, &c.

Gratitudo. *PH.* De gratitudine, Tecmessa cõcubina Aiacis apud Sophoclẽ inquit: Virũ decet cõseruare memoriam accepti beneficii. Gratia enim gratiã semper parit. Cui vero obrepit beneficii obliuio, is non est generosis viris annumerandus.

TH. August. *super illud Psalmi: Custodi animam meam, quia, &c.* Non est, inquit, superbia elati, sed confessio non ingrati, & habere te cognosce, & nihil ex te habere, vt nec superb. sis, nec ingratus. De Deo tuo, quoniã sanctus sum, quia sanctificasti me: quia accepi, nõ quæ habui: quia tu dedisti, nõ quæ ego merui.

Illum

Idem *in epist. ad Marcellinum*: Quid melius, & animo geramus, & ore promamus & calamo explanemus, quam Deo gratias. Hoc nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.

Et Lactantius libr. 4. Diuin. instit. Si diuinitas, quæ gubernat hunc mundũ, incredibili beneficio genus humanũ sustentat, & quasi paterna indulgentia fouet: vult ꝑfecto gratiã sibi referri, & honorem dari. Nec cõstare homini ratio pietatis potest, si cœlestib. beneficiis extiterit ingratus, ꝙ non est vtiq; sapiẽtis.

PH. Sabellicus libro 7. cap 1. exemplorum, inquit: Laudatissima virtutum gratitudo, res cœlo & hominibus grata, gratiq; nominis, in quo genere vt vetustissimum, ita maxime pium Israelitæ exemplum edidere: qui excusso seruitutis iugo, perque medios pelagi fluctus in pacatam terram egressi, confestim Deo seruatori hymnum cecinere, quem Moyses itineris autor est pie meditatus.

TH. Cyrus maior, quod in Esaiæ libris ducentis ante & amplius annis editis, nomen suum diserte positum inuenit in prophetæ carmine nimirũ: Volo Cyrum, quẽ multarum & magnatũ gentiũ regem constitui, populum meum ad propria remittere, ibiq; mihi templũ iterũ suscitari: Ipse inquã Cyrus prophetica prædictione lætatus, edicto testatus est, se Iudæos in patriam remittere, vt Deo templum restituerent, cuius prouidentia, multo priusquam nasceretur, fuisset rex constitutus.

Pari gratitudine Alexander Macedo, cũ Hierosolymis esset Danielis prophetæ oraculo instructus, fore, vt rex Græciæ, Persarum olim opes euerteret. Certa spe victoriæ ex ea percepta, Iaddum & cæteros sacerdotes, per quos vatidicum carmen cognouit, amplissimis donauit muneribus: ipsi ciuitati permisit, vt suis vteretur legibus, tributaq; in septem annos remisit.

EQ. Extat mascula Placillæ ad Theodosium Imp. maritũ de gratitudine cõmonefactio: cũ enim videret maritũ à pietatis veræq; religionis studio alienũ magis esse, quã Imperatorẽ deceret, subinde ad eũ dixisse fertur: Considerare te oportet suauissime cõiunx, quis antea fueris, & in quem locum te euexerit vniuersitatis huius Deus. Si enim perpetuam eius rei obtinueris memoriam, non prorsus te ob accepta beneficia erga eum ingratum præstabis: sed ex præscripto legum Dei, quod ab eo accepisti, gubernabis imperiũ, & ita eum, qui tibi, vt fideli ministro, commisit, rite coles. *Niceph. Callist. lib. 12. cap. 42.*

PH. Carolus V. pietatis, adeoq; erga Deũ gratitudinis summopere cõmendatur. Suas enim mane horas canonicas legebat, easq; ita dilatabat, vt bis tantũ fere, quãtũ Presbyteri, sẽper mane legerit. Hinc hora ad vestiẽdũ sumpta, aut paulo minus, sacrũ audiebat: Hinc prãdiũ sumebat, post prãdiũ valẽs, auditionib. hominũ supplicũq; libellorũ vacabat. Ac diẽ in œconomicis, aut bellicis, aut Reip. curis cõsumebat. Nõnunquã à meridie in lectulo valetudinis causa quiescens. Ac vesperi rursus à cæna preces repetebat semper suas longissimas, quæ duarum plerunq; erant horarum, sicut & matutinæ.

TH. O quantum est in principe decus, si precibus pro se simul ac subditis ad Deum serio atque ardenter fusis incumbere deprehenditur, atq; vt Deus consilium & auxilium feliciter gubernandi largiri velit, per ipsum imploratur, nec enim audiendi Stoici, qui vociferantur, quum Deo gratis seruiendum sit, non esse petenda bona corporis. Nugæ sunt; nec attendunt Stoici, qualis sit huius vitæ imbecillitas. Non enim petuntur hæc bona vt præmia, vt compensationes: sed petuntur vt vocationum adminicula. Non potuisset gubernare populum Moses, si dolore animi aut corporis extinctus fuisset. Petiit igitur vitam, consolationem, victum, vt seruire posset in vocatione, & tamen liberali animo seruit. Non fremuit aduersus Deum etiamsi euocaretur ex suo curriculo, aut etiamsi quæ difficultates maiores, quas deprecabatur, tolerandæ ei essent.

Assuefacere etiam se debet Princeps ad recitationem aliquam & vt forma precationis rite composita, sine superstitione, sine magia. Multi ignaui, temulenti & securi contemnunt recitationem. Sed hortandi sunt pii Principes, vt se ad recitationem aliquam assuefaciant. Nam hæc ipsa recitatio est, confessio quædam, qua quisque se erudit & commonefacit de vero Deo, & de vero cultu. Deinde hæc cogitatio accendit affectus, fit ardentior fides, cum cogitat, quanta sit Dei bonitas. Hos animi motus atque hanc fidem excitari inter precandum oportet, ad quod erudita recitatio conducit.

Sed quia difficilis est attentio in recitatione precum, ideo ignaui fugiunt recitationes. At Ecclesia semper eas proposuit, & publice & priuatim eas exerceri iubet. Ideo etiam Psalmi traditi sunt summo consilio compositi. Et Christus ipse formam precandi proponit *Luc.* 11.

Oratio Dominica.

PH. Isthæc oratio, quam vocamus Dominicam, vario carminum genere à variis, vtrobique tamen pie, est expressa. Breuiter sic:

O Pater omnipotens! ô Ioua, volumina cœli
Mira regens: sacra vis numinis esto tui.
Ingere nos regno: tua fiat vtrinq; voluntas,
Siue polo detur viuere, siue solo.
Da victum: tollasq; probrum, ceu tollimus vltro
Probra virum, nobis qui nocuisse petunt.
Subdola fraus turbaq; vafri cacodæmonis absint:
Semper ab ærumnis eripiamur. Amen.

Breuius sic: *Deus pater piorum*
Vbiq; sanctus es.
Da regna mox polorum.
Velimq; quod iubes.
Da fercla: tolle noxam:
Tyrannidemq; fluxam:
Malisq; libera.

Bre-

Breuius adhuc sic:

Pater polorum sanctus es vndique:
Cœlum propinquet: velle fiat hoc tuum:
Victum da: noxamque tolle:
Omne malum simul aufer: Amen.

Omnium autem breuissime sic:

Sancte pater: regno nos ingere: velle tuum fit:
Da victum: dele crimen & aufer: Amen.

Sed hoc obiter.

TH. Ego formulam precandi, quam pius quidam Germaniæ princeps solitus fuit vsurpare, vobis recitabo.

Omnipotens, vere, viue, vnice & æterne Deus, Pater, Fili & Spiritus Sancte: ago tibi gratias ex imo pectoris mei, pro omnibus tuis innumerabilibus æternis ac temporalib. beneficiis; quæ mihi, quo ad animam & corpus, coniugem & liberos, honores opesq; à iuuentute mea, vsq; ad hanc horam, ex mera, immensa & paterna misericordia præstitisti, & adhuc quotidie præstas. Inprimis quod me magistratum politicum, curatorem & nutritorem Ecclesiæ vnice tibi dilectæ, ordinasti & constituisti. Quia vero pro imbecillitate mea, longe impar sum arduo huic muneri partibusq; illius vniuersis: Te supplex oro, vt cor purum, per fidem in Iesum Christum, Dominum meum, animum, sensum, desiderium sanctum mihi concedas, vt nihil quæram, nihil concupiscã, nisi quod in verbo tuo mihi permittitur & proponitur; quo nimirum pertinet, vt verbum tuum quod solum verax est, & omnia sanctificat, ardenter & vnice amem, in eoq; me dies noctesque exerceam; vt non tantum ad salutem meam veritatem inde cognoscam & discam; sed etiam, ad subditorum meorum commodum, veram doctrinam pia liberalitate promoueam, debitaque seueritate tuear; & è diuerso falsam & impiam doctrinam; vt par est, reprimam & aboleam. Itaq; hanc mihi largire gratiam, vt omnia, quæ mihi vel facienda, vel fugienda sunt, quæ mihi vel prosunt, vel obsunt, nullis aliis rationibus modisque perquirere coner aut præsumam: Sed eo contẽtus sim, quod me docet verbum tuum, quod solum est lucerna pedib. meis, & lumen semitis, consiliis obtemperem. Tum vero, quæ pie suscepta, recteque deliberata sunt; ea te propitiante, qua conuenit, à me subditisque meis vigilantia & sedulitate gerantur, teque fauente & auxiliante feliciter peragantur. Hæc omnia tua sunt, omnipotens & misericors Deus, munera & dona, quæ nulla hominum, vel sapientia, vel potentia acquiruntur & retinentur; sed precibus abs te piis impetrentur necesse est. Cum ergo magistratus politicus tua sit ordinatio, & abs te vno tum detur, tum conseruetur; vt sit Ecclesiæ tuæ tutela & præsidium, & euidens documentum te omnipotentem esse cœli terræque, & eorum, quæ his continentur, moderatorem ac dominum: Piis te ge-

Pii principis oratio.

te gemitibus inuocans oro, vt propter filium tuum dilectum, seruatorem meum, Iesum Christum hoc mihi beneficii tribuas; mentem & animum meum sanctifices; consilia mea gubernes, vt te fauente, quicquid cogito, molior, ago, tibi gratũ acceptumq; nemini damno aut oneri iniusto sit. Ad hæc me meosq; atq; adeo subditos quoq; vniuersos, contra omnes Ecclesiæ tuæ hostes manifestos, publicos, aliosq; infesto in nos inuadentes animo, insultusq; violentos defendas. Subditorum item meorum rem familiarem, victũ & commercia pro paterna benignitate fortunes: Vt non tantum, quæ mihi debent, citra molestiam pendant; sed etiam habeant, vnde tibi omnipotenti Deo, proximoque suo inseruiant: vt ita in quotidianis veræ pietatis exercitiis magis meis; cum cætera omnia tenebræ sint perniciosæ, præstigiosæque fraudis errorum plenissimæ. Concede mihi hoc quoque, vt eo, quod mihi debetur, contentus sim; inter subditos gubernationem laudabilem & disciplinam honestam conseruem; ipsorum corpora, fortunas, iura, contra vim manifestam, fraudesque & machinationes occultas protegam & defendam: vt ita republicæ mihi commissæ iuxta Pauli Apostoli præceptum, cum pia solicitudine curam geram: Et breuiter, vt totum cor, vt mens, animus ac voluntas mea congruat cum voluntatis tuæ sanctissimæ, in verbo patefactæ norma, tum erga te, tum erga proximum, scilicet erga carissimam coniugem, liberos, subditos, ministros, atque etiam dominum meum Imperatorem, erga consanguineos, Principes, & membra Romani Imperii, ac vicinos. Deinde largiri mihi digneris consilia bona, vt non solum omnia animi mei sensa; verum etiam consilia & cogitata instituantur ac dirigantur iuxta verbum ac voluntatem tuam, ad honorem & obsequium tuum; ad ædificationem, conseruationem, & amplificationem Ecclesiæ; ad pacificam denique & piam tum vniuersi Imperii Romani, tum inprimis carissimorum subditorum meorum gubernationem. Quamobrem adiunge mihi pios, prudentes ac fidos magistros; qui non suam, sed tuam gloriam atque ita meam meorumque prosperitatem, quo par est studio quærant. Aperi mihi oculos, vt penitus illos agnoscam, tanquam eos, qui ex animi tui sententia, vtilia officii mei sunt organa; vtque sanis illorum, quibus me iuuant, magisque crescamus & proficiamus; pacifice ac tranquille sacrosanctum verbũ tuum cum fructu audiamus, accurate discamus, & constanter teneamus, atque inter nos alter alteri Christiana fraternaque cum charitate & fide sincere, hilariter, prompteque seruiamus; Per filium tuum dilectum Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

Neque vero sese à gratitudine exhibenda Deo abstrahi sese patiatur, quod nulla ipsi e subditis vt plurimum exhibetur gratitudo. Ita namque in natura hac deprauata comparatum est, vt qui Rempub. administrant, si in suo munere

nere fideles & diligentes sint; mox non ingratos modo, verum etiam rebelles & seditiosos aduersus se sentiant eos, pro quorum salute ipsi dies noctesq; excubant.

Hinc Themistocles pater filium aspirantem ad Rempublicam, & magna affectantem, deduxit ad stationem nauium vrbis Atticæ: & monstrauit ei pertusas & fractas triremes antiquas: quæ negligebantur, destinatæ focis, monens vt cogitaret de ingratitudine, quam esset reportaturus pro operis impensis in rempublicam.

Gratitudinis effigies. EQ. Gratitudinem quam tãtopere collaudatis (siquidem laude etiam dignissima est) ego sic effingo: Capite demit coronam, vt de se bene meritis tradat, compressissimo vultu & capillo quod virtus sit pulcherrima. Elenchum sinistra tenet manu, quem legit, innuens se inuestigare nomina benefactorum vt rependat. Catenas aureas & annulos, item Scyphos argenteos & aureos à dextro latere mensa positos, vt referat qui benefecerunt. Ciconiam à sinistro latere apud pedes. Quod hæc auis gratissima sit, decimas n. hospiti cui nidulatur ædium culmine promptissime impertit, & parentib. ægris qui victum dedere, fert ætate decrepita humeris, ne carpatur ob ingratitudinem. Viridi plantas fixit cespite & floribus obducto, quod digna sit molliter & honorifice tractari cum asseclis suis.

TH. Video te valde delectari imaginibus; at vero hæ ipsæ, quod antea quoque à me dictum est, mentibus omnino vt imprimantur ex indeque sese vere ac laudabiliter exerant, necesse est, Bern. *super Cant. serm. 12*. Non omnis inquit gratiarum actio accepta est Deo, nisi quæ de cordis pudica & vera simplicitate procedit. Pudicam sane dixero propter eos, qui de malis actibus suis gloriantur; Deo gratias dicere solent, quasi Deus more ipsorum lætetur, cum male fecerint & exultent in rebus pessimis.

Ingratitudo EQ. Gratitudo certe virtus est, quæ gratum etiam & acceptum hominem vbiuis gẽtium facit. Viceuersa dirũ & abominandũ monstrũ est Ingratitudo, ita vt veteres eos qui huic seruiat, alio modo detestati non sint, nisi vt dicerent, tetra & inuisa omnia, quæ vel dici fingiue possint, ingrato homini impune obiici licere. Etsi autem Seneca conqueritur, nullam aduersus ingratos datam esse actionem, tamen Athenienses olim contra eos peculiarem legem, qua reducebatur libertus in seruitutem, habuerunt. Ita enim loquitur Legislator: *Supersedeo te habere ciuem, tanti muneris, impium æstimatorem, nec adduci possum vt credam, vrbi vtilem, quem domi scelestum cerno; abi igitur & esto seruus, quoniam liber esse nescisti.* Hac ratione etiam huic monstro legibus Cæsareis, multis in locis frænum iniectum est.

Iis

his enim iubentibus, filius ingratus exhæredari, filia ingrata dote priuari potest. Emancipatus ingratus iterum in patriam potestatem; & legitimatus iterum ad statum naturalitatis redigitur.

PH. Ingratitudinem (inquit Franc. Petrarcha) vituperare superuacaneum est, omnium namque mortalium sermo hanc condemnat. Non est laborandum, vt suadeat, quod omnibus persuasum est, & inextirpabiliter insitum. Nulla virtus tam laudata est, quin vituperatores inueniat; Gratitudinem nulla barbaries gentium, nulla morum immanitas non laudabit. Nemo vsquam non vituperabit ingratitudinem; Ingratus vitium suum excusare non audebit, sed negare. Hæc Petrarcha. Sed enim, ita fere ita in hac deprauata mundi senecta comparatum est, vt quemadmodum de Siphnio lapide tradunt, quod oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus ita quidam benefactis redduntur deteriores. Vnicum ex infinitis exemplum deferam.

Cum detecta esset Pompeij cum Cæsare simultas, ac Marcellinus, vnus ex eorum numero, quos Pompeius euexisse putabatur, à Pompeio ad Cæsarem transtulisset animum, adeo vt non veritus sit in Senatu multa in Pompeium dicere: hunc ita compescuit Pompeius: Non te pudet, inquit, Marcelline, ei maledicere, cuius beneficio ex muto factus es facundus, ex famelico eo productus, vt vomitum non teneas. Grauiter obiecit ingratitudinem homini, qui hoc ipso, quod habebat autoritatis, dignitatis & eloquentiæ, abutebatur in eum, cui debebat acceptum ferre.

TH. Congruit id propemodum cum eo quod extat Esther cap. 16. Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam, nec contenti non agere gratias pro beneficiis, & humanitatis iura in se violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse effugere sententiam. *Et Esaiæ* 1. Filios enutriui, & ipsi spreuerunt me. Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe domini sui: Israel autem me non cognouit.

Plut. in Apopht.

EQ. Illud vero quod ego referam, magis detestandum est. Ceruus ramo vno cornuum zonæ Basilij Macedonis Imperatoris infixo, eum cornibus suspensum sublimem ferebat. Ibi quidam accurrens, ense dissecta zona Imperatorem eripuit: cui mercedem salutis suæ præclaram reddidit ille, capitis truncationem: speciosa causa quæsita, quod ensem contra Imperatorem strinxisset. Sed finiam hoc nostrum colloquium ipsius Ingratitudinis truci effigie.

Ingratitudinis effigies

Superba vitta pennis armata propter fastum & leuitatem. Pretiosis incedit vestibus & deauratis catenis & monili propter fastum. Pugionem habet & imaginem Crucifixi Iesu & manibus quam pungit misere. Quo significatur primo summæ impietatis esse apud Deum, illi non gratias referre propter accepta beneficia, & tantundē esse ac si adhuc semel trāsfoderes eius filium

filium vnigenitum, qui à Iudæis Sathanæ pabulo crucifixus est. Dein qui Deo plurimum displicet, si quis ingratus viuat erga se benemeritos. Et veteres dixere sententia vulgari. Dixeris maledicta cuncta, quum ingratum hominem dixeris. Fastus plerumque in obliuionem ducit bene merita & prioris vitæ statum, vnde luxuriosa vestitu incedit. Ad talos habet aspidem, (ipsa incedit auratis sandaliis, quod facit ad contemptum acceptorum beneficiorum, qui prouenit ex fastu,) quem vtero fœtus rodunt & ventrem perrumpunt vt viuant, obliti beneficij, quod mater habuit in gestando vtero summis tædiis, nauseis, & fastidiis, quæ prægnantes ferunt. Item sicut hic fœtus nocet parenti & velut nutrici, ita multi repeviuntur in parentes, patronos, & qui parentum loco beneficia contulere ingrati, & si possunt manum inferunt, vt multorum exemplis patuit.



APHORISMVS VI.

MAGISTRATVS POTESTAS NON PRIuatis affectibus aut prauitati, sed gloriæ diuinæ subditorumque saluti atque incolumitati subseruire debet.

6. NVLLA res adeo commendabilem reddit hominem, vt posse quidem quæ velit efficere, semper autem humana & velle, & agere. Quoniam igitur à Deo tibi donata est facultas, qua indigebat propter nos bona tua voluntas, omnia & velis & agas, prout ei placet, qui eam tibi dedit.

Οὐδὲν οὕτως εὐδόκιμον ἐργάζεται ἄνθρωπον, ὡς τὸ δύνασθαι μὲν ἃ βούλεται πράττειν, ἀεὶ δὲ φιλάνθρωπα καὶ βούλεσθαι καὶ πράττειν. ἐπειδὴ τοίνυν ἐκ θεοῦ σοι κεχάρισται δύναμις, ἧς ἐδεῖτο δι' ἡμᾶς ἡ ἀγαθή σου βούλησις, πάντα καὶ βούλου, καὶ πράττε, ὡς ἀρέσκει τῷ ταύτην σοι δεδωκότι.

6. NVlla res tantopere ad conciliandam homini nominis claritatem facit, atque, si quis, quæ vult, possit quidem opere ipso præstare: semper autem velit, & faciat ea, quæ humanitati & beneuolentiæ sunt consentanea. Quandoquidem igitur diuina largitate tibi tributa est facultas, qua tuæ bonæ voluntati propter nos opus erat, omnia & velis & agas ex eius, qui illam tibi contulit, arbitrio.

DISCVRSVS.

EQ. Potentiæ effrænatæ Ideam quandam vobis præfigam, vt exinde de vsu iuxta atque abusu potentiæ, disserendi ansam pro suo quisque humore capienus. Hanc autem Potentiam illam effingo: Stat validis columnis quas perfregit, dein fulmen dextra manu gerit, quod sicut fulmen omnia domet & potentissime penetret nubes, arbores & ipsam terram, sic potentia cuncta quæ vult subuertit. habet validos lacertos corpore propter robur, sine velamine pudibundorum aut mamillarum, quod impudentes & perfrictæ frontis potentes plerumque sint. Malleum ingentem tenet altera manu, quo robur suum demonstret, quo instrumento firmissima metalla molliuntur & tanquam

Potentia effigies.

tanquam cera perdomantur. Plumas magnas pileo habet, quod vt Poeta ait: *Nulla potentia longa est.*

TH. Est hæc mentis humanæ innata quædam peruersitas, vt paululum emergentes, grandia protinus spirent; id quod ipse etiam Gregorius *in Moralibus*, his innuit verbis: Quamuis, inquit, quolibet in loco positi, cogitando, loquendo, agendo, peccemus, tunc tamen per tria hæc animus effrænatius capitur, quum mundi huius prosperitate subleuatur, nam cum præire potestate se cæteros conspicit, & quum autoritate vocis à nullo resistitur, lingua licentius per abrupta disfrænatur: quumque facere, quodlibet licet, iuste sibi omne æstimat licere quodlibet. Hæc Greg. Cæterum, cum, vt inquit Plutarchus *in Polit.* omni populo malignum quiddam insit & querulum in imperantes; proinde ipsi imperantes addiscant etiam aliquatenus inseruire tempori ac moribus subditorum, pressisq; habenis potestatem vt vsurpent, operæ pretium est. *Potentiæ abusus.*

PH. Boni Principis, inquit Eusebius Sardus, hoc vnum proprium lucrum & instar infinitorum aliorum est, omnia sic facere, vt & in ipso imperij tempore, & post id, iustitiæ ac bonorum à subiectis testimonium habeat; intelligatq; (vt idem ait) vir Princeps, quod qualis fuerit ipsarum rerum actionumque quas agit natura, talem quoq; ex ipsis memoriam & famam vel bonam vel malam consecuturus sit. His consideratis ita demum alterutram viam ingredietur, vel eam quæ perducit ad infamiam, vel quæ ad memoriæ splendorem: & illam quæ ei melior videbitur anteponat.

EQ. Elegans extat Euripidis desuper admonitio: *Conueniat*, inquit, omni ratione & arte amantes patriam, salutem eius moliri; *& illa Sophoclis protestatio*; Nunquam equidem inimicum patriæ virum in amicitiam recipere meam decreuerim, hoc sciens quod patria est quæ nos seruat. *Amor patriæ ac subditorum.*

PH. Communis illa est reipublicæ sponsio, quæ inferiores superioribus, superiores inferioribus coniungit, vinculoque imperij ac obedientiæ rerum humanarum ordinem mira quadam harmonia conseruat: Huius administratores, Magistratus & Principes iure suo constituuntur, vtpote qui in scrinio pectoris, iura condita habent, ceu Διοτρεφεῖς καὶ ποιμένας λαῶν, quo nomine Poetarum Princeps bonos Principes dignatur: Quandoquidem horum vigilãtia omnium somnos defendit, omnium otium illorum labor, omnium delitias illorum industria, omnium vacationem illorum occupatio, vnde Cyrus non putabat alicui conuenire Imperium, qui non melior esset iis quibus imperaret. Quo respectu modo parentes humani generis nuncupantur, modo defensores & tutores publicæ salutis, à quorum salute veluti filo pendeat orbis terrarum status.

EQ. Pertinaci mortuo, ceu optimo Principi, Diui nomen non tantum decretum, sed & ob laudem eius ingeminatis ad vocis vsq; defectum plausibus

acclamatum fuit: *Pertinace imperante secure viximus, neminem timuimus: patri pio, patri senatus, patri omnium bonorum.*

PH. *Sanctum est*, ait pertinax Imp. *Patres conscripti, inopem rempublicam obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per discrimina, atque dedecoris vestigia peruenire.*

TH. Auersati scilicet fuerunt boni Principes, & cum iis adhuc omnes, quib. eadem honesti mens, cane peius & angue detestantur T.u pe illud turpioris effatum: *Licet si libet.* Illorum nempe prauitatem, cui absolutę cuiusdam potestatis vi atq; vsurpatione, supera infera fœde commiscent atque turbant, directo id fiat vel indirecto, iisque deque ferunt, quibus nimirum ærarium est ciuium spoliarium, cruentarumque prædarum receptaculum.

Preces armata. Hinc *preces armatæ* prouerbio dicuntur. Et M. Tullius πειθανάγκην appellat suasionem cum necessitate vtiq; coniunctam, quales sunt Principum preces, de quibus Ouidius:

Precibusque minas regaliter addit.

Hinc nimirum fit, vt Opulentia tyranni, paupertas sit subiectorum, ad quod alludit poeta hoc carmine:

Humani quod splen est corporis, in populi re
Hoc Cæsar fiscum dixerat esse suum,
Splene aucto, reliqui tabescunt corporis artus,
Fisco aucto, arguitur ciuica pauperies.

Hem! Leones rugientes, vrsosque rugientes, liceat enim mihi ita exclamare contra tales Tyrannos cum sacris paginis, quorum vita abominabilis; mors infelix plerumque:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte Tyranni,

dicit Poeta. Quare potestatis plenitudo ad subditorum tutelam, iustitiamque adserendam dumtaxat extensa esse debet, non ad iniuriam iis inferendam: Id enim dicimur posse, quod honeste possumus; nam quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & generaliter, quæ contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credimus, cum excelso IC. Papiniano Licet. n. Princeps legibus solutus sit: magis tamen imperio esse, submittere legibus Principatum, DD. Impp. Theodosius & Valent. in suis rescriptis fateri non erubescunt. Et rursum D. Seuerus & Antoninus sæpissime rescripserunt: *Etsi legibus soluti sumus: legibus tamen viuimus.* Non refragatur hisce quod iure Ciuili, & ab eius interpretib. passim princeps seu Imperator *totius mundi Dominus dicatur*: Id et Imperij iustitia ratione & protectionis, non quantum ad dominium rerũ priuatarũ attinet, intelligendũ est; sicut & illud Themistoclis, qui ad Andrios Le-

gatus

gatus super pecunia, duobus Diis se comitatum venire, dixit, *Suada & violentia*: cum mica salis sumendũ est; vt prior illa Diua semper adhibeatur; melius enim est impetrare, quam imperare. Altera, non nisi cum necessitas poscit, & inobedientia rebellioq; subditorum, iugum & potestatem legitimam sit excussura. Nullatenus enim diffiteor, quin iusta ex causa vel delicto etiam, non tam bona, quam vitam ipsam Princeps auferre reis iure possit, imo debeat. Deo enim pinguior victima scelerato homine mactari nequit. Estque adeo ipsius Principis officium, vt sit scelerum inuestigator ac vindex, de quo eleganter Poeta:

Caeruleos auide ceruus depascitur angues,
Vlla nec est illi praeda petita magis,
Vipereum ante alios genus insectatur, & ipsum
O'factu è latebris commodiore trahit.
Principis officium est, vitiorum indagine recta,
In prauos populi vertere damna reos.

EQ. Sunt tamen casus quidam, in quibus si ad Principis preces nolint parere subditi, vim adhibere potest Princeps, cum nimirum publicae vtilitatis fauor, qui priuatis omnibus commodis praeferendus, id suggerit. Qua ratione domum subditi sui demoliri, aut eius fundum vrbi propinquum pro dilatandis ciuitatis fossis vel extruendo propugnaculo, aut alia necessitate publica piaue efflagitante occupare, suburbia item destruere, vel incendio, ne hostis forsitan eo se recipiat, consumere iuste potis est.

PH. Hisce tamen casibus, aequitatis intuitu ad solutionem legitimi pretij tenetur, ne subditus absque sua culpa inuitus re & pretio careat. Qui enim secus agunt, recte eos Crates assimilat olim iis ficubus, quae in altis praeruptisq; nascuntur, è quibus homo fructum non accipit, sed κόρακες seu corui tantum, & milui, hoc est, ἑταῖραι καὶ κόλακες, scorta & adulatores.

TH. Augustinus ad Maced. Hoc, inquit, certe alienum non est, quod iure possidetur: hoc autem iure, quod iuste: & hoc iuste, quod bene. Omne igitur quod male possidetur, alienum est. Et Ambrosius lib. 1. de offic. Iustitia est quae nil alienum vendicat, quae cuilibet dat, quod suum est, quae negligit propriam vtilitatem, vt seruet communem aequitatem: & secundum illud prima iustitia est in Deum, secunda in patriam, tertia in parentes, quarta in omnes. Potestas itaque (vt ait Gregorius in Moral.) cum habetur, & cogitanda est ad vtilitatem, & dissimulanda propter timorem: quatenus qui vtitur, vt prodesse debeat, posse se nesciat.

EQ. Summum in Regibus bonum est, (inquit Gregorius in Moral.) iustitiam colere, ac sua vnicuique iura seruare, & in subiectos non saeuire, non sinere, quod potestatis est, fieri, sed quod aequum est, custodiri.

PH. Recte quidem haec dicuntur, at non aeque vsurpantur in litigiis prae-

Litium inter magistratum & subditos iniquitas.

sertim, si quæ inter superiores & inferiores gliscunt, vt enim quisq; est potentior, ita iniuriæ inferendæ est accommodatior; nam protinus ex ipsorum parte ad ἐγχειροδίκην, zum Faust vnd Kolben Recht prouocatur, & potentiores, vt ex Ennio refert Cic. 1. Off.

Non ex Iure manu consertum, sed mage Ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

Qui, vt Plato ait, faciunt quod volunt, & quando volunt; Cumque qui imbecilliores sunt, æquum & iustum quærunt; potentiores in hoc fines modestiæ & Iura non seruant, sed de facto procedunt; adeoque, quod Hering. *tract. de fideiuss. cap. 8. num.* 134. inquit, vacat hoc tempore, potentioribus opprimere, primoribus rapere, priuatis perdere, miseris flere. Hinc litigaturientes potentum opera vtuntur, ne dicam abutuntur, auxilium inuocando, vt actor minis & terroribus illius potentis perterritus â lite desistat, ita vt verum sit Ænigma hoc malitioso seculo, quod refert Ioan. Heitfeld. in *Sphær. Philos. cap.* 24.

Dic mihi quid quæso toto iam regnat in orbe,
Dic tribus hoc verbis literulisque tribus?
Non verbis tribus, ast vna respondeo voce
IVS, vel transpositis VIS male literulis.
IVS & VIS apices paruo discrimine distant,
Ius nec mundus habet, Vim quia semper habet.

Potentiores enim possessionem apprehendunt, pecuniam in Aduocatos conferunt, qui lites pauperum euertunt, secundum illud Habacuc cap. 1. v. 3. *Vt quid ostendis mihi iniquitatem? est qui litem & contentionem contra me suscipiat.*

TH. Non est id, æuo hoc nostro, nouum; conqueritur ipse D. Iacobus Apostolus suo etiam æuo, præposteram hanc Iurium deflexionem, quam quidem imputat iis cumprimis, qui iuri dicundo præsunt: *Nam* (inquit *cap. 2.*) *si in cœtum vestrum ingrediatur vir aureum gestans annulum veste splendida; ingrediatur autem & pauper cum sordida veste; & respexeritis ad eum qui vestem gestat splendidam, & dixeritis ei: Tu sede hic pulchre: pauperi vero dicatis, Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum: Nonne discrimen feceritis apud vos, & facti fueritis iudices peruerse deliberantes.* Adeoque Ius (vt inquit Mag. Pegel. *in thes. rer. p. 30.*) quod Germanis rectum sonat, minime rectum vel breuissimum, sed vbique & per omnia curuum, perplexum & litigiosis labyrinthis inuolutum; hinc importunæ illæ atque inconsultæ quorundam voces, quas allegat Ventura de Valentiis in suo *Parthenio litigioso*, Spiræ lites spirare, nunquam expirare: litigantes diu sperare, nunquam adspirare. Nonnulli impudentius maculam aspergendo vocant: Der Reichen Trug/der Juristen Nutz. Der Fürsten Spott/ der Armen Todt/ maxime propter litium diuturnitatem, quod lites hoc no-

ſtro ſeculo non modo hominum plerumque, ſed fere & viuaces cornicularum & ceruorum ætates ſuperent.

PH. Iuſtus Springerus *de pace relig. cap.* 14. *p.* 151. querelam memoratu dignam recenſet cuiuſdam Comitis Ortenburgici, qui in termino deputationis Wormatienſis petiit per viſcera miſericordiæ diuinæ, vnd vmb deß jüngſten Gerichts willen / ius & iuſtitiam ſibi adminiſtrari. Sed de his alibi alius erit dicendi locus.

EQ. Sane noſtra hac tempeſtate, quando duces quidam in militia, legibus ordinariis in vitam aliquorum animaduertere non poſſunt, confeſtim ad legum militarium ſubſidium confugiunt, allegantes, ſe poſſe iure militari, etiam incognita cauſa, homines internecioni dare; hinc adeo fit, vt non tantum ſupremi exercituum duces, ſed centuriones quoq; ſimileſve miniſtri ſæpe in milites contemptis legibus deſæuiant; Sed num iuſte id fiat, minime dixerim. Certe ipſe Galba Rom. Imperator eo nomine à Plutarcho vituperatur, quod Ciconium Varronem & Petronium Turpilianum, *inauditos atque indefenſos, tanquam innocentes* damnauerit. *Iurium militarium prætextus.*

PH. Sapienter Tiberius Cæſar cenſuit, non vtendum imperio, vbi legibus agi poſſet; quod Philopæmenem, qui Achæorum prætor tunc temporis fuit, probe obſeruaſſe, Liuius ſcribit. Is enim quoſdam, quos mortuos maximopere cupiebat, à multitudine contra eos furente ſummo ſtudio liberauit, *non quia ſaluos vellet, ſed quia perire indicta cauſa nolebat.*

EQ. Inſignis eſt clementiæ regiæ commonefactio, quam Poeta quidam hoc carmine exprimit:

Intendit ſenſim fidicen, vel tenſa remittit;
Nec temere abſcindit diſſona fila lyræ.
Conſulat hoc ſpeculum Rex æquo ſæuior, atque
Parce vti diſcat viribus inde ſuis.

Fuit hoc nomine Alexander Magnus admodum inſignis. Verbi gratia, Extincto Dario anni aliquot conſumti ſunt in expeditione Indica, in qua primum peruenit ad Taxilen, qui regnum habuit non minus Ægypto, & vbertate agrorum eximium. Is Alexandri fortunæ cedens, ad eum vltro acceſſit, inquiens, nihil opus eſſe bello, malle ſe beneficiis certare. Si ſit potentior, ſe daturum eſſe munera Alexandro. Si inferior, ſe gratum fore, ſi beneficia ab ipſo acceperit. Alexander aduerſus vltro cedentem nihil hoſtile faciendum eſſe cenſuit, dedit & accepit regia dona, & regnum eum tenere iuſſit. *Clementia Alexandri Magni.*

Deinde cum Poro rege Indorum bellum geſtum eſt. Nam is dimicare cum Alexandri exercitu auſus erat. Sed cum captus eſſet, interrogat eum Alexander, quomodo captum tractare conueniat? Reſpondit ille: βασιλικῶς. Cumque interrogaret Alexander, an præterea aliquid peteret, reſpondit Porus, omnia ſe complexum eſſe, cum dixerit βασιλικῶς. Oſtendit igitur Alexander,

Clemen-

Clementiam præcipue Regiam esse, nec vitam nec regnum ei ademit, tantum pro Rege nominari Satrapam iussit.

Hæc sapienter & clementer facta maxime decebant Regem, ad quem scribens Aristoteles hortatur eum, vt cogitet, Regnum à Deo ipsi datum esse ad beneficiendum generi humano: πρὸς εὐεργεσίαν, οὐ πρὸς ὕβριν.

TH. Chrysost. de compunct. Cord. Beatus Dauid ita erat in potestate positus, tanquam omnibus ipse esset subiectus, & in solio regali erat, vt vinctus in carcere & in purpura quasi in cilitio iacebat cinere conspersus & corde compunctus. Aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo.

EQ. Modestia etiam Alexandri Magni ingens testimonium est, quod cum Darij coniugem, filios & filias cepisset, curauit vt regio more alerentur, & nulla contumelia afficerentur. Quod Persicus nuncius narrans Dario, his eum verbis ornat: Alexandrum & in præliis acerrimum, & in victoria clementem esse, δεινὸν μαχέσασθαι, χρηστὸν δὲ κρατήσαντα.

Modestia Alexandri Magni.

PH. Venustum admodum modestiæ exemplum præbuit aliquando Gratianus Imperator Rom. cum mulierem stulte importunam lepide ablegaret. Accessit illa ad Imperatorem, & de marito questa est, & aspera multa dixit. Ille placide, Quid hoc ad me mulier? At enim, subiecit mulier, etiam in te male animatus est, & loquitur. Ille iterum: Quid hoc ad te mulier? & confusam irrisamque sic dimisit.

EQ. De Caroli V. modestia extat hoc simile: Quemadmodum pomorum iucundus est non gustatus solum, sed odoratus etiam, & aspectus, quanquam in hostico reperiantur; ita huius Cæsaris vultus, & æquitas, & iustitia: quia lenitas, bonitasque viri vndiquaque perlucebat, & collustrabatur, iucunda non gustatu solum, sed odoratu etiam, & aspectu videbatur. Sic vt sæpius hic Cæsar ab hostibus, quam alij Principes ab amicis & ciuibus suis fuerit laudatus. Eiusque rei vna magna res documento, & testimonio esse potest, quod Solymannus magnus Turcarum Dominus, cum ad eum perfugisset quidam ex Dynastis, interrogare non dubitarit ex illo, cur ab obsequio Cæsaris diuertisset, & ad eum perfugisset. Qui cum dixisset, tribus id se potissimum de causis factitasse, quarum vna ad auaritiam, altera ad libidinem, tertia ad iniuriam, siue iniustitiam, aut saltem horum vitiorum suspicionem Cæsari aspergendam pertinebat. Respondit Solymannus nullam causam harum rerum sibi posse ab eo persuaderi. Nimis enim diu percunctando, indagando, disquirendo, cognitam & perceptam se habere Cæsaris vitam, vt horum flagitiorum labes, in tam sancte, & pie leges, ceremoniasque Dei, & Maiorum suorum custodientis pectus, adhærescere nequiret. Ac porro illum à conspectu suo remoueri iussit. Ac postea etiam odiis, & proscriptionibus eum est persecutus, dum ex tota Turcia exturbatus, alio sese reciperet, ibique seruaret.

PH. Caute tamen admodum cum iis penes quos potestas est conuersandum. Hinc Diogenes interrogatus, quomodo quis viuere debeat sub potestate? Perinde atq; igni vtendum esse dicebat: neq; nimis prope accedendum, ne exuraris: neque nimis procul, ne rigeas.

EQ. Piget exequi, (inquit Petrarcha, *Dial. 91. de potentia*) qui potentes breui ad impotentiam, seu qui reges ad infamiæ seruitium sunt redacti. Vepricosi & lubrici sunt humanorum gradus ascensuum, tremulus vertex, præcipitium horrendum, ægre conscenditur ad eminentem statum, anxie ibi consistitur, grauiter inde & repente descenditur; id sic esse, non singuli tantum reges aut populi, sed maxima etiam testantur imperia. Hæc Petrarcha. *Potentum præcipitia.*

TH. Chrysost. super Matth. Semper, inquit, grandis potestas maiori timori subiecta est, sicut ramum arborum in excelso positarum etiamsi leuis aura flauerit, mouet; sic & sublimes in culmine dignitatum existentes, etiam leuis nuncij fama conturbat: humiles autem sunt in conualle, plurimumque in tranquillitate.

PH. Quid tumes (inquit Petrarcha *Dial. 91. de potentia*) imbecillum animal? de potentia disputas, de anima interim periclitaris, quam dicto citius vel naturæ vis occultior, vel exigui morsus animantis, vel extremi contemptissimique homines sæpe potentissimis abstulere. Vt enim (inquit Plutarchus) qui obtuso fræno conatur equum domare, excutitur, equo contemnente frænum: Sic qui populum vincere conatur, non satis instructus potentia, ab imperio deturbatur. *Plut.* Hinc recte Cotys, Thebanis gloriantibus, quod Lacedæmoniis imperarent: Vidi, inquit, torrentes perennibus fluuiis maiores factos, sed ad breue tempus,

Desinat elatis quisquam confidere rebus:
Instabilesque Deos aut lubrica Numina discat.
Illa manus quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cuius se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas inhumata diu, miseroque repulsa
Corpore feralem quæstum post fata poposcit.

EQ. Allegabo huiusce potestatis momentaneæ vnicum exemplum ex Iosepho Antiq. *Iud. lib. 19. cap. 1.* illud nimirum de Caio Cæsare, qui non in solos Iudæos, Hierosolymis & in vicinis regionibus degentes debacchatus est, sed terra marique, quam late Romanum patet imperium, quod maioribus repleuit calamitatibus, quam quæ vnquam veterum monumentis sunt proditæ. Sed maxime Roma ipsa eius sæuitiam experta est, nihilo hac in parte meliori conditione, quam vrbes cæteræ, præsertim senatores ac patricij cæteraque Nobilitas: innumerisque iniuriis vexabantur, qui vocantur. Equites, opibus & dignitate senatoribus proximi, vtpote ex quorum ordine, senato- *Caij Cæs. interitus.*

rum habebatur delectus, hi enim ignominiis afficiebantur, & exiliis cædibusque & confiscationibus; si vero pro Deo gerebat, nō contentus humanis honoribus cœli à subditis, Iouemq; Capitolij præsidem appellatione fratris salutare ausus est. Aliis quoque operibus suam declarauit insaniam, quæ prolixe oratione persequi, longum nimis foret. Eo denique insaniæ prouectus est, vt natam sibi filiam in Capitolium delatam, in simulacri genua deponeret, quasi communem sibi cum Ioue prolem, in medio se relinquere dicens iudicium, vtra maiore parente sit genita. atque hæc agentem tolerabant tamen homines. Permisit etiam seruis licentiam deferendi suos dominos qualicunque crimine: quod eo grauius erat, quia ex ipsius Cæsaris autoritate, & in eius gratiam gerebantur omnia: adeo vt Claudium ausus sit Pollux mancipium ipsius reum facere: & Caius sustinuit inter iudices audire patruum dicentem causam capitis, sperans sumpturum se de illo supplicium: quod tamen ei non licuit. Itaque cum totum suæ ditionis orbem repleffet sycophantiis, & seruos erexisset contra dominos, passim illi tendebantur insidiæ, aliis ira stimulante ad vindictam acceptæ iniuriæ; aliis ipsius cæde imminentem sibi perniciem præcauere volentibus. Quapropter libet mihi accurate denarrare totum negotium, vel ideo vt argumentum sit diuinæ potentiæ, quod & in aduersis soletur homines, & modestiæ fortunatos admoneat, ne opinione diuturnæ felicitatis falsi, neglecta virtute in perpetuam corruant miseriam. Tres in illius necem conspirationes factæ sunt, quarum singulæ autores habebant viros fortissimos. nam Æmilius Regulus à Corduba Hispaniæ ciuitate oriundus manum coniuratorum circa se habebat, quorum opera illum tolleret. alterius Cassius Chærea tribunus erat caput. Annius quoque Minucianus non paucos ad opprimendum tyrannum concitaverat. His Caius inuisus erat. Regulo quidem quod is natura omnem iniquitatem oderat. erat enim magnanimus, & liberali ingenio præditus, ita vt non dissimularet sua consilia: quæ cum multis communicauit, vel amicis. vel alioqui viris strenuis. Minucianus vero partim Lepidum vlciscendi cupidine, quem illi amicissimum & ciuem cum primis egregium Caius occiderat: partim metu, quod videret eius odia semper esse exc. sis capitalia, decreuit illum ferro inuadere. Chæreas non ferebat exprobratam sibi à Caio mollitiem, & alioqui quotidiana pericula quibus propter familiaritatem eius erat expositus, optime se putabat nece ipsius euasurum. Commune autem omnium illorum erat propositum, superbæ ac impotenti eius dominationi finem imponere. spes enim erat successurum negotium, & re bene gesta seruandam ope sua rempublicam, cuius saluti honestum esse vel vitam impendere. Sed Chæreas fuit feruentior cæteris, tum cupiditate parandi sibi clari nominis, tum quod propter tribunatum faciliorem accessum habebat ad perpetrandum facinus.

interim

interim Circenses ludi agebantur, quibus impendio delectatur Romanus populus, & alacriter in circum concurrens, quicquid desiderat ab imperatoribus flagitat, & illi postulatis eius perlibenter indulgent. tum quoque contentione magna rogabant, vt tributorum ac vectigalium releuaret onera. ille non ferens eorum vociferationes, dimissis militibus iubet clamatores illos passim correptos duci ad supplicium: multique hoc pacto capite plexi sunt. idque tulit populus, & cessauit à clamoribus, exemplo doctus maiorem vitæ rationem habendam quam pecuniæ, quod viderent pro importuno eius studio multis repræsentatum interitum. Hæc magis etiam Chæream incitauerunt ad aggrediendum facinus, & compescendam immanem Caij ferociam. Et sæpe quidem epulantem inuadere decreuerat, certis tamen rationibus id distulit: non quod dubius esset propositi, sed quia captabatur occasio commodior, vt non irrito conatu rem ad effectum deduceret. iam autem non modicum tempus exegerat in prætoriana militia. tum vero exactionibus præpositus, & debitis in fiscum redigendis, quorum quædam dilatione solutionis conduplicata fuerant: dum in exigendo terit tempus, & afflictæ fortunæ hominum miseratione exsequitur mandata negligentius, conciuit in se iram Cæsaris, non sine probro effœminati ac segnis animi, nec hoc contentus, quoties ille redeuntibus vicibus signum à se peteret, fœmineum aliquod & probrosum dabat vocabulum. atq; hæc faciebat, cum ipsum non puderet in quibusdam à se institutis sacris vti amictu muliebri, cincinnisque & alio ornatu quo sexum mentiretur: & post hæc audebat exprobrare Chæreæ turpitudinem, qui & quoties talia signa acciperet ferebat indignissime, & magis etiam cum rideretur tradens ea militibus, esserq; cæteris tribunis ludibrio. nam allaturo eo signum à Cæsare, prædicebant fore vt afferret tale aliquod ludicrum. quapropter ausus est sibi aliquot adsciscere, iustam iræ causam præferens. in his erat Popedius vir ordinis senatorij, omnibus fere per functus honoribus, alioquin Epicureus & tum sectator ocij. hûc detulerat inimicus eius Timidius, quod in Caium iecisset conuicia: & testem adhibebat Quintiliam mimam, propter formam adamatam cum aliis multis tum Popedio. quæ cum nollet amatorem suum falso, vt erat, testimonio grauare in causa capitis, Timidius vrgebat tormentis eam subiici, Tum Caius exasperatus Chæream iubet sine mora torquere Quintiliam, ideo potissimum ei solitus cædes & quæstiones iniungere, ꝙ putaret hæc executurum inclementius, quo mollitiæ notam effugeret. Quintilia porro cum torquenda duceretur, consciorum cuiusdam obiter pedem calcauit, innuens vt bono esset animo, neue ad tormenta ipsi⁹ expauesceret: se.n.ea perlaturam obfirmato animo. itaq; crudeliter eam examinauit Chærea, non sponte, sed necessitate coactus. cûq; illa perduraret, duxit eam in Caij conspectû, affectâ modis miserabilibus. Cuius miseratione

indigne laceratæ imperator nonnihil flexus, Popedium absoluit, & pecuniis solatus est mulieris calamitatem, quam fortiter æque ac feliciter tolerauerat. Id vero indignissime tulit Chærea, sic traduci putans suam sæuitiam, quasi tam immodicam, vt ipsum Caium remedium eius adhibere oporteat. quamobrem sic Clementem & Papinium alloquitur, quorum hic & ipse tribunus erat, ille præfectus vrbanarum cohortium. Nos quidem Clemens in tuendo imperatore nunquam officio nostro defuimus. nam nostra opera & industria coniuratorum alij necati sunt, alij tormentis in tantum lacerati, vt ipsi visi sint miserabiles. Sed hæccine sunt nostræ militiæ munia: Tacente ad hæc Clemente, sed vultus rubore pudorem fatente ministeriorum talium, cæterum verbis non auso sugillare insaniam Cæsaris, Chærea iam confidentius commemorare cœpit calamitates vrbis & imperij. harum, inquit, causa vulgi sermonibus in Caium refertur: sed si rei disquiratur veritas, ego mi Clemens, & hic Papinius, & ante nos tu Romanis, imo toti humano generi horum malorum causa sumus, qui mandata eius exsequimur: & cum finem imponere possimus eius tum in ciues, tum in reliquos subditos debacchationibus, per tam fœda ministeria facti sumus ex militibus satellites ac carnifices, non pro libertate Romanorum, aut imperio gestantes arma, sed pro eius incolumitate, qui eorum tam animos, quam corpora, in seruitutem redigit, contaminantesque nos quotidie cruore cæsorum & atrocissimis quæstionibus, donec ipsius iussu ab aliis pari modo tractabimur, non enim hoc modo cariores ei reddimur, sed suspectiores potius. & alioqui assuetus cædibus, quas libidine moderatur, non iudicio, nequaquam conquiescet prius quam nos quoque cæteris adiiciat: nimirum iam destinatos exitio, nisi mature prospicimus & commmuni libertati, & nostrismet periculis. Clemens autem etsi approbaret Chæreæ sententiam, tacere tamen eum iussit, ne sparsis in plures his sermonibus, & euulgato ante effectum consilio, raperentur ad supplicium. exspectandam esse optabilem occasionem fortuito alicunde offerendam. sibi quidem ob ingrauescentem iam ætatem non satis esse animi: & habere se tutiora consilia: nam honestiora ne cogitari quidem posse. His dictis Clemens domum se recepit, secum agitans, quæ audierat, quæque ipse dixerat. Chæreas autem nonnihil timere incipiens, ad Cornelium Sabinum & ipsum tribunum properat, quem virum quod non contemnendum nosset libertatisque amatorem eximium, & ferentem ægre præsentem statum reipublicæ, expeditum aliquod ab eo expectans consilium, decreuit ei rem proponere, sollicitus etiam ne per Clementem res proderetur, & omnem moram periculosam existimans in tanto negotio. hunc postquam libenter id accipere intellexit, vt qui iam ante pari modo animatus, ideo tantum hactenus siluerat, quod cum nemine auderet communicare suam sententiam: tunc vero opem etiam polliceri nō modo silentium, magis etiam confirmatus est in propo-

proposito, itaque rati non amplius cunctandum, ambo ad Minucianum se conferunt, magnitudine animi ipsis similem, & eodem accensum virtutis studio, Caio vero suspectum propter necem Lepidi hominis Minuciano coniunctissimi, & insuper communi obnoxium periculo, omnibus enim honoratis Caius erat terribilis, præ cæteris in tales sæuire solitus: & iam ante significationem aliquam inter se dederant, quæ tum agebantur iniquo se ferre animo, quamuis enim metus periculi non sineret eos manifeste proferre odium, quo Caium prosequerentur, tamen occultus quidam eius rei sensus mutuam inter illos beneuolentiam conciliauerat. Et quoniam Minucianus dignitate præstabat, homo cum primis ciuium nobilis, omnemque laudem meritus, soliti etiam antea plurimum illi deferre, in eo quoque congressu postulabant, vt ipse initium sermonum faceret, ille rogauit Chæream, quodnam signum ea die ab imperatore accepisset. vulgatum enim erat per vrbem, quomodo ei soleret dandis signis illudere. ibi Chæreas, cupide arrepta occasione fretus Minuciani fide, at tu mihi, inquit libertatem signum da: cui gratias habeo, quod me vltro properantem excitas, neque mihi ampliori adhortatione opus est, siquidem tibi quoque idem placere video & priusquam conueniremus iam ante consensimus. gladius hic quo accinctus sum, ambobus sufficiet, quare age aggrediamur opus te autore, equidem volens ac libens sequar quocunque iusseris, adiutus tua prudentia, nec te debet tardare ferri inopia, dum animus tanto facinore dignus superest, à quo etiam ferrum solet efficaciam sumere. ipse certe totus feror in hoc negocium securus quid mihi post eueniat: quandoquidem nec libet nec vacat de me priuatim despicere in publica seruitute patriæ, sublatis legibus, & omnibus imminente à Caio pernicie, & dignus sum opinor, vel de iudice cui credatur hoc ministerium, quando & tibi eadem probari video. Tum Minucianus sic animatum sentiens, complexus hominem collaudatum hortatus est, vt pergeret, apprecatus vt superi conatus eius ratos habeant: atque ita mutuum confirmati diuersi abeunt. Ferunt hoc consilium quodam omine fuisse firmatum. Nam ingrediente curiam Chærea, vox cuiusdam è turba audita est iubens eum Diis iuuantibus destinata perficere. & primo suspicatus est rem ab aliquo è coniuratis proditam: deinde intellexit incitari se, aut à quopiam conscio, aut voce Dei, cui curæ sunt res mortalium. iamque multi participes insidiarum armati aderant & senatores & equites, simulque militum quotquot erant conscij. nemo enim erat, qui non putaret necem Caij pertinere ad salutem publicam, & ideo pro se quisq; dabant operam, ne quis in hoc facinore cæteris virtute cederet, cunctis tam verbis quam opere in exitium tyranni conspirantibus. Nam & Callistus his se adiunxit Caij libertus: qui vnus plurimum apud eum poterat, socius quodammodo tyrannidis, & formidatus omnibus, abundansque pecuniis quas ex munerum corruptelis parauerat: vtebaturque


immodice hac potentia, suspectum nihilominus habens principem, cuius ingenium norat implacabile, & in semel destinatis pertinax. ipsi autem inter alias periculi causas hæc erat non postrema, quod esset pecuniosus nimium. quare ad Claudium clam desciscebat, colens eum, quod speraret successurum in imperium, & iam tum obsequiis captans eius gratiam, quo tandem apud illum quoque esset in precio. nam & iactauit apud eum, iussum se, vt veneno ipsum tolleret, & hactenus semper commentum differendi causas innumeras. Videtur autem mihi hoc finxisse in gratiam Claudij. nec enim ille si patruum necare voluisset, tulisset excusationes Callisti: & liberto cessanti imperata facere mox repræsentatum fuisset meritum præmium. Claudius tamen qui diuino quodam fauore Caij furorem euasit, gratiam Callisto persuasus habuit pro nunquam accepto beneficio. Cæterum Chæreæ conatus differebantur indicis consciorum quorundam segnicie. nam ipse inuitus cunctabatur, omne tempus par ando huic facinori opportunum iudicans, etenim aggrediendi ascendentem in Capitolium ad mactandas pro filiæ salute victimas sæpe dabatur occasio: vel præcipitandi in forum è fastigio basilicæ, nummos inde aureos & argenteos spargentem populo: vel opprimendi celebrantem arcana sacra quę ipse instituerat. nam ipse Caius incautus erat propter securitatem, licet versaretur inter continue præparatos ad insidias. Itaq; inter suos iactabat Chærea, si putarent illum à diis seruari, sibi vni & animum esse & facultatem vel absq; ferro conficiendi hominem: adeo infensus erat coniuratis, timens ne elaberetur occasio. at illi videbant quidem eum pro communi libertate solicitum, postulabāt tamen paulisper differri negotium, ne, si parum succederet, turbaretur tota ciuitas, & factis inquisitionibus præcluderetur viris fortibus ad opprimendum tyrannum aditus. satius igitur esse dum ludi aguntur in palatio adoriri facinus. hi celebrantur in honorem Cæsaris, qui primus dominationem à populo in se transtulit, & exstructa ante regem scena, conueniunt eo spectatum Romanorum nobiles vna cum vxoribus ac liberis, præsente etiam Principe. ibi conclusis tam multis millibus intra modicum spacium, conatum facile successurum, non valentibus etiamsi velint succurrere protectoribus domesticis. Assensit Chæreas, decretumque est primo ludorum die rem aggredi: sed plus fortuna potuit quam consilium, ita vt vix tertio statuta peregerint, qui fuit ludorum dies vltimus. tum Chæreas sociis conuocatis: multum inquit, elapsum est temporis quod nobis segnitiem exprobrat in honestis consiliis: quæ verendum est ne prodita in nihilum recidant, & Caius exasperatus magis etiam sæuiat. An non videtis quod ad hunc modum nihil aliud fit quam libertatis detrimentum & tyrannidis accessio? cum debeamus nobis primum securitatem parare, deinde aliis perpetuam felicitatem, vnde ad nos & gloria maxima reditura sit. illis vero tam honesto proposito non contradicentibus, cunctantibus tamen adhuc

huc & per stuporem silentibus: quid,inquit,boni viri differimus? an nescitis hunc esse spectaculorum diem vltimum, post quæ peracta Caium esse nauigaturum? Decreuit enim nauigare Alexandriam Ægypti visendæ gratia. pulcrum vero fuerit, si emittam⁹ è manibus hoc propudium hominis, terra,mariq; triumphaturum de Romanorum ignauia. an non ignominiosum sit nos Ægyptio cuipiam libertatem oppressam non ferenti hanc gloriam cedere? ego certe delibera iones vestras non expectabo amplius, sed periculum faciam hodie,ita vt fortem virum decet,quicquid fors ferat libentius perpessurus,quam vt me viuo alius laudem tyrannicidæ occupet. his dictis & seipsum accendit,& cæteris animum addidit,vt omnes sine dilatione rem aggredi cuperent: moxq; palatium armatus gladio petiit,quod ita mos sit accinctos tribunos signum ab imperatore petere,& forte ea die vices petendi ad ipsum redierunt. Et iam confluebat multitudo ad palatium, magno tumultu se inuicem pertrudendo, dum quisq; locum spectandi præcipere nititur.magna voluptate hanc contentionem spectante Caio: quod nec senatoribus assignata essent loca nec equitibus,sed promiscue sedebant viri cum mulieribus,& serui confusi cum ingenuis,progressus deinde imperator rem diuinam fecit Augusto Cæsari, ad cuius tum honorem ludi celebrabantur: & cadente victima contigit respergi cruore togam Asprenatis vnius è senatorum numero,quod ominosum ei fuit,licet tum risu exceptum à Cæsare. nam & ipse in eo tumultu occisus est. Fertur Caium ea die præter naturam suam fuisse affabilem, ita vt insueta comitate omnib. fuerit miraculo.Peracto sacro consedit inter amicos in theatro,quod compactile instaurabatur per singulos annos hoc modo. duas habebat ianuas,alteram versus subdiualem aream,alteram versus porticum, per quam actores ingrediebantur & egrediebantur, non turbato spectatorum consessu: qua parte erat cella quædam tabulatis intersepta, vbi mimi versabantur & Musici. cumque iam & multitudo cætera sederet, & Chærea cum reliquis tribunis non procul à Cæsare, qui dextrum theatri cornu tenebat: Batibius vir prætorius submissa voce rogauit assidentem sibi Cluuitum consularem,ecquid noui audisset. quo negante,ergo,inquit,scito instare hodie certamen tyrannicidij,tum Cluuitus,tace,inquit,bone vir,ne quis hæc Achiuorum exaudiat: alludens Homerico carmine. sparsis deinde in spectatores missilibus,q̃ pomis constabant & auibus propter raritatem gratis,Caius delectabatur diripiente hæc certatim populo: moxq; duo quædam ominosa secuta sunt. Nam mimus inductus est, in quo iudex deprehensus in crucem suffigitur: & fabula acta est Cynera, in qua & ipse & eius filia Mirra occiditur: multumq; fictitij cruoris fusum est tam circa crucifixum, quam circa Cyneram. quin & eundẽ diem fuisse aiunt, quo olim Philippus Amyntæ filius Rex Macedonũ ab amico Pausania cæsus est dum theatrum introgreditur. Cæterum Caio dubitãte,permaneret ne vsq; finem spectaculi, præsertim cum dies

esset vltimus: an lotus & cibo sumpto reuerteretur, vt erat solitus: Minucianus supra Caium assidens, veritus ne periret occasio, iam enim Chæream egressum viderat, surrexit iturus ad confirmandum hominem. eum imperator comiter apprehendens lacinia, quo nam, inquit, bone vir? quem ille reueritus sedit denuo, sed vicit timor: & paulo post rursum surrexit: Caio non amplius retinente, quod eum putaret abire ad aliquid necessarium. Tum Asprenas etiam hortatus est Cæsarem, vt more solito lotus & pransus tum demum reuerteretur. cupiebat enim, vt conscius quod statutum erat peragi. Et iam Chærea coniuratos disposuerat, vt suo quisq; loco nauaret operam: ægreq; moras ferebant, quod iam esset hora nona diei: & Chæreas volebat in theatrum reuerti, atq; in sedentem irruere. quamuis enim intelligeret id sine multa equitum qui aderant ac senatorum cæde non posse fieri, existimabat tamen eam bene rependi libertate publica, iamq; tendebat in theatrum, cum subito strepitu significatur surrexisse Cæsarem. Tum coniurati turbam dimouent, quasi Caio hoc volente: re autem vera captantes solitudinem quo facilius possent cædem perficere. præcedebant autem eum Claudius patruus, & M. Minucianus sororis eius maritus, & Valerius Asiaticus, quos dimoueri vetabat sua dignitas. eos ipse sequebatur cum Paulo Aruntio. mox vbi regiam ingressi sunt, relicta recta via per quam eum præstolabantur seruorum ministeria, & qua Claudius cum aliis præcesserat, deflexit ad infrequentem quandam cryptam ducentem ad balineas, pueros etiam eo loco visurus qui venerant ex Asia, partim ad concinnandos hymnos sacrorum domesticorum, partim ad saltandam pyrrichen in theatro. ibi occurrens ei Chæreas signum postulat. & illo probrosum quiddam dante, conuicio simul ac ferro eum adortus ferit grauiter, non tamen lethali vulnere: quod quidem data opera factum putant, vt multis ictibus consauciatus periret cruciabilius: mihi non fit verisimile, quia tale facinus non admittit lenta consilia. quod si hoc animo id fecit Chæreas, videtur mihi fuisse omnium stultissimus, qui maluerit indulgere iracundiæ, quam celeriter se ac suos eximere periculo: maxime quando non deerant qui Caio possent succurrere, nisi quamprimum exhalaret animam. alioqui videbitur se & amicos potius, quam illum affligere voluisse, cum posset re bene gesta clam se vltoribus eius subducere, non perdendo temere tempus, vel seipsum potius. Verum hæc quisque vt libuerit æstimet. Caius porro præ dolore vulneris, quod humerum inter & collum impactum ne vlterius procederet osse iuguli retentum est, neque exclamauit attonitus, neque inuocauit opem amici vllius, siue quod nemini satis fideret, siue præ superbia: gemitu tantum edito, fuga se proripiebat vlterius. quem paratus in hoc Cornelius Sabin⁹ impulit vt in genu procideret: moxq; circumsistentium vna vox erat, repete, atq; ita confecerũt eum illatis certatim crebris ictibus. extremum autem inflixisse fertur Aquila, qui vltimum exitium illi attulit. autor autem facinoris

noris merito Chæreas dicēdus est, quamuis enim adhibuerit socios, omnium tamen primus id concepit animo, & modum perficiendi inuenit, primusque ausus est consilium communicare cum aliis, quod vbi probari sensit, coniuratos in vnum contraxit vsus eximia prudentia, & ad audendum accendit crebris adhortationibus: cumque res operam posceret, hic quoque primus in eum irruit, & sua virtute cædem exorsus: trucidati cadauer proculcandum aliis præbuit. quapropter merito quicquid & à sociis perpetratum est, ipsius prudentiæ, industriæ atque virtuti, acceptum ferendum est. Sic Caius finiit multis confossus vulneribus. Hæc Iosephus, quod quidem prolixe ex Iosepho dixi; Sed hanc prolixitatem ipsa rei magnitudo facile compensat. Nunc ad Aphorisinum VII. dig. ediemur.





APHORISMVS VII.

DIVITIÆ FLVXÆ SVNT ET INSTABILES; thesaurum vero perennem sibi parabit, si beneficentiam erga subditos exercebit Princeps.

7 TERRENARVM opum instabiles diuitiæ fluuiatilium vndarum imitantur cursum. Modicum enim affluunt his, qui habere se eas arbitrantur, mox vero refluentes ad alios accedunt. Solus autem beneficentiæ thesaurus stabilis est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad autores retorquetur.

Τῶν ἐπιγείων χρημάτων ὁ ἄστατος πλοῦτος, τῶν ποταμίων ῥευμάτων μιμεῖται τὸν δρόμον. πρὸς ὀλίγον μὲν ἐπιρρέων τοῖς ἔχειν νομίζουσι. μετ᾽ ὀλίγον δὲ παραρρέων, εἰς ἄλλους ἀπέρχεται. μόνος δὲ τῆς εὐποιΐας ὁ θησαυρὸς, μόνιμός ἐστι τοῖς κεκτημένοις αὐτόν. τῶν γὰρ ἀγαθῶν ἔργων αἱ χάριτες, ἐπὶ τοὺς ποιοῦντας ἐπαναστρέφουσιν.

7 *TERRENARVM rerum fugax & instabilis opulentia, fluuialium aquarum decursum imitatur. Quum enim ad breue tempus iis, qui illam se tenere arbitantur, affluit, paulo post praterfluens ad alios demigrat. Solus autem beneficentia thesaurus constanter suis manet possessoribus. De bonis enim operibus gratia ad auctores suos reuertitur.*

DISCVRSVS.

EQ. Quod hactenus à me factitatum meministis, in præfigendis prosopopæiis, idem nunc quoque vt factitem, operæ pretium est. De diuitiis siue opulentia sermo est in hoc Aphorismo, non admodum tamen honorificus. Opulentia itaque vt se visendam sistat, suumq; splendorem afferat, è re ipsius fortasse futurum. Sic autem Opulentia à peritis artis depingitur.

Opulentia effigies. Sedet pretiosa sella cæcis oculis, quod iustis æque ac iniustis subueniat, & quod exercent plerunq; diuitiæ cor hominis; sceptrum manu tenet, qua potẽtiam opum designat. Quod etiam aureum sertum gemmis interstinctum facit. Sinistra tenet hamũ virgæ infixum, quo significare vult, quo plures habet nummos & diuitias, eo copiosiores intendit congerere, sicut Satyricus ait

Cre-

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Saccos, cistas, pateras deauratas & argenteas circa se habet, pretiosis admodum induta vestibus, sicut prædiuites solent. pedes ponuntur puluinari molli, ad designandum luxum & mollitiem, quem Diuitiæ reddunt. Humeris dum fert alas, & cistulæ ferentes alas, item pateræ & ornamenta catenæ, & huiusmodi, denotant inconstantiam, quod modo ab hoc modo ad alium migrent & volitent, nec quemquam mortis tempore inuent, sed relinquant & auolent ad alios hæredes. Hæc nimirum est opulentia illius, quæ plerumque ad malum inclinat, infelicesque parturit filias, idea atque effigies.

TH. Infelices, recte omnino dicis, parturit filias, quarum primogenita eaque admodum falax, est arrogantia; & quæ de Impietate illa, quã antiquitus nupsisse Diabolo ferũt Apologici, idẽ de opulẽtia abusiua illa omnino dici posse statuerim. Audite vero Apologum, quẽ innuo; est n. scitu omnino dignissim⁹.

Quodam tempore Diabolo in mentem venit, vt vxorem duceret idque dũ animo volueret, incredibili amore prosecutus est impietatem, adeo vt ipsam, haud diutius ambiendo, sibi deuinx. rit: ex qua ẽt, fœcundo existẽte matrimonio, septẽ puellas progenuit, Posteaquã a. maturæ videbantur & nubiles esse: cogitauit pater eas elocare hominib. quia volebat hoc pacto illorũ amicitiam sibi conciliare. Proinde natu maximã, *Arrogantiam* potentib. in mundo diuitiisq; affl. ien:ib. & qui nobilitate generis, aut illustri quodã munere, vel autoritate reliquis antecellerẽt, copulauit. Iuniorem a. *Auaritiam*, mercatorib. atq; circa rerũ solemniores cõmutationes occupatis, adiunxit. Tertiam inde, *Fallaciam*, plebeiis passimq; diffusis in principum ditionib. rusticis, operariis & mercenariis adiudicauit. Quartã vero, *Inuidiam*, opificib. & gregarias artes exercentib. exposuit. Quintam, omnium optime moratã, *Hypocrisin*, & egregie insinuantem sese meretriculã, sacerdotib. & qui sanctitatis nomine vulgo cõspicui essent elocauit. Sextamq; *Superbiam* appellatam, muliebri sexui addicauit. De septima a. quæ *Scortatio* dicebatur, hoc consilium cepit: velle se ipsam, nulli quidem propriam, omnibus vero communem in familia sua retinere, vt si quando cuidam libeat illam conuenire, cogatur eam apud se quærere: qua ratione consultũ esse putabat, quamplurimos amicitiam istam haud quaquã repudiaturos esse: sed imo incredibilem accessum nouorum sodalium fore.

Diaboli uxor eius que filia.

PH. Immoderato illo cumulandarum opum studio, occupatas omnium fere hodie videmus mentes, eosq; nihil magis in votis habere, ac nulli rei plus operæ, studii & curarũ impendere, quam conficiendæ pecuniæ & augendæ rei familiaris, vt hoc modo contra omnem fortunæ iniuriam, nummis probe muniti, contra vim necessitatis, rebus necessariis instructi, contra inopiam opib. firmi; semper habeant in promptu, quę vsus quotidianus postulat, quoue se contra paupertatis onus grauissimũ tueantur & vnde toga niteat. Quibus maximo labore, curis & periculis adeptis, beatos se & felices esse existimant.

Diuitiarũ insatiabilitas.

Hinc tantos ducere spiritus, se reliquis præferre omnibus, se solos homines esse arbitrari, fæces reliquos & inutilia terræ pondera. *It. q; in multitudine diuitiarum suarum gloriantur inquit Psaltes, & vanitatem locutum est os eorum: Vt nimirum liberi nostri sicut plantula crescentes in iuuentute sua filiæ nostræ sicut anguli ædium perpoliti, ad similitudinem templi: Promptuaria nostra plena, redundantia de victu ad victum. Beatum dixere populum cui hæc sunt. Psal. 39. 144. Iob. 21.*

Eodem plane modo, DIVES Lucæ 12. iactat diuitem agrorum suorum prouentum, copiosamq; segetis vbertatem, & solicitis digitis rationem secum init, collocandarum opum, vtendique rebus præsentibus: destructurum se pollicetur horrea antiqua, rursumq; noua & ampliora ædificaturum: deniq; dicturum animæ suæ, Lætare anima mea, & deme supercilio nubem, &c.

TH. Exempla ex Biblijs notiora sunt, quam vt prolixiore illorum allegatione sit opus. Et prophanis itaque allegabo historias. Darii temporibus, in eas delitias prolapsos fuisse Persarum reges historiæ testantur, vt ad caput cubilis Regii conclaue constructum fuerit, in quo semper essent condita talenta auri quinque millia: & hoc Ceruical regium appellatum. Ad pedes aliud conclaue excitatum erat, in quo tria millia argenti talenta semper recondita fuere. Idque Scamnum suppedaneum regis dictum. In ipso autem cubiculo Regio vitem auream gemmis pretiosissimis locupletatam, & instar pergulæ, Regio cubili obtensam, racemos protulisse lapillis pretiosissimis distinctos. Nec procul ab eo collocatum craterem aureum, Theodori Samij opificio nobilē: quinq; millia auri talentum, non minus millibus quinquaginta argenti valuisse, quæ trecenties contenis millibus coronatorum æstimantur. *Tanti Persarum Reges ceruicem suam inclinandam esse censuerunt & inprimis Darius ille, quem tertio iam prælio atque etiam bello victum amicorum ingratiss. mis aureis compedibus vinctum, cum aliquando traxissent, ad extremum equum conscendere negātem, nefario scelere trucidarunt: Hoc sibi Fortuna ludibrium extremum, ex tanta superbia comparante, vt qui tanti caput suum recumbere, & pedes subnixi voluerit, tanti etiam manibus pedibusque vinciretur. Sic fert humana conditio, vt cum fastigium suum longe supergressa sit, concidat. Quod vtinam Reges satis animaduerterent animaduersumque meminissent.*

PH. SARDANAPALI Assyriorum Regis nouissimi, ingentes fuisse opes, memoria proditum est. Qui cum Arbaci Medo obsidenti se inuidisset; incensa Pyra, qua se vna cum vxore & pellicibus auroq; omni, cuius summa ad centies centena millia, & decies tantundem argenti supputata est, condidisset, Vulcano consecrauit.

EQ. Quantam auri vim possederit ALEXANDER M. qui omnes Persicas opes suis adiunxerat, exprimit Hermolaus in Inuectiua sua, notans auaritiam eius: Quod triginta mulorum millia non suffecerint portandis thesauris ipsius.

PH. Cro-

PH. Cromerus testatur, Iohannem Muschouiæ Ducem Anno 1470. occupata Nouogardia, ex Atchiepiscopi ærario, trecentis curribus aurum duntaxat argentum & gemmas euexisse, reliquam qui supellectilem asportarent innumerabilibus.

EQ. De Turcici Imperii prouentu solido, scribit Iouius in vita Soliman: quod æquet summam sexagies centenorum millium aureorum quotannis, ex quibus Imperator ad constituendum Imperium, expendat singulis annis, quinquies & quadragies centena millia. Belli tempore & quauis vel minima census summa, innumerabiles pecunias corradere, adeo vt, quod ad ærarium, in bellis plus lucretur quam effundat. Præterea plus Gemmarum & Thesaurorum solum possidere censet, quam cæteros omnes in orbe principes simul possideant.

TH. Quid vero exinde lucri? Magnam præbent diuitiæ possessoribus occasionem peccandi, suumq; herum in fœdissima flagitia & peccata agunt præcipites. Magnum enim esse, vt ait Seneca *diuitiarum contubernio non corrumpi, & affluentibus diuitiis vitiorum vomitibus, animum seruare inconcussum.* Opulenti, tenuioris fortunæ homines, quasi ex alto despiciunt, premunt, exugunt. Magna profecto impietas est, alienis bonis inhiare, alieno incommodo ditescere. Diuites plerique quiduis sibi licere putant, multis erroribus, fœdis libidinibus, impuris carnis operibus, inquinantur, conscientiis vulnera infligunt, & interitum sibi accersunt, quæ vt pauperes non perpetrent, egestas non sinit. Vnde filius Dei: *Difficile est,* inquit, *diuites intrare in regnum cælorum.*

EQ. Mammon Deus cæcus pingitur, quod cæcos plerunque efficit, quos imperio suo subiectos, vesana auri cupiditate accendit. Hac excæcatus animus & præoccupatus colligendarum opum studio, in magna amplaque fortunæ leuitate cæcutit, & vitam degit cæcis Ethnicis peiorem: alienus est ab omni pietate in Deum, charitate & commiseratione in egenum; neq; Deum, neque proximum, neque seipsum agnoscit & considerat. Itaque iniuriis in omnes, vel à *mortuo tributum exigeret. Dolium inexplebile*, nulla pietatis, Iustitiæ & æquitatis habita ratione; *lucrum pudori anteponit, & ex qualibet re odorem lucri bonum efficit.* Optatque funditus interire omnes homines, ipse solus vt ditescat, & veluti numen quoddam cælo delapsum, ab omnibus adoretur.

TH. Neque tamen, quod pollicentur, Diuitem diuitiæ quenquam faciūt: Imo contra nulli non maiorem sui cupiditatem incutiunt, eosq; tanto magis inopes & sui indigentes efficiunt, quo maiori pecuniarum auctu felices sunt. *Vt cum possideant plurima plura petant. Et quo plus sint pota plus sitiantur aquæ.*

PH. Recte itaque Seneca: *Congeratur in te, quicquid omnes locupletes possederunt. Vltra priuatum pecunia modum fortuna te proueheat, auro tegat, purpura vestiat, & eo delitiarum opumq; perducat, vt terram marmoribus abscondas, & non tantum ha-*

 bere

bere tibi liceat, sed calcare diuitias. Accedunt statuæ & picturæ, & quicquid ars vllis luxuriæ elaborauit, maiora expetere ab his disces.

EQ. Acquiruntur diuitiæ magno labore, indefesso studio, tristi iactura nobilissimi temporis; denique summo vitæ periculo, quinetiam ipsius famæ læsione animæq; interitu. Hic nimirum sese exercet humani vis ingenii, huc omnes nerui sapientiæ & industriæ hominis intenduntur, mille acquirendi modi excogitantur augenturque indies. Reges, Principes, Nobiles, Magistratus non pauci, à subditis extorquendæ pecuniæ, nullum non exactionis aut ærusçationis genus excogitant: Quemadmodum olim Margareta Norvvegiæ & Daniæ Regina, postquam variis rationibus subditos exhausisset; tandem & hoc præclarum inuentum decreto promulgauit: Vt certam pecuniam pro qualibet cauda iumentorum, pro focis & pro coniugio subditi pēderent. Cumque singulis mensibus olim Galli tributa conferrent, Licinius quatuordecim in anno menses inuenit. Et cum quidam Antonio Macedonico acerbitatem & rigorē in extorquendis pecuniis à subditis obiiceret, dixissetq;: At nō talis erat Alexāder; Respondit: *Merito nam ille metebat Asiam, ego culmos lego.* Verū igitur est, quod Syrac. inquit: *Sicut Leo deuorat bestias in sylvis; ita diuitum prada sunt pauperes. Sicut omnis superbus nihilo pendit ea, quæ exigua sunt: ita diuites aspernantur pauperes. Diues iniuriam facit pauperi, & adhuc insolenter insultat. Pauper vero cogitur ferre, & insuper agere gratias.* De his sanguisugis & impiis subditorum expilatoribus valde pathetice conqueritur spiritus Dei Mich. 3. *Audite*, inquiens, *primores, Iacob, & ductores domus Israel: An non vestrum est scire ius ipsum? sed osores estis boni, & amantes mali, Rapientes cutem istorum ab eis, & carnem eorum ab ossibus ipsorum. Et quod comeditis, caro est populi mei, & ossa eorum diffringitis*, &c: At his Dominus atrociter minatur: *Efficiam, vt comedant oppressores tui suam ipsorum carnem, & velut musto sanguine suo inebrientur.* Esa. 49.

TH. Potentum exempla imitantur reliqui omnes. Miles prædæ inhians corpus suum iaculis & telis, milleque periculis obiicit. Mercatores conficiundæ pecuniæ omnes rationes ineunt: Mille artes excogitant, & quicquid industriæ in recessu acuminis humani positum est adhibēt, dies noctesq; insomnes ducunt, mille discrimina adeunt, per saxa, per imbres, vt opes opibus accumulent. *Inuenti sunt*, inquit, *Iehoua*, Iere. 5. *in populo meo impii, insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendum. Sicut decipula plena auibus; sic domus eorum plena dolo: Ideo magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & inpinguati & præterierunt sermones meos pessime.* Ad eundem modum & Michæas c. 2. conqueritur de illis: *Quod dolū machinentur in cubilibus suis, quod illucescēte mane opera expleant, cum sit in potestate manus ipsorum. Qui concupiscunt agros & rapiunt domos, concupiscunt & adimunt: Opprimentes virum cum domo eius, quemq; cum possessione sua. Non dormiunt* inquit Sapiens, Prouerb. 4. *nisi cum malefecerint, & non rapitur somnus ab eis nisi supplantauerint: Comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt.* Idem Habac.

queri-

quæritur: *Quotquot sunt hamo educit, congregat illos casſibus ſuis, & concludit eos reti a-gulo ſuo: Iccirco lætatur & exultat.*

Nulla hic affinitatis, nulla amicitiæ aut confœderationis habetur ratio: cedit improbæ huic & ſceleratæ cupidini omnis pietas, honeſtas, iura omnia, amor denique inſitus erga coniugem, liberos, nepotes: Rumpit & contaminat hæc dira ingluuies omnia diuina & humana; non templis, non aris, nec mortuorum etiam monumentis parcens, vt exempla Hircani, Herodis & Darii teſtantur. Nouus indagatur orbis, nouæ regiones inquiruntur, altiſſimi montes perforantur, omniſque terræ communis matris interiores venæ & viſcera perquiruntur, magiciſque artibus Theſauri inueſtigantur, ſæpe & eruuntur. Regna, Regiones, ciuitates, arces, patria, libertas, coniuges, amici produntur: *Corpora diobolaria* proſtituuntur: Fortunæ omnes in dubium aleæ euentum exponuntur: Vita denique ipſa, & ſacra omnia auro veneunt; Latrocinia crudelia, veneficia abominanda, fraus multiplex & impoſturæ infinitæ exercentur, *non hoſpes ab hoſpite tutus, non ſocer à genero, fratrum hic quoq; rara eſt gratia.* Ipſe adeo Filius Dei pecunia proditur à diſcipulo. Et Menelaus interuertit Iaſonis talenta trecenta ſibi credita, inque proprium vſum conuertit: Quaque debebat ſacerdotium ſummum Iaſoni conſeruare, perdidit: ſibi emit, illi ademit, *2. Machab.* 14.

EQ. Non pudor erat Caligulæ, poſtquam immenſas opes *totumq; illud Tyberii vicies & ſepties millies H. S non toto vertente anno, vt Suetonii verbis vtar, decoxiſſet, & egens exhauſtusq; animum ad rapinas, vario & exquiſitiſſimo calumniarum, & auctionum & vectigalium genere, conuertiſſet: In ipſo Palatio fœminarum matrumque lupanar condere, vt ex eo meretricium quæſtum faceret: circumque forum & Baſilicas mittere nomenclatores, ad inuitandos ad libidinem iuuenes ſeneſq;: præbita eſt inſuper aduentantibus pecunia fœnebris, appoſitiq; qui nomina palam ſubnotarent, quaſi adiuuantium Cæſaris reditus. Coacta ex eo vectigali ingenti auri copia, ita oblectatus fuiſſe ſcribitur, vt in ea nudum ſe prouolueret, auriq; auiditatem expleret. Pro eduliis, quæ tota vrbe vendebantur, certum ſtatumq; exegit. Pro litibus atque iudiciis quadrageſimam partem ſummæ de qua litigaretur, nec ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe, vel donaſſe, negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæſtibus partem octauam: ex capturis proſtitutarum, quantum quæq; vno concubitu mereret: nec non & matrimonia obnoxia fuere: adeoq; nullum rerum aut hominum genus omiſſum, vnde ille non vectigalis aliquid corraderet.*

TH. Miramur has ſordes nō hominis, ſed humana ſpecie oberrātis diaboli; Imperatoris tamē Romani, quē leges nō ex rapinis & meretricio, ſed ex regni reditib. viuere pmiſere. Ac vtinā eiuſmodi Caligulas nō cerneret præſēs hæc ætas: *Dulcis odor lucri ex re qualibet,* nō mercatorib. nō ſalariis, & eiuſmodi hominibus.

nibus sordidam mercaturam exercentibus: *sed non paucis, quos de face vulgi Deus exemptos, ad summas dignitates sustulit, & ad rerum fastigium collocauit, qui, quod leges vetant, licentia sibi sumunt, & adeo mercatorio sunt ingenio, vt suo genere & dignitate prorsus indignam exerceant mercaturam, & sordidum quæstum faciant, non ex frumento, lana & lino, qua ipsorum solum produxit; sed illis rebus, quibus in vrbibus salsamentarii, laniones & caupones occupantur. Homines profecto, qui vel à statuis farinam exigerent.* Quæ res illis non minus dedecori est, quam olim Dario Persarum Regi, qui propterea institor dictus fuit. Nam Persæ olim Cyrum patrem, Cambysen dominum, Darium, institorem fuisse aiebant. Et Vespasianus Imper. insignem maculam virtutibus suis attraxit, quod inexplebili auri auiditate, omnibus rebus vectigalia imponeret, nulli hominum generi, neque mendicis parcens: adeoque vrinæ putidum vectigal, cum imperasset, & ob id à filio reprehensus fuisset; pecuniam ex pensione promens, ad nares eius admouit, sciscitans num odore offenderetur: & illo negante; atqui ex lotio est, inquit.

EQ. Quo nomine Ferdinandus Rex Neapolitanus quoque notatus est, dum ex eadem lotii mercatura quæstum faceret. Dumque Tiberius Imperator miluum maximum dono sibi oblatum, venundari iussisset; miluo rapacior fuit: Vt & Caligula eius vestigium insecutus, qui dono oblatos pisces maiores bis vel ter in foro vendidit. Ita nullum tam atrox crimen est, quod non committunt homines lucri auidissimi.

PH. Res profecto commiseratione simul & indignatione digna est, vsque adeo occæcari homines, vt omni famæ, vitæ ac salutis posthabita ratione, diuitiarum cæno sese plane immergant: Atque eodem plane modo, quo sordidus ac diues ille populi contemnere voces fuit solitus, modo auri sui aceruo sese oblectet:

——— Populus me sibilat; at mihi plaudo
Ipse domi simul ac nummos contemplor in arca.

Homines Patroclo sordidiores? Cuiusmodi multos hodie inuenias, qui susque deque habent, quo sint apud alios in honore & existimatione, quaue autoritate valeant; modo aurum, modo argentum anxiis curis congerant, nec sibi nec suis profuturum; imo in præsentissimum ipsos vitæ periculum daturum. Quemadmodum olim Ptolomæus Cypri Rex cum videret se propter ingentes, quas possidebat diuitias, in discrimen vitæ venisse; comportatis vndique opibus, nauibusque impositis, in altum processit, vt classe perforata, periret vna cum opibus, quas hostibus inuidebat. Verum non sustinuit mergere Plutum suum homo auri amantissimus; *sed futurum suæ necis præmium domum reuexit.*

TH. Recte itaque Habac. Omnes ait de auaro parabolam eiusmodi prolaturos, & talem ænigmatis interpretationem: *Væ multiplicanti non sua, & numerose*

merose aggreganti densissimum lutum: Quousq; tandem? An non repente consurgent, qui mordeant te, & expergiscentur diuexaturi te. Væ dedito quæstui malo, pro domo sua, vt desponat in excelso nidum suum, quo eripiatur è potestate mali.

PH. Multi instar draconis Scythico luco incubantis, suis ita incumbunt pecuniis, vt proprium non raro genium defraudent; dum fraudibus genio consulere student: & dum aurum corradunt, sibi ipsis maciem contrahunt. miseramque & plane inopem agunt vitam, vt Tantalus:

Congestis vndiq; saccis
Indormit inhians, & tanquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Hinc Ecclesiastic. cap. 6. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus quæ desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo; sed homo extraneus deuorabit illud. Hoc vanitas & magna miseria est.*

EQ. Multi tanto seruitio Mammoni suo obstringuntur, vt eius amori plane immoriantur. Quemadmodum de Crasto quodam præposito Goslariensi commemoratur, quod à prandio aliquando, cum ad Plutum suum colendum, quem in cubiculo reseruauerat opulentissimum, reuersus esset: ibique diutius solito indulgere somno videretur: Serui qui neque pulsu ostii, neque vociferatione Dominum excitare poterant, fractis foribus, irrumpentes; hominem exanimem miserabili modo suis Thesauris incubantem, reperierint.

TH. Quapropter vt serpens vel anguis, anguis non esse desinit, etsi scrinio aureo includitur. Sic manent opes spinæ & tribulæ miseram animam misere pungentes; licet pulchritudine sua dementatas hominum mentes teneant oculosque perstringant. Itaque

Tantis parta malis, cura maiore, metuq;
Seruantur: misera est magni custodia census.

Quid? quod ex ipsa opum abundantia nemo viuit; & quid prodest possessori, inquit Ecclesiast. *capit. 5.* nisi quod cernit diuitias oculis suis. Expertus est id suo malo stultissimus olim Phrygiæ Rex Mydas, is namque data sibi à diis immortalibus optione quicquid vellet, petendi,

Ille male vsurus donis, ait: Effice quicquid
Corpore contigero, fuluum vt vertatur in aurum.

At cum cibaria contrectasset, & illa in aurum conuersa fuissent:

Attonitus nouitate mali, diuesq; miserq;
Effugere optat opes, & quæ modo nouerat odit.

Copia nulla famem releuat, fitis arida guttur
Vrit & inuiso meritus torquetur ab auro.

Pythius Bithinicus facile priuatorum omnium, qui ingentes thesauros posſederunt ditiſſimus. Is enim eſt, qui Dario Perſarum Regi Platonum illam auream & nobiliſſimam vitem, toties in hiſtoriis decantatam, donauerat: Darii filium Xerxen, cum ingenti exercitu, quorum tunc ter & vicies centena fuere hominum millia, teſte Herodoto, in Græciam tendentem; hoſpitio ſuſcepit, & Xeniis magnificis ornauit: ſtipendium inſuper & frumentum quinque menſium Regi & toti exercitui ſtipulatus; magna ſane liberalitate & in homine auaro admiranda; ſi filium ex quinque vnum ſenii ſolatium domi reſidere Rex pateretur: argenti quoque talenta duo millia, auri vero myriadas quadringentas ſtaterum Daricorum, id eſt, quadringenties centena millia coronatorum, ſeu quadringentas tonnas auri, Regi donauit. Hic inquam, Pythius auri ditiſſimus idem & auidiſſimus, ciues ſuos omnes, in metallis fodiendis occupatos habebat, inquit Polyænus, idque vnum auri congerendi ſtudium tantopere coluit, vt ob laboris illius magnitudinem interirent plerique. Vnde mulieres agminatim ad Pythii venerunt vxorem, inſtanter orantes, vt huic malo mederetur. Illa ergo, adhibitis artificibus, panes & alia id genus edulia ex auro confici præcepit: eaque omnia Pythio, parari cœnam poſtulanti, appoſuit. Quorum aſpectu delectatus primum Pythius, poſt hæc cibos afferri imperauit: Verum cum vxor cuncta quæ poſtulabat, ex auro concinnata iuberet apponi: & is ira percitus, ſeſe clamaret eſurire, non amplius auro opus eſſe; reſpondit illa: *Omnis ciuium tuorum cura, tuo iuſſu in parando tantum auro verſatur: iam propter id nullos agros colit, iam totius ruſticationis cura intercidit.* Hac vxoris caſtigatione motus Pythius, animum ab incepto reuocauit opere.

PH. Sed posterorum, obtendunt, habenda mihi eſt ratio, vt habeant, de quo, me mortuo vitam honeſte tranſigant.

TH. Inſania. Irritamenta malorum illis colligunt, non vitæ ſubſidia. Magno labore congregant, illi diſſipabunt maiore. Spe largæ hæreditatis occupatus animus iuuenilis; neque ad liberalium artium ſtudia ſeſe dabit, neq; aliud quodcunq; honeſtum exercitium ſequetur. Quod ſi auaritiæ paternæ ſectatores fuerint liberi, & immodica diuitiarum ſiti nihilo minus æſtuauerint; tanto inter ſe exardeſcent odio, dum amplum iſtud patrimonium diſtribuendum erit, dum iudicio inter ſe cõtendent, vt nullum rixarum, odii, liuoris, ſiue finem, ſiue modum ſe perſpicere, & in ſuam perniciem congregata hæc bona eſſe conquerantur.

Quod ſi Harpeis manibus forte, per fas nefaſque congeſta ſit hæreditas, qua ratione hodie plurimæ opes cõquiruntur, manifeſtum eſt, *de male quaſitis*

non

non gaudere tertium hæredem: Male parta, male dilabi dilapidarique. Filii abominationum inquit Syracides, *cap. 41. fiunt filii peccatorum. Et filiorum peccatorum hæreditas peribit.* Cuius rei quotidiana experientia nobis quam plurima suppeditabit exempla, cum integras interire familias videamus, & euanescere opes ab auaris parẽtibus auaris liberis relictas. Candiæ Dux quidam, teste Valla cum haberet scrinia, aureis argenteisque pecuniis vario genere referta & malleo cuneata: hospites qui apud eum diuertebant, sciscitabatur, cuiusnam generis pecunia indigerent? respondentibus eius generis, cuius vsus foret in ea prouincia, in quam quisque iter faceret: scrinia produxit, & quantum vellet capere iussit: frustraque conantes, deridebat; nouo prorsus genere iactandatũ opum, & dissimulandæ auaritiæ. Sed filius succedens, facili negotio omnia euacuabat scrinia: quibus breui exhaustis, pecuniisque dilapidatis, obæratus insuper vitam misere duxit; non nisi curas, mœrores, & offenso Ferdinãdo Rege, extremum vitæ periculum ex opib. paternis lucratus. Quemadmodum Salomon, *Ecclesiast. 5.* inquit, *Generauit filium qui in summa egestate erit.* Et Iob. *ca.* 29. *Filii eius atterentur egestate.* Quis igitur furor? quæ insania? tantis laboribus, curis & sollicitudinibus, cum maximo proximi detrimento & propriæ conscientiæ læsione ingentes colligere pecunias, quarum neq; ipse conquisitor neq; posteri, non nisi irrecuperabili salutis, corporis & animæ damno & interitu fruãtur: & quæ incitamẽto esse possint atq; occasio liberis, nõ solũ ad omne genus flagitiorum cõmittendum, sed ipsis insuper parentibus eorumque vitæ insidias struendum. Testatur idipsum experientia, quanto desiderio expectent quidam male feriati, & profligatæ malitiæ iuuenes, mortem parentum, vt hæreditate eo citius potiantur? An non Artaxerxi Persarum Regi centũ & quindecim fuere liberi? quorum illum magnam partem occidisse, testantur historiæ, non alia de causa, quam quod sibi insidias struxisse conuicti essent. Feliciores igitur sunt ditioribus egeni parentes, & maior eorũ securitas, & beatior vita omnis inuidię expers. Itaq; potius in id incumbendum vt liberi *ἐν παιδείᾳ ϗ νουθεσίᾳ* Domini educati, *Eph 6.* celebritateque nominis paterni exciti, imitatores & hæredes virtutum paternarum esse, sedulo studeant. Et gloriam nominis paterni optimum ducant esse patrimonium. *Curam habe*, inquit Syracides *cap. 45. de bono nomine: Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri preciosi & magni. Optima siquidẽ hæreditas*, inquit Cic. *quæ à parentibus traditur liberis, omni patrimonio præstantior, Gloria est virtutis & rerum gestarum.*

EQ. Præclara fuit Ethnici huius vox? multo tamen præclarius Phocionis factũ, qui ingentẽ auri aceruũ, à Philippo Macedonũ Rege missũ, pignus amicitiæ, spreuit cõstãter. Cũq; nullis oratorũ persuasionib. moueretur, maiorẽq; patriæ quã commodi proprii habendã rationẽ duceret, diceretq; *sibi his opus non esse*: hortantur illi, vt si his ipse facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus valde difficile foret in tanta paupertate paternam tueri digni-

tatem: respondit ille, *si mei similes futuri sunt, idem hic agellus qui me ad hanc dignitatem euexit illos alet; sin dissimiles, nolo eorum luxuriam his opibus alere.* Vir profecto magni ingenii, Dux Atheniensium fortissimus & opum contemtor sapientissimus, magnanimus, & dignus qui boni cognomento sit celebratus, & de quo diu, inquit Sabellicus, inter Græciæ Sophistas quæsitum sit: maiorne Alexander esset, an Phocion, qui Alexandri aurum contemsit. Cum enim Alexander M. Phocionem pecunia expugnare tentaret, eodem plane modo, quo ante ipsum pater fecerat; dono illi misit ex Asia Athenas cētum Talenta. Quibus oblatis quæsiuit ex ministris Phocioni: Cur ex omnibus Atheniensibus Alexander soli sibi tantum minus largiretur? his respondentibus. Quod te existimet virum bonum & honestum hunc excipiens sermonem ait: *Ergo sinat me talis vt & habear, & sim.* Insecuti eum tamen sunt legati vsque in domum: Et frugaliter viuentem, vxoremque panes pinsentem cum conspexissent, eo arctius virum, nec sine stomacho premunt: Turpe esse allegantes Regis amicum tam viuere duriter. At ille nihil mouetur, senemque inopem in obsoleta læna prætereuntem conspicatus, percunctatur Legatos: Num se eo deteriorem existiment? Bona verba inquiunt illi. *Atqui hic*, inquit, *ex re minore viuit, & est contentus: Breui, aut si minus vtar pecunia hac, nequicquam tantum auri possidebo: aut si vtar, me ipsum iuxta atq; illum in calumniam conniciam ad populum.* Itaque reportata ex Athenis pecunia est: ostenditque, inquit Plutarchus, Græcis ille, *tanta summa non indigentem locupletiorem dante esse.*

TH. Melius hoc perspexit Salomon Regum sapientissimus Eccl. 2. *Detestatus sum inquiens, omnem industriam meam, qua sub sole studiosissime laboraui; habiturus heredem post me, quem ignoro, verum sapiens an stultus futurus sit; & dominabitur in laboribus meis quibus desudaui, & sollicitus fui: Est ne quicquam tam vanum?*

Porro etiam, neque defectum vllum submouere; neque laborantibus succurrere, aut minimam febriculam tollere potest vel maximus auri aceruus. Multo minus animi curas subleuare, aut morbis eiusdem mederi possunt diuitiæ. Tametsi Heliogabalus & Caligula, super ingentes aureorum aceruos, cubiculis suis diffusos spatiarentur; nullum tamen leuamen ægritudinum suarum senserunt.

Non domus, aut fundus, non æris aceruus & auri
Ægroto domino deduxit corpore febres,
Non animo curas.

Imo hoc impium cumulandarum opum studium, ita conscientiā vulnerat, lacerat, multisq; modis excruciat, vt mœrore tādē auari cō: absci āt in ipsa affluentiū diuitiarum copia. Vti Salom. Prou. 20. *Suauis est hominis panis mendacii, & postea implebitur os eius calculo.* Et Habac. 2. *Lapis è pariete exclamat, & nodus è ligno testificatur illud*, id est, ingens pauor conscientiam excruciat. Et Iob.

Diui-

Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Caput aspidum suget & occidet eum lingua vipera Iccirco quemadmodum non melius habet ægrotus, quod amplo magnificoq; decumbit lecto; neque sanus deo peius, quod arcto & tenui: Ita auarus semper æger est, etiam si auro operiatur; at qui animo est sorte sua contento, lætus & alacris incedit, tametsi magnis opibus sit destitutus.

Multo vero minor earũ vsus & solatium in morte. Qua appropinquante, etiamsi ingentem auri congeriem oculis perlustraueris, ambabusq; manibus contrectaueris, vti solent homines auri auidissimi, nullum inde moriens leuamen sentit. Quidam Euclio moriens aurum suum poposcit. Quod cum in pelui adferretur, manum confestim iniecit vtramq;, opem subsidiumq; vitæ, & mortis leuamen quæritans, subindeque ingemiscens & murmurans: *Eheu quibus vos relinquam.* Alius quidam aurum deglutiendo, mortis vim propulsare voluit. Alius sago indutus, cui interius aurum insuisset, contra mortem satis se armatum esse putauit, sed nec eo modo mortis aculeum deuitare potuit.

Cæterum multo minus profuturas diuitias ad futuram vitam, vel adipiscendam vel conseruandam, constat imo multo magis nocituras eas omnib. qui caducis his, & momentaneis flauissis cor apponunt, & cumulo suo dicũt; *Deus meus es tu*, fiduciamq; suam ponunt in incertis diuitiis. Hos, dum caduca hæc mundi bona cœlestibus & in omne æuum duraturis, præpostero plane ordine præferunt; ab æterno & vero bono auulsos, sacra auri fames, in abyssum omnium miseriarum præcipitat: & ad omnis generis flagitia committenda, cum tristi conscientiæ & diuini numinis læsione, impellit.

FQ. Et quæ est insania: Imo dementia hominum? his rebus tanto conamine inhiantium, quarum non modo nullus neque in omni vita fructus, neque in morte est solatium: sed quę possessorem in præsentissimum discrimen, & vitæ periculum coniiciunt sæpissime. Id quod historiæ omnium temporum testantur.

Suetonius autor est, CALIGVLAM inhiantem plurimorum opibus quadraginta reos ex diuersis criminibus vna sententia condemnasse. *Alea ludentem, commendata vice proximo collusori, & in atrium domus progressum, conspexisse prætereuntes duos Equites Romanos locupletes, eos sine mora corripi, confiscarique iussisse: Denique rediisse exultantem & gloriantem: numquam se prosperiore alea vsum. In Gallia cum aliquando in lusu aleæ deficere sibi pecuniam sensisset, Gallorum descriptiones postulauit ac ditissimis interfici iussis, ad collusores reuersus est, Et vos, inquit, de paucis drachmis laboratis? Ego vero interea centies quinquagies millies mille coegi, Iulium Priscum prætorem aliis quidem criminibus accusatum, cum spe magni aucupij occidisset: frustratus tamen: decepit me, inquit, frustraque periit, dum vincere potuisset, nihil enim morte dignum possedit* Ita sub Imperio crudelissimæ bestiæ nemo diuitum securus viuere potuit. Omnes in perpetuo versabantur timore, ne quando propter diui- *Caligula.*

tias suas perirent. Si quos tamen prouectioris ætatis viuere patiebatur, Testamentis eorum inhiabat, eosque patres & auos, & matres & auias, voracissimus hæredipeta, lucrique mancipium, vocare solitus fuit.

PH. Recte igitur Boetius hanc quam in opum ingentium possessione homines collocant beatitudinem, exagitans: *O praeclaram*, inquit, *opum mortalium Beatitudinem, quam si adeptus fueris, securus esse desistis*. Quod intelligens SENECA, cum censu plurimo abundaret (possidebat enim, vt calculus ostendit Budæi, bis ter millies sestertium, id est, centies & quinquagies centena millia coronatorum) & animaduerteret, se apud Neronem insimulari, quasi ingentes & supra modum euectas opes quotidie augeret. Vir sapiens instantem perniciem tempestiue declinare, vitamque opibus commutare aut redimere voluit. Principi itaque immensi census cessionem fecit, vitæ vt consuleret; quod tamen obtinere non potuit. Quæ omnia Tacitus pulcherrime describit.

Seneca.

Tacitus.

EQ. Quod numerantur in omnibus historiis belli Duces, prouinciarum præfecti, cōsiliarii principum, iudices, oratores, qui, vel corrupti pecunia fœdissimum proditionis scelus commisere: vel muneribus excœcati, à iustitiæ tramite deflexerunt: vel dominis suis iniustas conficiendæ pecuniæ rationes dictitarunt, & expilandis subditis consilia suppeditarunt, atque effrenata in aucupandis alienis cupidine, se vna cum Dominis, totoque Regno, præsentissimo periculo exposuerunt.

TH. Quid? quod hæ flauissæ cultorem sæpius anteuertunt, & citius derelinquunt, quam ab eo derelinquuntur. *Veluti flos herbæ*, (inquit Iacobus cap. 1.) *præteribit, & flos illius deciditur, & decor aspectus illius: Sic & diues in viis suis marcescet.*

De diuitiis autem filius Dei inquit, quod iniuriis tinearum & æruginis sint obnoxiæ, furū sint præda, hostium rapina, ignis & aquæ esca, impostorib. materia doli & fraudis. O igitur elumbem & miserabilem Plutum, qui tot iniuriis expositus, à nulla neque minima earum, vel se tueri, vel cultorem vindicare potest.

EQ. Multi diuitiarum nobilitate clari, & opibus ad luxuriam pleni, ad extremas accitas redacti sunt, & ad summam egestatem peruenerunt. DIONYSIVS Syracusanum Rex ditissimus, ingentem qui possedit opum & nauium multitudinem, habuitq; regnum pedestribus & equestribus copiis, adeoque (vt ipse gloriari solitus est) adamantinis cathenis, vi & metu sc. firmatum: ad tantam redactus est paupertatem, vt regno & opibus omnib. exutus Corinthi inter mulierculas, quæ popinam exercebant, vel in myropolio victum quæritans, & ex cauponis bibens dilutum, versaretur priuatus, tandemque re omni desperata, ludum literarium aperiret infeliciter, tantaque solitudine, vt Diogenes jocatus sit, eum cum Musis & Apolline duodecim habere discipu-

Dionysius.

scipu-

ſcipulos. Vere de eo dici poteſt tritum illud, quod de Crœſo ditiſſimo olim Lydiæ Rege eundem Fortunæ campum experto Poeta cecinit.

Irus erit ſubito, qui modo Crœſus erat.

Ad eundem modum BELLISARIVS, Dux glorioſiſſimus & fortiſſimus ad eas anguſtias, premente inuidia peruenit, vt excœcatus Conſtantinopoli in templo D. Sophiæ panem emendicare coactus ſit his verbis: *Panem Belliſario date, quem virtus extulit, inuidia ſuppreſſit.* Ita HENRICVS IV. Imperator Romanorũ perfidia ab Imperio deiectus, ab Epiſcopo Spirenſi quem ipſe promouerat, officiolum apud Eccleſiam Spirenſem petiit, vnde viuere poſſet, *& ſeruire*, vt ipſe inquit, *Domina Dei genetrici. noui enim literas, & poſſum adhuc ſubſeruire choro.* Neque tamen id ipſum ab ingrato Epiſcopo obtinere potuit: Suſpirans igitur Cæſar, & multis effuſis lachrymis ad circumſtantes conuerſus inquit, *Miſeremini mei, vos ſaltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Pauloque poſt Leodij carceris, in quo à filio cuſtodiebatur fœtoris impatiens *miſeram exhalauit animam.* Plura exempla ſuppeditant hiſtoriæ omnium temporum.

TH. Recte igitur Baruch Propheta. *Vbi ſunt principes Gentium, & qui dominãtur ſuper Beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui in auibus cæli ludunt, qui argentum Theſaurizant, & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant & ſolliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt.* Et vt maxime hoc Numen, quod tanto obſequio à toto Mundo colitur, fidem ſeruet, donec in hoc ergaſtulo fuerit poſſeſſor; in morte tamen eum deſertum relinquet. *Nihil ſiquidem in hunc mundum intulimus, nihil recedentes reportabimus, & hodie fortaſsis anima noſtra à nobis repetetur, & cuius erunt quæ tanto labore, cura, ſollicitudine comparauimus?* Quid congeſta auri vis tunc quæſo proderit? *Vt perdix colligit oua & non exeludit: Ita comparans diuitias, ſed iniuria, medijs diebus ſuis derelinquet eas.* Eccl. 5. 1. Tim. 6. Luc. 12. Iob. 1.

Sonet ergo in auribus auarorum ſingulis momentis illa damnatorum lamentatio, quæ extat *Sapien.* 5. his verbis: Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? *Sap.* 5. Omnia tranſierunt ſicut vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem, aquam cuius, cum præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus, *Ibid.* Vbi (namque ſunt, qui theſaurizant argentum & aurum, in quo confidunt homines? *Bar.* 8. ad inferos deſcenderunt, & alii loco eorum exſurrexerunt, *Ibid.* Argentum eorum foris proiicietur, & aurum eorum in ſterquilinium erit.

Eccl'es. 8. Multos perdidit aurum & argentum. Nihil (igitur) est iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet, *Eccles.* 10. Et hęreditas ad quam festinatur ab initio, carebit benedictione in nouissimo, *Eccl.* 20.

EQ. Quid Epuloni diuiti in inferno profuerunt immenso auctu cumulatæ opes, ne guttulam quidem frigidæ ex omnibus opibus habere poterat. *Plorate ergo opulenti, vlulantes super miseriis vestris, quæ superuenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt: Vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt: Aurum & argentum vestrum, ærugine vitiatum est, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & exedet carnes vestras vt ignis. Thesaurum congessistis in extremis diebus, in delitiis vixistis super terram, & lasciuientes enutriistis corda vestra vt in die occisionis, condemnastis & occidistis iustum, non oppositum vobis.*

TH. Hieron. *diuer. Dom. Serm.* 12. Quid prodest arca plena bonis, si inanis sit conscientia? bona vis habere, & tu bonus esse non vis. Erubescere debes de bonis tuis, si domus plena bonis te malum habet dominum. Quid prodest diuiti quod habet, si Deum, qui omnia dedit, non habet?

Bernh. *Serm.* 4. Filii Adam genus auarum, quid vobis cum terrenis diuitiis, quæ nec veræ nec vestræ sunt. Aurum & argentum vere terra est rubra & alba, quam solus error hominum facit, aut magis reputat pretiosam; denique si vera sunt, tollite ea vobiscum.

Leo Papa in *Serm.* Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine, insidiæ in paupertatis angustiis, illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Laqueus est in securitate, laqueus in timore, nec interest, vtrum animus, qui terreno tenetur affectu, gaudiis occupetur, an curis, cum par morbus sit, vel sub vana delectatione languere, vel sub anxia solicitudine laborare.

PH. Igitur, monitore Francisco Bellicario:

Vtere diuitiis ceu iam moriturus; easdem
In pretio, nunquam ceu moriturus, habe.
Inter vtrumque vola; nec parcus, nec male rerum
Prodigus, & punctum prouidus omne feres.

Et Christus: Nolite, inquit, thesaurizare vobis thesauros in terra: vbi fures effodiunt, & furantur, vbi ærugo & tinea demolitur, *Matthæi* 6.

EQ. Diuitiarum itaque abusui remisso nuncio, verum illarum vsurpa-

surpabit vsum; cui quidem in ipsa erga subditos beneficentiæ vsurpatione cumprimis consistit, eoque ciuium beneuolentia iucunde & laudabiliter conciliatur: cuius quidem tanta vis est ad regendum, vt sine ea clauus Imperii haud stare possit penes regentem. Hinc Æmilius: *Nullum est Imperium tutum, nisi beneuolentia munitum.* *Beneficētia princeps studeat.*

PH. Beneficentia est, qua mitis animus ad cuiuis adeoque etiam exteris ac peregrinis benefaciendum, nulli malefaciendum commouetur. Nam, vt inquit *Cassiod. lib. 5. Epist. 9.* Pietate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum compatriotas ad substantiæ lucra admittere, quantum ipsos quoque aduenas inuitare.

TH. Chrysost. hom. 1. ad Philipp. Quemadmodum diuitum filii ornatus gratia aureum monile gestant in collo, nec id vnquam deponunt, veluti nobilitatis signum circumferentes & ostentantes; Itidem & nos semper beneficentia indutos esse, declarantes, quod filii sumus eius, qui misericors est, eius qui solem suum exoriri facit super bonos ac malos.

EQ. Insignis profecto virtus est Beneficentia, idque cumprimis, quando sponte sese exerit. Hinc eleganter Stobæus Serm. 44. de Magistr. *Quemadmodum sol non expectat preces & præstigias, vt exoriatur, sed ilico fulget ac salutatur ab omnibus: Ita neque princeps expectabit plausus, strepitus & laudes, vt benefaciat, sed sponte conferet beneficia, & æque ac sol amabitur.* Commendatur hoc nomine insigniter Ptolomeus ille rex Lagi filius, qui crebro illud vsurpasse fertur: τὸ πλουτεῖν τὸ πλουτίζειν βασιλικώτερον: *Magis regium ditare, quam diuitias possidere.* O quam dissimilis illis Principibus, qui postquam aliquos ditarunt, per causam offensiunculæ, aut opum male quæsitarum, inuolant in eorum facultates, quas omnes eripiunt, etsi non omnes dederunt. Enimuero longe satius est, ne dare quidem diuitias, quam eos quibus dederis spoliare.

PH. Ad Alexandrum Magnum *Aristoteles* inquiebat: *Vnum dicam, quod nunquam cessaui dicere: Auaritiæ fugam & liberalitatis gratiam Regum esse gloriam & regnorum firmamentum, atque hoc potissimum assequitur, si a rebus subditorum se abstineat*, additque: *In præceptis Hermogenis magni doctoris scriptum reperi, summam & veram bonitatem, claritatem intellectus ac signum perfectionis in Rege esse, abstinere à bonis subditorum, quod si secus egerit, cito regnum illius corruet.*

EQ. A munificentia maxime etiam prædicatur IMPER. TITVS; *Nam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: ô Amici, diem perdidi.* Vocem profecto magnificam & liberali Principe dignam.

PH. Augustus Imperium adeptus, nihil magis sibi gratulari dixit, quam quod gradum illum iam conscendisset, vnde vniuersis benefaciendi facul-

tas præstaretur, *cum illud amplitudinis certum sit testimonium, omnes beneficentia promereri. Dio lib. 54.*

EQ. Adrianus Imper. in balneo veteranum quempiam seruuli penuria, sese marmoribus affricantem conspicatus, cum & seruulis aliquot & sumptibus donauit. Quod rel. qui veterani feliciter cessisse videntes, cœperunt & ipsi complures sub oculis Imperatoris sese marmoribus affricare, vt hoc modo Principis elicerent benignitatem. At ille euocatis senibus, iussit, vt alius alium vicissim defricarent, atque ita pueris nihil opus fore. Is iocus postea in vulgi fabulam cessit.

PH. Fuit Cimon, vt est in libro de viris illustrib. tanta liberalitate, cum compluribus locis prædia, hortosque haberet, vt nunquam eis custodem imposuerit fructus seruandi gratia, ne quis impediretur, quo minus eius rebus, quibus vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, vt, si quis opus eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe, cum aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie si cœna ei coquebatur, vt, quos conuocatos vidisset in foro, omnes deuocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit. multos locupletauit: complures pauperes mortuos, qui, vnde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo minime est mirandum, si & vita eius fuit secura & mors acerba.

TH. Cauere tamen debet princeps, ne de alienis beneficus fuisse dicatur. Qui enim aliis nocēt, vt in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ac si in suam rem aliena conuerterent, inquit Cic. 3. *de offic.* Et tum demum gratissima sunt accipientibus data cum sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum. Maiora enim odia consequeris eorum, quibus ademeris, quam fauores eorum, quibus dederis, inquit Seneca 3. *de benef.* Magnum enim ad continuandam subditorum beneuolentiam, beneficentia de propriis bonis vsurpata; habet momentum. Hinc Seneca *libr. 6. Epist.* 47. Vide, inquit, quam omnem inuidiam maiores nostri dominis, omnem contumeliam seruis detraxerint: dominum patrem familiæ appellarunt, seruos (quod etiam in minus adhuc durat) familiares. Instituerunt diem festum, non quo solum cum seruis domini vescerentur, sed quo vtique honores illis in domo gerere, ius dicere permiserunt, & domum pusillam rempublicam esse iudicauerunt. Quid ergo? omnes seruos admouebo mensæ meæ? non magis quam omnes liberos. Erras si existimas me quosdam (quasi sordidioris operæ) reiecturum, vt puta illum mulionem, & illum bubulcum. Non ministeriis illos æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, ministerium casus adsignat. Quidam cœnent tecum, quia digni sunt, quidam vt sint.

Dominorū erga seruos officium.

Ibid.

Ibid. Cogita illum quem seruum tuum vocas, ex iisdem seminibus ortum, eodem frui cœlo, æque spirare, æque viuere, æque mori. Tu tam illum ingenuum videre potes, quam ille te seruum. Mariana clade quam multos splendidissime natos senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit, alium ex his pastorem, alium custodem casæ fecit. Contemne nunc eius fortunæ hominem, in quam transire, dum contemnis, potes *Et post*: Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darii mater, qua Plato, qua Diogenes.

Nimia econuerso quorundam dominorum in seruos sæuitia est. Exemplum istius sæuitiæ recitat Seneca 3. *de ira* his verbis: Diuus Augustus cum cœnaret apud Vedium Polionem, fregerat vnus ex seruis eius crystallinum, ad mortem rapi eum Vedius iussit, nec vulgari quidem periturum morte: murænis obiici iubebatur, quas ingentes piscina continebat. Euasit è manibus puer, confugit ad Cæsaris pedes, nihil aliud petiturus, quam vt aliter periret, ne esca fieret. Motus est nouitate crudelitatis Cæsar, & illum quidem dimitti, crystallina autem omnia coram se frangi compleríque piscinam iussit.

F.Q. Seruorum isthæc fuit olim conditio, quæ quidem non fuit omnimoda. Cæterum hac etiam nostra tempestate subditi à principibus auaritiæ immersis, ita sæpenumero premuntur, vt vel minimam spem qualiscumque immunitatis ambabus quod aiunt manibus acceptent atque deosculentur. Vnde enim quæso hodierna Neapolis ædificiis & populo tantopere succreuit, nisi ex solis priuilegiis, quibus ciues, quinetiam ipsi mercatores, qui cateruatim eo conuolant, iucunde gaudent? Quid quod maioribus finibus amplificata esset, nisi peculiaribus rationibus, potissimum quod viciniæ incolis destituerentur magna cum principum querela, rex Hispaniæ graui edicto vetuisset, ne quis nouas ædes ibi extrueret. *Priuilegiorum atque immunitatum vis.*

Ciuitates Flandriæ commerciis celeberrimæ in tota Europa fuerunt: ratio præcipua sita est in priuilegiis & immunitatibus à vectigalibus, perexiguum enim vectigal de commerciis pendunt.

Non infrequens fuit iis, qui vrbes aut extruxerunt, aut inhabitandas dederunt præclaris priuilegiis eas, aut minimum primos incolas donare. Secuti hoc sunt, qui vrbes vacuas, aut peste exhaustas, aut Marte vastatas aliove Dei flagello exinanitas restaurarunt. Pestis, quæ teste Bocatio, in Italia ad triennium grassata est, adeo sæuiit, vt à Martio vsque ad Iulium Florentiæ circiter centum millia è medio sublata peremerit: Venetiis tot ceciderant, vt vrbs fere desolata staret. Vnde effectum est, vt senatus necessum haberet nouos incolas adsciscere: quos publico Senatusconsulto iure ciuitatis omnes donabat, qui cum familia eo migrarent, bienniumq; cõmorarentur.

Porro eadem Venetiana Respublica aliquoties ab extremis periculis famis ac inopiæ vindicata est, dum eos, qui frumenta aduehebant, priuilegiis donabant.

Iudæorum olim apud Ethnicos priuilegia.

VII. Priuilegiorum atque immunitatum, quæ Iudæis olim à gentibus, apud quas vixerunt, concessæ fuerunt, meminit Iosephus *antiq. Iudaic. lib. 16. cap. 4.* Nam Iudæi, inquit, in Ionia nacti oportunitatem, questi sunt de indigenarum iniuriis, quod nec legibus suis eos viuere sinerent, & festis diebus traherent ad tribunalia, & sacram pecuniam Hierosolyma mittere vetarent, ad gerentque se ad expeditiones & munia publica, conuertendamque in eos sumptus sacram pecuniam, contra concessa per Romanos priuilegia. Has querelas vt Agrippa audiret, Herodes dedit operam, addito eis vno ex amicorum cohorte Nicolao qui causum eorum ageret: qui coram Agrippa, assidentibus Romanorum honoratioribus, & Regibus aliquot ac dynastis, in hunc modum pro eis verba fecit. Omnibus quidem qui aliquam iniuriam patiuntur, Agrippa præstantissime, confugiendi ad potestatem maiorum opem incumbit necessitas, nobis vero etiam impetrandi quæ petimus adest fiducia. Neque enim aliud postulamus, quam quod iam ante vestra beneficentia concessum est: quodque hi nobis adimere conantur, qui æque ac nos vestro subiecti sunt imperio. Atqui si magnum est vestium beneficium, digni sumus qui id retineamus, hoc ipso quod nos dignos eo iudicastis. sin paruum, turpe fuerit ne parua quidem vos posse concedere. Quamobrem satis apparet nobis illatam iniuriam ad vos quoque pertinere, quorum isti & iudicia contemnere non verentur, & gratiam irritam reddere. Quod si ipsos aliquis interroget, malint ne vita carere, an patriis institutis, pompis, sacrificiis, festiuitatibus, quibus honores Deorum suorum concelebrant: sat scio quiduis potius passuros quam diuelli à patriis ritibus. Nam & bella pro religionibus vindicandis sæpenumero suscipiuntur, & huius qua per vos fruimur tranquillitatis ac felicitatis hoc maximum habetur præmium, quod cuique licet suo more viuere & pietatem colere. Quod igitur ipsi nullo pacto sustinuerint, hoc aliis inferre conantur: quasi vero non perinde sit, vel tuam vel alienam pietatem impedire ac lædere. Quin & aliud consideremus, Estne vlla gens, aut ciuitas, aut populus, qui non summam suæ felicitatis in vestro principatu & Romana potentia collocet? estne qui vestram gratiam velit esse irritam? Nemo sane, qui modo sapiat. Nemo enim est, cuius id vel priuatim, vel publice non referat. Atqui isti dum vestra nobis beneficia conantur auferre, ne sibi quidem ipsis vllum ius saluum relinquunt, eorum quæ vestra benignitas concessit, quæ tamen sunt inæstimabilia. Quale enim vel illud est, quod quum multæ aliæ gentes Regibus pareant, hi sub tutela Romanorum principum in libertate felicissimam vitam exigunt? Nostræ autem res, etiamsi nemo sit molestus, nullam tamen merentur inuidiam.

Cæte-

Cætera enim communi cum reliquis vestris subditis felicitate fruentes, nihil nobis eximium poscimus, nisi vt liceat patriam pietatem colere: quod nec per seipsum est inuidendum, & permittentibus etiam conducibile. Nam Deus & cultores suos semper amat, & eos qui talem cultum non prohibent. Quid enim est in nostris ritibus, quo quisquam merito offendi debeat? imo quid non coniunctum cum omni pietate ac iustitia? Neque enim celamus præcepta vitæ quæ sequimur, aut studia quæ exercemus: sed septimo quoque die ab omnibus aliis negociis vacantes, perdiscendis legibus operam damus, iudicantes hanc disciplinam plurimum conferre corrigendis motibus. Hi ritus nostri quum per se quoque in disquisitionem vocati, nihil habeant reprehensibile, nunc vetustate etiam, contra quam multi opinantur, consecrati sunt: vt non possit non esse religio, tot seculis sancita deserere. Hæ sunt iniuriæ quas isti nobis per vim inferunt. Deo dicatam pecuniam per sacrilegium diripientes, immunibus tributa imponentes, festis diebus ad lites & negotia profana pertrahentes, nulla necessitate exigente, sed tantum in religionis nostræ contumeliam, quam ipsi sciunt immerito se iniustis atque illicitis odiis prosequi. Vestrum enim imperium omnibus ex æquo consulens, & beneuolentiam mutuam subditorum alit, & obsistit odiis. Has iniurias, Agrippa præstantissime, rogamus, vt à nobis prohibeas, vtque in posterum quoque detur nostris viuere moribus, quemadmodum antea, nec aduersariis plus in nos liceat, quam nobis in illos. Id enim non solum iustum est, sed concessum etiam vestra clementia: & extant de hac re multa senatusconsulta in Capitolio æreis tabulis consecrata, quæ hodie quoque leguntur, dubio procul propter expertam nostram fidem atque beneuolentiam, & alioqui sacrosancta, etiamsi nullum nostrum præcessisset meritum: quandoquidem non solis nobis, sed ferme omnibus mortalibus, adeo nihil de pristinis beneficiis detrahitis, vt ea potius indies præter omnem spem reddatis cumulatiora: quæ quidem omnia percensere præsentis temporis angustia non patitur. Sed ne vane iactare videamur nostra officia, omissis præteritis satis testari potest vel Rex noster qui tibi assidet. quod enim ille beneuolentiæ aut officii genus familiæ vestræ non exhibuit? vbi fides eius desiderata est? quid non in honorem vestrum cogitauit? ad quam necessitatem non primus præsto affuit? Quid igitur prohibet nos quoque nonnihil gratiæ pro huius meritis accipere? &c. Per hæc te obtestamur in ipsius regis præsentia, nihil aliud, quam vt quæ ipsi concessistis Iudæorum generi, aliorum fraude intercipi non patiamini. His Nicolai verbis nemo Græcorum se opposuit: quia non de iure contendebatur apud Iudices, sed supplicatio tantum offerebatur, iniuriam deprecans. Quamobrem Agrippa intellecto quod vim paterentur, sic respondit: se non solum propter Herodem amicum illis gratificari paratum, sed etiã quia æquum postulare videantur, quare etiamsi plura petiissent, concessurum se

 fuisse,

fuisse, quicquid saluis populi Romani commodis concedi posset: nunc quia id tantum postulent, vt quæ prius concessa sint rata maneant, confirmaturum se populi Romani beneficium, & daturum operam, ne quis illis molestus sit amplius, iuxta instituta patria viuentibus. Hæc Iosephus. Et hac sane ratione, priuilegiorum nimirum concessione Iudæi in officio atque obseruantia, ipsaque adeo in superiores beneuolentia perstiterunt, quam beneuolentiam alio insuper beneficio ædificatione nimirum templi Herodes confirmauit; quod identidem Iosephus his verbis recenset: Decimooctauo, inquit, regni sui anno Herodes post tot præclara facinora, post absoluta tot admiranda opera, eximium aliud concepit animo, Dei templum denuo construere, ampliore ambitu & huic conueniente celsitudine, ratus, id quod res erat, id fore omnium celeberrimum etiam ad posteritatis sempiternam memoriam. Cæterum veritus ne populum difficultate deterritum minus ad hoc obsequentem haberet, aduocata concione, sic eum allocutus est; Non habeo necesse, viri tribules, vt vel gesta vel opera mea commemorem, quæ, ex quo regnare cœpi, plus vobis vtilitatis & securitatis, quam mihi ornamenti & laudis attulerunt, scitis enim ipsi quod in maximis vestris difficultatibus nulla priuati commodi ratione vobis prospexi: & quæ opera hactenus Deo iuuante absolui, vobis potissimum seruiunt, per quæ factum est, vt res Iudaicæ nunc magis quam vnquam antea floreant, quare, vt dicere cœpi, non opus est singillatim percensere, vel vrbes vel alia ædificia, quibus tum Iudæam ipsam, tum alias huic contributas regiones excoluimus: sed illud potius vobis nunc proponam, quod maxime vel ad regionis cultum vel ad regionis ornatum attinet. Templo huic, quod postliminio reuersi à captiuitate Babylonica patres nostri instaurauerunt, desunt ad priscam altitudinem 60. cubita. tanto enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium. nec hoc culpa maiorum nostrorum accidit, per quos non stetit, quin par esset pristinæ structura surgeret: sed hanc mensuram præscripserunt Cyrus & Darius Hystaspis filius: sub quorum imperio quia illi tum vixerunt, sicut postea Macedonum, non potuerunt assequi primum illud pietatis archetypum. Nunc quoniam Deo volente ego rerum potior, cui otium, pecunia prompta, magni reditus suppetunt, & quod maximum est, Romanorum etiam dominorum amicitia, dabo operam, vt quod maiores sub alieno nutu uiuentes non satis accurauerunt, suppleam, & quicquid deest ad honorem Dei, memor acceptorum beneficiorum grate ac pie persoluam. Hac tam inopinata oratione omnium animi sunt attoniti, quod supra spem polliceri videretur: & angebantur magna solicitudine, ne forte demolitus vetus ædificium, nouum non posset absoluere, quare periculosum videbatur consilium, & conatus perdifficilis. Quod vbi animaduertit Rex, iussis

eos

eos bono animo esse. mansurum enim vetus templum integrum, nec demoliendum tantisper dum omnis materia comparetur, quæ sit ad futuram fabricam necessaria, neque eos fefellit. Mille enim plaustra parauit quæ lapides conueherent: & ex omni artificum copia peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille sacerdotes stolis sacerdotalibus suo sumtu vestitos, partim cœmentariæ, partim lignariæ fabricæ non imperitos, hosque omnes adhibuit operi, materia iam ante conuecta. Sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum exstruebat Hæc Iosephus.

EQ. Sed & alio insuper beneficio, Herodes Iudæos mirifice sibi deuinxit: quod Iosephus his itidē recenset verbis. Eodē, inquit anno, qui fuit regni Herodis decimus tertius, maximæ calamitates in eā regionem ingruerūt, siue ea fuit vindicta irati numinis, siue ita ferebant statæ temporū vicissitudines. Primū siccitas diuturna obtinuit, inde insecuta est sterilitas, ne illis quidē fructib. prouenientibus, quos sponte sua terra solet edere. Postea per inopiam mutata victus ratione, morbi iam inualuerunt & pestilentia, succedentibus aliis post alias calamitatibus. Nam hoc ipsum pestem exacerbabat, quod ægroti in tanta penuria nec curam sibi conuenientem, nec alimentum congruum habere poterant: & quotidie multis morientibus, etiam superstites per desperationem curam suorum relinquebant, non profuturam in tantis rerum difficultatibus. itaque absumptis veteribus frugibus, & nullis in earum vicem subnascentibus, nihil spei reliquum erat, malo præter opinionem indies crescente, dum non vno anno etiam semina ipsa pereunt, terra non reddente debitum. quapropter necessitas multa ad præsentem vsum excogitare cogebat: ac ne Herodi quidem amplæ facultates suppetebant, dum fraudatur agrorum reditibus, absumpta in ædificationem vrbium vetere pecunia: adeoque omnia variis malis vastabantur, vt vix esset cui succurri posset. ad hæc accedebat populare in regem odium, quod fere soleat calamitatem culpa in eos reiici, penes quos est regimen Reipubl. Cogitabat tamen aliquā medelam afferre tam difficili tempori, sed modum vix expediebat, quod nec finitimi res ad victum necessarias venderent, eadem pressi inopia, nec pecuniarum tantum superesset, quantum posset omnibus sufficere. attamen videns opus esse, vt omnes ad ferendam opem consilia conferrent, quicquid erat in regia supellectilis tam aureæ quam argenteæ, id totum concidit, nec laudatorum artificium parcens operibus, nec vasis ad vsum necessariis. inde confectam pecuniam mittebat in Ægyptum, quam tum Petronius obtinebat pro Cæsare. Is licet obrutus multitudine ob talem necessitatem ad se confugientium, tamen quia priuatim amicus erat Herodi, & seruatos cupiebat eius subditos, præ aliis eis concessit frumenti exportationem, tam in emendo quam in euehendo adiuuās, ita vt maximū momentum

ad gen-

locum suum restituere: Sidus hoc quod præcipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, & patris triumphos ducat & nouos.

Precatio Plinij pro Traiano suo Principe, in panegyrico Traiani; Præsides custodesque Imperij deos ego Consul pro rebus humanis, ac te præcipue Capitoline Iupiter, precor, vt beneficiis tuis faueas, tantisque muneribus addas perpetuitatem. Audisti, quæ malo Principi precabamur. Exaudi, quæ pro dissimilimo optamus. *Et post:* Quo maiore fiducia iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari iubet, oro & obtestor, si bene rempublicam, si ex vtilitate omnium regit, primum, vt nepotibus illum nostris ac pronepotibus serues. Deinde vt quandoque ei successorem tribuas, quem genuerit, quem formauerit, similemque fecerit adoptato: aut si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, monstresque aliquem, quem adoptari in Capitolio deceat.

Plin. lib. 10. epist. ad Traian. Precati sumus deos, vt te remque publicam florentem & incolumem ea benignitate seruarent, quam super magnas plurimasque virtutes præcipua sanctitate consequi, deorum honore meruisti. *Et post.* Opto Domine, & hunc natalem & plurimos alios quam felicissimos agas, æternaque laude florentem virtutis tuæ gloriam & incolumis & fortis aliis alia operibus augeas.

Iulius Firmicus lib. 1. Mathes. cap. vlt. pro Constantino. Vos etiam, fidi comites, Mercuri & Venus, Constantinum maximum principem, & eius inuictissimos liberos, Dominos & Cæsares nostros, consensu vestræ moderationis, & Dei summi obsequente iudicio, perpetuaque eis imperia decernente, facite etiam nostris posteris, & posterorum nostrorum posteris, infinitis seculorum continuationibus imperare: vt omni malorum acerbitate depulsa, humanum genus quietæ felicitatis munera consequatur.

E Q. Sunt isthæc pro salute Principum vota, documento atque indicio, Principes subditorum curam gessisse vere paternam ac beneuolam. Cum econtra inexplebilis illa imponendorum tributorum, & exigendorum cupido, qua incensi reges, nec subditis parcunt, ac indies eorum fortunas, bonaq; expilant, atque huic rei maiorem fortasse, quam bono publico curam adhibent, multa exigendi genera, & formas quærunt, præmiaque iis tribuunt, qui nouum aliquod vectigalis genus vtile, & quæstuosum inuenerint, animos subditorum admodum alienet. Ergo tributis exigendis, & imponendis modum Princeps teneat, ne aut plura tributa, diuersis temporibus exigat, quam necessitas poscat, aut subditorum opes ferant, neue perdifficiles, & auaros homines ea extorqueat, conducatve ipse, aut oppignoret, pecuniæ summa aliqua accepta, ne denique huiusmodi nouorum tributorum inuentores, excogitatoresque foueat, aut vltro accedentes impune dimittat. Ita enim fiet, vt continentissimus in vtendis, quærendisque opibus sit, & reipub. pariter con- *Tributorum impositio odiosa.*

 sulat.

Tum fremit, & caudam decurrens ducit in orbem,
Et toruum intuitus circu t ille feras,
Tum tremuere feræ, tremulæ sistuntque pauentque,
Atque manent regis iussa superba sui.

EQ. Romanorum olim tributa quæ fuerint, dicam. Primis Reipublicæ temporibus, habito ciuium Romanorum censu secundum facultates vniuscuiusque, imposita fuere onera, quibus Reipublicæ subueniretur, quæ præstatio *tributum* dicta fuit à tribubus, tradente Varrone *quarto de lingua Latina*, quamuis à contributione dictam tradat Vlpianus *in l. ager, D. de verb. signif.* Cæterum crescentibus Romanorum opibus, ipsi quoque se tributis exonerauerunt, factis reliquis Prouinciis subactis tributariis, cuius rei sunt authores Plinius *lib 33. cap. 3.* & Cic. 2. *Offic.* Tributorum autem duo erant genera, vnum personarum, aliud reale, rerum scilicet. Personale, seu capitale erat, quum per capita aurum, argentum, vel æs pendebatur, & dicebatur *Capitatio*. Reale vero, seu prædiale, quum equi, vestes, frumenta, laridum, verueces, vel alia ad annonam spectantia soluebantur, quæ omnia potissimum erogabantur in persoluendis stipendiis, militibus aliisque militaribus necessitatibus. Verum qui capitationem persoluebant, fere nunquam tributo grauabantur; Iulian. itaque Cæsar optimus (quum in Gallias venisset expugnaturus Alemanos, qui eas inuadebant) reperit Gallis, quamuis extrema penuria anhelantibus pro capitibus singulis tributi nomine vicenos quinos aureos flagitari, sed septenos tantum voluit, quibus munera vniuersa complerent. Verum quum Florentius Præfectus Prætorio permensus (vt contendebat) quicquid in Capitatione deesset, ex conquisitis supplendum affirmaret, Iulianus renuit, quippe qui norat huiusmodi prouisiones, seu potius euersiones esse insanabilia vulnera, & quæ sæpe Prouincias ad extremam egestatem perducerent; addens se vere computando edoctum, non solum Capitationis calculum ad commeatus necessarios apparatus sufficere, sed & etiam exuberare; Hinc factum, vt nemo posthac Gallis quicquam exprimere conaretur Camelasij nomine inique. Erat autem Camelasium tributum, quod persoluebatur, expendendum in conducendis seu emendis iumentis, quæ non solum militum sarcinas, sed & cætera impedimenta exercitus in profectionibus, seu expeditionibus ferrent, cui vectionis oneri etsi Capitatione vna cum reliquis satisfactum esset, nihilominus præfectorum auaritia & Camelasium (inique tamen) exigebatur. *Camelasium* enim tributum erat, *Camelasia* vero munus alendorum camelorum, & *Camelarij*, qui curam illorum habebat. *Hæc Marcellus Donatus.*

PH. Permultum ad conciliandum subditorum amorem, & vehementius eorum animos inflammandos facit, si magistratus nonnunquam occasiones, quæ variæ interdum offeruntur, negligat, eo fine, vt subditi paucioribus one-

ribus premantur. Marcus Aurelius bellum gerens cum Marcomannis, ne subditi grauius, inuectis nouationibus afflicti exhaurirentur, maluit omnia vasa argentea & aurea, omnia clinodia & gemmas, vniones, artificiosissimas picturas omniaque aulæa, quæque ipsi pretiosissima in delitiis habebantur à maioribus suis coaceruata & relicta publicę præconis voci subiicere & diuendere: atque inde pecunia confecta bellum illud grauissimum & diuturnum gessit.

EQ. Proprium est subditorum, quoad possunt & per facultates licet, omnibus rebus tam ad defensionem & cõseruationem iustitiæ necessariis, quam aduersum hostiles inuasiones necessariis Principes magistratumque suum iuuare. Ideo Princeps intra hos iustitiæ fines se continens subditis inusitata & noxia grauamina neque imperabit, neq; bonis eorum incommodabit. non etiam feret, vt census & tributa exactores rigidius, atque par est, colligant, aut adaugeant, adeoque euisceratores potius quam exactores dici mereantur. Etenim subditi vltra vires & facultates onerati aut solum vertunt, aut factiosi insurgunt, aut alterius Principis, qui fortasse hostis est, potestati se dedunt.

Quamobrem recte imperator Tiberius cuidam ministrorum, quo pacto minus tamen conuenientibus modis, magnam pecuniæ vim facile co[n]ficere posset, consulenti, respondit, *Boni*, inquiens, *pastoris est tondere pecus non deglubere*.

PH. Pastor tondet, non deglub[i]t pecus: ita enim lanam sibi decerpit, & quotannis noua tonsura veluti vsura, fœnerationis fructus & commoda reportat: quibus priuaretur, si pelle detracta oues exanimaret, verius quam tonderet: sic boni Principis est, ea ratione onerare plebem, vt modice abradat non expilet. Quod si inops egens egensque sit regnum, & velut abstracta pellendum, nec lanam dabit, qua se Princeps vestiat, nec cętera largietur, quibus vrgentem depellat necessitatem. Certum enim & exploratum est, quicquid regno obest, etiam regi nocere.

TH. Huiusinodi exactionum crudelitatem seuera Numinis vltio solet subsequi, vt per Prophetam Michæam *cap.3* testatur Deus, his verbis Principes alloquens: *Audite Principes Iacob, & Duces domus Israel: Nunquid non vestrum est, scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violentas tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum? qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ.* Ob quod scelus pœnam hanc adiungit: *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit; & mons templi in excelso siluarum.*

EQ. Recte Alexander Magnus amico, vt maiora quam hactenus a subditis tributa exigeret, suadenti, recte respondit: καὶ κηπωρὸν μισῶ τὸν [illegible]

ἐκ[illegible]

ἐκλίμοντα τὰ λάχανα, id est, Hortulanum odi, qui ab radice olera exscindit. Plutarchus.

TH. Traianus iniquas actiones detestans, dixit, Fiscum esse veluti lienem, qui dum plus nimio gliscit, artus reliqui attenuantur. Antoninus cognomento Pius ita abhorruit ab alienis bonis, vt nullus sub tali Principe proscriberetur, nisi Atilius Titianus, ob affectatam tyrannidem, & hoc quidem decreto senatus; Titiani vero filium semper iuuit.

Atque hi quidem Principes, & similes his, quos nulla cupiditas impulit, neque libido aliqua illexit aut incitauit ad nefas, nunquam timuerunt, ne in se insurgerent lacessiti, sed ad finem vsque laudatissimi ac veri Principes habiti reliquerunt post obitum non modo statuas & nomen excelsum, verum etiam lacrymas & desiderium, vt de Germanico & aliis testantur historiæ: quo defuncto tanta tristitia & mœror ciuitatem inuasit, vt templa Deorum lapidarentur, vxorumque capita abraderentur: atque ita omnes fuerunt ex obitu illius consternati: quippe qui spem optimi Principis pollicebatur, vt necesse esset, luctum per Senatus decretum deponi.

Contra vero tyranni, qui semper vixerunt in metu, (si tamen, qui metuunt, viuunt) tandem aut vnco tracti, aut in frustra concisi, aut confossi, & in gemonias scalas proiecti, pœnas scelerum dederunt. Quomodo autem contra iniustas dominorum exactiones defendi possint rustici, consuli potest Gail. *2. obs. 62. & de Arrest. Imp. cap. 10. num* 4.

EQ. Nec tamen subditi ab exactionibus ac tributis omnino debent esse immunes. Lucæ 3. Baptista publicanis & militibus concionatur, ac tradit egregia præcepta politica. Functionem igitur approbat, cum doceat recte administrare: *Ne plus quam constitutum est, poscite.* Respublica sine tributis necessarios sumptus sustinere non potest. vult igitur pendi tributa, sed non vult supra legitima tributa, immoderatas expilationes fieri: *Neminem concusseritis, neque calumniemini.* Exerceri vult iudicia, sed sine concussionibus & calumnia. Hæc tota concio ordinem politicum & iudicia approbat. *Tributorum ac vectigalium necessitas.*

PH. Media certe atq; subsidia Imperij ac Principatus in ordinariis & extraordinariis exactionibus, tanquam succo & sanguine consistunt. Quale enim erit regnum & imperium sine præstationibus annuis, imo quotidianis? *Petr. Greg. lib 3. cap. 2. de Republ.* ordinariis & extraordinariis tributis (in quibus salutem ac neruos Reipub. consistere respondebat Vlpianus *l. 1. §. 20. de quæst.* & M. Tullius *in Epist. ad Q. fratrem*) imperium sine vectigalibus retineri nullo modo posse ait.

EQ. *Ærarium* certe Principis, quod maxime Tributis, & Vectigalibus constat; idque ad sacrum Principis patrimonium pertinet, & eius præcipue curam sustinere debet: cum sine eo non solum non subuenire publicis necessitatibus, sed nihil quidquam quæ facienda sunt, conficere possit. Vt e contrario,

tario, Fisco valente, nullo negotio rerum tumorem emendabit, iniuriasque temporum simul & hominum ex facili superabit. *Nam ita demum cuiusque* (inquit Thucydides) *ciuitatis libertas firme retinetur, si adsit Potentia, quæ hostibus, finitimisque populis resistere possit.*

Ideo merito NERONEM initio principatus reprehenderunt Senatores, quod ille cuncta vectigalium omitti iuberet, *dissolutionem imperij docendo, si fructus, quibus Respub. sustineretur, diminuerentur.* Atque id quidem optima ratione: Namque cum Imperium viribus, & armis retineatur, illaque sine pecunia Principes non consequantur, consequens est summam ærarij, quod partim Vectigalibus, & Intributionibus constituitur, rationem habendam esse.

Hinc AVGVSTVS Cæsar *vt perpetuo ac sine difficultate sumptus ad tuendos prosequendosque milites præsertim emeritos, suppeteret, ærarium militare cum vectigalibus nouis constituit.* Idque admodum prudenti consilio. *Non enim aliter* (vtar verbis Iustiniani) *conseruare licet Rempub. nisi præstationes importentur in publicum: ex quibus & militares nutriuntur copiæ, vt resistatur hostibus, ac per agros, & vrbes agantur excubiæ. Perfruuntur item reliqui ordines attributis sibi salariis: reparantur quoque muri, & vrbes: denique omnia alia prouentunt, quæ communem subditorum vtilitatem concernunt.*

Quare consulto consilio HANNIBAL, non solum vetera vectigalia non aboleuit, verumetiam noua addidit, atque adeo effecit *non modo, vt esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, verumetiam, vt superesset, quæ in ærario poneretur.*

TH. Equidem ipsemet existimo, non mediocriter esse ex vsu Reipub. si *Vectigalium* summa ratio habeatur: *cum alioqui impossibile sit sine iis Rempub. conseruari.* ——— *Neque enim quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi queunt.* Et certe gubernationis subleuandæ causa onerum & tributorum rationem introductam fateri oportet.

Tributorum origo.

PH. Originem tributorum repetat ex Polidoro Virg. *de inuent. lib. 2. in tit. de triplici Regiminis genere*: tributum quod antiquis tributus dicebatur, Gellius *lib. 13. cap. 19.* deductum à tribu, quod pecunia per singulas tribus pro ratione census exigeretur *Var. libr. 4. de ling. latin.* Vel verisimilius à tribuendo quod ex priuato in publicum tribueretur *Fest lib. 18.*

EQ. Tributorum tria fuisse genera refert ex Festo Nobiliss. Hyppol. à Collibus de princip. *cap. 12.* vnum in capita, alterum ex censu, tertium ex ra ordinem imperabatur, quemadmodum & vectigalium, vectigal propriè dicitur quod pro inuectione vel deuectione mercium debetur, *Rub. De publ. & vectigal.* Latius tamen publica vectigalia accipio pro iis ex quibus fiscus capit vectigal, vt Salinæ, metallorum, *l. 17. l. 203. de verb. signif. l. 59. §. 1 de hered. instit.*

instit. l. 2. C. Quæ res vend. l. vlt. §. species de publ. Briss. de verb. signif. lib. 19. 1. ex agricultura 2. mercibus exportatis & importatis, 3. Ex agris pascuis, &c.

P II. Rolandus *consil. 91. num. 22.* grauiter Principes monet, ne in subditos per vectigalia crudeliter sæuiant, sed legaliter ipsos amplectantur, & sint forma ipsorum, non dominatores eorum: Competuntque Imperatori ideo Regalia, vt statum Reip. defendat, siue decus & dignitas, siue salus eius spectetur. *Geil. lib. 2. obseruat. 64. num. 3.* Hinc Imperatores dicti, bono Reip. nati, ampliatores ciuium, assertores libertatis publicæ, locupletatores orbis terrarum. *Sixt. cap. 1. num. 23. & seq. Magna enim est quorundam Principum iniquitas,* (aiebat Cominæus de sui æui Principibus) *qui nulla necessitate coacti, pecuniam pro sua libidine imperant, & amplum alunt satellitium, vt miseram multitudinem in metu contineant, eamque deinde pecuniam temere, & voluptuarie profundunt nullo cum Reipublicæ bono, & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, & suos exhauriunt, & assentatorum stipati sunt turba. Sed est Deus, qui flagitium nullum finit esse impunitum, & crudelitatem imprimis detestatur: qui tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut priscis illis temporibus: tamen quæ sit sua sententia, & quid à nobis fieri velit, clare perscriptum reliquit, ita quidem, vt nemo plane, qui modo sit sanæ mentis, & qui ad iustam aliquam peruenerit ætatem, excusandi sit habiturus locum.* Et post pauca: *Et vt ad institutum reuertar, nemo est omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium vnum exigendi à suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur.* Ita ille.

E Q. In Imper. electione pactionibus caueri solet, ne absque ordinum consensu, etiam vrgente necessitate, Imperatori liceat noua imponere tributa, ab Heig. *quæst. 18. num. 7. part. 1.* Acta pacificat. Colonienf. pacificat. Anno 79. 4. Maij. institutæ, adducuntur. Sed neque debet etiam imperator vectigalia, collectas, tributa alienare, sed successoribus reseruare, *post alios Roland. à Valle consil 1. volum. 2. numer. 100. fol. 13.* Qua itaque inquies lege Carolus IV. Wenceslaus prodigus & Sigismundus Impp. talia alienarunt? *vide Iul. Pflugium in Orat de imperio Romano.* Non iniuria Maxim. I. de Carolo IV. dixisse scribitur, fuisse dissipatorem Imperij, alterum Crassum, vitricum Imperij, & pestilentiorem pestem Germanis nunquam contigisse.

Cum itaque in vectigalibus imponendis sæpenumero erretur, vel potius peccetur, cautio in his est adhibenda sedula.

Ac primo videndum, ne grauia, ac intolerabilia ea sint, sed *modica, pro copia* scilicet, aut *angustia rerum*: quoniam quidem *à paucis accipit, qui nimium quærit.* *In tributis & vectigalibus imponendis cautio quæ.*

II. Prouideat Princeps, *ne Prouinciæ* crebris, ac *nouis oneribus turbentur; & vt vetera, sine auaritia magistratuum*, seu Ministrorum *tolerentur*.

instit. l. 2. C. Quæ res vend. l. vlt. §. species de publ. Briss. de verb. signif. lib. 19. 1. ex agricultura 2. mercibus exportatis & importatis, 3. Ex agris pascuis, &c.

PH. Rolandus *consil. 91. num. 22.* grauiter Principes monet, ne in subditos per vectigalia crudeliter sæuiant, sed legaliter ipsos amplectantur, & sint forma ipsorum, non dominatores eorum: Competuntque Imperatori ideo Regalia, vt statum Reip. defendat, siue decus & dignitas, siue salus eius spectetur. *Geil. lib. 2. obseruat. 64. num. 3.* Hinc Imperatores dicti, bono Reip. nati, ampliatores ciuium, assertores libertatis publicæ, locupletatores orbis terrarum. *Sixt. cap. 1. num. 23. & seq. Magna enim est quorundam Principum iniquitas,* (aiebat Cominæus de sui æui Principibus) *qui nulla necessitate coacti, pecuniam pro sua libidine imperant, & amplum alunt satellitium, vt miseram multitudinem in metu contineant, eamque deinde pecuniam temere, & voluptuarie profundunt nullo cum Reipublicæ bono, & de quotidianis sumptibus nihil remittunt, & suos exhauriunt, & assentatorum stipati sunt turba. Sed est Deus, qui flagitium nullum sinit esse impunitum, & crudelitatem imprimis detestatur: qui tametsi non loquitur hominibus hodierno die, sicut priscis illis temporibus: tamen quæ sit sua sententia, & quid à nobis fieri velit, clare perscriptum reliquit, ita quidem, vt nemo plane, qui modo sit sanæ mentis, & qui ad iustam aliquam peruenerit ætatem, excusandi sit habiturus locum.* Et post pauca: *Et vt ad institutum reuertar, nemo est omnium Principum, qui ius habeat, vel teruncium vnum exigendi à suis, præter constitutum annuum censum, nisi populus assentiatur.* Ita ille.

EQ. In Imper. electione pactionibus caueri solet, ne absque ordinum consensu, etiam vrgente necessitate, Imperatori liceat noua imponere tributa, ab Heig. *quæst. 18. num. 7. part. 1.* Acta pacificat. Colonienf. pacificat. Anno 79. 4. Maij. institutæ, adducuntur. Sed neque debet etiam imperator vectigalia, collectas, tributa alienare, sed successoribus reseruare, *post alios Roland. à Valle consil 1. volum. 2. numer. 100. fol. 13.* Qua itaque inquies lege Carolus IV. Wenceslaus prodigus & Sigismundus Impp. talia alienarunt? *vide Iul. Pflugium in Orat de imperio Romano.* Non iniuria Maxim. I. de Carolo IV. dixisse scribitur, fuisse dissipatorem Imperij, alterum Crassum, vitricum Imperij, & pestilentiorem pestem Germanis nunquam contigisse.

Cum itaque in vectigalibus imponendis sæpenumero erretur, vel potius peccetur, cautio in his est adhibenda sedula.

Ac primo videndum, ne grauia, ac intolerabilia ea sint, sed *modica, pro* copia scilicet, aut *angustia rerum*: quoniam quidem *à paucis accipit, qui nimium quærit.* *In tributis & vectigalibus imponendis cautio qua.*

II. Prouideat Princeps, *ne Prouinciæ* crebris, ac *nouis oneribus turbentur; & vt vetera, sine auaritia magistratuum,* seu Ministrorum *tolerentur.*

III. Pe-

Abigat à se scurras, peregrinos, mimos, lenones, scorta, & eiusmodi *amicitiarum*, & virtutum *dehonestamenta*, quibus nihil quidquam vnquam largiatur.

PH. Odium subditorum vt fugeret DARIVS regis Xerxis pater, quum tributa Præsides taxare iussisset, Principes prouinciarum accersiuit, rogauitque num grauati essent: respondentibus illis, mediocriter se habere, statuit vt dimidium soluerent, ne qua auaritiæ suspicio ei obiici posset.

Multo laudabilius M. ANTONINVS Imperator, cum ei bello parando pecuniæ deficerent, vasa omnia, argentea, crystallina, & myrrhina, gemmasque etiam, quas multas in repositorio sanctiore *Adriani* repererat, cumque præcipua supellectile mundoque coniugis, publice vendidit, ne tributa imperando ciuitatibus vel prouinciis grauis videretur.

Quare sapienter CYRVS Rex dicebat, opera regum & pastorum maximam habere affinitatem. Sicut enim ad pastorem pertinet curare, vt pecora habeat læta & succulenta: ita par est Regem ciues & subditos facere fœlices & opulentos, non quotidianis exactionibus infortunatos & inopes reddere; præsertim si loci ingenio tenues sint. Ita quondam DRVSVS Frisiis (quorum solum tunc sterile erat) modicum tributum imperauit, pro angustia scilicet rerum, videlicet *in vsus militares coria boum*. verum, Romanis postea grandiora tributa iubentibus, rebellarunt, adeo vt eorum iugum excusserint, non sine grandi Romanorum fraude.

Constantinus vero *Magnus* posteaquam tyrannidem ab Orbe Christiano depulisset, tributa quoque penitus relaxauit, vt constat ex eius elogio seu inscriptione hac, quæ in Hispania legitur: IMP. CÆS. FLAVIUS CONSTANTINVS AVG. PACIS ET IVSTITIÆ CVLT. PVB. QVIETIS FVND. RELIGIONIS ET FIDEI AVCTOR, REMISSO VBIQVE TRIBVTO FINITIM. PROVINC. ITER. RESTAVR. FEC.

Ita IRENES Imperatrix. mater *Constantini VI*. Vectigalia remisit, multasq; iniustitias, quæ eorum gratia toto Imperio committebantur, penitus sustulit, & præcidit. *Cessauit tum inopum afflictio* (inquit Theodorus Studita) *& pauperum solitudo, non iam quo remedio mendicitatem depellant quærentium, sed vt præuaricationem, & quod desursum quodammodo vt peccati fœtus irrupit, coactoribus persoluant. Non pendunt nunc via terra marique Vectigalia*, &c.

Et vero cum cesset causa, propter quam sunt introducta, quidni eorum quoque fiat remissio? Legimus solemne illud esse Regum Galliæ iuramentum, vt concessis à populo tributis, diserte caueant ea se remissuros, vt primum necessitas, ob quam imposita sunt, erit sublata.

NERO sæuus licet & crudelis Cæsar, tributum Apaniensibus terræ motu conuulsis in quinquennium remisit.

Sic ante eum TIBERIVS Sardinianis propter asperrimam in eos luem, quantum ærario, & fisco pendebant, in quinquennium quoque remisit.

Similiter THEODORICVS Rex Gothorum, Gallis tributa remisit, propter damna ab hostibus accepta.

TH. Si quæ etiam Vectigalia ab Tyrannis ante imposita fuerint, boni erit, & prudentis Principis ea tollere. Sicut PERTINAX *Imper.* Vectigalia omnia quæ ad exquirendas pecunias Tyranni excogitauerant, in fluuiorum ripis ciuitatumque portis, per vias & itinera penitus remisit.

Ita IVLIANVM ciuitates tributis exhaustas, ac pene desertas, mœnibusque orbatas sua liberalitate erexisse, in pristinumque splendorem ex ærario collata pecunia restituisse apud Panegyricum scriptorem lego, his verbis: *Illud vero cuius miraculi est neminem vllum in tanto rerum paratu sensisse dispendium? In omnia pecuniam ab Imperatore depromi, & quoddam versa vice prouinciis pendi tributum? illinc ad vniuersos fluere diuitias, quo prius vndique confluebant? Vt in maxima quæstione sit. à quo accipias Imperator, qui sic omnibus largiaris. Sed qui vitta tua instituta rationemque cognouerit, facile fontem copia huius inueniet. Maximam tibi præbet parsimonia tua, Auguste, Vectigal, quidquid enim alij in prodigas cupiditates prodigebant, id omne nunc in vsus publicas reseruatur.* ô laudatam Principis mentem! & eo hercle laudabiliorem, quo quidquid publice pendebatur, publice ab eo expromebatur.

Principis an eadem quæ Imperatoris potestas.

PH. Sunt, qui Principibus inculcant, eandem iis in suis territoriis potestatem, quam Imperator habet in imperio, competere; quod dogma simpliciter acceptum, adulationem potius aulicam quam veritatem iuridicam redolet; quod adeo verum est, vt etiam nemini absque Imperatoris consensu ad minimum tacito, ciuitatis constituendæ ius sit, quo non interueniente constituta, nec ciuitas nec iura ciuitatis habere putatur. Pari ratione publici mercatus siue nundinæ sine priuilegio Imp. celebrari nequeunt. Huc pertinet ius cudendi monetas, quod tam sanctum & augustum Carolo Magno fuit, vt nullibi quam in ipso palatio mon. tam cudi voluerit, *Armis. lib. 2. cap. vltimo, num. 4.*

EQ. Hoc tamen ius Imperij Germanici Electoribus competit, *Aur. Bull. cap. 10. in fin. Sixtin. num.* 106. *& seq.* vbi in Electoribus ad Rhenum prærogatiuam quandam ostendit, *ex constit. anni* 1501. Et nonnullis principibus concessum est, quibus tamen varia ram de genere, materia, pondere & æstimatione monetæ, quæ ab iis obseruari debent, præscripta sunt, *Sixt. num.* 92. *& seqq.*

Vectigalium institutio penes Imp.

PH. Noua tamen vectigalia (quæ & telonia vel pedagia vocantur) propria autoritate instituere, vel etiam vetera augere, imo ne quidem minuere, nulli Principi vel alij superiorem recognoscenti licet, sed superioritati Imperatoris constitutione saluberrima anno 1576 reseruatum est, vbi etiam omnis prætextus, qui ex nomine Ungeldts / Aufschlags / Brückengeldts / Weggeldts / rc. prætendi posset, præciditur. *Sixti. cap. 6. num. 22.* Atque hæc quidem

non

non nisi iusta & graui vrgente causa, ac publica vtilitate à supremo Principe institui debent, puta, ad auertendum periculum & discrimen in viis publicis contra prædones; aut in aquis, contra piratas; vel ad defendendam patriam contra hostes, vel ad subleuandam sumptuum magnitudinem in reficiendis viis vel sustentandis pontibus, extruendis muris ciuitatis, puteis publicis, &c. Suntque istæ hæ similesve causæ pro impetrando vectigali allegandæ, & vicinorum vectigalium mentio facienda, vt habeatur loci ratio, ne nimiis exactionibus oneretur; proximi etiam Domini superioris & vicinorum intercessio, si haberi potest, precibus inserenda est, vt inquit Mynsing. *obseruatione* 31.

EQ. Ius collectandi quod attinet, Imperator sane & quilibet alius superiorem non recognoscens Collectam superindicere potest; quæ tamen potestas Capitulationibus certis est valde circumcisa. Sic in Imperatoris electione, pactionibus caueri solet, ne absque Statuum consensu, vrgente etiam necessitate, liceat noua imponere tributa, Reichs Abschied *Anno* 1576. Ideo etiam in Galliæ, Hispaniæ, Hungariæ, Angliæ, Poloniæ, Daniæ regnis frequentari constat, nec scilicet absque ordinum consensu, vectigalia siue collectæ imponantur. *Bodin. lib. 6. de repub. cap. 2.* Hinc blandis vocabulis, subsidij, subuentionis, auxilij, Adiutorij, Aidoz, Releuij (Steuwer) non durioribus, tributorum, vectigalium, &c. impetrari videmus; quanquam rogando cogere videatur, qui rogat potentior, *Lips. 4. Polit. cap. 11.* Pari ratione Principes inferiores ex singulari Imp. priuilegio, vel cum Regalibus inuestiti, collectam imponere possunt; quæ Collecta prouincialis Landt Steuwer / vocatur, & à publica siue imperiali omnino discernitur, *VVesenbec. consil. 45 num. 19.* Ciuitates quoque prouinciales & oppida municipalia Imperio per Principes immediate subiecta, & quamlibet aliam vniuersitatem Regalibus & iurisdictionalibus destitutam pro ineuitabili necessitate, sine superioris consensu, conuocatis ciuibus, semel ad voluntariam collationem obstringere posse, nulla iuris ratio impedit. Eo enim modo collecta instituta non censetur de Regalibus, sed vi pacti conuentionis consistens. *VVesenb. consil. 5. num. 10.*

Collectandi ius.

PH. Non autem Principi etiam summo, temere & pro voluntate, sed iusta de causa, subditos collectis grauare licet, Modest. *Pist. part. 1. consil.* 4. *num. 1.* Et tum demum ad extraordinariam collationem peruenire potest, vbi calculus ordinariorum redituum non sufficit. Ante omnia enim Princeps proprium debet excutere marsupium, aliosque reditus expendere, priusquam grauet & talliet (vt ita loquuntur) subditos. Roland. *volum. 2. consil. 1. num.* 67. Principis siquidem potestas iustitiæ ponderibus semper exigenda, *Bodin. de Repub. cap. 8. num.* 102. Iusta itaque ex causa & necessitate, collecta imposita, cum modestia à Principe exigatur, & non se acerbum exactorem, sed humanum præbeat, & paternali modo se habeat, ne ærarium

fiat spoliarium, cruentarumq; prædarum receptaculum, *Althus. in polit. cap.* 8. sed hoc contra rusticos vix (proh dolor) obseruatur, à quibus immanis & leonina fit exactio, *D. Thom. Lindeman in disput. de Regalibus.*

EQ. Tributa & ordinariæ indictiones, quæ possessoribus siue possessionibus indicuntur, vocantur Beede/ *Symphorem. tom. 1. par. 2. num. 7. fol.* 44. Differt autem Beede à Schatzung & Stewer. Nam Beede est quiddam ordinarium, Stewer autem generale quid & extraordinarium, idem quod Schatzung/ & omne id quod confertur. Sunt autem distinctæ species exactionum, Landtbeede vnd Landtstewer/ Item Meybeede/ Herbstbeede. Mynsing. *dec. 11. respons. 2. num. 15. & 17.*

TH. Memini me aliquando legere apud Wesenbecium, posse ipsos etiam subditos tempore necessitatis sibi imponere collectas, quas ab antiquo nominant rurales. Sed hanc potestatem sponte sua concidisse hodie, existimo, cum collectas, quas Magistratus ipsis imponit, vix ac ne vix quidem exoluere, nedum peculiares ac priuatas colligere, queant. Cæterum, quid de operis ac seruitiis, quæ præstare coguntur subditi, statuendum existimatis?

Opera & seruitia rusticorum in Germania.

EQ. De consuetudine Germaniæ operæ & seruitia subditorum bifariam considerantur. Nam quædam sunt certæ, distinctæ ac determinatæ operæ, ad certum tempus vel dies restrictæ, vel ad alias circumstantias limitatæ, gemessene Frohnen/ gesatzte Dienste/ videlicet in mense semel, vel toties in anno seruire, & certas operas præstare. Hancque determinationem in prouinciis suis Elector Saxoniæ sibi faciendam reseruauit: vbi vero certa pacta vel transactiones cum subditis adsunt, ea seruari præcipit. *Nouell. Elect. Augusti part. 2. constit. 52. ibique Daniel Moller. in Comment. Geil. 2. obseruat. 62. num. 12.*

Quædam vero sunt incertæ, indistinctæ, indeterminatæ, nulloque certo tempore modove circumscriptæ operæ, quæ ab arbitrio & religione pendent dominorum, quin & consuetudine religionis, völlige Landterbliche Dienste/ & toties præstari debent, quoties exiguntur iuxta pacta curialia (vulgo Dingnotel) vngemessene Frohnen/ Item vngesatzte/ vnd vngemessene Frondienste. De his indefinitis seruitiis vide votum *in causa* Pfullendorff/ *contra* Zollern Anno 1568. Et an horum factorum, quæ debentur indefinitæ, vngemessene Dienste/ aliqua sit diuisio? vide distinguentem *Gæddeum in l recte. 25. de verbor. signif. num. 21. & Zasium de feud. part. 12. num. 15 & 18.*

Etsi autem alicui indefinita seruitia, vngesatzte/ vngemessene Dienste vnd Frohnen/ & vniuersaliter aller Dienste debeantur: nihilominus, vel secundum antiquam formam ac modum, vel si de eo dubitetur, secundum consuetudinem & morem regionis, & iuxta subditorum posse exigenda ac præstanda

standa sunt: tum etiam iudicis officio, vel boni viri arbitrio modificanda & definienda. *Dd. in l. si sic legatum. §. si mihi de legat.* 1.

Cæterum appellantur operæ rusticorum Frondienste / à sacro, quasi sacræ libertatis, quæ per manumissionem contingit, remuneratio, *argum. 1. Landtrecht art. 53.*

Præstantur autem operæ à rusticis de prædiis quæ colunt, & non tantum nummos vel grossos aliquot pro censu, sed & interdum aliquot modios frumenti; alibi gallinas, anseres, item ceracensus (Wachszinß/) oua, caseos, &c. Sed etiam fere operas (Frohnen/) ij quidem quibus tantum agri à dominis concessum est, vt equos vel boues aratores alere possint; qua de re multis in locis peculiares extant Ordinationes; In Constit. Saxon. Coburg. *artic. 35.* statutum est; si quis tres hubas siue mansa habeat, debet alere equos quatuor; qui vero vnam hubam cum dimidia, vel duas habeat, is debet alere equos duos, eo fine, vt seruitia siue operæ citra remoram eoque commodius possint præstari. Pauperiores vero, qui in patria non habent integram hubam vel mansum, expediunt operas saltem manuarias. *Husan. in tract. de homin. propr. cap. 6. num. 53. 64. & seqq.* Qua in re locales consuetudines inprimis attendendæ, & ad fontes æquitatis ita attemperandæ sunt, vt neque dominorum sæuitia nimia sæpe alatur, neque effrene genus rusticorum, ad petulantiam excitetur, quod non tam simplex & quietum est, vt olim quidem fuit.

Cæterum an indiscrete subditus domino seruire teneatur, de hoc vide *Aimon. Publ. in consuet. Auern. tit* 25. *art.* 18. *num.* 4. *& seqq. & Gail. 2. obseruat. 62.* vbi tradit, quomodo contra iniustas dominorum exactiones defendi rustici possint.

TH. De quæstione, an rustici die feriato Bottschafft lauffen müssen/ disputatum est Ienæ in curia prouinciali, Anno 1601. *Vide Colerum parte 1. process. exec. cap. 9. num.* 68. Et an illorum factorum, quæ debentur indefinite, vngemessene Dienste / aliqua sit diuisio, vide distinguentem Gœddæum *in l. recte* 25. *num. 21. de V. S. & Zasium par. 12. de feud. num. 15. &* 18. *Seruitia diebus feriatis.*

P.H. Quid vero si Nobiles emant bona rusticorum, anne ea seruitiis & oneribus manent innoxia, an vero non minus ab emptore nobili, quam à rustico præstanda sunt onera & seruitia? *Bonorum rusticorum per nobiles emptorum conditio.*

EQ. Præstanda esse affirmat Natta *consil.* 460. *num.* 6. & Crauetta *consil.* 642. *num.* 4. cum & Ecclesia emptrix hoc facere teneatur. *c. si tributum*, 11. *q.* 1. Ratio est, quod qui sentit commodum, sentire etiam debet onus. Cum igitur Nobiles participes sint commodorum communitatis; æquum est, eos non respuere seruitia, maxime vicina. Hinc expresse statutum est *in Constit. Saxon. Vinar. tit.* 36. ne nobiles emant bona rustica eo fine, vt immunitatem

sibi persuadeant, sed onera, quibus bona affecta sunt, sustinere coguntur, ne ipsi emolumenta rusticorum & pauperum euidenti dispendio sibi quærant, *c. conquerente, de offic. ord.* Non enim in præiudicium & perniciem aliorum eiusmodi bona paganica, Nobiles emere & recognoscere possunt, *Crauett. consil. 642. num. 4.* Nec respicitur hoc casu vt dominus loci vel Nobilis, sed vt possessor & emptor bonorum rusticorum; vt ergo vult antecedens, sic non fugit consequens. *Crauet. d. consil. num. 21. vers. tertium.* Hæc Math. Webnerus *in obseruat. pract.* in verbo Dingnotel/ penes quem etiam sit defendendæ huius sententiæ arbitrium. Nolo enim me hisce immiscere guerris.

TH. Non ergo debent capita seu personæ æstimari, sed fortunæ & bona subditorum: Alioquin enim bona parte grauaminum egena plebs demum offlgeretur. Siquidem etiamnum plerumque nobiles in subditos, vrbes in pagos, sua grauamina deriuant. Quod cum fit, nimium plebs premitur, tandemq; cum ferundo amplius non est, iis succumbit: id quod sæpe fit magno cum nobilitatis & amplissimarum ciuitatum detrimento.

Dotatio filiarũ Principum.

PH. Quid vero statuendum de filia Principis, anne astricti sunt subditi Domino elocanti filiam subsidium ferre: & ad dotem constituendam conferre?

EQ. Sane iure communi non probatur, Boerius *decis. 126. num. 56.* tamen notorio vsu Germaniæ contrarium deciditur. Et non tantum in elocanda Principis, sed etiam nobilis filia hoc iure in multis Germaniæ prouinciis vtuntur. Vtinam vero non ipsi etiam ex communi fece officiarij idem attentarent?

Si tamen semel collectis dotata sit secundas contrahens nuptias, non amplius exigere poterit collectas. *Chassen. tract. Des iustices* §. 4. *Rub. 1. in verbo, à mariage.* Quod vero volunt patrem pro vnius filiæ dote posse tantum exigere collectas, *Guido Papa; quæst. 57.* id vsus Germanorum non admittit: vt neque illud, vt pro filia ingrediente monasterium collectæ instituantur, quicquid Felinus putet *in c. in Ecclesia S. Mariæ de Constitut.* Sed hanc quæstionem duntaxat delibo.

TH. Sunt isthæc quæ iam diximus, Tributa, eius conditionis, vt in iis exigendis Principes bene fundatam habeant intentionem. Quod autem quidam vsque eo crudelitatis progrediuntur, vt etiam ex infantum etiam ortu & defunctorum sepultura vectigalia exigant, id vero, quo fiat iure, valde addubito.

Tributa illiberalia et sordida.

PH. Certe Ethici, iubent abstinere Liberalem (qualis cumprimis debet esse Princeps) à quocunque infami quæstu, turpi emolumento, fœneratitio reddítu, parum licito compendio; ab omni denique inhonesta atque illiberali commodorum adeptione. Ex iis enim, quæ turpiter parta sunt, quæq; ex inhonestis commodis proueniunt, quomodo proficisci dandi pulchritudo

possit,

possit, non video, cum deceat inprimis mundas manus donantem habere, quas fœdari illiberali prouentu necesse sit. Non puduit Principem orbis terrarum Vespasianum ex vrina vectigalia colligere. Quid fœdius? Idem homines rapaces in prouincias atque ad obeunda publica munia misit, interrogatusque ab amicis, cur id faceret, respondit, eis se tanquam spongia vti: quia rapinis locupletatos ipse postea spoliaret. Quid à viro Principe alienus? Pertinax Augustus non aliter quam priuatus ac sordidus ciuis mercaturas exercuit. Quid indignius? E Neapolitanis regibus quidam hoc exemplum secuti prouinciales ad inopiam redegere, erepta illis mercaturæ facultate. Quid iniustius?

EQ. Quinetiam sordidi quæstus nudum turpes principibus declinandi. Videmus purpuratos quosdam oblata munuscula, petasunculos, altilia, poma, venalia exponere, lucrum que ex iis quærere, quibus familiares amicosq; pascere par esset, nesciam, iniustius an sordidius comparatum hoc sit. Ex alea lupanarique, decreto etiam publico tributa exiguntur. Quid impurius? tametsi perditissimorum hominum ac mulierum damno exiguntur. Sic C. Caligula fœminarum mariumque lupanar in palatio condidit, ac misit, qui per vrbem cursitantes obuios, vt fructuosum vectigal principi redderent, inuitarent.

TH. Lupanaria & Lenones patiuntur, contra Imperatorem Iustinianum, *Constitution. Nouell. de Lenon.* vt vix vere scripsit Diuus Hieronymus *in Epistola ad Oceanum.* Aliæ sunt leges Cæsaris, aliæ CHRISTI, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit, apud illos impudicitiæ frena laxantur & solo stupro & adulterio condemnato passim per lupanaria & ancillulas libido permittitur; isti boni socij vituperant vinum & tamen bibunt. Martin. Aspilcuet. *cap.17. in manual. confess. pag.* 435. Vectigal meretricibus exactum ex Nicephoro vocat *Portorium impurum, detestabile absurdum Deoque inuisum, feris quibusque barbaris improbum & execrandum piaculum.* Secuti sunt Ethnicos, non CHRISTVM, Lupanaria pro vectigal admittentes. *Lupanaria*

EQ. Qui scientes concedunt lupanaria, lucrum exinde captantes, scelestissimi censentur. Si in exercentes Venerem vectigal statueretur, id vero laude esset dignissimum: Tributorum enim & vectigalium genera, quæ ad coercenda scelera imperantur, omnino iustissima, vtilissima, & sanctissima videri debent *Bodin. lib.6. cap.2. de Repub.*

PH. Vectigalium nouorum & sordidorum inuentores enumerat Alexander ab Alexandro, *Genial. dierum, lib.4. cap.10.* Ex Cæsaribus, inquit, plerique vectigalia noua & inaudita proposuerunt, vt pro edulijs. quæ tota vrbe venirent, pro litibus atque delitiis quadragesimam summæ: sicut Caligula exegit ex gerulis octauam, ex prostitutis, quantum vnaquæque vno concubitu mereret.

Eadem

Eadem fere de hoc Caligula tradit Suetonius *in illius vita cap.* 40. Vectigalia, inquit, noua atque inaudita primum per publicanos, deinde, quia lucrum exuperabat, per centuriones, tribunosque prætorianos exercuit, nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulijs quæ tota vrbe venirent, certum statumque exigebatur. Pro litibus atque iudicijs, vbicunque conceptis, quadragesima summæ, de qua litigaretur, nec sine pœna, si quis composuisse vel donasse negotium conuinceretur. Ex gerulorum diurnis quæstibus pars octaua: ex capturis prostitutarum, quantum quæque vno concubitu mereret.

EQ. Apud Romanos aquæ ductus vectigal soluebatur, *l.* 7. *& seq. C. de Aquaduct. libr. XI.* ad aquæductum purgandum reficiendum, conseruandum, *d. tit.* C. Tum & cloacarum *l.* 7. *C. eod.* In summa, lucri bonus est odor ex re qualibet, *Sueton. in Vespasian.* Etenim etiam vectigal pro vmbra, pro aere, nullo iure exactum legimus, *lib.* 12. *Plin. nat. hist. & in Cedrino, Cuiac. lib.* 10. *obseruat. cap.* 7.

PH. Quod vectigal exactum sit pro vmbra mirum videri non debet, cum voluptatem & amœnitatem emerint Romani, in iisque vsumfructum constituerint: Nam nouum non fuit Romanis rerum minutarum constituere vsumfructum: Sic enim constituebatur vnguentorum & foliorum vsusfructus: voluptatemque absque dubio vtilitati, & amœnitatem necessitati coniungentibus.

TH. Recensuistis multa genera tributorum ab antiquis & recentioribus non sine magna populi iniuria excogitata. Vnum inauditum refe am, in singulas videlicet tegulas, admirandum! quod recenset Adrianus Turneb. Quamuis vero quidam dubitant, an de tegulis ædificiorum vel venalibus id tributum sit accipiendum, tamen ratio suadet, vt de ædificiorum accipiamus, cum in Lotharingia de singulis fenestris tributum soluatur.

Vectigal pro vitiis. *EQ.* Quid miraris? Etiam pro vitiis vectigal tributum. Narrat enim Gilbert. Cognat. *lib.* I. *Narrat.* conduxisse quendam portorium ad amnem, qua pons transitum præbebat, hac conditione vt illac iter facientes singuli de singulis vitiis persoluerent nummum vnum. Aduenit quidam scabiosus & maculosa facie, ab illo petitur portorium vnius nummi, vt erat constitutum: qui cum recusasset pendere accurrit petitor & pignoris loco detrahit viatori pileum atque ibi apparet in caluitie alterum vitium Alopeciæ. Ergo duos iam inquit nummos solues: Minime inquit viator & luctari incipit: cumque prosterneretur à validiore altero, conspicitur etiam tecta veste hyernia: Tres igitur inquit portitor iam nummos peto, quos ille qui vnicum initio recusabat, tum numerare coactus fuit.

PH Co-

PH. Coguntur quandoq; ad hæc facinora publicani. Plus enim offerenti dicunt locanda vectigalia. Impie Vincent. Caroc. *tract. loc. cond. par. . pag. 71.* quæ tamen doctrina *ex l. licitatio. & ibi Castrens. de publican. & vectigal.* probatur: nisi dixeris volenti non fieri iniuriam, & cum non admittantur nisi præstiterint fideiussores idoneos, *d. l. licitatio*. Scæuum etiam dogma, opinor, in eum finem collectas imponendas vt vel potentiores plebem, vel plebs optimates exugat: vt penes optimates vel plebem maneat authoritas: quod tamen arcanis annumerat Arnol. Clapmar. *lib. 2. cap 13.* maneat hoc arcanum sepultum. Concedo tamen eo vtendum status necessitate vrgente.

EQ. De niue quoque vendita vectigal soluitur. *Parlador. lib. 1. cap. 3. §. 2. num. 14. pag. 73.*

PH. Margaretha illa Noruegiæ & Daniæ regina à Sueuis victo *Alberto* in regnum assumpta, Sueonas & Gothos grauissimis tributis exhausit, ita vt certam pecuniæ summam pro qualibet cauda iumentorum exigeret; Florenum pro foco quolibet; marcham vnam Stocholmiensem à quolibet coniugio, præter grauia alia tributa, quæ singulis septimanis & mensibus extorquebantur. Sed istæ excusatius quam viri, dicet quispiam: quod in genere rapacium mulier sit semper melior, vt ait regula aucupii.

EQ. Decorum an sit, an captiosum, quod Angliæ reges vsurpare fertur; nimirum Rex Angliæ subsidium quandoque à particularibus petit, quod *Beneuolentiam* appellant, atq; hic quilibet contendit, ne videatur erga Regem suum amore carere.

TH. His exigendæ pecuniæ modis nostris temporibus alia accessit species quam rex ex piratis trahit & ab iis quibus licentia per mare Hispanicum mũdumque nouum prædandi conceditur. Quod etiam Reges Tunenses consueuerunt, & hodie etiam Rex Algirensis facit, qui piratis receptum ad se concedit, sub hac conditione, vt mancipia secum prædamq; partiantur. *Boter. in relat. part. 2. lib. 1. pag. 16.*

EQ. In Gallia tributum ex mercatura honorum sumitur turpissimum. *Bodin. l. 6. de Repub. c. 2.* Commodus tamen liberalis alioquin, à Senatoribus tributum exegit & crimina viris & mulieribus intulit, vt acceptis facultatibus morti condemnatos adiudicaret vel incolumes seruaret. *Dio in Commodo l. 72. pag. 831.* Familiare enim est Principibus vt egentes ad subleuandam inopiam iniusta tributa excogitent & manus alienis rebus iniiciant, *Vincent. Castell. de offic. Regis. l. 3. c. 10. pag. 400.* Deinde regulariter luxuria, superbia, prodigalitas trahit semper secum sæuitiam in exigendis tributis: qui enim multum profundit, necesse est, vt exugat fere populi sanguinem, *Caluin. ad cap. XI. Daniel. num. 20.*

TH. Laudabiliter admodum Antoninus Pius, cum institutus à quibusdam hæres testamento esset, vbi cognouit, liberos illis suos esse, repudiauit hæreditates

tates. At longe aliter C. Caligula. Is enim post immensas profusiones ad avaritiam atq; rapinas conuersus, testatores, vt ipsum hæredem scriberent, cogebat, quos postea, si superuixissent, veneno tollebat; ridendos ducens quod condito testamento superuiuerent.

PII. Quoniam multa est hæc in exactionibus offensionum materia, certæ cautiones Reipub. Moderatori sunt adhibendæ, atque inprimis, vt ne grauia sint vectigalia.

In quo peccauit, & pessime audiuit C. Caligula, qui scribente Tranquillo; *Vectigalia noua atq; inaudita primum per publicanos; deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunosque Prætorianos exercuit: nullo rerum aut hominum genere omisso, cui non tributi aliquid imponeret. Pro edulis, quæ tota Vrbe venirent, certum statumque exigebatur, &c.* Qua ex re, in quantam inuidiam adductus fuerit, satis testatum faciunt coniurationes in illum factæ, ex quibus impressione à coniuratis facta 30. vulneribus confectus, ætate florenti interiit.

TH. Iacobus Brocardus Anno 1581. edidit librum de prophetia: in quo inter alia multa mōstrat, in omnibus sacris libris inesse prophetiam vsq; ad postrema tempora, cuius euenta non sint adhuc perfecta; eaque probat ex propheticis & Apostolicis scriptis: sed & varia exactionum genera, quibus hodie magistratus quidam expoliant populum, pro domo, pro camino, pro capite, pro vino, pro frumento, pro farina, pro latrinis (vt Imperator ille) pro prædio, pro iugere, & pro aliis innumeris. Vt nihil edas, nihil bibas, nihil habeas, nihil possideas, quin singulis momentis propria & prius tua emas & redimas a Tyranno. Cui si addas Ecclesiastici quoque ordinis horrendas expilationes, apud quos pro quouis etiam maximo scelere, si pecuniam soluas, liber es: imo etiam consideres, pro eadem gratiam Dei & regnum cœlorum, quæ Christus solo merito suo parauit, emercari posse: miserius homine sub sole nihil esse, fateberis.

EQ. S. Ludouicus Galliæ rex in suo testamento (quod seruatur in thesauro Franc.) Philippum hæredem ac filium suum in hæc verba alloquitur: *Fili mi ante omnia in eam curam incumbe, vt Deum cultu & amore prosequaris: animo sis erga humano erga mendicos & ærumnosos homines illusq; pro viribus open feras. ... regni leges obserues: ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas vrgeat, neq; in festa vectigalia regni compellat, idque non vltro, sed graui de causa facito, si secus facis, non Rex, sed tyrannus habeberis.*

TH. Vetustissima est Gregorii Pontificis sententia *lib. 4. Epist.* 33 qui scribens ad Constantiam Augustam, illamque obsecrans, vt Imperatorem maritum suum doceret de miseriis & calamitatibus Italiæ, quæ tributis & vectigalibus sic opprimebatur, vt vix respirare posset, hæc habet: *Scio quoniam dicturus Imperator* scilicet, *) quod nobis in Italia expensis transmittitur, quicquid ... lis aggregatur: sed ego suggero, quod etsi minus expensæ in Italia tribuantur, ...*

Exactiones cum admistione peccati.

men imperio oppr ssorum calamitates non mitigantur, nam idcirco fortasse tanta expensæ in hac terra minus ad vtilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admistione colliguntur Præcipiant ergo Serenissimi Domini, nihil cum peccato colligi.

EQ. Alphonsus Ferrius Italus: Eduardus III. (inquit) Anglorum rex, cum exactores tributi populo impositi aliquando ingentem aceruum pecuniæ ex eo tributo collectæ, delectandi ipsius animi gratia, coram addux ssent, subito dæmonem circa ipsum aceruum ludentem videre visus est, & ob id huiusmodi pecuniam, vt rem functam abhorrens, illico auferri ab oculis, restituiq; populo iussisse fertur.

TH. Regino Abbas Pruniensis in Chronico, *vnde principibus sua nascantur infortunia, morbi & alia exitiosa*: Hilpericus (inquit) Rex descriptiones nouas per consilium Fredegundis in omni suo regno fecit, vt vnusquisque possessor de propria terra, de vno Arpenne vnam amphoram vini ad partem regis daret, & de iug ro modium vnum. Vnde populus valde oppressus vociferabatur ad Dominum. Misit autem Dominus plagam in domum Regis, & ipse ægrotare cœpit, & duo filii eius mortui sunt. Rex perteritus descriptiones combussit, & tributum indulsit. *Imp. Lud. 3. PP. Sergio 3.*

EQ. Exactiones tamen mediocres iure diuino concedi constat, ex Matth. *cap. 17. 25 Luc. 4. 12. 13. Rom. 13. 1. Pet. 2. 2. Sam. 23. 1. Paral.* 29. quæ etiam ob id conceduntur Episcopis, *Petr Greg. lib. 3. cap. 6.* Non ergo sunt dicendæ tyrannicæ, vel tyrannorum propriæ, cum ne quidem odiosæ recte dicantur *Palador. lib. 1. rer. quotid. cap. 3. numero* 32. licet seruitutum instar se habeant tributa & collectæ cum prædiorum libertatem minuant. *Tiber. Decian. consil.* 41. *num. 116. vol.* 2. adeoque sunt fauorabiles tributorum exactiones, vt non possint præscribi contra Imper *per ea quæ tradit Balbus de præscription. 2. parte. 5. partis principal quæst. 7. num. 2. pag.* 423 Quoad interpretationem tamen odiosæ videntur, *Bossius de Vectigal. num. 10. practic. & tract. varior.* *Exactiones mediocres.*

PH. Cruenta etiam potest dici ex tributis collecta, attamen necessaria, *vt in simili loquitur Cicero* 1. *Philipp.* pecunia. Non tamen minutissima quæque curare, vel etiam sordida amare debet. Carolus Mala testa dicitur Pincernam suum acriter obiurgasse, quin etiam verberasse, quod poculum in quo musca desederat, pauimento effudisset, potuisse enim muscam frustulo panis eximi: quid Princeps ille tentasset, si quæstor solidum abiecisset vel neglexisset? Magnus nunquam erit Princeps qui pecuniam nomini & existimationi præfert.

EQ. Modeste ergo exigantur, & vt vere tributa, (tribuendo, diuidendo,) id est, per partes. Valde enim hoc (tenuiores præsertim) sublevat, cum possint, paulatim & per partes, quæcunque ex præscripto modo debent, inferre. Absint vero e conuerso illa extrema: ne boues ipsos, mox agros, postremo corpora seruitio aut pœnæ tradant.

TH. Non debent exquirere nouos subinde sinus, & varia prædandi vocabula: cent. simas, quadragesimas, quinquagesimas: columnaria: Hostiaria, & quæ alia exactionibus illicitis nomina Gryphi isti effingunt.

PH. Quam turpis ille Homeri, (Iliad. α.) δημοβόρος βασιλεὺς, populiuorus princeps? Populo namq; pecuniam eripere, idem est, quod vitam. Et vidcmus audimusq; quotidie, quam multi principum pecuniis acerbe conquirendis, plus inuidiæ sibi quam virium addant, *Tacit. libr. 3. hist.* Itaque intente & cum cura insitum hoc odium, qua potest, detergendum aut molliendum.

Alexander olim recte: Hortulanum odi, qui ab radice olera excindit; & ego sane principem, qui pennas ita incidit, vt nequeant renasci. Atque hæ quidem, si nimium incidantur, insurgent & clamabunt miseri subditi, sibi quoque duos Deos esse, Paupertatem & Impatientiam. Denique pacem fortasse exuent, Principis magis auaritia, quam obsequii impatientia. Profecto enim, qui nimis emungit, elicit sanguinem, *Prou 30.*

EQ. Semper videndum vt ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruant, vt omnes intelligant necessitati esse parendum. Quod si nihilominus populus renuet, tum in consilium adhibendus est Themistocles. Is enim ad Andrios super pecunia legatus: duobus diis comitatum venire se dixit Suada & Violentia. Nimirum prior illa diua semper adhibenda, melius namq; est impetrare quam imperare; altera, cum est opus; atq; tunc suasio ab eo qui iubere potest, vim necessitatis affert.

Suada & Violentia.

TH. Omnino alleganda est tributorum necessitas, hac enim deficiente, tantumq; pro imperio exactis tributis, odium & inuidiam subditorum Princeps incurrit certissimam. Tales fuerunt: Vespasianus, qui (vt tradit Alex. ab Alexandro, *Gen dier. lib. 4. cap. 10.*) vectigalia reuocauit noua, & grauia prouinciis auxit. Alexander Seuerus braccariorum, linteonum, citrariorum, pellionum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum & aliarum artium vectigal instituit: ex quo thermas, quas fundauerat, pluribus vsibus ornauit. Antiquis etiam Romanorum, ex agris & nouabibus decima seminum dabatur v. ctigalis nomine: namque aratores decimam frumenti populo Romano pendere cogebantur.

PH. Circa Babyloniam tanta canum Indicorum alebatur multitudo, vt ad præbenda eis cibaria, quatuor in eadem planicie magni vici attributi aliorum tributorum immunes *Herodot. lib. 1.*

EQ. Rectius Tiberius Cæsar, qui centesimam rerum venalium in ducentesimam relaxasse dicitur. Et Nero in initio sui principatus, quo gratiam popularem aucuparetur, quintam & vigesimam venalium mancipiorum remisisse, & Traianus vectigal vigesimarum sustulisse fertur. Hinc insignis illa Henrici Stephani ad Principes commonefactio:

Ne

Nolite facere quod libet nisi licet,
Neq; faciatis quod licet, nisi decet:
Sic gerere sese principes Deo libet.

Studeat Princeps retinere & seruare amorem subditorum. Subditorum enim beneuolentia, principum thesaurus est & custodia, *Plutarch. in Arate.* Hinc Romani olim ex tributis quædam etiam victis remiserunt, ad bonitatis opinionem acquirendam, *Liu. lib* 14. *Tac.* 2. *Annal.*

Tri. Scribit Herodianus *libr.* 2. *Histor.* Pertinacem Imp omnia vectigalia, quæ ad contrahendas pecunias tyranni excogitauerant, in fluuiorum ripis, in vrbium portubus, perque vias & itinera penitus remisisse & decem annorum immunitatem & perpetuam libertatem concessisse, (qui tamen vmbra vitæ in Imperio tantum vix trium mensium vsus est anno ætatis 61. vel vt aliis placet 66. Romæ occisus:) Nisi enim sæpius in turbato imperio acum & filum sumseris, & rupturam consueris, princeps tunc, neque Respublic. florere poterit. Sic Demetrius promptus erat in remittendis vectigalibus & tributis co fœderatis 10. 11. 12. *libr* 1. *Maccab.* Sic Annib. apud Carthaginenses priuatis remittebat, publicis tributis reformatis, *Liuius Decad.* 4 *libr.* 3. Sic Cæsar Hispalensibus *Oppius de bello Hispan.* Sic in Scotia exactum tributum est restitutum à Rege, quique iussit Exactores desistere à reliquo extorquendo *Buchan lib.* 10. Sic quoque Eugenius IV. Romæ seditione exorta & populo clamante: Diabolus auferat noua vectigalia & rapiat auctores, remisit vectigalia & tributa. M. Aurelius Antoninus labentibus vetustate oppidis auxilium tulit, tributa vectigaliaque vbi necessitas cogeret, remisit, eleganter & erudite Iouian. Pontanus *lib. vn. de liberalitate pag* 107.

PH. Ea non fuit præditus bonitate Imper. Pescennius Niger, is rogatus ne noua tributa imponeret vel augeret respondit, Non tantum terræ verum etiam libenter aeri & vento vectigal imponerem. *Æl. Spart. Bestia.* Leofricus Merciorum Comes remisit quoque grauissima vectigalia, quibus suppressit Conuentrenses, sed nulla alia lege relaxari voluit, Godiua vxore obnixe intercedente, nisi ipsa nuda frequentissi nam vrbis partem obequitaret, quod promissum suis obtecta præstitit, à nemine visa, *Cambden. Histor. Angel. pag.* 449.

EQ. Summa huc recidit. Coniungendum est ius regnandi & parendi. Nam quæcunque necessaria sunt ad regnum administrandum, bellum gerendum, pacem conseruandam, iudicia constituenda Oeconomiam augendam Regi. *cap.* 17 *Deuter.* tempore necessitatis & vtilitatis publicæ, non eripiuntur: Lex his cupiditas & abusus priuata habendi libido, quæ Rempubl. veluti tabes corpus occupat, prohibetur *Althusi in politic. cap.* 9. *pag.* 90. modus enim exactionibus statuendus, alioqui in arbitrio Regis relictus, ne propter ditissimas exactiones subditi exhauriantur & Rex odiosus reddatur populo 1. *Regum.*

capit.15 l.vnic. C.de Superexact. Exod.22. Iob capit.3. absit violentia & suasio locum principem teneat licet & hæc ab eo qui iubere potest, vim necessitatis afferat. Lipsi.lib.4. Polit capit.11. Tacit.libr.14. Annal. Frachetta libro 1. De Principe capit. 14 pag.84 Et exigere debet cum omni modestia & mititate, sine flagitio, sine noxa, sine iniuria Princeps. Barthol. Philipp. in tractat. del consiglio & de consiglieri discurs.13. numer.14. absit quoque auaritia quæ in Principe viro est imprimis turpissima, & iudice Novell. Consil.t.8. tum in omnibus mortalibus, eleganti ssime Iohann. Chrysostomi. Homil. 84. in Matth. 26. pag 674. totius nequitiæ initium, & terminus vocatur, & idcirco legitimis ictibus est facienda. l. si quis 33. C. de inofficios. testam. quamobrem recte Pontanus de immanitat. pagan. 321. fomitum omnis immanitatis maximum vocat. Non acerbum se exactorem nec contumeliosum præbeat, sed moderatum & cum efficacia benignum, & cum instantia humanum, vt de creditore loquitur Vlpian. in l. bene 33. de vsurpat. Capitolinus in Pio Cæsare procuratores suos modestissime suscipere tributa iussit, excedentes modum rationem factorum suorum reddere præcepit: neque vnquam lætatus est lucro quo prouincialis oppressus est: Et Theodoricus REX admonuit Marcellum ne plus tribueret fisco quam iustitiæ, Cassidorus libro 1. Epistol. Epist. 22. ne insolitis tributis exactis cessent consueta, hoc est, ordinaria, Plin in Panegyr. ad Traian. Prudentissime & religiose Ruin. Consil.116. numer.5. volum.4. Exactores debent se habere paternali modo (quod non seruatur contra istos pauperes rusticos, sed ab illis fit leonina exactio) ne ærarium fiat spoliarium, cruentarumque prædarum receptaculum, vt eleganter loquitur Althus. in Politic. capit.8 pag 87. Exod. capit. 22. vers 25 l. nemo. C. de exaction. trib. libro 10. Principibus auaris ob pecuniæ studium nomina imponuntur, quæ diutius ac cognomina, vel [illegible] nomina durant. Sic Robertum Regem Neapolitanorum fiscalem appellarunt Iouian Pontanus lib 4. de obedient. pag.34.

Laudantur Reges Hispaniæ quod summa humanitate & moderatione imponant tributa, approbantibus Regni procuratoribus, Plebis tribunis ac subditis, in Comitiis, Parlador. lib. 1. Rerum quotidian. cap.3. pag 57. Quamuis Vasquius referat lanarum vectigal subditis impositum, non consultis Procuratoribus Regni, neque celebratis Comitiis, libr. 2. §. 17. numer. 102. fol. 180. De succes. creat. postea tamen in Comitiis improbatum. Quod vectigal æquissimam habet rationem ne peregrini lanam abducant, & subditis lucrum præripiant, cui conuenit prudentissima Electoris Saxoniæ Augusti de lanarum in vicinis oppidis venditione constitutio.

PH. Potissima fere principum huius seculi consultatio, quo pacto & arte aceruus pecuniarum sit colligendus; quod ex Plinio tradit eruditus Scipio Ammirata in C. Tacit. lib 3. cap.8. pag.113.

Pecunia quomodo honeste colligenda.

EQ. In hisce omnibus Exactionibus mihi perplacet Reguli à [illegible] tradita.

traditā. Qu d si q is est, qui scire d me velit quodnam genus vect g l ... commodi. ... Principibus honestissimum, ... illud est quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos ciuium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant, quod recte Principes qui Aquilonis regionibus imperant, ad vinum extendunt, & nullum vectigal maius habent, quam ex vino, quo sublato ... possint, tamen nolint, sed assidue ... se ingurgitabunt semper. Generaliter constituendum est earum rerum vectigal augeri bona conscientia posse, quibus carere sine magno incommodo possumus, *Bodin. lib. 6. cap. 2. de republ.*

TH. Vectigal etiam iudiciarium, quo litigantium temeritas coercitura Caligula ... teste Cyro Spontone, *lib. 9. cap. 4.* Si restauraretur, operæ pretium fo..et.

EQ. De vectigali capitis, vulgo Hauptgeldt / quid sentiam vnguem ... donec ... necessum propemodum videtur. Dicam aliquid tamen, quantum id quidem apud autores extat; prolixius dicturus suo loco. Pro capite m ... indicebatur aureus, pro fœminę capite dimidius singulis annis *Rubri. C. de Annon. lib. 10.* vel pecunia per capitationem virilium in singula personarum capita collecta. *Exod. capit. 30.* vbi Iunius putat fuisse hanc collectam extraordinariam. *l. ... de C. ... l. cum antea. C. de agric. & censit.* Alciatus capitationem, nomen tributi ordinarii esse existimat, sed male *in l. 1. nu. 1. C. de sacros. Eccl.* — Vectigal capitis.

PH. Huius generis sunt detractiones, vel deductiones Abzug vnd Nachsteuer / quas iure communi in bene constituta Rpub. confirmari posse exceptis liberorum descendentium hæreditatibus, censet Teub. *in qua. iur. ciuil. & saxon.* docet.

TH. De vigesimæ exhibitione simul & remissione Plinius *in Panegyrico Traiani* ... scribit: Vigesima (inquit) reperta est, tributum tolerabile, & facile hæredibus duntaxat extraneis, domesticis graue. Itaq; illis irrogatum est: his remissum, ... licet, quod manifestum erat, quanto cum dolore laturi, seu potius non laturi homines essent, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent: quæq; nunquam, vt aliena & speranda, Sed vt sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cœpissent. Hæc Plinius. — Vigesima exhibitio.

EQ. In contributionibus & tributis nulla esset melior & æquior & tolerabilior lex, ac lex Iulia, quæ est *l. vlt. C. de Edict. D. Hadrian. tollend. Paulus 4. senten. lib. ... Plinius in Panegyr. ad Traian. Dio lib. 55. Bodin. lib. 6. de Rep. cap. 2.* imposita extraneis hæredibus non ... ita, vt quæ hæreditates, legata, donationes mortis causa ad hæredes externos peruenirent, earum pars vigesima ad fiscum perueniat, quam legem neque ... duram, neque iniquam, neque

grauem

grauem eruditissime disputat Ioan. Sturm. vir eloquentia ac rerum cognitione tum vario vsu excellentissimus *Serm.3. de bello Turcic. à pag.* 147. *ad* 182. & idcirco in vsum Reipub. reuocandam: quemadmodum nonnullos eam reuocare studuisse mutatis nominibus putat Bodin. *d. lib. 6. cap. 2. pag. 656. per l. 1. C. de imponend. lucratiu. descript* Manumissos vicesimam suarum fortunarum soluisse ærario monet Liuius *lib. 2. Bodin. d. lib. 6. cap. 2.* quo in loco genera tributorum & vectigalium copiose enumerat, ostenditque pecuniam ex agris publicis, ex hostium spoliis, amicorum largitione, ex aliorum vectigalibus, ex euectis, inuectis, ex tributis colligendam conficiendamque.

TH. Sit modus in rebus. Tributum, vectigalia quibuslibet etiam palliantur nominibus, apud subditos odiosa sunt. Aspera in vulgi auribus vox est, res in animis, nec alia crebrior odiorum sedes. Testanturque historiæ omnium temporum, subditos nimia seueritate oppressos tandem ad seditiosa consilia decurrere. Et quemadmodum, (vt inquit Plutarchus in vita Cleomenis) ex asinis putrefactis gignuntur scarabæi, qui aquilis sunt infestissimi: ita cum vulgus nimia mole oneratur, degenerat in scarabæos, id est, in homines seditiosos, turbantes rempublicam & inimicos imperiis. Hinc prudens illa ad Ducem Mediolanensem commonefactio, quæ extat apud Baptistam Fulgosium. Cum enim dux Mediolanensis Philippus certis quibusdam conditionibus populum Genuensem sibi deuinctum haberet, & fines obligationis teneret: Genuenses oratorem consilio & eloquentia præstantem Mediolanum miserunt, qui meditata oratione Ducem intra metas officiorum reuocaret. Erat autem status & solennis dies Ioannis Baptistæ: quem Dux Mediolanensis maximo apparatu conuiuiorum celebrauit. Quare cum legato Genuensi nullus ad Ducem pateret aditus, propter festi diei celebritatem; & res domi ita constitutæ essent, vt summam in conficiendis mendaciis celeritatem desiderarent: mirabili arte Legatus id quod volebat, obtinuit. Inclusit in ollam recentem Ozymum seu basilicam: eamque Duci agitanti conuiuia offerri iussit. Dux accepta olla, & conspicatus in ea herbam omnibus notam, amicos interrogauit, quid sibi hoc munus vellet. Cumque intellexisset ab oratore Genuensi hoc, quicquid erat, transmissum esse: mox cum ad se accersi mandat. Orator vbi venit in conspectum & colloquium Ducis, interrogatus de significatione Symboli, summam rei ad hunc fere modum exposuit: Populus Genuensis magnam habet cum Ozymo seu Basilica cognationem & similitudinem. Nam si Ozymũ extremis duntaxat digitis attingatur, non ingratum odorẽ diffundit: Sin autem tritum omnino atque pressum fuerit, fœtore suo naribus molestum est: denique ex succo ozymi Scorpiones nasci aiunt. Ita populus Genuensis lene imperium & æquabile, quod non discrepat à formula obligationis, ferre potest: iugum vero tyrannici imperii quacunque ratione potest excutit. Itaque si tuis rebus consultum cupis, & illa Genuen-

Exactiones, seditionum incentiua.

ses in officio ac fide retinere, nulla inusitata onera nostris hominibus impones: Hac sapienti oratione non modo Ducis animus ad iustitiam moderationemque reuocatus est: sed etiam res eo deductæ sunt, vt populus Genuensis, qui domi tumultuabatur, audito responso Oratoris sui, omnia officia Duci Philippo cum summa beneuolentia deinceps præstiterit.

EQ. Periculosæ sint insperatæ illæ exactiones, patet etiam ex oratione quam habuit quondam Gorellus Orilia ad Ladislaum ducem Neapolitanum. Cum enim Ladislaus victus fugatusque ab hoste ex agro Casinate Neapolim confugisset, ibique de comparanda pecunia, ad restituendum exercitum admodum esset solicitus, decerneretque suadentibus quibusdam magis partium studiosis, quam sapientibus viris, noua quædam inusitataque tributa parentibus populis imponere: ea re cognita Gorellus, quanquam senex ac pedibus laborans, regem adiit, & qua erat comitate atque prudentia: Quam, inquit, vereor, ô rex, ne, dum hostium impedire conatus ac repellere vim studes, id ipse agas, vt tuos in te populos popularesque noua ob tributa iratos excites, prouocesque in odium ac maleuolentiam. Quid obsecro, qui tibi male volunt, quique aduersariorum rebus fauent, quid inquam, aut magis cupiant, aut vehementius optent, quam id consilii vt ineas, quod auertere à fidelitate atque in te beneuolentia & studiis quam facilime populares tuos queat? Atqui hæc quidem & vna & certissima est ad idipsum via: quam vt ineas, qui rebus tuis male consultum volunt, sub beneuolentiæ speciem suadere tuto habeant. Quocirca consilia hæc vt parum vtilia, vt minime salubria, atque ab hostibus tuis magnopere expectata, ex animo tuo prorsus eiice, quodque summa tibi centum millium opus est, eaque præsenti, nobis familiaribus tuis atque administris, quorum vna futura tecum est fortuna, cogendam inter nos atque enumerandam statue. Atque his dictis assumto confestim calamo, paucos quosdam regis ex administris designauit, quanta cuique sibique inprimis ipsi pecunia irroganda esset, notata, eaque è vestigio persoluta est. Prudentissimum sane pro re ac tempore & datum à Gorello & acceptum à rege consilium est. Quo effectum est, vt ex hac subsidiaria paucorum eorumque fidelissimorum hominum contributione, peruersis hostium obuiam iretur consiliis, regisque necessitudini, & popularium consuleretur beneuolentiæ ac quieti.

PH. *Atheum* Lydiæ regem, crebra ac grauia populis tributa imperasse legimus; in quibus exigendis sæuus, improbus, inexorabilis erat. Verum cum tantam iniuriam diutius populi ferre nequirent, nocturna tessera inter se data, subito hominum concursu illum cum omni familia trucidauerunt, regiaque incensa, eius cadauer vndetractum, in Pactolum flumen demerserunt.

EQ. Placilla Imperatricis statua sub Theodosio Magno ob impositum vectigal nouum deiecta fuit.

Refert Marcellinus *libr. 17.* cum Iulianus Imperator tributum à nobilibus Rhenensibus exigeret, Florentium ducem Moguntinum, Animam prius amittere velle, quam hoc sinere fieri dixisse. Norat enim, huiusmodi prouisionum, imo euersionum, vt verius dixerim, insanabilia vulnera sæpe ad vltimam egestatem prouincias contraxisse.

TH. Facile in obsequio possunt contineri subditi, modo iustum adhibeatur moderamen. Dummodo à domesticis atque externis bellis tuti victitent, nec est, quod sibi à vi aut occultis expilationibus metuant subditi, facile ac paruo contenti ad sublimia non tendunt, modo tamen victualia tolerabili pretio parare queant. Testimonio nobis esse potest populus Israeliticus: quãuis enim in Ægypto seruitutem seruirent grauissimam, & à seruis Pharaonis immensis laboribus nimium pressi vix respirare possent, libertatem tamen propter victus abundantiam fere prostituerunt. Contra vero, aqua aut aliis rebus in deserto deficientibus tumultuantur, morosiusque de auctore, qui ex Ægypto eos eduxisset, conqueruntur.

Tributorũ moderamen

EQ. Apud Romanos cum Senatus ob *Hannibalis* bellum vidisset maximã ingruere pecuniæ remigumque necessitatem, legimus *Consules* edixisse, vt priuati ex censu ordinibusque, sicut antea, remiges darent cum stipendio cibariisque: ad quod edictum tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit, *vt magis dux, quam materia seditioni deesset, dicebantque se, vt dent quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi posse; bona sua venderent, in corpora quæ reliqua essent, seuirent, ne vnde redimantur quidem, quidquam superesse.* Cumque in maximis difficultatibus consilium hæreret, *M. Valerius Lauinus*, alter Consulum Patribus suasit, si quid inferiori iniungendum esset, id prius in Senatores, Equitesque statuendũ, sic fore, vt omnes obedirent: ideo eos hortabatur, vt singuli Remp. iuuarent; effecitque vt anulos sibi quisq; & coniugi, & liberis, quæq; ad Deorum cultum spectant, reseruarent: cæterum, omne aurum, argentũ, æs signatum ad Triumuiros mensarios extemplo deferrent, *nullo ante Senatusconsulto facto, vt voluntaria collatio, & certamen adiuuandæ Reip. excitaret ad æmulandum animos omnium.* In hac autem narrat Liuius, tanto animo consensum, tantumq; argenti, & auri collatum fuisse, *vt nec Triumuiri accipiundo, nec Scribæ referendo sufficerent: ita sine edicto, sine cohortatione magistratus, nec remige in supplementum, nec stipendio Respub. eguit.*

TH. Assuerus cum animos subditorum offendisset, eo quod in imperio suo talem tributorum exactionem instituerat, qualis antea nec sub Cyro, nec sub Cambyse vsitata fuerat, (vnde etiam vulgo dictus fuit κάπηλος, hoc est, institor aut caupo, quod in omnibus rebus exerceret cauponariam,) magnificũ instituit conuiuium, vt & animos eorum, quos institutione tributorum offenderat,

fenderat, beneuolos sibi redderet, & ostentatione magnificentiæ & potentiæ suæ deterreret factiosos, ne quid in ipsum molirentur.

EQ. Experimento didicit *Carolus VI.* Lutetiæ Parisiorum, quam periculosus sit atq; intolerabilis plebis ex impatientia exactionũ enatus concursus, de quo sic Gaguinus: Humilis (inquit) ex Parisianis plebecula, nouis quasi furiis acta, querebatur se vectigalium magnitudine premi. Itaque Præpositum mercatorum aggrediens ad concionem hominem venire cogit, vbi vnus è plebe audentior vice multitudinis petit pensiones & vectigalia tolli, quod quandoquidem olim postulassent, nec fuissent exauditi, adesse iam tempus, cum satis illis factum esse oporteat. Concitatæ multitudini pleriq; sobrie obsistere cupientes, rati si in crastinũ res differretur, cõpesci furorẽ posse, in posterã diem negocium remittebant Quod intelligẽs quidã veteramẽtarius sutor, temere exurgens: *Pompa*, inquit, *Aulicorum; & fastus, in humeros populi recidunt, & quæ ab illis in luxum profunduntur, damna nostra, & calamitates sunt.* qua communione factum est, vt Regis mandato domum abire iussis, vectigalia tollerentur.

TH. Ad Christianorum sub Turca degentium conditionem transeo. Tempore Muratis exiguum tributum fuit Christianis impositum & tolerabile, nullam vt inde Christiani raperent occasionem moliendi res nouas: quippe non tam inclementer à Turcis vrgebãtur, vt natas sibi segetes, aut boues suos aut filios filiasue pignori dare, tributi soluendi causa cogerentur, vt loquitur Ioannes Lewenclauius, *lib. 5. Histor. Musel. fol.* 242. in Gallia 1338. populi rogatione decretum refert Bodinus *lib. 6. cap. 2.* ne vllam tributi aut vectigalis genus, nisi consentientibus ordinibus imperaretur, quo tamen tempore Philippum Valesium vectigal salis excogitasse, scribit Robertus Guaginus *lib. 8. pag.* 143. Mahomet Turcarum Imper. in extremis constitutus, teste Cominæo, nil magis deplorauit, quã ꝙ supra debitum, & legitimum modũ auxisset tributũ.

Postquam vero Tributorum impositio semper sit periculosa, & sæpius causam belli præbeat *Georg. Buchanan. libr. 13. Histor. Scot. pag. 465.* præsertim breui die solutioni præfinito. *Buchanan. li.* 10 *in Rege* 102. summopere laborandum & prospiciendum est ne seditio oriatur.

EQ. Modum ergo Princeps sumat ex facultate subditorum & Reipub. vsu & necessitate. Achæus Lydorum Rex modum nesciens suspenditur à subditis, vnde Ouidius:

Morte vel intereas capiti suspensus Achæi,
Qui miser aurifera teste pependit aqua.

TH. Tributorum acerbitatem Vandalos à religione amplectenda deterruisse scribit Crantzius *libr. 4. Vandal. c. 6. & c. 25. pag. 93. lib. 3. Metrop. ca.* 31. 39 43. Ex quo refer Watemundus de Erenberg *in meditament pro fœderib. c. 2. pag. 193.* vbi addit, acerbum tributum mouere subditos ad rebellionem & seditionem. *Tacit. 3. Annal. & 4. & 13. & Plutarch. in vita M. Antonij*: Homines

Augusto infensi erant, propter immodicas tributorum exactiones. Carolum V. in Algiram proficiscentem salutabant duo Reges Cuch, & Tramazinus quærentes Baptismum Christianæ fidei auidissimi; Verum Paulus III. anno 1534. Pontifex creatus tributum fidei & quidem infinitum, quo Reges deterriti in auita superstitione manserunt. Et quid hodie fiat in ditionibus Principum, non licet dicere. Reperiuntur enim homines hanc artem exercentes, qui non tantum omnem religionem & pietatem suspectam reddunt, repertis nouis vocabulis tributorum, sed etiam hostes conscribunt in propria regione: qualem enim credis esse amorem subditorum erga Dominos? Ponerentne tuto caput, non muniti satellitibus in sinum subditorum? Quid inde mali expectandum sit, etiam rustici explicare poterunt. Odium oritur, contemptus ex odio, contemptus conspirationes gignit, aduocantur & inuocantur potentiores & auxilia potentiorum, iis vocatis vastantur agri, vici exuruntur, oppida euertuntur, commercia impediuntur, subditi ad paupertatem rediguntur, virtute clari pelluntur, iuuentutis flos è medio tollitur, cæteri in seruitutem & perpetuam miseriam abducuntur. Non faciam vt enumerem miserias omnes, in quas incidunt inprimis pauperes non tam Principum voluntate, quam aulicorum improbitate & malitia, ne bonorum mœrorem exagitem & alios in luctum vocem.

Exactores.

EQ. Hoc exploratissimum est, Exactores partem tributorum sæpius auertere falsis rationibus, aut nomine impensarum, vt in regno Scotiæ euenisse notat Buchananus *lib.10.pag.*357. Tales publice bene mulctandi, & infamia sunt notandi.

PH. Etiam illi, quibus salarium est constitutum, sub prætextu iuris iustorem agunt, ac cum difficultate aluntur, Buchan. lib. 16 Hist. pag. 539. Quales vero homines debeat deputare princeps ad exigenda vectigalia & tributa, docte tractat Franchetta *lib.1.cap.14.de principe, pag.*83.

Mancipes. Ansuri. Arabarches. Decumani. Portitores. Pecuarii. Arcarii.

EQ. Variis Exactores tributorum apud autores insigniuntur nominibus; causam illius variationis pro suo quisque iudicio ac discretione, vt lubet, metiatur. Vocantur enim in Iure, Exactores, 1. Mancipes, Ansuri & Arabarches *Rebuff. in l.16. de V.S. fol.148.* Mancipes sunt publicanorum Principes, Romani homines, si decumas redimunt Decumani appellantur, si portum aut pascua, vocantur portitores aut pecuarii, *Iuretus libr. 5. Epistol. Symmachi ad Epist. 63.* ac erant immunes à militia Mancipes *Demost. in Orat. contra Midiam.* Arcarii illi, qui exigendis recipiendisq; tributis præpositi erant & in arcam vel mensam Præf. Prætorio mittebant *Tit. de suscept. propos. & arcar. Cuiac. Nouel. Constit. 147.*

Octonarii. Telonarii. Publicani.

Octonarii Exactores vectigalium pro inuectis vel euectis, namq; soluebatur octaua pars *l. ex præstatione C. De vectigal. Myns. in §. vniuersitatis Institut. De rer. diu.* Publicani conductores vectigalium publicorum quibus societas permissa fuit, arca cõmunis *Tit. De vectig. & publica. Eguin. Baro in l.1. Quod cuiusq; vniu. nom.*

Horum

Horum omnium factiones plenæ audaciæ & temeritatis *l. 12. De publican.* & apud Exteros & ciues inuisæ *Cicer. in offic. Stob. lib.* 2. sæuissimæ feræ in montibus vrsi & leones; in vrbibus publicani & calumniatores.

PH. Vulgus nomina hæc non intelligit: rem ipsam bene nouit, quamuis sæpius vt res, ita nomen quoq; possit ignorari. Donell. *in l. 72. De verbor. obligat.*

EQ. Nil vetat quare his non velimus annnumerare Trierarchos, qui homines spoliant & deprædantur, quibus tamen improbis licentia data, vt si rapinas texerint, iis fruantur, si deprehensi fuerint, veniam impetrent, *Demost. in Orat. De Coron. præfect. nauig.*

TH. Reperiuntur hodie Magistri nouos modos collectandi & pecuniæ conficiendi opera, studio, diligentia, labore excogitantes & Principibus venditantes, quibus solenne est, vt Principibus persuadeant collectas institui posse sine iniuria, sine damno subditorum, & nullum ex subditis fore, qui non hilari vultu & summo cum gaudio tributũ impositum soluat: nimirum vt sponsus ac sponsa nuptias celebrantes Ioachimicum soluant, cui vero filius vel filia nascitur, eundem expediat: à quo genere vectigalium parum differt, quod refert Rosenthal, ratione matrimonii & dotis soluendum in Italia *cap. 5. de regal. concl. 34. num 3. pag. 135.* *Vtilitas præcipua.*

EQ. Tales, inquit, celeberrimus & magnificus Cõsiliarius Riminaldus: Tales digni sunt non præmio sed laqueo, virgis & gladio dignissimi Cõsulẽtes inquit Rebuff. Principi, vt noua imponat tributa & vectigalia, sine magna causa esse in inferno pœnis tartareis cruciandos perpetuo, *ad l. eum De V. S.* allegans illud in Machab. *Et tu qui inuentor omnis malitiæ factus es, non effugies manum Domini: Cogita itaq; quod morieris & cito & generatio tua cito extinguetur. Paul. ad Rom. 1.* illi enim Deo quo pacto possunt esse grati, qui vt floreant, proximo in calamitate, nulla spe salutis apparente, tabescendum sit? *Numinis ira ineuitabilis ne impie agas multum, & noli esse stultus ne moriaris in tempore non tuo. Eccl. cap. 7.*

TH. Talis fuit de quo propheta Daniel, *cap. XI. num. 20.* loquitur: & talis peribit non in ira vel in prælio, sed alio funesto genere mortis.

EQ. Talis fuit Monsieur de Rhosnii Magister Financiarum in Gallia, qui multas reperit nouas impositiones, ac promisit Regi, se populo paucorum annorum spacio tributum Regno æquiualens extorsurum: cuiusmodi est edictum Regium Ann. 1604. publicatum, immunitatem atq; exemptionem ab omnibus oneribus publicis continens ac promittens, quicunque certam summam in fiscum deposuerint.

PH. Isti homines omni seculo fuere reperti: scribit enim Cæsar *de bello ciuili lib. 3.* Multa generatim ad auaritiam excogitabantur in capita singula seruorum, ac liberorum imponebatur tributum, scilicet à Scipione: Columna-

ria, Ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur. Cuius modo rei nomen reperiri poterat hoc satis esse ad cogendas pecunias videbatur. Sic turpissimis rebus honesta nomina imponũt, hominibus imponentes, quod lepide Poeta de Regina Bona notauit:

Qui tibi, tanquam Bonæ. sacris dum tingeris vndis:
Imposuit nomen, omnibus imposuit.

Cicer. in 4. Verr. Bonum prædicant isti exactores quod pessimum est in regno: Et generaliter nulla res sic exterminat bonum, quemadmodum simulatum bonum: Nam manifestum malum, quasi malum fugitur & cauetur: malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur nec cauetur, sed quasi bonum suscipitur, & idem coniunctum bono exterminat bonum, Chrysostomus *Homilia 19. in caput 7. Matth. Tom. 2. pag.* 879. lepide Satyricus:

Omnibus in terris, quæ sunt, à Gadibus vsque
Auroram & Gangem pauci dignoscere possunt,
Vera bona, atque illis multum diuersa remota,
Erroris nebula.

TH. Si vera bona intelligerent mortales profecto aut sola, aut inprimis quærenda amplectenda consensu firmo iudicarent.

Qui bona spernere, spreta retundere non dubitauit,
Qui mala prætulit is lucra retulit, as cumulauit.

inquit Bernhardus Morlanensis *lib. 3. de contemptu mundi.* Hi fucum & imposturam facientes sunt principibus grati & accepti, vt & adulatores tum voluptatem ac luxuriæ ministri, quibus secretiora domus commissa sunt: Et pestiferi delatores. Ex primi ordinis nominibus oriuntur noua vectigalia, diutum insidiæ, proscriptiones, rapinæ, spolia, enormes mulctæ: adulatores vero mentiendo blandiendoque Principum mentes infatuant, vt parum distent ab insanis: Consilia Principis commendant, quamuis pernitiosa ac turbulenta: cum sit consilii inops prudentiam admirantur, cum sit stultus, illum plus aliis sapere profitentur, vt verbis vtar non meis, sed Poggii *in tractat. de infelicitat. Princip.* Sed hi omnes plerumq; suo solent fuere capiti, vt in prouerbio dicitur: vt & Principes ipsi: qui licet eligant aptos suis affectibus, vt quisque Rex vel Princeps auarus est, aut vafer, aut crudelis, aut libidinosus, ita etiam cupit habere amicos & familiares, vel auaritiæ, vel astutiæ, vel crudelitati, vel libidini non contradicentes. Caluin. *cap. XI. Daniel. vers. 26.* tamen tandem calamitatibus oppressi talium consiliariorum adulationem & infidelitatem sero deplorant, & experiuntur quam sint improbi & perniciosi Consiliarii, qui ad beneplacitum Principis vota referunt, iustitiam, veritatem & obedientiam negligentes, vt eleganter notat Palæotus *De sacr. Consist. consul. par. 5. quæst. 4. pag. 299.*

Adulatores nefarii.

PH. Cauendum ergo Principi à Quæstoribus huiusmodi & Exactoribus

Tributorum. Quorum fraudibus atq; captionibus ex facili medebitur, si eorum numerum recidat. Nam quo pauciores erunt, hoc facilius eorum cupiditati occurret; aut certe, si quid detrimenti necessario ferendum est, multo minus à paucis sustinebit. Enimuero vix credibile est, quam inexplebilis sit eorũ hominũ cupiditas, & auaritia. Nã si populus debeat pendere viginti, ob sumptus, & expensas 50. aut 60. exigentur, nec sine maximis multorum subditorum lacrymis, & querelis: in quos proinde merito inuehitur D. Laurentius Episcopus Mediolanensis: *Quid est publicanus? nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? Quid est publicanus? Prædo sine pudore, medicus exterminii: nonne immanior furibus est publicanus? fur namq; vel timens furatur: hic autem delinquit confidenter. fur laqueos legis timet; hic quicquid fecerit, legem putat, lex furem deterret ab illicitis; hic ad iniquum malitiæ suæ compendium legem trahit.*

EQ. Narrat Ioannes Bodinus, se Comitiis apud Tectosages interfuisse anno 1556. in quibus supplicatum Henrico II Galliæ Regi, vt istas hirudines, & Ærarii depeculatores ab ea prouincia amoueret. Nam obstricta fide pollicebantur, se ad diem præscriptum Vectigalia solututos, & in eam Regni partem, qua Regia Maiestas designaret, integra fide, ne obolo quidem desiderato, suis sumptibus delaturos: sicque fore, vt Rex maioribus expensis parceret, debitum aurum reciperet, & Tectosages ab ea molestia, ac miseria eximeret, quas à plurimis Coactoribus, & Ærariis sustinebant. Regi æquam & rationi consentaneam rationem visam, non tamen admissam, aut approbatam ob vana quædam argumenta, quæ ii, quorum rapinæ damno futura erat eiusmodi concessio, & quidam ex Regis intimis, qui illis suffragabantur, attulere. Si Rex paruisset consultorum consilio, mirum quantum sibi, & Reipublic. consuluisset. Ita enim plurimum commodi consequutus fuisset, & inexplebilem Quæstorum auaritiam sustulisset.

Id factum est ab Henrico IV. Galliæ Rege. Namque pace tota Gallia firmata, nihil prius initio Imperii habuit, quam in toto regno recidere magnũ numerum Coactorum, & Quæstorum Ærarii, prioribus Regibus non tam necessitate, quam temporum conditione, & consuetudine toleratum. Quin hoc amplius, (ne quid deinceps molimenti à prauis pecuniæ publicæ administratoribus in æraria strueretur) Cameram rationariam, vt vulgo loquimur, constituit, quam Cameram Regalem nominari voluit, eamque componi viris integerrimis, spectatissimisque, iisque lectis è Curiæ conscriptis, qui in abusus, & captiones Quæstorum inquirant, animaduertantque. Imitentur alii Principes: prudẽter enim faciẽt, si ab hac cẽsura, vt ille, Principatũ auspicẽtur.

De Londinensibus scriptum nobis reliquit Froissardus, cum tempore *Richardi, Regis* Edoardi F. inexplebilem Coactorum auaritiam amplius sustinere nequirent, in eos insurrexisse qui fisco abuterentur inscio Rege, & ignaro. Iussis itaq; reddere rationes, summa deprehensa fuit perfidia, atque rapacitas: quo factum est, vt pleriq; omnes capite minuerentur. Re-

Reges etiam Galliæ vltimo affecisse supplicio sublestæ fidei Exactores Galliæ Annales testantur. Testis *Ludouicus, Philippi F.* qui Dominum de Marignii, quod sequius se in administratione muneris sui gessisset, in furcam egit. Testis denique *Carolus VII.* qui peculatus crimine conuictum Dominum de Cyac sacco insui, & in amnem mergi iussit: in cuius locum cum suffectus fuisset Camus de Beaulieu, immemor supplicii sui decessoris, nihilo secius fraudulenter se in munere suo administrans, non ita diu post ab eodem Rege iussus est necari. Enimuero, si hanc seueritatem exercerent Principes hodierni æui, non dubie non essent tam multi perfidi Coactores, & pecuniæ publicæ aduersores, quorum technæ palam augentur indulgentia, in maximam subditorum, ac Principum fraudem, & captionem.

TH. Finiam hanc materiam prægnantem (quam infra tamen tractabimus prolixius,) memorabili eaque tragica historia, quam recenset Erasmus Roterod. *in lingua*, his verbis: Ostenditur, inquit, Lutetiæ in foro frumentario os cloacæ, in qua sepeliri se iussit quidam, quem sero pœnituit mali consilii. Viderat Regem tristem ac solicitum: causa mœroris erat angustia rei pecuniariæ. Is quo regem subleuaret, suasit, vt ex minutis etiam rebus, quas rustici deferũt in vrbem, vnum aut alterum æreum numulum exigeret, idque in biennium duntaxat. Et cum viderent, ex eo in vrbe frequentissima colligi pecuniæ vim non modicam, ad hoc exemplum plures exactiones excogitatæ sunt.

Qui dederat consilium, cum videret, se non idem authoritatis habere in dissuadẽdo, quod habuerat in suadendo, in maximos animi mœrores incidit, adeo, vt de salute quoque sua desperaret, & vt de seipso pœnas sumeret inconsulti consilii, simulque moneret alios, ne ad eundem impingerent lapidem, testamento cauit, vt in ea cloaca sepeliretur, in quam totius illius fori sordes confluunt, in quo manet etiamnum in hunc vsque diem exactionis executio.

Habent hic speculum consiliarii illi, qui, vt grati sint dominis, quotidie nouas excoriationes excogitant, quibus miseros subditos ad sanguinem vsque emungunt: sed caueant, ne dum aliis aurum comparent, illi animæ iacturam faciant.

EQ. Et ego de plebis concursu ac seditionibus hoc identidem addo. Quando bellua hæc multorum capitum sæuire semel occipit, tunc neque modum tenere potest, nec exitum vllum reperit; Et non secus, vt ille ait:

Multitudinis furor quomodo pensandus.

——quum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spacia, & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

PH. Difficulter certe laxatis frenis, furor plebis sedari potest. Nunquam enim fere sine sanguine, populi tumultus sedatur.

EQ. Furor tamen ille efferatæ multitudinis, licet interdum terribilis, dura-

durare tamen diu non poteſt, quod hiſce verſibus Claudianus, *de bello Gothico*, exprimit:

Sed caret euentu nimius furor, improba nunquam
Spes lætata diu.

Quare temere illi faciunt, qui populo innixi, & magnas res ſuſcipiunt agendas, & ſuſceptas ſibi ſucceſſuras ſperant. Parum namque præſidii, inquit Cominæus, poſitum eſt in promiſcua multitudine, niſi contineatur aliqua neceſſitate & imperio: tametſi tempus incidat, quum populi furor & repentinus impetus valde ſit pertimeſcendus. Recte itaque teſte Plutarcho, dici poteſt, non poſſe multitudinem eodem modo & duce & aſſecla vti. Nam quod eueniſſe draconi fabula ſignificat, nimirum caudam in diſſenſione quadam à capite poſtulaſſe, vt non ſemper ſequi cogeretur, ſed alternis quoque ipſa præiret; ſortitamque ducendi munus, & ipſam male afflictam fuiſſe, vtpote quæ ambularet improuide, & caput contra naturam coactum cæcis ſurdiſque partibus obſequi, grauiſſime offendiſſe: id videmus multis eorum, qui in gratiam populi omnia in republica agunt, obtigiſſe quippe quum ſe multitudinis temerariis impetitibus citatæ abripiēdos dediſſent, neq; corrigere poſtea neque inhibere confuſionem eam valuerunt. Non fruſtra igitur Moyſes vir Dei inter alias benedictiones populo Iſraelitico cuſtodienti leges diuinas promittit, poſiturum eum Iehouam in caput & non in caudam, foreq; duntaxat ſurſum & non deorſum, *Deut.* 28.

PH. Recentioribus temporibus, anno videlicet 1547. magna quoque ſeditio per Aquitaniam orta fuit propter ſalinas, & vectigalia à Rege impoſita, rebellantibus in ipſum Burdegalenſibus, qui furore magis, quam ira percitì Præfectum ipſum Regium trucidarant, verum manus illi regias vindices ſenſerunt, dum Rex Conneſtablio & Aumalio ductoribus, magna militum manu Vrbem inuaſit, ſeditioniſque auctores partim capite mulctauit, partim ad triremes relegauit, & quod ſummum fuit, priuilegia & immunitates omnes abrogauit, denique vt tanti facinoris noxam vniuerſi expiarent, Conneſtablius ſingulos adegit, vt humum qua tectus erat Præfectus, nullo inſtrumento, ſed vnguibus digitiſque ipſi reuellerent, ac poſt illa facibus manu accenſis, toto clero comitati exhumato iam nouum & honorificum funus de integro facerent.

Hoc etiam addo de ſubditorum oneribus, quando forte magiſtratus ſubditis onera imponit iniqua: tum ſane peccant præcipiendo iniqua, non peccant autem ſubditi præſtando & ferendo ea onera. Exempli gratia: Pharao labores & onera Iſraelitarum aggrauat: ipſe ſane peccat grauiſſime: ſubditi autem Iſraelitæ præſtando labores illos non peccant. Quando vero magiſtratus mandat aliquid, quod etiam reſpectu ſubditorum impium eſt, & cum obe- *Onera ſubditi ferendo non peccāt.*

 dien-

dientia, quæ Deo debetur, pugnat, ibi locum habet, quod Petrus in Actis inquit: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Et illud Christi: *Date Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & quæ Dei, Deo.* Sicut fecerunt obstetrices Hebrææ, *Exodi 1.* Serui Saulis, *1. Sam. 22.* Socii Danielis, *Dan. 3.* Daniel ipse, *Daniel. 6.* Mater item septem filiorum vna cum filiis suis, *2. Macchab. 7.*

Seditiones vitandæ. De seditionibus quoque vitandis nos admonet Paulus *Rom. 13.* cum scribit, eos qui magistratui resistunt, iudicium accepturos. Quod Christus verbis aliis expressit: *Qui gladium acceperit, gladio peribit.* Nullam vnquam seditionem impunitam mansisse scribit Syracides: & testem habet rerum manifestam experientiam, & diuinæ vltionis exempla horrenda in Abimelecho, *Iud. 9.* Absolone, *2. Sam. 18.* Sebafi filio Bichri, *2. Sam. 20.* Rechob & Baena, *2. Sam. 4.* Bigthan & Theres *Esth. 2.* Vidit nostra ætas etiam exemplum ad omnem posteritatem memorabile, in bello rusticano. Ergo ne admisceamus nos seditiosis, sicut grauiter hortatur Salomon, *Prouerb. 24.* Agerem hæc prolixius, sed venter mihi male latrat. Proinde infra latius de his suo agemus loco.

APHO-



APHORISMVS VIII.

MAGISTRATVS SVBDITORVM PRECES benigne audiens, identidem à Deo precum suarum exauditionem habebit paratam.

8. Inaccessus nimirũ existis hominibus propter celsitudinem huius, quod hic deorsum est imperii, facilis idem aditu es indigentibus ob vim supernæ illius potestatis, atq; aperis aureis his qui à paupertate obsidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum. quales enim erga nostros fuerimus conseruos, talem circa nos reperiemus dominum.

Ἀπρόσιτος μὲν ὑπάρχεις ἀνθρώποις διὰ τὸ ὕψος τῆς κάτω βασιλείας· εὐπρόσιτος δὲ γίνῃ τοῖς δεομένοις, διὰ τὸ κράτος τῆς ἄνω ἐξουσίας, καὶ ἀνοίγεις τὰ ὦτα, τοῖς ὑπὸ πενίας πολιορκουμένοις, ἵνα εὕρῃς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀκοὴν ἀνεῳγμένην· οἷοι γὰρ ἂν τοῖς ἡμετέροις γενώμεθα συνδούλοις, τοιοῦτον περὶ ἡμᾶς εὑρήσομεν τὸν δεσπότην.

8. Inaccessus es quidem hominibus propter sublimitatem regni terreni: accessu autem facilem te præbes iis, qui tuæ opis sunt indigi, propter potentiam potestatis cælestis: Et aperis aures iis benignas, qui à paupertate circumsidentur, vt aurem Dei apertam inuenias. Quales enim erga nostros nos gesserimus conseruos, talem etiam dominum erga nos experiemur.

* *
*

DISCVRSVS,

TH. Si quis à Principe aut alio viro primario petere aliquid vult, petitionis suæ compotem se facilius fore cõfidit, si ab alio quopiam viro fide digno, magnæq; æxistimationis, literas vna exhibet intercessionales; probe huc potest accõmodari. Est quod misellus quispiã, destitutus humano auxilio atq; intercessione, à Principe petat; exhibet is nõ hominis, sed Dei ipsius intercessionales, nimirũ: *Declina pauperi sine tristitia aurẽ tuam, & redde debitũ tuũ, & responde illi pacifica in mansuetudine*, Eccl. 4. Et Deut. 1. *Nulla erit distantia personarũ, ita paruum* *Dei pro supplicantibus intercessio.*

 audie-

audietis, vt magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudicium est. En ipsius Dei intercessio, quę quanti valoris (quum vnius sæpe hominis intercessio maximum soleat habere in promouendo aliquo negotio pondus,) apud quosuis, viros præsertim principes, esse debeat, ipsi per conscientiam, imo ipsum Dei amorem vt iudicent, æquum est.

EQ. Sed nec illud est principibus; vt quo videri volunt cælesti magis procreati semine, eo se gerant demissius, affabilesque magis præbeant. Nam & ipse Deus, Optimus vocatur; non Christianorum tantum linguis, sed pene omnium gentium: quod compellatu sit facilimus; & à gratiosissima sua facie tristem discedere permittat neminem.

Φιλανθρωπία Principis.

P.H. Φιλανθρωπία siue Humanitas est virtus in Principe omnium gratissima, ad ineundam gratiam beneuolentiamq; seruādam. Nihil enim iucundius his qui reguntur, esse potest, quam cum intelligunt, aures illius qui regnat eis patere, nec quæreris eorum clausas esse, aut de occupationibus causari. Quo quidem nomine Traianus à Plinio sic prædicatur in Paneg. *Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim, dimittuntur statim.* Nullaque sit personarum distantia; quin potius paruum æque audiant atque magnum. Nō enim nobilibus solum & optimatibus aut aliis præcipuę notæ viris, aures dandæ sunt, nisi & plebeculæ. Siquidem vt vere Socrates *in Aiace* inquit:

Sæpe paruis magnorum res,
Confirmantur.

Ad summam: quod Q. Ciceroni Marcus frater suggerit, hoc Principi dictum & commendatum velim: *Facillimos esse aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solicitudinem, non modo vllo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua, & cubiculo exclusam tuo: toto denique in imperio nihil acerbum esse, nihil crudele, atq; omnia plena clementiæ mansuetudinis, humanitatis.* Etenim hac comitate atq; suauitate morum, omnes facillime adamantinis tibi vinculis obligabis.

EQ. Nihil est tam regium, tam liberale, tamq; munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines, *Cic. 1. de Orat.* Nihil econuerso est tam deforme, quam ad summum imperium acerbitatem naturę adiungere. *Cic. ad Q. Frat. Epist. 1.*

Hinc merito in Prouerbiis loquitur sapientia Dei: *Qui facit misericordiam, inueniet vitam, & qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, ipse clamabit, & non exaudietur.* Et apud Michæam inquit Dominus: *Indicabo tibi ò homo, quid bonum, & quid requirat Dominus à te, Vtiq; facere iudicium & diligere misericordiam.* Quæ duo mutua opera magnitudinis optimi sunt, & hominis præterea non humana modo, sed diuina laude dignissimi, quippe Deū ipsum vestigiis consectantis, qui nec iudicat sine misericordia, nec miseretur sine iustitia, quemadmodum preclare in Psalmo Propheta decantat: Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, Iustitia & pax osculatæ sunt.

TH. Iu-

TH. Iubet Ecclesiasticus *cap.* 4. vt Magistratus in ferendis sententiis sit imperterritus, & quod iustum ac rectum est, eloquatur intrepide. Periculosum enim est, violare iustitiam, & Deum lædere, ne homo lædatur. Quod si tanta vis sit, vt nequeat obsistere, caueat tamen, vbi prodesse ipsius autoritas nequit, timiditas ne noceat. Nunquam in culpa sit conscientia; sed eius temeritas atque potentia, qui per leges cogi non potest. Siquidem recte agere atq; iuuare, in potestate semper non est; at non peccare, semper liberum atque integrum est. Quare cura omni ac studio operam ipse nauabit ne cuiusquam hominis gratiam in iudicando aucupetur; sed neque querelarum assiduitate, rerum multitudine, contentionum varietate, fugiatur, neu plebis, sexusque conditio, aut calamitas, aut inopia, aut squalor ab officio sic ipsum auocent, vt discedat, à pietate, animum contrahat, vultum ruget, toruo oculo clamantem exaudiat. Benignum vero se magis omnibus exhibeat, mollescatque animus, & præsto sit ad lachrymas miserorum; Penetret in conspectu ipsius gemitus petentium, & pietatis viscera excitentur ad subleuandum. Suum faciat per commiserationis affectum quicquid inspexerit calamitosum, Sit oculos cœco, manus inualido, pes claudo. Se à nemine auertat, cui fide, vel industria, auctoritate, aut consilio profuturum intelligat, magis vero, quod excelsioris animi est, occurrat passim & præueniat quem sui viderit indigentem.

Iudicium in ferendis sententiis promptitudo.

EQ. Id vero cum raro fiat, fit sæpenumero, vt non solum multos in annos, sed integram ferme hominum ætatem causæ miserorum protrahantur, fatigenturque interdum etiam in primam atque alteram sobolem, exhauriantur patrimonia, rabie veluti igni incendantur hominum odia, manus excitētur ad cædem, pereatque salus ipsa cum rebus; Nihil nunc dicam, quibus interim curis, molestiis, anxietatibus vitam ægre transigant. Nihil sane miserabilius, nihil infœlicius, nihil calamitosius istorum mentibus continue laceratis, & diro mucrone confossis, hos nulla requies, nulla oblectatio iuuat, nullaq; vel amœnitas, vel illecebra mouet plenos quidem suis malis & sæuis cruciatib. laniatos, sed his toruus semper aspectus, caput minax, ceruix demissa, ora pallentia, gemitus, planctus, stridor, furor blasphemia atque desperatio tanquam ad perpetuam ærumnam infœliciter raptis. Quorum malorum cum iudex causa est, potest ne quicquam cogitari scelestius, atq; immanius, cum is qui debuit his omnibus mederi malis, atque periculis, is quidem sit qui percutiat, cruentet, & sauciet, improbos imitatus medicos, qui in sedādis languorib. spe quadam amplioris quæstus differunt medicamenta. proditores, prædones, interdum etiam homicidæ? Qui enim cum potest oppressum non subleuat, & ab eo non propulsat iniuriam, viduarum, orphanorum, inopum, abiectorum humiliumque non miseretur, sed animum ad offensiones & calamitates indurat, tam est in scelere, quam qui opprimit & iniuriam

inferre. cum alter in inferendo malo, alter in non obstando, vel amouendo æque proximum lædat, quod profecto tam alienum esse debet ab eo, qui magistratu dignus habeatur, vt mortem potius subeat, quam conscientiam tali impietate, tamque inexpiabili crimine inquinari patiatur.

TH. Non tantum in ferendis sententiis, sed etiam in exaudiendis miserorũ flagitationibus ac precibus debent esse prompti principes. Secus enim qui faciunt, incurrunt in grauissimam Dei indignationem. Et extant sane passim in scripturis desuper grauissimæ comminationes, simul & transgressorum pœnæ 6. *Ezech.* 29. *Dan.* 5. *Nehem.* 9. *Coloss.* 3. quas attente vt quilibet legat ac probe obseruet, cautio est.

Supplicãtes audiendi. *EQ.* Hoc loco venit in mentem præclarum illud Ferdinandi Imperatoris factum, qui clementer audiuit omnes, & cum aliquando quidam abegisset anum ab aditu *Imperatoris*, ipseq; forte conspicatus id esset, dixit: *Noli quæso* arcere pauperes ab aditu ad nos, quãdoquidem, si eos audire noluerimus, Deus vicissim nos non admittet ad se, nec audiet nos: hoc dicto ipse reuocauit pauperem vetulam ad se. *Seln. in Gen. cap.* 47. *pag.* 772.

TH. Cum aliquando graues querelæ de feris, ad Ludouicum Comitem Palatinũ Rheni, S. Rom. Imperii Electorem, deferrentur & subditi plurimũ hac in parte se grauari conquererẽtur, ac adiiceretur ab eo, qui subditorũ nomine querelas exponebat, ac deprecabatur Celsitudinẽ ipsius: Nisi in tẽpore malum huic remedio adhiberet, amissurum subditorum preces; ẽ vestigio respondebat, malle se ferina carne prorsus carere, quam subditorum preces amittere. Nunquam enim sibi tam gratam esse aut fuisse carnem ferinam, quin subditi longe sint ac fuerint cariores: malleq; se subditorum commodis, quã voluptatibus, quæ ex vsu ferinæ carnis percipiuntur, consulere: simulq; mandatum dedit, vt feræ magno numero sternerentur. *D. Tim. Kirchnerus in oratione in ipsius Principis obitum.*

EQ. Extat memorabilis historia de Lãdgrauio Ludouico Ferreo cognominato, quã describit Bedier. *in Chron. Thur.* Hic (Landgr.) humiliter ad[illegible] demisseq; se gerebat: nobiles a. eius supra quã dici potest fastuosi erãt, si quidem, vt ipsum & mandata eius parui facerent, & pro nihilo fere pu[illegible]. Subditos n. illius passim & premebãt, & pro animi sui libidine pecuniam [illegible] ugebant, & nullis non iniuriis afficiebant. Cum a. aliquando venatio[illegible] obiect Landgrauius ferã quandam offendit, quã tantisper est insecutus, dũ a via aberrãs nocte obrueretur, & cũ solus in multã vsq; noctem in sylua obequitasset, ignẽ quendam eminus cõspicatus, profectione ad illũ directa, ad fabrum quendã ferrarium in sylua habitantẽ, exili admodũ vestitu de more [illegible], peruenit. Fabro interroganti, quis esset, respõdit, se Lãdgrauii esse ve[illegible]. Ibi Faber: Malã vero pestẽ, inquit, Landgrauio misericordi isti domino; [illegible] eum nominat, vel quauis vice os abstergere debebat. Ad extremũ [illegible] subiecit: Ego te hospitio excipiam. In isto tuguriolo fœnũ reperies, eo liberũ tibi e-

sto-

sto equũ tuum pascere, tu quidé vir bonus sis, sed in Domini tui misericordis illius Lãdgrauii gratiam ne quidé permissurus tibi etiã ingressum vltra limen meum. Quũ vero fabro de nocte operãti assisteret Landgrauius, & videret illũ ferrũ ingenti quodã malleo subigenté percutientemq;, hisce faber verbis Lãdgrauium calũniabatur: Durésce, inquiens, vtinã & Lãdgrauius durescat, durésce, inquiã, ô tu infœlix & miser Lãdgrauie, & istam animi mollitiem eiice. Quid alioqui vita tua miseris tuis subditis prodest, an non vides, quã grauiter Cõsiliarii illos tui premãt atq; excarnificẽt, & adunco te naso suspendãt? Multis ita exemplis in medium adductis recensebat, quã ægre Landgrauii ministri miseris subditis facerent, eosq; tantũ non expilarẽt. Porro subiiciebat: Si subditi de hac iniuria cõqueri volũt, aditus ipsis ad Dominũ intercludit̃, & si forte mandatũ imperator, nobiles eum irridẽt, ac per ludibrium effœminatum ac muliebrosum appellãt, atq; adeo medium ipsi digitũ ostendũt. Atq; hũc quidé ad modũ faber ferrarius dominũ suum indurescere cõtumeliose non parum quidé multũ ista nocte exoptabat. Lãdgrauius studiose quis esset, celans, rem omnem imimis sensib. reponebat, & pristina animi mollitie abiecta, ac seueritate tãto viro digna assumpta indutaq;, refractarios in ordiné redigere studebat. Id ꝙ ægre ipsi implacateq; ferentes, coniuratione facta aduersos eum cõspirabãt. Quamobrẽ Landgrauius Nobili cuidã suo, q multa aduersus eum proterue designauerat, bellũ facit. Quod reliqui è Nobilitate ferre nolẽtes, congregati suppetias nobili isti ferre cogitãt. Sed Lã grauius in bello prope Naũburgum ad Salã cõmisso ipsos vicit, & captiuos secũ abductos punit, idq; in hunc modũ: Rus illos abduxit, & in aratro in agro forte reperto refractarios illos quauis vice quaternos iugo iũxit, & sulcũ cũ iis vnum arauit, & ministris eius stiuã tenentib. flagello Landgrauius ipse eos pepulit, atq; adeo cęcidit, vt sese aliquoties submittentes tantũ nõ corruerent. Cumq; sulcũ arando iã cõfecissent vnũ, rursus quaternos iunxit, ita quidé, vt totum cũ iis agrũ aratri vomere perstringeret. Postea nobiles istos Naumburgũ secũ abductos denuo in fidé suam adegit, & sacramento homagioq; obstrinxit. Post hæc vero Lãdgrauium magnopere omnes venerabãtur, vsq; adeo vt isti qui aratrũ traxerãt, solo ipsius nomine audito, toto mehercle corpore contremiscerẽt, & rubore nõ leuiter suffunderẽtur. Atq; hæc quidem res longe fuit lateq; sparsa ac disseminata, ac erant nõnulli de iis, quos aratrũ trahere oportuerat, qui clanculũ insidias Landgrauio struerent. Ille vero grauiter in eos, quos instituti illius conscios cerat, seuere animaduertebat. Qua etiam de causa perpetuo ferrea indutus lotica incessit, ac Ferrei inde Landgrauii cognomen tulit.

PH. Huic conforme est, quod de Antiocho rege memorat Plutarchus, Antiochus, quũ in venatu quodã ferã insequeretur, aberrãs ab amicis ac famulis, in casam quorundã pauperum, quibus ignotus erat, introiit: atque inter cœnam, iniecta mentione regis, audiuit, ꝙ cętera quidé probus esset, sed pleraq; fun-

functiones mandaret amicis improbis, ipse ad eorum facta conniuens; tum quod immodico venandi studio, frequenter necessaria negligeret. Ad hæc tum temporis nihil respondit, nec quis esset, prodidit: verum vbi diluculo satellites venissent ad casam, iamque agnoscerent allata purpura simul cum diademate: Age, inquit, ex quo vos indui, heri primum vera de meipso audiui. *Plut. in apophth.*

EQ. Fuit Tiberius Gracchus in promouendis miserorum causis institutisque ac legibus prosequendis valde strenuus atque industrius. Erat antiquitus lex Agraria, cuius hæc erat summa. Quando deletis hostibus agri publici diuisi erant, nemini ciuium Romanorum licebat ex his plus quam quingenta iugera possidere. Nec licebat diuitibus emere pauperum ciuium agros, & suis addere. & per mancipia colere, ne pauperum ciuium familiæ redigerentur ad egestatem, & Italia repleretur peregrinis & seruis.

Lex Agraria.

Hac veteri lege neglecta diuites multorum ciuium agros emebant, quos deinde per seruos colebant. Ita multorum ciuium familiæ nullos fundos retinebant. Cum igitur Tiberius Gracchus in prouinciam proficisceretur, passim in viis occurrebant ei ciues cum paruis filiis & matribus, & querebantur, se vagari extorres, qui sanguinē pro patria profudissent, teneri agros à diuitib. & petebāt vetustā legē restitui, cōsuli saluti Italiæ, ne decessent milites, & ne Italia seruis & hominib. barbaris impleretur. Mot[9] misericordia Tiberius pollicetur se hanc causam acturū esse. Et reuersus ex prouincia, cū fact[9] esset Tribunus plebis, fert rogationem de veteri lege restituenda, quę modum agrorū præscribit. Dicit in concionibus iniustam esse Ducum orationem, cū iubent milites prœliari pro aris & focis, cū nec aras nec focos habeant. Quærit[illegible] prœliari eos non pro patria, sed pro fœneratorum rapacitate. Sed aduersabantur Legi diuites, & Tribunum Octauium sibi adiungunt intercessorem, qui suffragationem prohibent. Hinc tribunatum Tiberius abrogauit, nihilque non fecit, quod ad laudabilis illius legis Agrariæ manutentionem conferre posset. Etsi vero Tiberio conatus iste non admodum feliciter cessit, eo quod aliquanto ageret violentius; ex quo fit, vt etiam sępenumero bona causa male agendo corrumpatur; Animus tamen illius atque affectus, quo [illegible] etiam promouere emolumentum laudabiliter studuit, satis exinde claret.

Principes causas subditorum coram audiant.

PH. Magnum affert ad mature subleuandas miserorum calamitates [illegible]tiuum, si principes ipsi causas subditorum coram audiant. Verum enim vero multi per idipsum existimationem suam valde imminui existimant.

TH. Non sic sensit patiens ille Iobus; is namque se processisse in publicum, neque tamen quicquam de sua ipsius autoritate imminutum fuisse testatur. *Quando, inquit, procedebam ad portam ciuitatis, & in platea parabant cathedram mihi; videbant me iuuenes, & abscondebātur: & senes assurgētes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gut-*

gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mi i, &c. Qui me audiebant, expectabant sententiam, & intenti tacebant ad consilium meum. Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Si quando ridebam ad eos non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram. Si voluissem ire ad eos, sedebam primus: cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator, Iob 29.

EQ. Extant ac deprædicantur passim apud autores principes illi, qui faciles sese in audiendis subditorum causis ac negociis præbuerunt.

Artaxerxes Cyri frater non solum seipsum affabilem præbuit adire volentibus, verum vxorem quoque iussit sublatis plagulis vehi, vt iis qui eam conuentam vellent, etiam in itinere, libere pateret copia adeundi.

Agesilaus Lacedæmoniorum Dux, *semper, vt spectaretur efficiebat: quippe existimabat ei qui turpiter viueret, tenebras conuenire, & honestæ vitæ plus ornamenti lucem afferre. Idemque impense gaudebat, cum celerrime desideriis adeuntium se satisfactum esse cerneret.*

Augustus Cæsar *promiscuis salutationibus admittebat, & plebem: tanta comitate adeuntium desideria excipiens vt quendam ioco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi Elephanto stipem.*

Titum, amorem illum; ac delicias generis humani legimus, *ne quid popularitatis prætermitteret, nonnunquam in Thermis suis admissa plebe lauisse.*

Quid quod pater ipsius Vespasianus tametsi morbo affectus, haud tamen eo minus muneribus imperatoriis fungebatur: adeo, *vt etiam legationes audiret cubans*: cumque ei repente aluus, vsque ad defectionem solueretur: *Imperatorem*, ait, *stantem mori oportere*: Deinq; dicto fecit. nam, *dum consurgit, ac nititur, inter manus subleuantium extinctus est.* Qua in re summam legatis exhibuit ciuilitatem, parque animi robur ostendit.

Traianus Amicis incusantibus, quod parum memor Imperatoriæ Maiestatis nimium omnibus expositus esset, respondit: *Talem præstabo me Imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus.* Quod certe re ipsa edocuit. Siquidem tanta facilitate, & patientia subditorum desideria excipiebat, vt finem sermoni suus cuique pudor faceret, non Principis morositas, rigor aut superbia. Sed contemplemur illum Plinii penicillo depictum: *Liberum est*, inquit, *ingrediente per publicum Principe, subsistere, occurrere, comitari, præterire. Ambulas inter nos, nos quasi contingas: & copiam tui, non vt imputes, facis. Haeret lateri tuo quisquis accessit, finemque sermoni suus cuique pudor, non tua superbia facit.* O nouam, & raram inter potentes facilitatem? Sciebat magnus Princeps Comitatem virtutem esse regiam, esseque ad instar magnetis, quo multitudinis animi attrahuntur.

Nec subticendus eius successor *Hadrianus*: qui colloquiis humillimorum mire affabilis, & comis erat, eosque detestari solebat, qui hanc facilita-

ciliтatis,& humanitatis voluptatem ipsi inuiderent, hoc colore, quod dicerent, Principis Maiestatem vbique obseruandam.

Ad *M. Antoninum Pium* adeo promiscuus erat aditus, vt non fortuna, nō inopia, non deformitas, aut ætas, quempiam excluderet. Comitiis autem indefessè ad noctem vsque semper aderat, nec ante è Curia discedebat, quam Senatus dimitteretur, dixissetque Consul: *Nihil amplius vos moramur Patres Conscripti.*

Constantinus Imperator, nedum fores suas cunctis patulas esse voluit, verumetiam ad Officiales, Præsidesque suos liberi itidem vt essent aditus, sancita lege procurauit: *Non sit*, inquit, *venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa Præsidis cum pretio. Æque aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur*,

TH. Ambrosium Mediolanensium Præsulem nectamus, vt de eo capiant exemplum sacri Principes. Is Igitur cum præter munia Ecclesiastica indefesso labore perageret, vt pote litigantes audiret, causas iudicaret, & assumptus plerumque arbiter componeret, in omnibus ita se paratum exhibuit, vt nemini ad eum aditus esset aliquando interclusus nullius ostiu velum (mirum dictu) esset oppāsum; nec qui ad eum duceret, esset alicuius è cubiculariis officium requirendum: testatur id D. Augustinus, hominis admiratus in audiendis omnibus tolerantiam.

PH. Recitabo hic quædam ex Latini Pacati Drepani Panegyrico, quem Theodosio Imp. dixit, vbi Theodosii insignem illam in audiendis subditorum causis promptitudinem summopere commendat; delicatulos vero, vel potius ad insaniam vsq; arrogātes qui difficili nos sese præbent aditu, grauiter perstringit, his verbis Quod inquit, facere magnas vrbes ingressi solemus, vt primum sacras ædes, & dicata Numini summo delubra visamus, tum fora atq; gymnasia, & pro suis extenta porticibus ambulacra miremur; ita in laudibus tuis sanctos palatii ritus, & priscis æquanda ceremoniis instituta venerati, gradum ad illa proferimus, quæ in medio constituta, & ad publicos vsus facientia, non partim, sed in commune conducunt. Velut primum illud est, quod crebe[r] i[n]gressu expectantibus populis te fateris, nec videri modo patiens, sed facilis aditi è proximo accipis vota hominum tuorum: vt quisquis ille consultor est, etiamsi meruerit (quod est rarum) repulsam, ferat tamen visi Numinis conscientiam. At quam alter illorum principum mos fuit, qui Maiestatem regiam imminui & vulgari putabant, nisi eos intra Palatinæ ædis repositum inclusos tanquam aliquod Vestale secretum veneratio occulta consuluisset, nisi intra domesticam vmbram iacentes solitudo promissa & silentii late conciliata vallassent. Quin si quando in lucem venire & diem ferre potuissent, lecticis thensisque subuecti, & densissima circum supraque compersi virorum armorumque testudine sensim atque ad numerum mouebantur. tum longe populus abigebatur, nec otiosa viatoris manus plebem verbere lub-

re submouebat; vt secretum esset in publico. At noster hic omnibus spectandus affertur, nec magis communem hanc diem atque Solem, quam nostrum Imperatorem videri licet. Quin, cum vicinum habeant permissa fastidium, nunquam iste mirantes explet oculos, magis magisque visus expetitur, & (nouum dictu) præsens desideratur. Miremur in vrbibus tuis & à tuis populis videri, quem fere nulla in solo suo natio externa nō vidit, idque ita crebro, vt pene tam notus sit Barbaris vultus iste quam nobis; nec frustra, cum æstates omnes foris, hiemes domi ducens, ciuibus hostibusq; pari sorte anni spatia diuiseris. *Hactenus Lat. Pacatus.*

EQ. Est hoc peculiare Principibus Turcarum, cauere, ne aditus eorum ab Admissionalibus aulicis venundetur, adeo, vt sine muneribus, eorum ianua nequaquam pateat alien gentis, Sed heu miseriam! etiam Aulis Principum Christianorum tantum non omnibus error hic inuenitur, atque ideo tales fumi venditores, quales olim fuere famosi illi aulici *Vetronius Thurinus*, & *Zoticus*, quorum alter *Alexandri Seueri*, alter *Heliogabali* gratiam simulate, & incassum vendebat, qua arte ingentes sibi diuitias vterque comparauit. Sed Deus faciat, vt à Principibus nostris eadem pœna admoneantur horum imitatores, qua mulctatus *Thurinus* fuit ab Alexandro Seuero, Principe alioqui Ethnico: quippe quem, detecta eius inexplebili auaritia, & fraude, ad stipitem alligari iussit, & fumo apposito, quem è stipulis, & lignis humidis fieri iusserat, necauit, præcone dicente: *fumo punitur, qui fumum vendidit.* Medeantur huic malo principes: malo quidem, quod ita inualuit in ipso orbe Christiano, vt non putem Aulam tam sanctam, & benę moratam, quin altum se iam in illam penetrarit. Pellant à se obsecro Principes tales ministros. Et enim: *qui non vetat peccare cum possit, iubet*: ait ille. Et memores sint huius nostri Agapeti, Aphorism: *Facilis auditu sis* (inquit) *indigentibus, ob vim supernæ illius potestatis: atque aperias aures his, qui à paupertate obsidentur, vt inuenias Dei auditum adapertum. Quales n erga nostros fuerimus conseruos talem circa nos reperiemus Dominũ.*

Laudabiliter admodum Henricus III. Galliæ Rex, Anno 1579. palam edicto promulgauit, quoties à grauioribus Reipublicæ negotiis otium sibi superesset, præsto se fore in audiendis subditorum postulationibus. O bonum institutum, & cæteris Principibus imitandum! *Solet enim dexteritas* (ait Gregoras) *atque benignitas morum in altiore dignitatis gradu facili omnium animos sibi reddere obnoxios: quemadmodum verno tempore splendidi flores prætereuntium oculos in se conuertunt. Hoc illud est Indorum sapientum præceptum: Principem, quo natura sublimios sit, eo humaniorem si se præbuerit inferioribus, carissimum populo futurum.* Et non possum non amplecti animum illius Principis, qui iam moriturus filium Imperii successorem ad eandem ferme sententiam cohortabatur, amplius subiiciens, barbarorum esse, qui vt maiestatem seruent, populi conspectum vitant. *Tu contra,* inquit, *fores patulas habe, magisq; pauperi quam ditiori, vt qui tuo fauore magis indigus sit.*

TH. Id bene obseruauit etiam *Abſolon* filius Dauidis, de quo ſacer codex ſcribit, quod cum ille Patris regnum affectaret, mane ſtaret iuxta introitum portæ in via, & quibus negocium erat cum Rege, humaniſſimis verbis alloqueretur, ſeque eis auxilio fore promitteret, vt facile iuſtumque iudicium conſequerentur.

EQ. Mirandum ergo minime eſt, ſi qui difficiles, & moroſi ſunt, vt ex facilis odium ſuorum incidant, & contemptum. Quemadmodum de *Demetrio* legimus, qui quod libellos ſupplices reſpueret, ſeditionis cauſam præbuit: vnde factum eſt poſtea, vt ipſe regno exigeretur, ſi Plutarcho credimus.

PH. De *Pauſania* Thucydides: *Aditu difficilem ſe prebebat*, inquit, *& iracundia adeo graui in omnes pariter vtebatur, vt nullus poſſet accedere. Quamobrem, & iam potiſſimum ſocii ad Athenienſium partes tranſierunt.*

EQ. Venerunt aliquando Lacedæmonii ad *Lygdamin* Tyrannum Legatione fungentes: ſed cum ille variis caſſationibus frequenter diſtuliſſet colloquendi copiam, tandem poſt omnes excuſationes dictum eſt parum illum eſſe firma valetudine. Legati reſponderunt: Per Iouem non venimus huc cum illo luctaturi, ſeu colloquuturi. Belle taxarunt Barbari regis faſtum, & delicias, qui friuola de cauſa res maxime ſerias, aut omitteret, aut faſtidiret.

PH. Hoc etiam animi vitio notatus fuit *C. Caligula*, cuius inſolentiam & moroſitatem acriter reprehendit ac deteſtatur Philo Iudæus: quippe qui ad illum ab Alexandrinis legatus, vix in conſpectum venire iuſſus, nedum ad colloquium admiſſus fuit, quemadmodum de ſe ipſe teſtatur idem ille Philo Iudæus *in lib. de legatione ad Caium.*


EQ. Hæc tamen ſic temperanda ſciant ſubditi, vt non temere minimiſve de cauſis adeundum Principem ſuum putent: tentent prius num amicorum, vel miniſtrorum opera recte poſtulata expediri queant. Non enim decet propter minutas quaſque res principibus faceſſere moleſtiam. Extant apud Tacitum *lib. 3.* grauiſſima Tiberii verba quibus, cum Capreis degeret, ad Senatum epiſtolam ſcripſit, qua Senatores arguebat, quod cuncta curarum ad principem reiicerent. Iſtud enim nihil eſt aliud, quam cuncta confundere, & iubere manui, vt ipſa pedis officium exequatur.

Facilitate principum non abutendum.

PH. Recte ais. Principes enim perinde atque artifices eſſe videntur, qui materiam & inſtrumenta ſuæ artis præ manibus habent, lapides, cæmenta, ferramenta & huiuſmodi cætera; quæ modo acutiora, modo latiora, modo breuiora reddunt, iiſq; eas formas tradūt, quæ opificio abſoluendo conducūt. Quod ſi inſtrumenta eloqui poſſent, ſimulque ea quæ ſibi dicerentur, intelligere, putabimuſne, cū aduerſus ea magis lapicida iraſci debeat, vt malit iraſci lapidi, quod durus nimium ſit, an ſcalpro, malleo, ſubulæue, quod obtuſæ ſint,

sint, neque munus suum expleant. Certe nisi insaniret artifex, non lapidi, cuius natura est, vt durus sit, sed scalpello subu'æue, quia suas partes nō exequerentur, excandesceret. Eiusdem modi princeps est, cui dubio procul populus, vt artifici materia subiicitur; sed m...ibus & per ministros, quibus ipse tanquā instrumentis immediate vtitur, eum gubernat Igitur nulla principi cura maior incumbit, quam vt ipsos ministros curet; neq; enim singulorum querimonias audire ipsum decet, cum ii ministros adire possint, nisi fortassis ipsos ministros accusarent. Quo etiam respexit Tiberius, cum in senatu dicens, se neque ædilis, neq; prætoris, neq; consulis personas sustinere, subdit, *maius aliquid & excelsius à principe postulari.* Nam princeps propter maiora conueniendus est, quam si verbi gratia, de re œconomica, agendum sit, non quia hæ curæ ad salutem reip. non spectent, sed quia ad eos magistratus pertinent, quorum humeris id ponderis commendatur.

EQ. His etiam accedit, quod Principes, dum negotiorum curam ministris deferunt, citra dubitationem odio illo, quo alioqui premerentur, si omnium rerum iudicatarum autores apparerent, sese exonerant. Quod non ob id tantum suggero, quia debeant principes inuidiam & obtrectationem, quibus iustitiæ administratio coniungitur, effugere, sed etiam, quo, dum se tanquam tertiam quandam personam exhibent, clarius conspiciatur, iustitiam illam esse, quæ ita iussit, non principis voluntatem. Hinc prudens illa magni Ducis Cosmi responsio cuidam matronæ facta. Cum enim illa filii sui, qui magnum quoddam delictum patrauerat, vitam à principe deprecaretur, Dux respondit, causæ illius cognitionem ad Octouiros spectare, eorumque arbitrii esse, sententiam pronunciare.



APHORISMVS IX.

MAGISTRATVS OMNIVM ACTIONVM præfixam ſibi habeat regulam, Verbum Dei; ſic namque omnia ipſius conſilia proſperabuntur.

9. SOlicitam Imperatoris animã ſpeculi in modum abſtergi oportet, vt diuinis ſplendoribus ſemper coruſcet, rerumque diſtincta iudicia inde condiſcat. nihil enim adeo facit quæ peragenda ſunt conſpicere, atque cuſtodire eam perpetuo ſinceram.

Τὴν πολυμέριμνον τοῦ βασιλέως ψυχὴν, καθάπερ ἐσόπτρου δίκην ἀποσμήχεσθαι χρὴ, ἵνα ταῖς θείαις αὐγαῖς ἀεὶ καταστράπτηται, καὶ τῶν πραγμάτων τὰς κρίσεις ἐντεῦθεν διδάσκηται. οὐδὲν γὰρ οὕτω ποιεῖ τὰ δέοντα καθορᾶν, ὡς τὸ φυλάσσειν ἐκείνην διαπαντὸς καθαρόν.

9. MVltis diſtrictam curis & ſolicitudinibus regis animam adinſtar ſpeculi detergendo oportet excolari, vt diuinæ lucis radiis ſemper refulgeat, & inde de rerum recte diiudicãdis inſtruatur. Nihil enim æque facit ad id, quod facto eſt opus, peruidendum, atque ſi illa abſque intermiſſione pura cuſtodiatur.

DISCVRSVS.

TH. Aphoriſmi huius ſumma, in Schedæ huius Regiæ Aphoriſmo quadantenus extat, quamobrem nunc ne actum agamus, erimus breuiores, cuius quidem ſumma in eo conſiſtit, vt omnia ſua conſilia omneſque actiones ad diuini verbi præſcriptum conformet Princeps; huius namque diuini verbi tanta eſt doctrinarum rerumq; quas tractat, vbertas, vt ſi in res ipſas quas liber Bibliorum continet, ſigillatim oculos defigas; tot cernas in eo diuinæ claritatis accenſas lampades, quot ſententias animaduertes; proindeque inſigni quodam Numinis animum ſuum vndique irradiari exinde comperiet princeps.

Verbi diuini dignitas.

EQ. Summam debet Princeps capere voluptatem ex S. ſcripturæ lectione, quæ eſt pietatis ſcaturigo. Sic enim mãdat Dominus: *Rex ſedens in ſolio legat volumen legis, Deut. 17. v. 18. quod ab ore Ioſue non receſſit.* Ideo Sacerdos coronato Regi Ioas dedit teſtimonium, *2. Reg. 11. v. 12.* Quod & Saphan ſcriba legit coram Ioſia rege

lege, 2 *Reg.23.v.2.* & Æthiops Esaiam prophetam legit. *Act.8.versicul.30.*

TH. Campus hic nobis apertus est, Religionis aliquod tractare negotium, idque ipso diuino verbo ductitante manum; sed enim pressis adhuc dum habenis incedemus; dabitur enim infra occasio vberior. Cumque passim pro concionibus publicis locus hic de verbo Dei fideliter à piis mentibus, & cùprimis à viris principibus, tractando inculcetur, adeoq; cuiuis fere obuius sit; ego nulla dunt axat Scripturæ sacræ ad eius obseruationem cohortatione, rem perstringam. Extant autem passim diuinæ admonitiones, verbum Dei semper ob oculos ponendum. *Deut.4.1.cap.6.v.6.17.cap.11.v.18.Nu.15.v.39. Ps.1.v.2. Prou 3.v.1.cap.4.v.1.20.cap.6.v.20.cap.7.v.1.* A verbo Dei non recedendum, *Deu.4.v.2.cap.5.v.32.cap.28.v 14.Ios.1.v.7.cap.23.v.6.Prou.4.v.27. Esa.30.v.21.&c.* Verbum Dei non audiendum solum & loquendum, sed & corde credendum, & factis præstandum, *Deut.5.versi.1.27.& cap.6.ver.1. & cap.31.versicul.12.&c.* De verbi diuini contemptu & punitione extat passim.

EQ. Factis omnino præstandum verbum: non enim auditores, sed factores legis iustificantur. Nam, vt inquit Cassianus, qui sacrorum voluminum lectioni & memoriæ scripturarum diligenter insistunt, carnalia tamen vitia non relinquunt, similes sunt illi mulieri, de qua dicitur *in Prouerb.cap.11.* Sicut inauris aurea in naribus suis, ita mulieris male moratæ species. Quid enim prodest, quempiam ornamentum eloquiorum cœlestium, & illam pretiosissimam scripturarum speciem consequi, si eam luculentis operibus vel sensibus inhærēdo, quasi immundissimam terrā subigendo confringat, aut cænosis libidinum suarum polluat volutabris; fit enim vt quod recte vtentibus decori esse consueuit, non solum istos ornare non possit, verum etiam maioris cæni colluuione sordescat. Ex ore enim peccatoris non est pulcra laudatio. *Coll.14.cap.16.*

TH. Principes damnum ferre, iniuriam vero contemptumue ferre haud possunt; pari modo & ipse Deus nihil minus quam verbi sui contemptum ferre potest. Testatur hoc diluuium orbis, quo Deus contemptum verbi à Noe prædicati suffocatione generis humani seuerissime puniuit. Testis est conflagratio Sodomæ reliquarumq; vicinarum vrbium. Testes sunt fatales pœnæ atque plagæ regni Ægyptiaci. Testis est tragicus impii tyranni Pharaonis exitus: & scelerate factionis, Chore, Datan & Abyram interitus: Testes sunt populi Israelitici clades pene innumerabiles. Testis item est historia de euerso Antiocho: historia de Herode à vermibus eroso: historia de Pilato in exilium eiecto, sibiq; per desperationem manus inferente; historia de Iudæ proditoris abominando exitio: historia de tota fere gente Iudæorum ob contemptum verbi diuini abiecta & excisa. *Verbi diuini contemptorum pœna.*

EQ. Contemptus verbi diuini diuinarumq; cōminationum, exindeq; secutæ pœnæ exemplum insigne exhibuit Nebucadnezar rex Assyriorum, co-

gno-

gnomento magnus. Is enim à Daniele admonitus, vt fastum nimium deponeret, quum magis animo suo & aulicis magnificis atque superbis, quam viro Dei obsequerentur; eiectus fuit è regno, fugit in solitudinem syluestrem & bouis pabulo vsus fuit, cæli tempestatibus sub dio obnoxius, & mente atque sensu, animante bruto nihilo sanior. Capilli eius, vt iubæ leonum; & digitorum extrema, vt aquilarum vngues creuerunt, nimirum, vt non vnius tantum beluæ referret similitudinem pœna, qui multarum fuisset similis moribus & consuetudine ad sanitatem post annos septem rediens, in solium regium rursus collocatur: qui post id tempus animo humili gratoq; Deum coluit, & eius bonitatem admirabilem suis edictis prædicauit.

De Holoferne quoque Historia notissima est. Holofernes Imperatoris Assyriorum dux, longo tempore felicissimus: in Cilicia, Arabia Syria, templis vastandis, & legibus abolendis, suum Imperatorem solum esse Deum & Dominum, declarare voluit. Bethuliam montanam Iudææ vrbem obsidet, & incisis aquarum tubis, fontibusque asseruatis, ita premit, vt milites siti iam deficerent. Est autem is, qui & Deum & homines contemserat, manu Iudithæ, mulieris viduæ, nudus in lecto interfectus, acinace proprio, vt tam superbum prodigium, vel hanc suæ mortis relinqueret famam, quod viri alicuius telo gladioue in armis aut prælio cecidisset. Caput eius affixum conto, de mœnibus Bethuliæ suspenditur, & lecti conopeum, in facti memoriam, diu asseruatur.

TH. Augustinus *in Psal* 148. Non potest, inquit fieri vt habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes, facta enim de cogitatione procedunt: nec quisquam potest facere aliquid, aut ad aliquid agendum membra mouere, nisi primo præcesserit iussio cogitationis. Quomodo de interiori palatio quicquid iusserit Imperator, per imperium Romanum emanat: quicquid videtis agi per prouincias; quantus motus fit ad vnam iussionem Imperatoris intus sedentis? Sic est in vnoquoq; nostrum Imperator intus, intus in corde sedet. Si bonus, bona iubet & bona fiunt; Si malus, mala iubet, & mala fiunt. Cum ibi sedet Christus, quid potest iubere, nisi bona? cum possidet Diabolus, quid potest iubere nisi mala? In tuo autem arbitrio te Deus esse voluit, cui pares locum, Deo an Diabolo. Cum parauerit, qui possidebit, ipse imperabit.

Potestatis principum abusus.

EQ. Grauis est Erasmi Roterodami *in milite* Christiano. *pag* 62. *Canone* 6. in principes effrænatos inuectiua: *Audit, inquit, Princeps: omnis potestas a Deo, protinus surgunt cristæ: cur magis tumidum te reddit scriptura quam sollicitum? Cogitas quod Deus tradit tibi gerendum Imperium & non cogitas quod idem gesti Imperii exigit rationem.*

TH. Recte itaque Antonius Imperator, ego, inquit Dominus mundi sum continentis, terrarumq; imperio contentus, suas, mari, modo ne Romanis aduersentur, L L. permitto, *Peckius ad l. 2. Ad l. Rhod. de iactu.*

EQ. Princeps absolutus multa & iniusta potest, sed non vtique debet. Et

in hac

in hanc sententiam accipiendus est locum Daniel. *cap.* 5. Quos volebat interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Vbi Osiander adiicit, ita vt quasi Deus quidam terrenus videretur: Magnam enim potentiam Dominus Magistratibus concedit, vnde & Dij vocantur, sed ea abuti non debent: Abuti possunt, sed non debent, *Pruckman in §. soluta potestas fol.* 292. Deus omnia potest, peccare tamen non potest. *Bald. consil.* 326. *part.* 1. *fol.* 91. *num.* 3. Hinc verissime Zasius, absolutam Principis potestatem ad iura priuatorum violanda non extendi, inquit *consil.* 10. *num.* 10. *libr.* 2.

PH. Proinde fundum & alia auferre subditis Regi non licet, si tamen abuti Regia potestate voluerit, à subditis immediate subiectis accusari nequit, relinquitur tamen puniendus animaduersioni diuinæ, & iudicium durissimum in his qui præsunt, fiet, *Sapient.* 6. Si iusta & necessaria causa tum publica vtilitas exegerit, auferre & agros & vineam & seruis ac militibus dare potest, quod etiam iuri Politico consentaneum est. Sed Histrionibus, Eunuchis, adulatoribus aliorum bona distribuere, ob solum luxum & luctum iniustissimum est.

EQ. Interim tamen ius Regis est, vt à Regno alatur & quidem in pompa Regali, tum vt ei Regnum subministret omnia, quæ necessaria fuerint & ad bella gerenda & ad pacem conseruandam: Hæc à populo subsidia Regi debentur: Propter hæc necessaria Regi subsidia, census, vectigalia, tributa & legitime à Rege exiguntur & necessario à populo fideli soluuntur. Qui enim suis consiliis & laboribus pro toto orbe terrarum die nocteq; laborant, quare non habeant dignam sua prærogatiua fortunam? *l. vlt. C. de quadrien. præscript. arg Nouell.* 105. *cap.* 2. *Nouell. Leon.* 109. *Regi qua subministranda.*

TH. Nullum Regnum sine oneribus vnquam extitit, & talis consuetudo iusta & legitima est, tum inprimis necessaria. Quemadmodum enim stomachus cibo & potu carere nō potest, & iis deficientibus reliqua corporis membra languescunt & tandem corrupta moriuntur: sic etiam Regnum fulcra in contributionibus non habens, diu saluum esse non potest: Verum sicut ex abundantia cibi & potus, infinita morborum genera, sic euersiones vel ad minimum conuersiones ex multiplicatis oneribus tributorum oriuntur. Caue vero dicas idem esse affirmare, Regnum sine tributis stare non posse, ac si statueris mundum interire, nisi spuriis impleatur ac illegitimis liberis: inficias enim ire non poteris, necessaria tributa esse legitima, & non necessaria nos tanquam illegitima ipsos improbare, damnare, detestari.

PH. Summa huc recidit: Subditi inprimis pauperes, qui vectigalibus obruuntur, patienter ferant, *Daniel* 3. nec eam ob causam maledicant vel contradicant Principi, nec conspirent, *Parlador. libr.* 1. *Rer. quotidian. c.* 3. *num.* 7. sed vltro & promptissime imposita & exacta tributa auribus populi ingrata, & alia præstent cogitantes & se suis ipsorum peccatis ad maiora obligatos, & dominari *Subdit. patientia.*

minari interdum hominem homini in malum suum. *Ecclesiast. 8. c. 8.* Et præstare Regem Tyrannum habere, quam nullum, *Chrysost. in Homil. ad popul. Antioch.* & melius sub malo Principe esse quam sub nullo, *Tacit. 1. Hist.* Manebit tamen illud: *Ecce oculi Domini Dei super Regnum peccans & conteram illud à facie terræ, Amos 9.*

EQ. Vere Dionys. Halicarnass. *in proœm. antiquit. Rom.* scripsisse fatemur, vniuersali ac sempeterna lege naturæ esse receptum, vt inferiores pareant præstantioribus: quamuis & corona & vincula etiam cohærent. *Dio in Tyberio lib. 58. pag. 625.* Pessimum sub Tyranno degere, sicut optimum sub Rege, *Anton. Natta lib. 2. de Principe pag 35.* Optabile sub tali exilium, & felix fuga. *Idem Natta libr. 3. de Principe pag. 93.*

Nil Rege melius est bono mortalibus;
Nil Rege peius est malo mortalibus.

TH. In sacris literis tales impij Principes vocantur Leones, *Prouerb. 28. v. 15.* esurientes, *ibid.* comparantur serpentibus & Draconibus *Psal. 58. Esai. 27.* lupis, *Ezechiel. 22.* suibus, *Psal. 80.* canibus, *Psal. 118.* vulpibus, *Luc. 13.* Draconi, qui est in mari. *Ezech. 32.* Et illi sunt *secundum Mich. c. 3.* qui deuorant ossa & carnem subditorum, ac eorum plerunq; est exitus tragicus, *Exod. 14. Actor. 12. 2. Machab. 9. 2. Reg. 9. 1. Reg. 14. Iere. 22. 2. Sam. 21. Iob 20. Syrach. 10.*

EQ. Iustitia igitur regis est, inquit Augustinus, neminem iniuste per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum iudicare, aduenis & pupillis & viduis defensorem esse, furta cohibere, adulteria punire iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & peierantes viuere non sinere, Ecclesias defendere, pauperes Eleemosynis alere, iustos super Regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios Consiliarios habere, magorum & ariolorum Pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam suam differre, patriam fortiter & iuste contra aduersarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus non eleuari animo, cuncta & aduersa patienter tolerare, fidem Catholicam in Deo habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis Orationibus insistere, ante horas congruas cibum non gustare. Væ enim terræ, cuius Rex est puer & cuius Principes mane comedunt. Hæc Regni prosperitatem in præsenti faciunt & Regem ad cœlestia Regna meliora perducunt. Qui vero Regnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimirum aduersitates Imperij tolerat. Huc vsq; August. & in Aphorismum hunc discursus.

APHORISMVS X.

SVBDITI ERROR SIBI DVNTAXAT; AT Principis, omnibus suis subditis est damnosus. Circumspecte itaque vt omnia agat, summa cautio est.

10 SICVTI fit apud nauigãtes, quum nauta errat modicum affert nauigantib. nocumentum: quum vero ipse gubernator, totius efficit nauigij perniciem. Sic & in ciuitatibus si quis ex subditis peccet, non tam rempublicam quam seipsum lædit: sin vero ipse Princeps, vniuersæ infert reipublicæ detrimentum. is igitur vt non exiguam redditurus rationem, si quid neglexerit eorum, quæ facto opus sunt, cum exquisita diligentia & dictitet cuncta & factitet.

Ὥσπερ ἐπὶ τῶν πλεόντων, ὅταν μὲν ὁ ναύτης σφαλῇ, μικρὰν φέρει τοῖς συμπλέουσι βλάβην, ὅταν δὲ αὐτὸς ὁ κυβερνήτης, παντὸς ἐργάζεται τοῦ πλοίου ἀπώλειαν, οὕτω καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν, ἂν μέν τις τῶν ἀρχομένων ἁμάρτῃ, οὐ τὸ κοινὸν τοσοῦτον ὅσον ἑαυτὸν ἀδικεῖ. ἂν δὲ αὐτὸς ὁ ἄρχων, πάσης ἐργάζεται τῆς πολιτείας τὴν βλάβην. ὡς οὖν μεγάλας ὑφέξων εὐθύνας, εἴ τι παρίδοι τῶν δεόντων, μετὰ πολλῆς ἀκριβείας καὶ λεγέτω πάντα, καὶ πραττέτω.

10 *SICVT apud eos, qui naui vehuntur, quum errat nauta quispiam, non magnum vna vehentibus damnum affert; at si ipse gubernator delinquat, totam nauim euertit & perdit: ita etiam in ciuitatibus, si quis è subditis peccet, non tam Remp. quam se ipsum lædit; si vero Princeps ipse à virtutis studio deflexerit, totam ciuitatem in perniciem adducit. Is igitur, quum grauem sit redditurus rationem, si quid officij prætermiserit, accurate consideratéque & dicat & faciat omnia.*

DISCVRSVS.

EQ. Extat *in Horologio Principum fol.* 693. de negligentia Principum commonefactio egregia, his verbis: Sæpe indiligentia Domini tegulas imbricesq;

non reficientis tota domus corrumpitur. Et certe, nulla maiore clade Deus affligere populum potest, quam si Principem ei præficiat stolidum & imperitum, & ignauum. Neque enim dici potest, quam multa hinc oriantur incommoda. Nam quia totus ab aliorum arbitrio ille pendet, neq; per se quidquam gerit: nascuntur factiones: diuiditur populus: diuiditur Senatus & regni proceres: inde bellum nascitur, atque ex bello rerum penuria: quam deinde excipiunt morbi, & varij generis ærumnæ, aliaque incommoda quam plurima, teste Cominæo. Sic Romanorum fortuna tum mutari cœpit: quum excisa Carthagine; Perseoque capto, hostes non habere, & in otio viuere, atq; insolescere cœperunt. Quod & Augustinus confirmat, cum ait: *Otio perit Roma, deleta Carthagine.* Et T. Liuius: *Nuper diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates, desiderium per luxum, atque libidinem pereundi perdendique omnia inuexere.* Et Salustius in coniuratione Catilinæ: *Vbi labore atque iustitia respubl. Romana creuit: reges magni bello domiti: nationes feræ, & populi ingentes vi subacti: Carthago, æmula imperij Romani, à stirpe interiit: cuncta maria terraque patebant: sæuire fortuna cœpit. Qui labores, pericula, dubias, atque asperas res facile tolerauerat: iis otium, diuitiæque optandæ aliis, oneri, miseriæque fuere. Igitur cupido pecuniæ primo, deinde imperij creuit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque auaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes subuertit: Pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortales falsos fieri subegit: Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere: amicitias, inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare: magisque vultum, quam ingenium bonum habere. Hæc primo paulatim crescere, interdum vindicari. Post vbi cogitatio quasi pestilentia inuasit: ciuitas est immutata: imperium ex iustissimo atq; optimo, crudele, intolerandumque factum est.* Hæc ille.

Principum negligentia & imperitia.

PH. Omnia isthæc, quæ progressu temporis in præsentissimam reipublicæ perniciem ac subuersionem cedunt, socordiæ Principum in solidum fere imputantur. Etenim, vt Principis virtutes vulgus æmulari, atq; ita apud eum gratiam laudemque aucupari gestit: Sic quoque contra leuior Principis animus sui similes inuenit, assentatores, adulatores, calumniatores. Si est elatior, sunt qui efferant: si est auarus, sunt qui pecunia expleant; atq; ita porro. Exemplo vno atque altero hæc illustrentur: quorum primum erit, quod olim apud Romanos accidisse legimus. Sabina Poppæa illa (cui cuncta alia fuere præter honestum animum) quæ à Nerone ad insaniam vsque adamata fuit, capillos habuit succinei coloris, quos Nero crebris sermonibus laudabat, versibusque ad citharam scite cantabat. Quo factum est, vt puellæ omnes Romanæ & Italicæ, eo tempore eiusmodi colorem magno studio affectarent, non in coma modo & capillis, sed & in reticulis, annulis & omni genere ornamentorum. Qua ex re succina gemma, quæ paruo antea ælimabatur, magno deinde licere cœpit, quod maximo omnium Principi grata esset. Ex quo appaiet

Virtutes & vitia Principum imitantur subditi.

apparet vt in magnis rebus, ita in minimis quoque multum valere exempla summorum virorum.

EQ. Vsque adeo verum est, quod Velleius Paterculus de Augusto Cæsare ait: *Facere recte ciues suos Princeps optimus faciendo docet; cumq; sit imperio maximus, exemplo maior est. Nam populus in regem, tanquam in edito loco positum, & in clarissima luce versantem, oculos conijciens, omnia curiose & diligenter inquirit; quid dicat, quemadmodum viuat; & in illius animum quasi per rimulas inspicit.* Quapropter Tilius recte monet, inprimis necessarium esse, vt regis domus munda honestaque conseruetur. Nam si qua virtutis monumenta in ea rex constituerit, ea totum regnum prosequetur: vt è contrario Princeps in vitia fertur exemplo regiæ. Quo Claudianus quoque respexisse videtur, cum ait:

——— non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Cæterum de vitiorum in Principibus perniciosa imitatione est verbosa quasi disputatio in quadam Gregorij Nazianzeni oratione, vbi dicitur, Nullam esse tam præparatam imbuendo vestem ad colorem, neq; tam idoneam ad odorem recipiendum, neque tam pestilentem halitum vllum in aere diffundi, cuius contagione animantes inficiantur, quam soleat celeriter Principum virorum prauitate atque vitiis compleri vulgus multo quidem citius quam à contrario virtute. Quæ eadem differuntur à Cicerone demonstrante, Peccata Principum plus exemplo quam peccato nocere. Sic patres vitiosi filiis sunt prauitatis causæ & exemplo. Illustrius hoc fit ex Ludouici XI. regis Galliarum historia. Is enim, cum Carolum filium, fortasse propter valetudinis imbecillitatem, scire latine vetuisset, præter vnum illud: Qui nescit dissimulare, nescit regnare; Ludouici consilium ita male interpretati sunt nobiles Franci, vt nullum literarum genus non contemserint. E contra cum Franciscus I. rex Galliæ miro studio bonas & liberales literas doctosque foueret, plerique eum imitati idem fecerunt, teste Lupano *lib. 2. de Magno consilio*: Nobiles, inquit, Franci ita perpetuo à literis abhorruerunt, vt illis literarum studium sordidum videretur. Quorum liberi cum eius ætatis essent, vt laborem equestrem ferre possent, familiis principum & procerum addicebantur, vbi aliquot annos, quoad pubescerent, equitandi & venandi studiis dediti, cum ephebis excessissent, militiæ totos se dabant. At nunc, Dei primum, deinde Francisci Regis benignitate in literatos literarumque studiosos, quod ante vitio vertebatur, laudi tribuitur. Hoc Tilium mouit, vt diceret, literas equestris ordinis nobilitatem confirmare & ab ignobilitate vindicare. Idipsum etiam Bodinus obseruauit, vbi dicit in Methodo historica: Quales in Republ. Principes fuerint, tales fore ciues, non longius exempla petenda esse, quam à Francisco rege Galliæ, qui vt primum literas, à quibus sui maiores

ſemper abhorruerant, amare cœpit, ſtatim nobilitas ſecuta eſt: deinde reliqui ordines tanto ſtudio conquiſierunt, vt nuſquam literatorum extiterit maior copia. Eadem accidere Germanis, teſte eodem Bodino, qui inquit: Cum olim inueterato quodam odio ſemper à literis abhorruiſſent, nunc tantum profecerunt, vt humanitate Aſiaticis, militari diſciplina Romanis, religione Hebræis, philoſophia Græcis, geometria Ægyptiis, arithmetica Phœnicibus, aſtrologia Chaldæis, opificiorum varietate populis omnibus ſuperiores eſſe videantur. Salutaris itaque eſt monitio Euagrij *lib. 3. cap. 1. Eccleſ. hiſt.* Imperatorem non ex eo quod aliis imperat, ſpectari debere, ſed ex eo quod ſeipſum ita regere & moderari poteſt, vti nullum abſurdũ voluptatis genus ſinat in animum irrepere, ſed ita inuictum ſe ab intemperãtia præſtet, vt vita eius ſit tanquam imago virtutis, quam imitentur ſubiecti eius, & ad virtutem erudiãtur.

Commonefactiones ad Principem.

TH. Seipſum itaq; vt cognoſcat, intelligatque, ſe gerere perſonam Principis, cautio eſt; proindeq; cumprimis in omnibus tum dictis tum factis grauitatem ſeruabit atq; conſtantiam. Cumq; omnis tum conſultatio tum actio ſit de conſiliis capiendis, aut de rebus publicis aut priuatis; in capiendis conſiliis oportet multa audire, plurima circumſpicere, cauſas ſingulorum, quæ dicuntur, exquirere: non ſtatim aſſentiri, nec ſemper etiam palam improbare oculis, nutuq; multa declarare, multa etiam penſitantem animo, vultu præ ſe ferre, ſententias aliorum ita examinare, vt mentes dicentium videatur velle introſpicere, quod ipſe ſentiat, aut non ſtatim, aut ſolum paucis aperire, in dicendo cautum & breuem eſſe; pro rerum tamen qualitate parce reprehendere, rarenter & non niſi maxima ex cauſa obiurgare; laudare cum grauitate, iracundiam cohibere, tanquam maieſtatis inimicam, in nullo ita efferri, vt quod aiunt, lineam tranſeat. Ex his igitur atq; aliis, quæ natura, tempus, res & ars docuerit, naſcetur admiratio quædam, ſine qua maieſtas eſſe nullo modo poteſt.

Publicæ vero res (voco autem publicas, quæ ad quietem populorum & regni moderationem pertineant) arte alia tractandæ ſunt. Vrbium legatis conſpectum Principis adeuntibus, manſuetum te & facilem præbebit, mandata referentes eo vultu audiet, vt fiduciam eis ad dicendum det. Cum vero dimittentur, ita eos dimittet, vt quæ honeſta & iuſta, facile ab ipſo impetrari poſſe intelligant. Nec his contentus, honoribus quoq; & donis, quæ grata illis eſſe foreq; cognouerit, honeſtabit atq; efficiet. Quæ vero aut minus honeſta, aut nõ ſatis æqua petierint, ea non ſemper, nec palam, nec triſtiore vultu, aut grauioribus verbis deneganda ſunt, ſed potius oſtendendum eſt, non ideo ſeſe ea non concedere, quod nolit, ſed quod illis inutilia iudicet, quodq; ea ratione ipſorum rebus melius conſulatur. Vbi autem de iure agitur, nullum ab ipſo perſonarum diſcrimen habeatur, ſed ipſarum legum perſonam induat, quæ eædem ſemper ſunt omnibus. Populos etiam oportet tum literis, tum nuncis,

ciis pro rebus temporibusq; sæpius vt hortetur, moneat, excitet: nec semper expectabit, dum rogent quid, sed vltro & non rogati, beneficium conferet: præmia quoque proponenda sunt iis artibus, quas celebriores in ciuitate senserit.

Præsens eum sese erga ciues geret, vt necessitatibus suis patremfamilias, iuri dicundo prætorem, ciuilibus simultatibus dissensionibusque compositorem adesse sentiant, gaudentem suis secundis ac florentibus rebus, dolentem aduersis, ac totis viribus pericula vimque propulsantem, demumque & præsentem & absentem eam illum rerum suarum habere curam intelligant, vt tanquam dominum vereantur, colant vt patronum. In iudiciis autem seuerum, in responsis grauem ac circumspectum sentiant, gratum in sermone, acrem in sententiis, minime tamen contentiosum. Sint verba vt sine supercilio, sic non absq; grauitate & penso. In facinorosos autem & eos, quos pœnis afficiendos leges sanxerint, sic animaduertat, vt non hominem, sed crimen insectari ac punire videatur. His atque similibus amor conciliabitur & reuerentia, fideles & diuturni maiestatis comites.

De priuatis quoq; aliquid præcipiendum est. Priuata igitur, cum aut extrinsecus erga eos, qui priuati sint, aut erga ipsum met sint cōsideranda, quem sese gerere erga alios debeat. Lex hæc erit, vt peregrinos humaniter excipiat, attentus audiat, liberaliter tractet, in omnibus facilem se eis & benignum præbeat. Studeat etiam, antequam ipsum adeant, quoad poterit nosse, quod sit suum ipsorum ingenium, quibus cum vixerint, quas artes fuerint secuti, quas etiam sequantur opiniones, factionesve, tristesne sint an hilares, suaues in sermone, an duriores, quæ afferant mandata, quid impetrare cupiant, publice veniant, an priuatim; mores quoque nationum & studia sunt diligenter noscenda. His enim cognitis facile intelliget, quid agere se oporteat. Adhibitos in cœnam laute accipiet, inter discumbendum alloquetur familiariter, multum se delectari illorum sermone ostendet, multa etiam ab ipsis de moribus nationum, de situ locorum, de iis quæ inter peregrinandum memoratu digna viderint, audierintve, doceri studeat. Inuitandi sunt etiam ex iis qui aderint, de rebus cum iocosis, tum grauibus vt aliquid dicant, quod tum admirationem, tum voluptatem pariat.

Cum vero in eum sermonem cum ipso venerint, vt impetrare aliquid ab ipso contendant, tum oportet vt liberalitatem munificentiamq; præ se ferat: Cum autem dimittendi sunt, blandis verbis & comi sermone alloquetur, nec contentus iis, quibus eos donauerit, multa quoque & ipse pollicebitur, & per alios offeret.

E subiectis autem, quorum illi aut ingenium, aut fides, aut multa rerum experientia cognita fuerit, præficiet magistratibus, prosequetur salariis; alium belli rebus, alium pacis designabit: bonis consilio & iustitiæ cultoribus

vrbium aut prouinciarum curam demandabit, probatæ fidei & ingenij minime varij præficiet arcibus: administrandis pecuniis, thesaurisque conseruandis, quos frugi, diligentes, induſtrios, abſtinentes ſciet. In hos ſe ſeuerum, in illos facilem, pro cauſis, ingeniis, temporibus lociſque ſe exhibebit, ſciens ſummum ius ſummam interdum iniuriam eſſe, nó raro etiam magis ex æquo & bono, quam iure agendum. Quædam etiam magis ignoſcenda eſſe quam punienda, nonnulla etiam prætereunda tanquam ignoret, aut in aliud tempus differenda.

Optime etiam haberet, ſi vnumquenque è ſubditis domini cognoſcerent. Nam vt bonis locus & gratia apud illos eſſet, ſic malis improbiſque pœna ſupplicium; quod quoniam tum naturæ humanæ imbecillitas non patitur, tum fortunæ inconſtantia prohibet, cum præter opinionem plura contingant, præſtandum eſt, vt ſi non omnes, plurimos tamen cognoſcat, ſciatque, quod nullus mercator in capiendis ſoluendiſque nummis ignorat, quanti quiſque ſit expendendus.

Summa etiam cura attendet, vt quos iuri dicendo præfecturus eſt, auaritia, cæteriſque malis libidinibus animum liberum atque inuictum gerant. Vim à ſe quoque ita prohibeat, vt nullius rei acriorem ſe, quam legum ac libertatis defenſorem oſtendat, nihilque, niſi quod iuſtum & honeſtum ſit, ab vllo exigat.

Cum familiaribus quoque negligendum non eſt, qualis ipſe futurus ſit. Nam, vt eſt apud Iuuenalem:

———. *Lingua mali pars peſſima ſerui eſt.*

Infamia enim, vt Nicolaus Maria Buzutus, eques Neapolitanus dicere ſolitus eſt, domeſticum malum eſt, quæ in domus penetralibus nata, vbi paululum modo adoleuerit, furtim ſe domo ſurripiens, orbem peruagetur. Quamobrem danda eſt opera, vt familiares, quique aulici hodie vocantur, optime de ipſo ſibi perſuadeant; quod his moribus artibuſq; ſe facillime aſſequetur, ſi facilem, comem, benignum, liberalem erga eos ſe præbuerit, facile condonantem peccata, ac recte facta in maius etiam extollentem. Si vniuſquiſque partes ſuas pro miniſterio, opera ingenioque ſuo valere apud ipſum intellexerit. Si ex iis, quæ ipſe ſponte ſua in illos conferet, ſibi polliceantur, ipſum etiam non rogatum maiora indies in ſe collaturum, & à rogato, quæ petent, facilime exoraturos, &c.

Prudentia cum robore. *PH.* Huc referri poteſt Emblema XIII. quod doctiſſimus vir Adrianus Iunius in ſuo eleganti libello emblematum inſeruit. Ibi enim depingitur geminum Mercurij ſimulacrum, alterum iuuenta florentis, alterum matura ſenio venerandi. Quo veteres, vt ipſe explicat, innuere voluerunt, eum, qui recte Rempublicam aut regnum ſit adminiſtraturus, coniunctam cum prudentia fortitudinem habere debere, quaſi alterum inutile ſit abſque alterius ope.

ope. Ideoque inſcriptio rectiſſime conuenit: PRVDENTIA CVM ROBORE CONIVNCTA.

Vegetius aſtruit: nihil magis Principem decere, quam vt intelligentia & rerum peritia omnibus præſtet. Vtile ſane illud & commodum Principi, cum etiam plura negotia incumbant. Tam autem inprimis illi neceſſarium, quam vtile eſt tenere omnia, quibus ad interiorem perturbari animi, morumq; cognitionem ducatur: de quibus pleniſſime agit philoſophia moralis: vt & ea, quæ proſunt ad adminiſtrandum Reſp. de quo ſimiliter libri de politiis conſect. legendi ſunt. Occupata enim eſt Philoſophia moralis in affectibus, ſine quibus nemo viuere poteſt, cognoſcendis. Politica autem ſcripta docent, affectus & perturbationes vna cum ſuis effectibus, quos in regendis ſubditis ſæpiſſime exerunt, apte regere, eoſque nunc coercere, nunc laxare, prout in rem præſentem viſum eſt.

Principis eſt bella mota gerere: adeoque etiam rei militaris peritia eſſe inſignem. Exploratum itaq; habeat, qualis debeat eſſe dux belli: quid militem deceat, quomodo delectus ſit habendus, & ſi quæ ſunt alia. Neque plane alienus ſit à ſcientiis eorum, quæ faciunt pro adminiſtranda re militari: nimirum Geometriæ, Architecturæ, omniumque quæ ad alia mechanica requiruntur. Hac peritia præ cæteris claruit Iulius Cæſar.

Hæc autem non ita intelligi debent, quaſi Princeps his non ſecus vt alius opificum incumbere debeat. Eatenus autem habeat illarum rerum intelligentiam, & eatenus in iis verſetur, qua nihil admittatur contra decorum, nimirum, vt ab iniuſto iuſtum, à malo bonum, & ex multis optimum ſecernere ac ſequi poſſit. Indignum itaque eſt principis perſona, velle pontes conficere, tormenta fundere, puluerem bombardarum terere, aut in extruendis munitionibus ipſummet occupari: digniſſimum autem, ſi artifices, qui prædictas aliaſve artes ſe tenere profitentur, prudenter adhibere norit. Cum autem eloquentia inter eas artes numeretur, quæ merito ſemper in Rep. plurimum dominatæ ſunt, & ſine quibus ciuilis ſtatus non poteſt diu permanere, adeoque eloquentiæ magnitudine ingentem ſæpiſſime gloriam multi ſint conſecuti; omnino decet Principem etiam hac arte eſſe inſtructum. Quando vero nec eloquentia conſiſtere, nec quidquam effi cere poteſt ſine cognitione rerum naturalium, ex quibus artificioſarum rerum fundamenta petenda ſunt: neceſſe profecto principes & reges habent in illis ita eſſe verſatos, vt ſuum quoque iudicium, ſi res poſtulet, prudenter & apte in illis interponere queant. Laudabilis enim intelligentia & notitia de vniuerſo hoc pulcherrimo, omnibuſque quæ in eo continentur, natura, motu cœli, proprietatibus, quæ inſunt corporibus & ſimplicibus: de generatione & corruptione: facultatibus, partibus & eſſentia animæ, efficacitate herbarum, plantis, lapidibus, metallis: de naturis animalium, de ortu imperfecte mixtorum, qualia ſunt pluuiæ, nebula,

Eloquentia Principum.

Mmm grando,

grando, tonitru, fulmen, fulgetrum, nix, Iris: origo fontium, fluuiorum, lacuum, terræmotus, de reciprocatione, id est accessu & recessu maris. Harum, inquam, notitia reficit animi vires, excitat ad sublimiora, acuit mentem, perpolit rationem.

Hinc primordia sumit doctrina de administranda Rep. hinc existit magnanimitas rerum gerundarum: vt videre est in Alexandro Magno. Hinc illa Suada eloquentia: in quem modum de Pericle extat; dubium esse, an magis fulmina: i. & tonuerit, quam perorarit: Constat tamen eius eloquentia vniuersam Græciam quasi præstigiis fascinatam, populumque ad ea, quibus maxime refragaretur, persuasum. Præstantissimus autem hic orator auream hanc eloquentiam non ab oratoribus, sed optimis Philosophis, qui tum temporis florebant, hausit.

Tanta vero ediscendarum rerum multitudo bonum Principem non absterrebit. Ne desperet neq; de ingenij facultate, neq; de tempore. Quæ enim in hominem priuatum difficulter, aut sane nunquam caderent, ea a Principe citra laborem facili brachio confici possunt.

Ac multa quidem sunt, in quibus Principi ad comparandam eruditionem permultum situm est: sed plurimum sibi vendicant conuersationes virorum, quorum eruditionis splendor famaque integritas passim nota est. Tales sunt mathematici, Philosophi, duces, præsidiarij, oratores & alij: quorum opera & studio in mensa idq; breuissimo tempore plus proficit, quam multis mensibus in scholis assequi potuisset. His semper aliquam conferendi & disceptandi materiem proponet, siue id fiat equitando, siue inambulando, siue alia quauis arrepta occasione. His exercitationibus ita acuet & præparabit eos, vt nunquam accedere audeant nisi instructi & parati: quid quod mutua æmulatione de palma decertando optima & vtilissima quæque in medium afferre enitentur? Sed de his infra.

§ Q. Cumprimis vero necessarium est atq; vtile Principi, nouisse subditorum ingenia & affectus.

Tenendum est autem inprimis, naturam, proprietatem, & inclinationes hominum pluribus modis deprehendi posse: nimirum oppositione loci, ætate, fortuna, educatione. Quoniam autem de institutione & educatione multi scripserunt, & Aristoteles in Rhethoricis suis de ætate & fortuna optime suo more disseruit, ob id illis sepositis de æstimandis hominibus ex parte soli ingenio, tantum hic disceptabimus.

In quauis regione considerandum est, vtrum septentrionem an meridiem: vtrum orientem an occidentem spectet: an sit plana, an montosa, an aquosa, necne: quemadmodum enim medium vbique celebratur, ita quoque in præsenti negotio non est contemnendum.

Populi intra Boream & Austrum interiacentes, medium frigoris & caloris

tenent, adeoq; temperatiorem melioremque crasis constitutionem habent. Cæteris enim populis animo & intelligentia præstant, imperiisq; accommodatissimi. Videmus enim maxima quæq; imperia eiusmodi populorum fuisse: ceu Assyriorum, Medorum, Persarum, Catainorum, Turcarum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, Hispanorum.

Septentrionales animosi fortesq; sunt: sed stupidiores. Contra vero versuti & vafri sunt meridionales, sed meticulosi & timidiores. Septentrionalium corpora respondent animis: sunt enim procera, crassa, succulenta, robusta. Meridionalia autem strigosa, macilenta, fugæ quam conflictui aptiora. Illi sunt simplices & aperti: hi malitiosi & insidiosi. Illis animus leoninus est: his mens vulpeculæ. Illi tardiores, fideles, constantes: hi impetuosi, leues. Illi hilares frontisq; exporrectæ: hi melancholici. Illi vino: hi Veneri indulgent.

Quibus vero medium inter vtrumq; obtigit, illi quoad gestus, sunt ciuiliores: quoad naturam, cauti, prudentes, non versuti nec fallaces, fortes, strenui, non furiosi & feri.

Hinc Septentrionales suo robore confisi aut aristocraticam habẽt Remp. aut monarchæ vel regi, quem sibiipsi elegerunt, parent. Exemplo sunt nostra tempestate Transyluani, Poloni, Dani, Sueci. Quamuis vero pleriq; Septentrionalium hæreditariis principatibus submissi sint: non tamen hoc inde fit, quod monarchiæ perfectione delectentur: sed potius quoniam monarchia cæteros dominatus ad se quasi allicere & attrahere facile potest.

Si Galli, tametsi suo regi parent, nihilominus ab eo postulant, vt comiter & humaniter non secus atq; à fratre tractentur. Quod cum facere recusat, illico audit: Apage, facesse hinc.

Scoti hactenus, quod fere incredibile est, centum sex habuerunt greges: quorum tamen plurimos ipsi peremerunt. Angli gesserunt ciuilia bella, quoties reges nouitios demortuorum loco suffecerunt.

Populi meridionales, quod contemplationibus & meditationibus profundioribus intenti essent, facile imperij onera sustinuerunt, religione & idololatria commoti. Hinc existit astronomia. Hinc pharmaceutria. Hinc sacrificuli, gymnosophistæ, Brammanni, magi in maximo semper fuerunt honore. Saracenicum imperium, cuius fundamenta & fulcra sunt, idolorum cultus perniciosissimus, absurdæ & impiæ leges, quas tamen è cœlo demissas amentissimi opinabantur, in Arabia primo exortum est.

Sciarissas, dum se eremitam iactat, adeo fascinauit simpliciores, vt rex Marocci & Fesse salutaretur. Magnus Nego, quem alias Præter Ioannem nominant, hoc obtinuit a subditis suis, vt tantum non adorent, nullam enim corporis sui partem præter pedes conspiciendam præbet. Videmus etiam, qui in religione discrepantes fouerunt sententias, omnium subtilissimos & acutissimos in Australibus regionibus vixisse: contra autem meridionales stupidiores & simpliciores. Illorum quidam Iesu Christi saluatoris nostri diuinitatem,

quidam humanitatem, quidam Spiritum ſanctum à Filio procedere negarunt, alij alios fidei articulos impugnarunt. Hi vero ſpinoſioribus & ſublimioribus controuerſiis omiſſis impugnarunt ieiunia, vigilias animarum, pœnitentiæ ritum, aliaque quibus caro domatur, qualia ſunt, vagæ libidines & ſcorta ſacerdotum, iuriſdictio Papæ, & ſimilia.

Qui vero medium inter Auſtrum & Boream incolunt, ij medij in gubernando ſunt ſeruantiores, iuſtitiæ nimirum & ſapientiæ. Hinc propriarum legum iuriſq; promulgatio, optimæ politiæ, arteſq; & pace & bellis vtiles apud eos inuentæ ſunt. Populi qui incolunt extrema verſus meridiem & ſeptentrionem, vbi intenſiſſimum frigus & æſtus eſt, craſſiores ſunt & aliis inſipientiores; corpore exigui, moribus agreſtes. Illi enim præ frigore quaſi rigent, hi feruore quaſi enecti. Hinc ab altero phlegmatis prædominium acriorem ſenſum aufert, tanquam ſine ſenſu fere obſtupeſcat: alterum vero melancholia animali bruto fere ſimilem reddit.

Quæ hactenus dicta ſunt de populis cis æquinoctialem circulum habitantibus, eadem citra illum degentibus applicari debent.

Orientales, qui ad Solis ortum habitant, natura ſunt beneuoli & tractabiles, liberali forma & proceri: occidentales autem ſunt moroſiores & inhumaniores.

Occidentales & meridionales, ceu ſunt Hetruſci & Geneuates, ſunt acris & ſubtilis ingenij, ſed ſubdoli & verſuti. Contra vero occidentales & ſeptentrionales ſimpliciores & aperti.

Qui regiones ventis expoſitas incolunt, ij ventorum naturam imitati impetuoſi ſunt & turbulenti: qui vero aerem tranquillum & à ventis minus agitatum habitant, ij plerunq; ſunt compoſiti ad conſtitutionem aeris, tranquilli, mites & propoſiti tenaces.

Montoſi ſunt rudiores & ferociores, qui autem valles inhabitant, effœminati & delicatiores. Sterilis regio plerunq; parit ingenia præſtantiora, artificioſa, ſeuera, ſtudioſa: fertilis autem voluptatis & otij clientes. Maris accolæ multa exercent commercia cum extraneis, adeoq; magis verſuti, vafri, & ſuo commodo intenti. Seiunctiores autem a mari & fluuiis, aperti ſunt & conſtantes, fideles, etiam paruo facile contenti.

TH. Addam ego præter has quas diximus, alias inſuper, ad prudentiam Principis commonefactiones maxime neceſſarias. E quib. hoc primum eſto:

Omnibus vt malis Principio vehementer obſtet. Confuſiones enim cum tempore pariter creſcunt, & niſi mature impediantur, facilè inualeſcunt.

Quod ſi mali exorti vis tanta ſit: vt omnino retundi nequeat: differenda eſt ad tempus. Tempus enim omnium rerum, earum deniq; naturæ viciſſitudinem adfert, vnde vulgo dicitur, Annus non æger producit.

Non autem ſunt omnino negligendæ paruæ confuſionem ſcintillulæ.

Omnia

Omnis enim tranquillitatis & pacis perturbatio initio parua est, sed suis progressibus vsa augetur, adeo vt tandem extremam minetur deuastationem: non secus atq; vapores & fumi, acie oculorum non animaduertente, sensim in sublime elati & congregati in densissimā tandem resoluuntur tempestatem.

Res arduæ vno & eodem tempore non sunt accumulandæ neq; perficiendæ, nam

Pluribus intentis minor est ad singula sensus.

Regi itaq; caute & prudenter acturo etiam atq; etiam opus est sub primis administrationis annis omni nouatione supersedere. Itaq; poeta Ariostus regem Franciscum laudaturus eiusdem imprudentiam inconsiderate taxauit, vbi ita cecinit, in hanc sententiam: Franciscum nempe primo regiminis sui anno in Lombardiam profectum esse, regni corona capiti ipsius nondum valide firmata ac robore fulta.

Ladislaus Caroli III. regis Neapolitani filius, cum vix pedem patrio regno immisisset, mox ad regnum Vngaricum, quo accersitus erat, occupandum se conuertit. Commodum autem Zaram venerat, cum resciisceret Vngaros animum mutasse, membra imperij conspirasse, & Sigismundum regem Bohemiæ Vngarico regno præfecisse.

Vir sapiens interdum tempori concedit, eique seruit. Horrendis enim & procellosis tempestatibus commodissime resistitur contractis velis. Huius non fuit alter obseruantior Philippo rege Macedonum. Hic enim primis imperij annis vndique se septum & inclusum hostibus videns non sine sui suorumque iactura magna expeditione contra illos facta, at pauco milite debellauit. Hoc facto erexit suorum animos, spiritusque adauxit, hostibus autem certissima fortitudinis specimina edebat. Laudabilis est Venetorum prudentia, quod a Ludouico rege Vngariæ eiusque confœderatis oppugnati cesserunt: sic enim se suaque muniebant. Contra vero, cum regi Galliæ eiusque confœderatis arma inferentibus cedere nollent, maximis periculis semet immerserunt.

Nihil magis reprehensionem in Principe, qui sapiens videri vult, meretur, quam si rebus suis cœcæ fortunæ permissis securus agundorum degit. Singularis & incomparabilis in hoc euitando imperatoris Tiberij fuit industria, de quo enim traditum est: *Immotum aduersus eos sermones fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se in casum dare.* Nostra tempestate ex celeberrimis belli ducibus huc annumerari possunt, Prosper Columna, Ferdinandus Toletanus dux Albæ, Fabius Magnus, aliique. Plus tamen in hoc genere rex Hispaniæ Philippus excellit.

Subitæ & inopinatæ mutationes caueri debent. Parum enim felici euentu clauduntur: nonnunquam euentus respondet: admodum tamen mobilis & inconstans. Carolus Martellus regno Gallico inhians, nolebat sibi statum re-

gium titulum attribui: Principem se vocitans Gallicæ nobilitatis, cum antea diceretur *Maior domus*. Hac humilitate filio suo strauit viam, qua deinde in regno patri succedere admodum procliue erat. Ita Cæsares ex perpetuis magistratibus summi plebis tribuni: hinc Principes: & demum imperatores, vt nunc vocantur, constituti sunt.

Vbi de proposito deliberatum est, matute facto opus est. Mora enim modo plures confusiones parit, modo pauciores: vere itaque dicitur,

Tolle moras: nocuit semper differre paratis.

Prisca nouis, tranquillitas perturbationi, semper præferenda sunt. Ita enim incertum certo, periculosum tuto postponitur. Meminerit etiam Princeps identidem præceptionis, quam Demetrius Phalereus Ptolomæo Philadelpho documenti vice subiecerat, Plurima nimirum in libris inueniri, quæ alius dicere ipsi non auderet.

Potentiorem Remp. armis non inuadet, nisi certissima spe victoriæ proposita. Tantus enim amor libertatis est, tantasq; in animis, qui liberi aliquandiu vixerunt, egit radices, vt illas resecare sit difficile, extirpare difficilius, imo difficillimum. Decreta enim & senatus Principum plerumque vna cum Principibus occidunt & euanescunt: sed Rerump. fere perpetuo durant.

Omnino autem Princeps à bonis Ecclesiasticis abstinebit. Vix enim ac ne vix quidem, ni abstinuerit, sacrilegi nomen effugiet. Quicquid dicat, quicquid prætendat, magna tamen cum impietate eiusmodi sacrilegia coniuncta sunt, adeoq; ad ditandum fiscum nihil facient. Exemplo sint duces Mediolanenses, Florentini, reges Neapolitani, & deniq; Venetiani. Hi enim dum Ecclesiis lites diuersimode intenderunt, conatu tamen irrito; magnam quidem opum vim pendentibus litibus impenderunt, fortunarumque suarum iacturam passi sunt, rebus interim Ecclesiæ florentibus. Et quamuis aliquando summi pontifices auctoritati Ecclesiæ eiusque iuribus vim inferunt; ab aliis tamen eorundem successoribus vicissim restituuntur in integrum.

Cum vicinis & finitimis non est armis continuo confligendum, ne & illi armis assueti fiant pugnaciores. Agesilaus Lacedæmoniorum rex à Thebanis in prælio vulneratus audiuit minus suaue acroama, nimirum, tandem præmium ipsi obtigisse admodum dignum, quod assiduis bellis armorum vsum ipsos docuisset.

Iisdem strategematis capitalis Christianismi hostis aduersum Christianos Principes vsus est.

Continua enim bella cum iis non gessit: sed paulatim modo hunc, modo illum aggressus est: nunc hanc munitionem, nunc illud imperium sibi subiunxit. Ne autem & ipsi disciplinæ militaris periti euaderent, induciis factis aliorsum exercitum suum abduxit. Neq; tantum temporis indulsit hostibus, vt longo armorum vsu animosi, alacriores & bellicis laboribus sustinendis

dis redderentur aptiores. Ditione, vrbe, aliave munitione occupata, de pacis conditionibus & induciis quamprimum solicitauit. Neque inutiles fuere ipsi eiusmodi technæ: Effecit enim, vt suus exercitus peritiss. & veteranorum militum flore excelleret: nostratum vero tyronibus & inexercitatis constaret. Nunquam enim illi est immunitas ab armis: nostri vero Principes nihilominus, quam in armis vt essent, meditati sunt. Ex his consequitur rem longe ineptiorem committi à principe, si suos ipsius subditos diuturno & continuo bello affligat. Animi enim eorum exasperati indies magis magisq; abalienantur. Tametsi enim a primo aggressu cladem & damnum accipiant, quod dolere & nocere potest: tacite tamen id deuorant, concoquunt, parturiunt & perniciosissimam tandem enixi fœtum rebellione & seditionibus, Principem despicatui habent. Hoc Sigismundus in Bohemico, at rex Hispaniæ in Belgico bello edoctus est. Non est enim populus tam fatuus, tam vecors, vt sua sponte nulla adhuc dum iniuria lacessitus contra Principem insurgat, siquidem perfidia & inobedientia nunquam ab ignominia, infamia & odio est separata. At armis semel susceptis, repagulisq; obedientiæ perruptis, metuque iure experiundi posito, certissimæ subsequuntur seditiones & factiones. Alexander Iudæorum rex sex continuos annos bello infestauit subiectos, amplius quinquaginta millibus hominum cæsis. Verum oleum & operam perditam nec euentum votis responsurum serius animaduertens cum demum interrogaret, quo pacto sublato bello ad concordiam redacti coalescere queant? Responsum satis insuaue accepit: Non nisi, inquiunt, morte tua. Hic tandem animum ad media, quæ initio tentasse decebat, frustra applicabat.

Non est, vt Princeps omni ex parte confidat pace, adeo vt vsum armorum plane velit intermittere. Quid enim pax inermis neq; potentia septa?

Vero verius est, ad quoduis institutum plus momenti in conficiendi celeritate, quam in potentia situm esse. Celeritas enim improuiso obruit: potentia autem aut cautionibus aut defensionibus anteuerti potest. Celeritas hostium ordines interturbat & dissipat: potentia autem fundit & perdit. Quiuis autem nisi plane ab intelligentia sensuque disiunctus colligere potest, longe facilius esse vires ante dispersas & labefactatas, quam quæ bene & ordine adhuc constitutæ sunt, pessundare & deuastare.

Persuasum etiam sibi quiuis certo habeat in rebus arduis & similibus deliberandum esse diu, quod semel statuendum est. Vehementia enim vi, at lenitas cunctando, iustitia & causæ bonitate freta, temporis progressu debilitat ac frangit. Minoris autem laboris est, rem iam dum labefactatam & quasi vndiq; perfossam humi deiicere: quam omnia simul & semel inuertere.

Instandum ab omnibus modis, vt quæuis occasio, quæ instituto alicui accommoda esse potest, captetur, nec elabi temere permittatur. Omnibus enim in rebus plurimum habet momenti temporis & oportunitatis obseruatio,

uatio, quam alias occaſionem appellamus, quæ propriiſſime eſt conueniens harmonia & tempeſtiuitas circumſtantiarum, quibus res gerundæ leuantur. Ea ſiquidem, niſi à fronte capillis prehendatur, vbi occiput prehenſuro ſemel obuertit, calua inibi prehendentis manus excutit. Hac vigilantia, occaſiones diligenter obſeruando, vſus fuit Philippus I. rex Macedoniæ, dum ex diſcordia & diſſenſionibus Græciæ ciuitatum occaſione arrepta imperium ſuum mirum in modum adauxit. Idem factitauit Amurathes I. Imp. Turcicus, qui ſtudioſiſſime tanquam è ſpecula Græcorum ſimultates & inteſtina odia obſeruans, illarum ductu quaſi per gradus imperij ſui Europæi fines incredibiliter extendit. Et vt ſummatim dicam; neq; vis neq; celeritas laudabilem ſortitur euentum, niſi duce occaſione gubernetur.

Ad imperij eiuſq; membrorum grauiora & arcana conſilia nemo admittitor, qui extero & peregrino magiſtratui fauet. Non enim adducor vt credam, hunc fidelem & taciturnum fore, qui cum alieno magiſtratu, cui officiis aut aliis quibuſque modis deuinctus eſt, colludit. Expediendorum adminiſtratio ſiue executio ei, qui in conſultationibus ea ſuis ſuffragiis probare noluit, non demandanda eſt, &c.

XENOPHON.

Cum vident homines eum, cui maxima poteſtas eſt inſolenter agendi, modeſte ſe gerere: nolunt alij, quorum facultas eſt minor, quicquam inſolenter palam agere. lib. 8. de inſtit. Cyri.

EQ. Summatim dicam. Duo cumprimis ſunt boni regis officia. Primum, vt conſtanti, firmo, promptoque animo cuncta reip. negotia, & difficultates ſuſcipiat, eaq; tant committat aliis, quæ propter multitudinem ipſe, aut difficultatem, niſi per illos gerere nequeat. Secūdum, vt nec inertia, nec otio, aut negligētia, aut laboris metu, occaſionem & tempus negotiorum omittat, aut differat. Quapropter & hac quoq; in re fiducia op' eſt ad laborem ſuſcipiendum quocunq; tempore, aut loco, ne publico bono priuata requies, aut relaxatio animi anteponatur: tum etiam magnanimitate, ad ſuſtinenda, gerenda, curandaq; cuncta reip. conducentia: itemq; patientia ad laborum moleſtias æquo animo ſuſtinendas: Poſtremo conſtantia in negotiis, in difficultatibus, periculis, querimoniis, efflagitatione, petitionibuſq; importunis aliorū. Hac enim de cauſa commiſſam ſibi eſſe reip. adminiſtrationem putare debet, non vt ſubiectos imperio ſuo cunctos habeat tantummodo, vt affluat opibus, voluptate, otio, quiete, vt nihil agat, moliatur, curet, aut gerat, vt quaſi Sardanapalus quidam domi ſemper deliteſcat, paucis cum familiaribus commeſſetur, veſtiatur ſplendidiſſime, vt venetur, ludat, equitet, ſaltet, vt reliqua demum huiuſmodi alia ſibi ſolum iucunda, & vtilia agat, non publica. Itaque labores

res hos omnes administrationis publicæ, curas ac difficultates negotiorum suscipere æquo animo non dubitabit. & postquam susceperit, vna cum imperii & dignitate, & honore constanter sustinere non desinet, quando hæc est vnica tantum causa, cur vnus regno præfectus sit, & honores propterea, opes, voluptates, apparatus, abundantia bonorum omnium, reliquaq; huiusmodi omnia illi suppeditantur, vt hoc quasi leuamento labores facilius sustineat. Vespasianus Augustus tanta in reipub. negotiis procurandis fuit diligentia, vt summo mane, postquam à somno excitatus esset, negocia publica gerere, literas ac libellos supplices legere, audireq; vel ipso in lecto ad se accedẽtes sit solitus: idque ipsum excitatus fecisse dicitur, postquam valetudinem corporis, & sanitatem honestis exercitationibus aliquantum curauisset. Idem à Domitiano Cæsare, impuro cæteroqui homine, factum legimus: cuius per magna fuit publicorum negociorum cura, magnaq; in iudices prauos, & mores ciuiũ corruptos seueritas. Sed ex his sane Traianum Cæsarem nemo æquauit; qui per seipsum ius administrabat, ac pro tribunali frequẽter iudicia in causis ferebat, quas sine defatigatione audire nõ recusabat. Cõtra vero Cõmodus, qui cum ob inertiam, vitæq; mollicien Perennio, Regilo, Iuliano, aliisque, quos habuit, familiaribus, imperii administrationem committeret, & remp. male affecit, & ipse odiosus omnibus est factus. Ergo in hoc toto regiæ fortitudinis ratio versatur, vt negociorum labor ac difficultas, & pericula æquo animo subeantur, sustineanturq;, quamdiu rerum is potiatur.

PH. Quodnam autem subditorum interim istiusmodi morum deprauatione erit officium.

TH. De hoc ex D. Paulo edoceamur. Is namque politiam, hoc est, leges Imperii Romani amabat & his obtemperabat: Sed Caligulam & Neronem non amabat, imo execrabatur tanquam organa Diaboli maledicta à Deo, quibus sceleribus contaminari totam rerum naturam videbat.

Proinde discernendæ sunt res ipsæ à personis & Diaboli operibus: qui quo excellentiora atque augustiora sunt Dei opera, eo furiosius ea deformare, concutere & euertere conatur.

Non ergo prætextu operis diuini excusanda aut tuenda sunt vitia, nec propter loci dignitatem tolerandæ sunt manifestæ & atroces iniuriæ, impietates & flagitiosæ libidines tyrannorum, sine fine grassantium: sed reliqua politia, cui Deus gladium dedit, recte facit, cum Caligulas & Nerones & similia portenta remouet à gubernatione. Sicut honestissime Traianus ad magistrum equitum dixit, tradens ei gladium: Hoc gladio pro me vtaris, si iusta imperabo, sin vero iniusta, contra me vtaris. Sed si gubernatores sunt fideles, hoc est, mediocriter student officium facere, & plerunq; iusta agunt, & lapsi resipiscunt, tolerandi sunt, & eorum errata vel tegenda vel sananda sunt.

Tales fuerunt Dauid, Salomon, Iosaphat: qui cum fuerint excellentissimi

principes, habuerunt tamen suos lapsus; vt admoneamur difficillimam & periculosissimam rem esse gubernationem. Nam diabolus cum sit homicida, molitur dissipationes politiarum, & vel gubernatores euertit, vel habet sua organa in populo. Sicut Saulem funditus perdidit, qui tamen initio res magnas & vtiles gesserat. Dauidi laqueos iniecit, ex quibus vix eluctatus est: deinde incendit filium Absolonem, cuius scelus ingentem ruinam traxit.

In tantis Diaboli insidiis & tam multiplici infirmitate hominum retinere mediocrem statum, magnum & singulare Dei opus est, sicut clare dicit Salomon: *Vt oculus videat, & auris audiat, Deus facit vtrumque*, id est, vt gubernator habeat felix consilium, & respondeat obedientia subditorum suorum, Dei opera sunt, hæc impertit per fideles gubernatores: quorum alii aliis præstant. Nulla humana sapientia, vigilantia, aut virtus par est tantis rebus. Non enim sumus idonei ex nobis, ne cogitare quidem; sed sufficientia nostra est ex Deo, *2. Corinth. 3.*

Quando igitur mediocris est status politiarum, subditi agnoscant, eum esse beneficium Dei, quod per aliquos fideles ministros impertit, & Deo autori politiarum obediant.

Deinde & ipsis gubernatoribus pro sua fidelitate & ingentibus laboribus qui comitantur omnem gubernationem, tribuant honorem, ament eos, ac eis sese subiiciant, & debere fateantur pro ipsorum sedulitate gratiam, & aliquos lapsus ipsis condonent, sic tamen ne contra mandata Dei faciant subditi, Hæc æquitas, magna virtus est & difficilis. *Hæc ex Melanthone.*

EQ. Concludo hunc Aphorismum insigni hac Xenophontis sententia: Cum vident homines eum cui maxima potestas est insolenter agendi modeste se gerere, nolunt alii, quorum facultas est minor, quicquam insolenter palam agere; *lib. 8. de instit. Cyri.*

* *

APHORISMVS XI.

PRINCEPS, FLVCTVANTIBVS QVANTVMuis ruinamq; & euerſionem minantibus rebus humanis; animo tamen ac pietate in Deum non labaſcet atque deficiet.

II. Circulus quidam humanarum reuoluitur rerum, qui modo ſic, modo aliter agitat ipſas, & circumfert. atque in his inæqualitas eſt, eo quod nihil ex præſentibus in eodem ſtatu maneat. oportet igitur te potentiſſime Imperator in hac rerum verſatili mutatione, immutabilẽ habere pietatis cognitionem.

Κύκλος τίς ἐστι τῶν ἀνθρωπίνων περιτρέχει πραγμάτων, ἄλλοτε ἄλλως φέρων αὐτά. καὶ περιφέρων. καὶ τούτοις ἀνισότης ἐστι, τὸ μηδὲν τῶν παρόντων ἐν ταυτότητι μένειν. δεῖ οὖν σε κράτιστε βασιλεῦ ἐν τῇ τούτων ἀγχιστρόφῳ μεταβολῇ, ἀμετάβλητον ἔχειν τὸν εὐσεβῆ λογισμόν.

II. *Circulus quidam humanarum rerum reuoluitur, quo alias aliter eadem feruntur & circumferuntur. Et magna his accidit diſsimilitudo, quum nihil præſentium in eodem ſtatu conſiſtat. Tuum igitur eſt, præſtantiſsime Imperator, in his conuerſionibus mutationibuſque ſubinde orientibus immutabilem in pietate colenda animum ſeruare.*

DISCVRSVS.

EQ. Videtur hic Aphoriſmus deſumptus eſſe ex Herodoto. Sic namque apud Herodotum *libro 1.* Crœſus ad Cyrum, ducturum exercitum contra Tomyrin Scytharum reginam, Equidem, inquit, tibi rex etiam antea dixi: quandoquidem Deus tibi me tradidit: quicquid animaduerto errati in tua domo, id omne me pro viribus auerſurum. Nam meæ ruinæ, etſi ingratæ, mihi tamen extitere diſciplinæ. Si tibi eſſe videris immortalis, & eiuſmodi exercitui præeſſe, nihil eſt opus, vt meam tibi dicam ſententiam. Sin vero te quoque agnoſcis hominem & iſtis eiuſmodi præeſſe, illud inprimis diſcito: humanarum rerum circum eſſe, qui rotatus, ſemper eoſdẽ fortunatos *Rerum humanarum inconſtantia.*

esse,non finit. *Hæc Herodotus.* Et certe tota hæc rerum humanarum versatili summi non minus quam infimi sæpenumero circumagitantur. Exempla adduximus supra: Adducam vnicum. Carolus Crassus imperio depositus, in summa egestate adeo vixit, vt sæpius quotidiani victus sentiret penuriam: ab omnibus suis derelictus, priuatam vitam miser vixit, adiutus ab Arnulpho, certis ex Alemannia redditibus pro victu quotidianis, quem supplex rogauerat, ne fame periret. Et cui Bernhardum ex pellice filium vnicum commendauit. Mortuus itaque pauper sine honore, in Augeo maiori monasterio prope Constantiam, humili ac abiecto monimento sepultus 5. Idus Ianuarii, anno Virginei partus octingentesimo octogesimo octauo, Imperii decimo, vt aliqui tradunt: alii vero, Imperii sexto. A suis strangulatus etiam scribitur.

Res digna spectaculo, & magnis Principibus animaduertenda, humanæ sortis insigne exemplar. Qui enim paulo ante tot tantisque regnis sine labore, sine sudoribus, sine sanguine partis à Carolo Magno, nulli Francorum erat inferior, momēto temporis, vt sic dicam, fragilitatis humanæ exemplum, omnibus suis regnis exutus, egenus & inops quærit corporis alimoniam. Nemo itaque confidat rebus nimium prósperis, cum & Regibus plerumque varietas fortunæ occurrat, vt miseris coæquentur. Ostendit enim sæpe Deus potētiam principib. vt intelligant, quoniā solus est adorādus, cuius regni nullus est finis.

PH. Sententia est Aristotelis vulgo trita, & in ore passim omnium celebrata: *Facilius est destruere, quam construere.* Quæ apud Pindarum in Pythiis extat in hunc modum: *Facile est quidem, etiā ignauioribus, vrbem dissipare, sed hoc nequaquam inpromptu est, vbi euersa sit, ibidem illam statim restituere nisi Deus principibus Dux, & gubernator affuerit.* Quod recte quoque intellexit ciuis quidam Atheniensis, qui cum audiuisset, Philippum Macedonem insolenter de se admodum iactitare, se munitissimam & potentissimam vrbem Olynthum suis copiis & sua virtute cepisse atq; euertisse: *Ille quidem*: inquit: *magnam vrbem euertit, sed magnā nullā adhuc cōdidit.* Quid enim in hoc esse potest præcipue laudis, bene fundata & constituta cōuuisa esse atq; diruta, quæ ferri & flāmæ virtus aut vis est?

TH. Recte Claudianus.

Magna repente ruunt: summa cadunt subito.

Nihil enim simul & inuentum est, & perfectum, vt M. Cicero docet *de d. orat.* &, vt Fabius, nihil magnum rerum natura voluit effici cito: proposuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatem. Difficilia enim, quæ pulchra, secundum vetus prouerbium. Contra autem summa petit liuor, secundum Nasonem:

——summisq; negatum
Stare diu: nimioq; graues sub pondere lapsus,

teste Lucano. Breuibus siquidem momentis summa verti possunt, aucto-

te Cor-

re Cornelio Tacito: & , vt idem vult, *res potentium incerta.* Nam, vt Lucretius canit,

——— Inuidia, ceu fulmine, summa vaporant
Plerumque, & quæ sunt altis magis edita cunque.

Et, vt Horatius:

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt turres: feriuntque summos
Fulmina montes.

Sic Lactantius: *Plus*, inquit, *habent ponderis ad ruinam, quæ cæteris sunt altiora.* Et Seneca: *Ad summum quicquid venit, ad exitum prope est.* Et alibi: *Nulli fere & magne bona & diuturna contingunt.* Et Velleius Paterculus: *Nunquam eminentia inuidia, & difficilius in perfecto mora est.*

PH. Hanc rerum humanarum inconstantiam etiam expertus fuit suo malo, Pompeius. Quamobrem etiam, cum post aduersum in Pharsalicis campis prælium in Ægyptum aufugeret, in itinere ad Cratippum Philosophum diuertit, curioseque ab eo quæsiuit, an aliqua esset prouidentia, quæ res humanas moderaretur? Vix enim persuasum habebat, homines Deo curæ esse, cum in meliori causa (sicut putabat) victus fuisset. Cratippus percommode & prudenter respondit, fatales esse imperiorum periodos, nec vlli hominum datum, eorum terminum diuinitus ordinatum vlterius promouere. *Richard. Normannus.*

EQ. Sunt omnino fatales Imperiorum periodi. Intuentesque historias à prima antiquitate, reperimus regna & respublicas potentiores 500. annis plerumque floruisse: plurima hunc terminum non attigisse: nulla aut paucissima superasse: Sed in quingent. fini anni momento aut prope incidisse mutationem: quibus vel euersa ac deleta funditus, vel alio translata desierint, vel in aliam nouam sint transmutata formam. Hæc periodus definitur à Daniele, *cap. 9.* ibi prædicitur tempus durationis politiæ Iudaicæ: *Septuaginta hebdomades præfinitæ sunt populo tuo*, id est, 490. anni. Cæterum fatalium huiusmodi intra quingentos quosque fere annos, mutationum exempla plurima, requirat cui lubet, *apud Philippum in locis Manlij, pag. 604. & seqq. & in Postil. per Pezel. edita. par. 3 pag. 534. Peucerum de diuin pag. 18. b. & seqq. item in Chronicis, pag. 393. & in lectione Chron. 17. Decemb. Anno 1569. Item anno 70. 3. Nouembr.* *Principatus quingentos annos vix excedunt.*

TH. Eadem periodus 500. annorum non solum insignes mutationes solet afferre imperiis, sed etiam fatalis est Ecclesiæ; id quod testantur historiæ: & potest id continue ex distributione horarum 12. *apud Matth. cap. 20.* singulis singulas 500. annorum periodos assignando, demonstrari, hoc ordine. Prima hora primos quingentos complectitur annos primorum parentum,

Seth & Patriarcharum. II. Enos & reliquorum Patriarcharum. III. Nohæ qui editur concionem pœnitentiæ A.M. 1536. sequiturque diluuium A.M. 1656. IV. Abrahæ, qui vocatur à Deo ad peregrinationem A.M. 2024. V. Iosuæ, qui distribuit terram Chanaan A.M. 2500. VI. Eliæ & reliquorum Prophetarum. VII. Esræ, qui instaurauit politiam Iudaicam A.M. 3514. VIII. Christi Apostolorum & successorum, qui mundi annus incidit in annum 30. nati Christi. IX. Iustiniani Imperatoris, qui acerrima edicta proposuit contra hæreticos: & magna multitudo barbararum gentium conuersa est ad Christum cum gentibus Hunnorum. X. Henrici II. Imperatoris, quo tempore nostræ gentes cum Henetis ad Christum sunt conuersæ: & Episcopatus in vicinis regionibus constituti. XI. Lutheri, qui mundi annus incidit in annum N. C. 1530. annum exhibitæ confessionis Augustanæ. XII. Electorum, à quorum facie Deus omnem absterget lacrymam.

EQ. Quid? quod non omnia regna durarunt annos quingentos, sed aliqua tantum attigerunt dimidium huius numeri, id est, ducentos & aliquot insuper annos. Sic Medorum potentia annorum fuit 220. Monarchia Persica à Cyro vsque ad Darium, quem Alexander Magnus deuicit, floruit annos 250. Monarchia Græcorum inchoata ab Alexandro Magno, durauit annos circiter 250. Hanc Romana potentia, ordine sublatis regibus, & regnis in prouinciæ formam redactis, post exactum dimidium totius periodi tempus demolita est. Romani suis etiam Regibus, ante constitutum consulatum abrogatū regnum quinquennio ante dimidiæ periodi finem, id est, anno ab vrbe condita 245. Totidem quoque annorum fuit potentia primorum regū Franciæ à Clodoueo Christiano: qui interfecto Syagrio, quem Suessiones expulerant: & reliquis Romanorum præfectis summotis & abactis, Galliam à Romano imperio prorsus auulsam sibi subiecit: vsq; ad Pipinum Caroli Magni patrem: cuius posteritas & imperium, & præcipue Galliæ regnum gubernauit vsque ad Hugonem Capetum, annos 237. Ab instaurato Imperio occidentis per Carolum Magnum anno 257. regnante Henrico IV. creuit tyrannis: quæ potentiam Imperatorum valde debilitauit. Regnū Israel, quod fuit in Samaria conditum, à Ieroboam rege, floruit per annos 299. Deletum est à rege Salmanassar, abductis decem tribubus in Assyriam. Regnum Longobardorum in Italia euersum à Carolo Magno, vltimo rege Desiderio cum coniuge & liberis Leodium relegato, durauit annos 240. Mamaluchorum regnum in Ægypto durauit annos circiter 260. serie numerata à Turquemenio, qui regnum inuasit, Melechsala rege obtruncato, vsque ad Tomumbeium vltimum: quo ad portam in vrbe Memphi suspenso, Selimus Turcarum tyrannus regnum Mamaluchorum demolitus est.

Principatus annorum 250.

Principatus annorum centum.

TH. Centesimas quoq; periodos fatales esse regnis, rebuspublicis, regiis stirpibus, ostendunt historiarū monumēta. Hæc namq; periodus Salomonis, Nabo-

Nabonassaris Assyrii, Augusti, Caroli Magni, Herici Aucupis, Cunradi F. a ...is, Cunradi Sueui stirpi ac posteritati finẽ. & vt fit, si imperia transferũtur in nouos & alienæ stirpis successores, mutationes insignes rebus communib. attulit.

Dicam clarius centesimo post Christum natum, & Augusti Cæsaris Imperium anno, cœpit Romana Resp. per extraneos Principes regi, & translata illa primum potestas ad Neruam, Traianum, Hadrianum natione Hispanos.

Ducentesimo dehinc anno post Christum natum, deletum Parthicum Imperium, & ortum nouum Persarum per Artaxerxem in Regem.

Trecentesimo, ad Principes Christianos translatum Imperium Romanum ad Constantium Constantinumque Magnum.

400. anno cœpit diuidi, & lacerari Imperium; vnde noua alia regna orta in Italia, Gallia, Hispania, Africa, Asia, Anglia.

Anno 500. Occidentis Romanorum Imperium extinctum, vsq; ad Carolum Magnum, & contractum in Constantinopolitanum, siue Græcorum.

Anno 600. Mahometis, & Saracenorum impietas simul, & horrendum Imperium productum est.

Anno 700. Saracenorum, Arabum, Turcarum, Maurorum, noua & diuersa regna, quæ habuerunt suos Principes dictos Caliphas, siue Sultanos in India, Syria, Asia, Ægypto, Lybia, Africa; in Insulis maris Mediterranei, Oceani Æthiopici, Indici, Athlantici.

Anno 800. Imperium nouum Occidentis per Francos Septentrionales gentibus salutare & Christi prænuncium.

Anno 900 Imperii Occidentis è Francis ad Longobardos translatio.

Anno 1000. noua Regna Poloniæ, Vngariæ, Bohemiæ, & Septentrionalium populorum.

Anno 1100. noua Regna Occidentalium Christianorum præsertim Francorum, in Asia, Syria, Iudæa, & alibi.

Anno 1200. nouum Imperium, & Barbaricum gentis Tartarorum, cum Indicorum, & totius Orientis magna Regnorum calamitate.

Anno 1300 nouum, sæuum, & ferum Imperium Othomannorum, ab Othomanno primo eius nominis Imperatore dictum.

Anno 1400. nouum Imperium Tamberlani Scytæ: quod feritatem Turcarum aliquantum repressit.

Anno 1500. noua Imperia Sophi in Persidæ; item Lusitanorum, & Hispanorum in Indiis, & Nouo orbe.

Quid? quod circumacto trigesimo quoque anno nouum succedere solet seculum, decedentibus à sua statione iis, qui antea rebus communibus præfuerunt, & in eorum locum succedente nouo hominum genere, quod intra triginta annos adoleuit. Et extat dictum memorabile Platonis *lib. 8. de Rep.* Degeneres, inquit, ciues, qui tamen non ponuntur reipublicæ, qui sunt in administratione ex præstantioribus orti, euertunt Resp. paulatim vsq; ad periodum

PH. Quod attinet periodi centum annorum multa coaceruare exempla, quippe quæ mœrorem animis facile incutiunt, adeoque odiosa, ac proinde restringenda sunt. Iucundius audiuntur periodi multorum quam paucorum annorum; quales sunt periodi annorum septingentorum & vltra, quibus elapsis demum insignes regnis & rebuspublicis illatas fuisse mutationes, historiarum series docet.

Sic respublica Carthaginensis annos steterat 700. quando à Scipione Æmyliano deleta est; secundum Iosephum, annos 744.

Principatus annorum 700. Ciuile bellum Pompeii & Cæsaris, quod Romanam rempublicam euertit, incidit in annum ab vrbe condita 705. Et concurrerunt duæ tunc periodi simul: quingentesima vna ab initio consulum: Septingentesima altera ab exordiis vrbis Romæ.

Annis post destructam Carthaginem fere septingentis, id est, 688. Totilas Gottus vrbem Romam, abductis inde veteribus familiis, deuastauit ac diruit: quod Scipio, contemplatus incendium Carthaginis, præsagiit, & futurum prædixit.

Septingentis annis elapsis à Miramalino Maurorum principe, Hispaniæ omnis domitore, Ferdinandus auus maternus Caroli V. Imperatoris, deuictis & domitis Mauris, & potentia Regulis erepta, vniuersas Hispanias recuperauit.

Tarapha Annalium apud Hispanos certissimus scriptor, Mauros & Arabes in Hispaniam inuasisse tradit Anno Christi 707. & quidem anno septimo Roderici regis: & imperium tenuisse annos 770. nec penitus ante Ferdinandum Aragoniæ & Castiliæ regem expelli potuisse.

A Xerxis fuga vsque ad L. Septimium Seuerum, qui Byzantium triennio obsessum tandem fame expugnauit atq; euertit, anni sunt 674. quibus annis floruit vrbs.

Exactus est nunc quoq; inquit Peucerus in Chron. Philippi pag. 582. ab instaurato per Carolum Magnum imperio Occidentis annus septingentesimus: & à Collegio Electorum, sapientia Ottonis III. constituto, quingentesimus: ob quem periodorum concursum, & quod propter peccata hominum, quæ multa & magna sunt, inclinatæ videntur esse res orbis Christiani ad præcipitem ruinam, impendere mutationes maximas non est obscurum: quas Deus sua bonitate & misericordia vt leniat & mitiget, ardentibus votis precamur *Peu. vt sup.*

Ab V. C. ad illud tempus, quo post Actiacam victoriam, qua fusus est ab Augusto M. Antonius, & Imperii Romani summa maiestas ad eum delata, Ianusque quartum clausus, numerantur anni 729. qui nouenarii solidus est ac plenus. Idem annorum numerus recurrit ab euersione Imperii Longobardorum, ad illud tempus, quo Ludouicus XII. rex Francorũ easdem regiones,

fusis

fusis ac fractis Venetorum & Sfortiadum copiis, suæ potestati subiunxit. Idem numerus est annorum ab euersione Imperii Pictonum, & Scotorum victoria, vsque ad Mariæ Stuardæ captiuitatem.

Et ab Egberto Saxone, qui Anglorum imperium solus tenuit, vsque ad Mariam Anglorum reginam: quæ prima Gynæcocratiam eius insulæ occupauit, *Bodinus lib. 4. de repub. cap. 2. pag. 656.*

TH. Omnia huc recidunt, nimirum: Nihil in rebus humanis stabile. Estq; naturale, vt quæ ortum habent, consequenter expectent citius aut tardius interitum. Ingenia hominum in corpore luteo & fragili inclusa, corporalibus & externis mouentur & sæpe traducuntur: naturalisque ad dissentiendum hominum facilitas; mores mutantur cum tempore: noua semper placent: antiquantur priora: noua succedunt. In summa, nihil stabile in singularibus rebus reperietur. Multo magis nec stabile, vel constans in corpore ciuili seu Republicá, quæ ex talibus singularibus componitur. Causæ diuersæ diuersos producunt effectus. Corpora ægra exigunt medicinam. Populus dissolutus indiget superioris rigore. Princeps & superior, excedens suos fines Principisque Dei leges, iam dignus est flagello. Hoc autem à priuatis inferri non potest, vel si inferatur, Deo permittente: vna populus cum Principe eodem periculo inuoluitur: concutiuntur reipublicę iura, fundamenta pacis & æquitatis subruuntur: omnia miscentur temere, bene stabilita corruunt: facies Reip. mutatur: & dum mutata resurgere in melius sperat, ruit sui ipsius viribus & mole oppressa. Sic mutantur regna, senescunt, intereunt protinus: alia aliquando ex illis nascuntur, sed deteriora prioribus: vel transeundo in aliud nomen: quæ prius fuerunt, omnino amittunt: vt mutare videantur substantiam, & potius aliud quam alteram facere. Quemadmodum ex corpore humano, quod in cadauer transit, nascuntur quidem animalia, vermes putidi, ex materia corporis humani in aliam formam & substantiam degenerantes. Videmus enim ex subuersione regnorum & imperiorum magnificorum, vel hodie tantum nomen & vmbratilem imaginem legi, tantum vel nominari: vel minutum quendam inde natum Principatum: & Imperia in regna exigua, vel in ducatus, vel in prouincias, vel aliud quidpiam vilius degenerasse, velut ex cadauere maximi Imperii. Generantq; adeo noua regna ex corruptione aliorum: & generatio vnius est corruptio alterius, & corruptio vnius generatio est alterius. Quod accidit interdum subito: interdum successione temporis per media quæ habent, ex vno in aliud, viam alterationis, nisi impediantur, serpunt mala, & paulatim inuadunt rempublicá. *Petr. Greg. Thol. lib. 21. de rep. c. 1.*

Rerum humanarum instabilitas.

EQ. Quemadmodum accidit hominib. vt non illis eadem sit forma semper, vigor & ingenium: aliaque sit senibus, quam fuerit infantibus, iuuenibus & viris: & post mortem, nisi memoria aliqua cum cadauere interdum nec cadauer ipsum appareat: imo nec vlla memoria sæpius supersit. Sic accidit rebus-

publicis, quibus non est eadem facies, non vigor, non memoria interdum, nec alia plura, quæ in his viguerunt. Mutantur namq; & corrumpuntur, crescunt, decrescunt, intereunt: & aliquando perit memoria cum sonitu. Hoc naturale est inter corruptibilia & inter terrestria: vt quæ sub cõtinuo motu cœlestium rotationum sunt, nunquam in eodem statu permaneant: gradibus crescant, augeantur, decrescant, alterentur, intereant: morbos sentiant: remedia quædam recipiant: quædam fatali morbo obsessa, immedicabilia sint. Vidit hoc ipsum etiam Oratorum Coryphæus Cicero lib. 2. de Diuinat *Idipsum*, inquit, *à Platone, philosophiaque didici, naturales esse conuersiones Rerumpub. vt ea tum à Principibus teneantur, tum à populis, tum a singulis*: immo, vt tandem à nemine teneantur, sed vt animalia omnia certo temporis ambitu occidant, intereantque. Breuiter, ac vere Seneca: *Omnia mortalium opera mortalitate damnata sunt: inter peritura viuimus*. Adeo, *vt quicquid longa series multis laboribus, multa Deum indulgentia struxit, id vnus dies spargat, ac dissipet.*

Itaque, legibus inuictæ Necessitatis ruunt, vel transferuntur Regna, Resp. Prouinciæ. Μηδὲν γὰρ τῆς ἀνάγκης βιαιότερον: *Necessitate enim nihil violentius.* Et vt aperte Arnobius: *Rationibus fixis peraguntur res Dei; & quod semel decretum est fieri, nulla potest nouitate mutari.*

Principatuũ certi limites PH. Quid? quod omnia etiam regna fatales non tantum habent periodos, verum etiam limites, vltra quos feliciter progredi nõ possunt. Nullum enim imperium vnquam complexum est totum orbem terrarum.

Sic prima Monarchia, imo & secunda, habuit terminum fatalem Hellespontum, id est, illud angustum fretum, quod est inter Asiam & Europam, non procul a Constantinopoli. Nam quandocunq; progressi sunt vltra illum terminum, vel Chaldæi, vel Persæ, semper victi sunt, & fuerunt infelices. Hunc transgressi Darius Hystaspis & Xerxes, re infecta, & magnis cladibus acceptis, intra fatales limites reuocati sunt. Qua de re Polybius *lib. 1.* Persarum, inquit, quibusdam temporibus magnus principatus ac magna potentia fuit: Sed quotiescunque transgredi Asiæ terminos ausi fuere: non in principatus solum, verum etiam in proprii capitis periculum inciderunt.

Tertia Monarchia, videlicet Alexandri, habuit partem Europæ, & partem Asiæ, Nihil habuit in Aphrica.

Vltima Monarchia Romana, tempore Augusti, quando fuit potentissima & florentissima, habuit versus orientem fatalem terminum à Deo definitum Euphratem. Nam quandocunque Romani sunt progressi vltra Euphratem, semper fuerunt infelices. Hunc transgressus

Crassus ad Euphratem Aquilas, natumq; suosque,
Perdidit: & letho est vltimus ipse datus.

Et Iulianus Alexandrum Magnum in Monarchia Persarum occupanda imitari volens, & Euphratem cum exercitu transgressus iustas leges impieta-

pietatis & sæuitiæ aduersus Christianos pœnas persoluit. *Chytræus in Iosuam, fol. 67.*

Carus Narbonensis, Imperator Romanus, cum ad fatalem Romani imperii limitem, ad fluuium Tygridem, qui Euphrate paulo orientalior est, peruenisset, mortuus est, *Philip in Chron lib. 3 pag. 193.* Et de eodem Imperatore Caro, Flauius Vopiscus. Plerumq., inquit, dicunt vim fati quandam esse: vt Romanus Princeps Ctesiphontem (Ctesiphon vrbs regia ad Euphratis ripâ.) transire non possit: adeoq; Carum fulmine absum p unt: quod eos fines transgredi cœperit, qui fataliter constituti sunt.

TH. Ita nimirum videmus, Deum constituisse *ὁροθεσίαν*, vt dicitur *Act. 17.* in concione Pauli ad Athenienses, id est, constituisse metas & fines singulis imperiis; vltra quas metas & fines non potuerint progredi; adeoque omnia regna suos fatales habent limites; Solius autem Christi regnum hanc habet gloriam, quod non sit septum & inclusum certis terminis & limitibus: nam Christus vt ait Zacharias *cap. 9.* & Dauid *Psal. 72.* dominatur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum; estque adeo regnum sine fine, sicut dicit Angelus ad Mariam: *Cuius regni non erit finis, Luc. 1.* Cumque Regna & imperia huius mundi suas habent periodos fatales, quibus florent, & etiam intereunt: Ecclesia tamen, licet non semper pariter floreat, nunquam tamen interit. Sic regna Israel & Iuda, in quibus olim erat Ecclesia, euersa sunt, neque in hoc mundo instaurantur, Ecclesia tamen mansit. *Et erit*, ait Dominus Oseæ 1 cap. *numerus filiorum Israel quasi arena maris.* Proinde Ecclesia moto candelabro transfertur à gente in gentem, sicut Christus testatur Matth. 21 *Auferam à vobis regnum, & dabo illud genti, facienti fructum eius.*

Christi regnum nullis septum est limitibus,

PH. Imperia & regna plerumque habent signa quædam fatalia, de incremento & inclinatione fortunæ, inquit, Sabinus *in 13. lib. Metam. Ouidij.* Et Melanthon *in locis Manlij pag. 416.* Omnis inquit, habens Capricornum in Horoscopo ascendentem, facit mutationem in Imperio Romano, quod ipsum repetitur *in Postilla Pezeliana par. 4. pag. 658.*

Principatuum interitus signa fatalia.

TH. Ad hanc Melanthonis sententiam ego cum [redacted] Luthero dicerem: Admonendus est per vos Philippus, vt desinat esse rector mundi; (quę sunt verba Epistolæ cuiusdam, quam scripsit Lutherus ad Brentium, durantibus Comitiis Augustanis, Anno 1530.) quamobrem etiam Iustus Ionas iisdem durantibus Comitiis ad Lutherum de Melanthone hoc scripsit: Mirabilis est tristitia eius. Nos hortamur, vt accepto Psalterio Dauidis, & alienis verbis, non suis, loquatur de tanta causa cum Deo: sed vincit affectus. Ad quæ Lutherus: Philippum sua agitat Philosophia, ac præterea nihil. Et ad ipsum Philippum Melanthon. scripsit Lutherus: Tu secundum Philosophiam has res agere, id est, vt ille ait, cum ratione insanire pergis.

Melanthon:

Ne te maceres, hæc causa non est in manu tua, sed eius, qui maior est; non ex philosophia, sed verbo Dei, periculosis tẽporibus consolationes sumẽdæ sunt. Philosophia tua ita te vexat, non Theologia. *Hac Lutherus.* Quæ quamuis alio tunc temporis fine dicta vtrobique & scripta fuerunt, ad hanc tamen materiam non minus commode quoque referri possunt.

Plato.

PH. Causa mutationum in Imperiis mirabilis extat etiam apud Platonem, qui *li.*8. Politicorum scribit, causam esse cur mutẽ. ur imperia, quia sesquitertia radix iuncta quinario, duas efficiat harmonias, vltra quas cum natura postea sequentes deteriores fugiat, circumactam periodum, finire imperia. Et sentit idem Plato, à natura esse quendam ordinatum finem imperiorum; Sicut in Musicis, vbi post *διὰ πασῶν* vlterius natura non progrediatur. Quemadmodum enim consonantiarum finis à natura ordinatus est, cum ad *διὰ πασῶν* ventum est: ita verisimile est, quasi perpetua harmonia musica subinde noua imperia exoriri, ruentibus prioribus, cum præstantiora deficiant: donec rursus fatali aliqua lege, fiat restauratio. Hæc de imperiis Plato.

Sic cum originem Romæ dira & cœlestia & terrestria prodigia exhorruerint; positum cœli (vt annotauit Lucius Taruncius Astronomus) habuerit ominosissimum diem, quo fundamenta eius iacta sunt, 21. Aprilis: & statim parricidio Amulii, fratricidio Remi, & multorum hominum maxima strage, necnon & proditionibus, incestibus (Romulum enim & Remum conditores vrbis peperit Rhea Vestalis, teste Othone Frisingense, à sacerdote compressa enutriuit lupas vnde adhuc lupanaria, autore Eutropio, nomen obtinuerunt, seu scortum publicum Accia Laurentia) tyrannide & terribilibus ostentis ac portentis, imbribus sanguinis, pestilentia, morte subitanea, sterilitate agrorum, & frumentorum annonæ summa inopia, & geminis Solis Eclipsibus maximis, vna scilicet concepto, altera mortuo Romulo, Rege eius primo, exordia sumpserit: facile est cuique hinc conicere, qualem finem sit acceptura.

Romuli & Cæsaris exitus.

Notandum autem est, fuisse eundem exitum Romuli Cæsaris. Nam cum Romulus ciues cœpisset despicere, ex plenitudine potestatis solus iudicium & imperium non reg[illegible] sed tyrannice exercere, ciuesque de celsa rupe præcipitare, in Senatu eum occiderunt, & diuiso corpore in frusta, ne cadauer amplius conspiceretur, quisque partem sub amictu clam domum detulit, raptumque in cœlum à patre Marte dixerunt. Eodem modo cum Cæsar statuam suam inter reges locaret, in curia solus sede aurata vteretur, diuinos honores appeteret, omne quod loqueretur, pro lege haberi vellet, nemini, nec Senatui quidem, assurgeret, à sexaginta Senatoribus viginti & tribus vulneribus in Senatu confossus occubuit, annorum 56. Romulus autem 55. annorum. Circa Cæsaris interitum stella crinita apparuit septem diebus. Periit igitur vterque arrogantia & crudelitate. *Krentzheimius.*

EQ. Re-

EQ. Recitat Ioh. Wolfius in 2. parte memorab. centenario X V I. fol. 949. vaticinium quoddam de Romano imperio, repertum in quodam monasterio; quod quia vna cum eiusdem explicatione singularia quædam continet, huic nostro discursui illud inseram. Sic autem habet: *Vaticinium de Imperio Rom.*

Imperium, fasces C. Fastus, sceptra, Triumphus
Quæ fuerant; penitus C. veniente cadent.

Quod sub Carolo magno exortum est, illud idem sub Carolo N. denuo ruere incipiet. Id est, Germanici Occidentis imperii species, cum in Ecclesiastico, tum in politico statu, sub Carolo Magno germinans, sub C. N. ruinam auspicabitur: id quod iam ex parte impletum est, vbi Episcopatus ad mundana deflectere cœperunt: & tota insuper regna à Pontifice Romano secessionem fecerunt, vna cum Principatibus. Reliqua autem omnia magis magisq; continuabuntur: ita vt tunc excreta, iam decrescant, & omnino intereant: & ipse tandem nouissimus dies ad hæc mox sequatur.

Vt enim vetus Imperium Romanum sub Imperatore Augusto originem sumpsit: ita etiam sub hoc nomine interitum acquisiuit, sub Augusto videlicet primo Italico Cæsare. Tres equidem illud magnas habuit ruinas, donec omnino interiit: vnam sub Augustulo, alteram sub Honorio Cæsare, tertiam autem & vltimam post Augustulum à Totila factam, sub Imperatore Iustiniano. Ita cum nouum Imperium Romanum triplex sit, Græcum videlicet Imperiũ sub Constantino Imperatore Constantinopolitano, qui ideo vrbem illam nouæ Romæ nomine insigniuit: ruinam id edidit primum sub Constantinopolitano Cæsare, etiam huius nominis, sub Constantino videlicet vltimo.

Ita cum Germanicum imperium sub Carolo Magno exortum sit; idem sub Carolo N. etiam huius nominis occidit: id quod altera est ruina, quando Romani Papatus grauis factus casus: vt ita nil, nisi tertia & postrema mutatio restet. Sub cuius autem Imperatoris nomine hæc sit euentura, & quod Cæsaris illius nomen futurum sit; eo modo colligere potes, si nimiru m memoria repetas, qua ratione ante annum trecentesimum & vicesimum, in terrgnum illud, imperio turbato, sub Rudolpho primo, Comite Habspurgensi, denuo quietem, atq; sic etiam incrementum ceperit.

Et mirabilis hic reperitur harmonia atque similitudo in annis: quod videlicet Constantinus Magnus imperium tenere cœpit anno Christi 306. & nouam extruxit Romam anno 327. Carolus Magnus autem Imperator electus est anno Christi 801. Rudolphus Cæsar creatus est anno Christi 1273.

Quot igitur anni ab anno Domini 327. quo nouam Romam Constantinus ædificauit, vsq; ad Carolum Magnum elapsi sunt, nempe 475. totidem etiam anni à Carolo Magno, vsque ad Rudolphum Comitem Habspurgensem numerati sunt: & postea etiam anni 303. à Rudolpho primo, vsque ad hunc nostrum dominantem Imperatorem Rudolphum secundum, anno Domini

1577. quot etiam anni salutis humanæ, vsque ad Constantinum Magnum circiter interuenerunt.

His annis, initio videlicet imperii Rudolphi 2. annis Imperii Constantini Magni additis, nempe 30. elucescit tertia & vltima ruina imperii Romani, circa annum Christi circiter 1607. euentura; quæ supputatio cum illo tempore prorsus consentit: quod etiam Capistranus scribit.

Similis harmonia nominum & annorum etiam in Romanis Pontificibus reperitur: & ex iis quoq; primum quodammodo anni tertiæ & vltimæ ruinæ eventuræ patent, quemadmodum supra in Imperatoribus. 2. non plures tribus Pontifices Romanos post hunc, ad numeri complementum, futuros. 3. etiam perspicuum fit nomen tertii post hunc, sub quo postrema accidet ruina. Vt autem Rudolphi nomē ex Harmonia inuenitur: ita tertius & vltimus post hunc Papa, nomini suo G. insertū habebit. Reliqua ad suū reseruētur tempus.

Præter hanc supputationem, idem etiam ex natura, & cœli motu perspicitur. Cum enim à condito Mundo experientia innotuerit, maximas mutationes Monarchiarum & Regnorum mundi, in permutatione aquosi Trigoni in ignem accidisse: hoc est, superioribus Planetis sua concursione ex aquosis signis cœli, in ignea transpositis: id quod annis circiter 800. euenit: Germanicum Imperium Ortum versus situm, sub Carolo Magno ante 800. annos simili constellatione exortum est.

Reuolutio igitur superiorum Planetarum expleta cum sit: & cum ab anno Christi 1583. vsq; ad annum 1603. permutatio denuo accidat aquosi Trigoni in igneum; certe maximas in regnis mundi permutatiōnes iam iā præ foribus esse, sequitur: præcipue etiam cum germanico Occidentali imperio. Et vltima Planetarum coniunctio in aquoso Trigono accidit anno 1583. & prima in igneo Trigono eueniet anno 1603. inter has omnia finiri necessum est. Confestim etiam Liga sancta exorta est, quæ hisce omnibus initium fecit.

Quod autem quidam Astrologi obiiciunt, igneum Trigonum ann. Dom. 1584. inchoatum esse; notandum, tantum in inferioribus Planetis id accidisse: & quidem in punctis Cardinalibus cœli, in æquinoctio verno: sed nondum in superioribus Planetis, Saturno & Ioue: verum an. Dom, 1603. demum illa superiorum etiam Planetarum in igneo Trigono accidet coniunctio: non tamen in Capricorni signo, neque in punctis Cardinalibus, sed in altero igneo signo Sagittarii: perfecte tamen in igneo Trigono illam iam inchoari, & sequentibus annis maximas mutationes euenturas. Intermedii autem anni nihil aliud sunt, quā maximarū mutationū anni, vt quidē iā omnia ad eas inclināt.

Sed post annos 60. ab an. Dom. 1583. i. e. an. Dom. 1643. accidit etiam coniunctio superiorum Planetarum, Saturni & Iouis, vna cum duobus luminaribus, Sole atq; Luna, in punctis cardinalibus cœli. Quod indicium est, totam naturā suū absoluisse cursum, nihilq; aliud, nisi diē nouissimū expectādū esse.

Atque eo etiam magna spectat stella, quæ anno Domini 1572. in cœlo apparuit, & per totum est visa annum, ex aduerso horum Cardinalium punctorum cœli, in Coluro Æquinoctiorum. Eaque significationem suam in actum vsumque deducere cœpit anno 1584. vbi Mars Saturno coniunctus est, in his Cardinalibus punctis, cum inferioribus planetis: & hanc suam significationē stella hæc vltra 60. annos extendet, vt ita maximum ante diem nouissimum miraculum sit, & huius quasi quidam præcursor & prodromus. Quod hic obiter solummodo allego: alio autem loco copiose explicaui: vt verum magnarum mutationum fundamentum percipiatur, & quomodo ipsa quoq; natura concordet, & ex ea hoc confirmetur.

Sequitur in vaticinio:

Postea Germanis durissima bella mouebit:
Captiuum pacis ducet & ipse patrem.
Qui fuerat sacræ confessor Religionis;
Liber erit: N. præmia digna feret.
C. tandem imperium dura cum morte relinquet:
Nemo sciet, cuius Religionis erat.
Succedet tunc N. tranquilla pace gubernans
Imperium, caute finiet ille diem.
Et mare per totum consurgent horrida bella,
Qualia Carthago, Roma nec ipsa dedit;
Multaq; victores victorum præda sequetur:
Non erit à captis turba peremta minor.
Ensiferi inter se multa vi brachia tollent;
Amplius officium G. facit ipsa suum.
Ista tamen longo non stabunt tempore. Namq;
P. sanctum veniens, tempora sancta dabit.
P. superat, tacet (al. iacet) *A. moritur quoq; callida N.*
Penes Germanos imperiumq; manet.
Sed prius hoc nostro tantus fundetur in orbe
Sanguis, diluuium quod neq; Troia dedit.
Inde reuertentur fuerant quæ, pristina secla.
Dicetur, valeat, qui valet atq; potest.

Conclusionis loco etiam tria particularia prognostica adiiciam: quæ nuper mihi allata sunt, & tantum ad iam grassans Gallicum malum attinent. *Vaticinium de regno Gallico.*

Ex antiquissimo libro prognosticum primum.

1. Cum rex Henricus regnabit origine natus:
2. Hic Rex bis factus, tam re quam nomine, gratus,
3. Lilia vir fortis foliis auellet ab hortis.
4. Rex cadet, & vulgus, militia Francica, clerus,

5. Ferro,

5. Ferro, Peste, fame, flammaq; sitiq; peribunt.

Sequens Gallicum prognosticum Nostradamo adscribitur.

1. Quand vne fourche sustenu de deux paulx,
2. Suiuant cinq corns, & neuf ciseaux ouuers, M.
3. Lors on voira, l'heritiers de crapaulx CCCCC.
4. Ruer les troys coronnes à l'envers. XXXXXXXXX.

Tertium particulare prognosticum.

1. Anno Domini 1590. N. auferetur N.
2. Desinet Maior.
3. Non amplius consistet N.
4. Regnum obtinebit A.T.F.A.
5. Soli pie credetur Deo.
6. Vna sancta viuetur fide.
7. Æterna feliciq; pace fruentur Occidentalium partium reges. *Hactenus VVolfius*; quæ quidem ego susque deque fero, & cuilibet liberum desuper relinquo iudicium.

Sed nolo diutius huic argumento, quod pleniore manu alii prosequuntur, immorari. Neque vero eiusmodi mutationes præsciri possunt, nisi quatenus Deo visum fuerit: vt fere solet res maxime admirãdas hominibus prænũtiare: id quod facit Vatibus suis siue Prophetis, vel signis & prodigiis, aliisq; modis, ad captum nostrum, quæ eius est clementia, conuenientibus, solet, inquam, benignus ille Deus, *dare significationem timentibus se, vt fugiant à facie arcus. Psal.* 57. Vt in Loth testatum facit scriptura, qui monẽte Domino cum filiabus fugit è Sodomis & Noe, qui cum familia arcam ingressus est, imminente iam diluuio. Ita instante Hierosolymæ excidio, plerosque Christianos, nedum Iudæos, signis variis à Domino prius monitos, in alias regiones se recepisse, Annales Ecclesiast. testãtur. Ne multis: idem ille benignus Deus per Danielem futuram Persici regni euersionem prædixit, & inclytam Alexandri Magni victoriam, per visionem Arietis & Hirci, aliaque edocta mysteria. Sed hic subsisto.

PH. Natura hominum tanquam effœta sine vlla dubitatione imbecillior est, quam fuit initio, sicut docti distribuunt tempora iuxta hominis partes; initio aiunt regnasse τὸ ἡγεμονικὸν, id est, rationem gubernatricem, artes enim à primis patribus inuentæ sunt, & sapientia homines magis quam vi regebantur. Deinde successit bellatrix ætas, in qua iam imperia armis constituta sunt, & quatuor monarchiæ inde vsque ab Abrahæ tempore ad Theodosium, orbem terrarum rexerunt. Secuta est ætas postrema, in qua dominari aiunt *ἐπιθυμητικόν*. Natura hominum facta languidior, nec sapientiæ studet, vt olim: nec illos acerrimos labores militiæ suscipit, quos sustinebant olim viri fortes, sed veluti eneruata, delitias & voluptates quęrit. Pręterea cũ peccata cumulata sint tempore, pœnæ quoque creuerunt. His occasionibus vtitur Diabolus, & infir-

infirmam naturam rabiosius vrget. Hinc regnorum confusiones, tumultus, profusiones & βυλιμίαι principum, expilationes populi, & aliæ seruitutis succrescentes miseriæ.

Nimirum omnia regna omnibus ætatibus circa finem magis turbulenta fuerunt. Quin & ipse Satan in ipso nunc suæ tyrannidis fine sæuit atrocius.

TH. Non regnorum itaq; duntaxat mundi, sed & totius Vniuersitatis habenda est consideratio; cuius quidem vniuersitatis, quam omnium & singulorum principatuum ruinam instare, documenta extant infallibilia. Quanquam enim de die illo ac tempore nemo nouit, ne angeli quidem qui in cælo sunt, *Mar. 13.* Spiritus Sanctus tamen in scripturis peculiaria quædam nobis præmonstrauit indicia, è quibus de instante illa ruina vniuersali indicium facere ac coniecturari facile possimus; atque has quidem extremorum temporum coniecturas, inter alios conquisiuit atque expressit Chumanus Flinsbachius Tabernæmontanus, in tractatu quodam desuper edito, quas etiam (easque numero decem) ex dicto ipsius tractatu de verbo ad verbum recensebo. **Extremorũ temporum coniectura.**

Primam, inquit, coniecturam ex cap. 2. & 7. Danielis sumemus. In illis enim capitibus quatuor Monarchiæ mundi describuntur, vbi & apud quas gentes singulis temporibus, vsque ad resurrectionem mortuorum, futuræ sint: vnde metæ temporum huius mundi mediocriter animaduerti possunt. Describit autem Monarchias duplici pictura, qua cum potentiam tum naturam eorum, qui eas possessuri sunt, pulchre exprimit. In secundo capite grandis & sublimis statua proponitur, cuius aureo capite primam Monarchiam Chaldæorum & Assyriorum: cuius argenteo pectore secundam Medorum & Persarum: cuius æneo ventre tertiam Græcorum: ferreis tibiis quartam Romanorum interpretatur Daniel significatam esse. Altera pictura in 7. capite continetur, in visione quatuor bestiarum, quam postea quoque de quatuor Monarchiis interpretatur. Significat autem Leo Chaldæos & Assyrios: Vrsus Persas: Pardus Græcos: quarta terribilis & immanis bestia Romanos. **Prima Coniectura.**

Hæ quatuor Monarchiæ vt in genere humano regnarent ordine & successiue, atque imperia mundi potentissima tenerent, Dei voluntas & ordinatio fuit: siue vt mundus disciplina, legibus, iudiciis, pœnis melius regeretur: siue vt per eam occasionem facilius propagari & innotescere Euangelium posset: sicut in singulis monarchiis Euangelium aliquantisper apud gentes fulsit: quemadmodum pulchre ait Daniel, postquam harum visionum interpretationem à Deo acceperat: sit nomen Dei benedictum à seculo & vsque in seculum, quia sapientia & fortitudo eius sunt, ipse mutat tempora & ætates, trásfert regna atq; constituit, &c. Ipse deponit potentes de sede sua, & exaltat humiles.

Sed his monarchiis destructis, exoriturum ait Daniel ingens regnum, quod potentius cæteris vicinis futurum sit: murmuraturum religionem Christi: habiturum ingentes successus, & bellaturum cum sanctis. De quo autem regno istud intelligendum sit, ipse euentus ostendit, nempe de Turcico Imperio. Nam collapsa Romana monarchia, circa tempora Heraclii Sarracenicum regnum constitutum est, & quidem breui tempore magnæ illi factæ sunt accessiones. Hoc & Daniel quasi digito demóstrat, cum omnes circũstantias temporis & loci, item potentiam eius atq; doctrinã in textu diligenter perstringit. Ipse potétior erit reliqs, inquit, & sermones cõtra excelsũ loquetur, & sanctos altissimi cõteret, & putabit, ꝙ possit mutare tépora & leges, & tradétur in manu ei⁹ vsq; ad tépus, & tépora, & dimidiũ tépotis, &c. Ezechiel nominatim de hac barbarie, vétura ab Aquilone in postrema mũdi senecta, cócionatur, & tribuit eis appellatiões Gog & Magog, atq; late vastaturos esse Eccles. Dei ꝓdicit.

Iam has visiones diligenter perpende, & ad euétũ historiarũ omnium temporum conferas. Certum est, omnes has quatuor monarchias dudum iam præteriisse, atq; in summo fastigio quinti regni, exorti post destructioné quartæ Monarchiæ, nos viuere. Nã historiæ hoc testantur, primam Monarchiam penes Chaldæos & Assyrios fuisse, à temporib. Abrahæ sub Nino, vsq; ad annos Oziæ regis Iuda. Secũdã fuisse penes Persam, à Cyro vsq; ad Alexandrum Magnũ. Tertiã penes Græcos, ab Alexãdro Magno vsq; ad tépora Iudæ Macchabæi. Postremã vero penes Romanos, quæ inchoata est paulo ante Christũ natũ, & durauit vsq; ad Heraclii Imperatoris tépora, quæ in 600. ferme annũ Christi incidunt. Tunc enim potentia Romanorũ multum diminuta est per Mahomet, qui regnare cœperat: & Galliam iam Franci, & Italiã Longobardi tenebant, atq; paulatim magis hæc vltima Monarchia magisq; concidit.

Quia igitur vides, tanto tempore Mahometicũ regnũ iam stetisse, per annos fere 940. atq; ad summũ fastigiũ peruenisse (nam tota Africa, magna pars Asiæ & Europæ ab iis tenetur, qui Mahomet sententiam defendunt) certum est secundum vaticinium Danielis, id mox ruiturum esse, atque breui Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum venturum, ad iudicandum viuos & mortuos. Atq; sic certo constat, vt supra propositum erat, nouissimum diem circa finem sexti millenarii futurum esse. Nam ingens consolatio addita est in textu. Inquit Daniel, putabit, quod possit mutare tempora & leges: sed iudicium fiet, & auferetur potentia eius, ac conteretur & disperibit.

Hæc verba clare & perspicue ostendunt, quintam Monarchiam non futuram esse, sed cum venerit ad fastigium Mahomet, & potiturum se imperio totius orbis sperabit, atq; pollicebitur sibi dominationem sine fine, subito aliqua inclinatio fiet, & mox illucescet lætissimus ille dies, quo filius Deus resuscitabit mortuos, & Ecclesiæ suæ vitam & gloriam æternam tribuet, ac impios abiiciet in æternos cruciatus.

Secunda Sit secunda coniectura nouissimorum temporum, quæ ex collatione capi-

tum 13.&17.Apoc.sumitur ex verbis Angeli Dei ita dicẽtis: Bestia, quā vides, coniectura.
erat,& non est,& ad interitū vadit:& datū est ei os loquens magna & blasphemias, per mẽses quadraginta duos: hāc postea agnus vincet, quoniā Dominus Dominorū est,& Rex regū,&c. Hæc verba Angeli primo quidem intuitu obscura sunt, sed paulo post ab ipso Angelo explicatius proponūtur. Explicat aūt hanc visionē de meretrice Babylonica, [redacted].

Hanc bestiam primo fuisse dicit, i.e. longo tẽpore floruisse, atque in summa potẽtia & autoritate vixisse à tẽporib. primitiæ Ecclesiæ fere ad finẽ mūdi. Se enim οἰκυμενικὸν, i.e. caput totius orbis terrarum proclamauit, cui Imperatores & pleriq; reges & principes terræ parere oporteat: & vt Paulus loquitur 2. Thess. 2. qui in tẽplo Dei sedebit,& seipsum Deū ostẽdabit. Sed nō est amplius, i.e. authoritatis eius iā finis accelerauit, potẽtia eius iam labefactata & fracta est per prædicationẽ veræ doctrinæ, qua reuelatus est homo ille scelerosus, filius perditionis,& Antichristus declaratus, vt Paulus 2. Thess. 2. inquit: quẽ Dominus cōficiet spiritu oris sui,& abolebit claritate aduẽtus sui. Hoc intelligi necesse est de voce [redacted] cecidit,& facta est habitatio dæmoniorū, vt in Apoc. Angelus per fortitudinẽ magna voce, vel bis reiteratis clamat. Nulla enim alia manifestior Antichristi reuelatio ante hęc tẽpora facta est. Hic grato animo cōsiderarę debemus Dei immẽsam bonitatẽ & misericordiā: qui hisce postremis tẽporib. se suāq; volūtatẽ rursus patefecit, vt ex genere humano aliquos ad cognitionẽ verbi sui pertraheret, suaq; æterna bona aliquib. cōmunicaret. Hoc Dei immẽsū beneficiū grato animo sępe meditādū est, atq; ardẽter petẽdū, vt diu inter nos vocẽ sui Euangelii incorruptā cōseruet. Quod vt fiat, toto eū pectore oro. Sed datū est ei os loquẽs magna & blasphemias, adhuc 42. mẽses, i.e. tres annos & dimidiū. Intellige aūt hic nō cōmunes seu politicos annos, sed Mosaicos, quos Iubilæos vocamus, vt vsitatum est scripturæ, vocabula anni, mẽsis, ac dierū variis modis accipere. Faciūt aūt quadraginta duo mẽses, seu tres anni Iubilæi & dimidius, cōmunes annos circiter 175. Tot annos, ait Angelus Dei in Apocalypsi, futuros esse inter declarationẽ Antichristi, futurā scil. per vocem Euangelii postremis temporibus,& inter extremum iudicium. Hic quidẽ nullam præcisionem, aut certum momentū tẽporis intelligi volo, quod præcise hac aut illa hora, die, mense, aut anno iudiciū Dei futurum sit: sed dico, communem aliquam notitiam à Deo proponi, vt eminus quasi per transennam, de breuitate temporum huius seculi aliquid perspiciamus.

Hæc coniectura temporis adeo mihi placet, tantumque momentum apud me habet, vt nō sine singulari reuerẽtia ista citata capita sæpius mediter. Quo enim magis ea animo pie meditor, eo plus mysteriorū in ipsis inuolutū sentio.

Cōstat ergo & ex his verbis Ioannis, vt ad propositionẽ nostrā supra positam omnia referamus, nos iam certius certo in decrepita ætate mundi versari, qui

quotidie ad finem festinanter accelerat. Restare enim videmus exiguam tantum portiunculam eius temporis, quod post reuelatum Antichristum vsq; ad iudicium extremum ex largissima Dei bonitate & gratia concessum est. Deinde & hoc vides, quod supra propositum est, ætatem mundi vltra sextũ millenarium non excursuram esse. Si enim post reuelatum Antichristum, mundus 42. menses quatres & medium lubinum circiter à condito mundo incidit, vt ex Chronicis veris constat: sequitur, antequam mundus 6000. annum agat, nouissimum diem insperato acceleraturum esse.

Tertia coniectura. Nec aspernanda est coniectura, quæ Gen. cap. 5. ex historia Enoch sumitur, qui anno ætatis suæ 365. corporaliter in cœlum, sine sensu mortis huius vitæ, translatus scribitur. Hæc enim historia cum doctrinam amplissimam cõplectitur, quod post hanc caducam vitam alia æterna restet, in qua bonis bene, ac malis mala futurum sit: tum etiam cœlestis atque æternæ vitæ initii typus est. Nam sicut more corporalis in sex priores patres Ecclesiæ, scilicet in Adam, in Seth, in Enos, in Kenan, in Mahalaliel, & in Iared propter peccatum efficaciter dominata est: in septimũ vero Henoch suam vim atq; potentiã exercere nõ potuit: ita quoq; per sex millia annorũ, quib. mũdus hic persistet, in omnes homines dominabitur, sed in septimo millenario, qui initiũ æternæ ac cœlestis vitæ futurus est, amisso aculeo suo, prorsus abolebitur. Huc etiam Iudas in sua epist. respexisse videtur, qui hunc Enoch septimum ab Adam, de iudicio extremo vaticinatum dicit. Idem quoq; de Elia Propheta iudicium est, qui aureo curru aureisq; equis per turbinem in cœlum sublatus, eiusdem rei typum gessit. Sicut autem Henoch ab Adamo septimus erat generatione: ita Elias Propheta ab Adamo septimus erat ætate. Nam Adam attigit Mathusalah, Mathusalah attigit Sem, Sem attigit Iacob, Iacob attigit Amram, Amram attigit Ahia, Ahia attigit Eliam Prophetam. Sicut igitur omnes sex priores ætates, quę præcesserunt Eliam Prophetam, morti obnoxiæ fuerunt, ipse autem Elias, septimus ætate ab Adamo mortem non gustauit: ita mors per sex millenarios in genus humanum grassabitur, atque suum virus hostili animo exeret, in septimo vero millenario rapiemur in nubibus in occursum Domini, sicut Elias, atq; lætissimo animo vna cum Angelis, Prophetis, & Apostolis canemus: Absorpta est mors in victoriam, vbi tuus ô mors aculeus, vbi tua ô inferne victoria? Hanc historiam Enoch nude quidem à Mose traditam, non ociose aut frigide inspiciamus: sed cogitemus, eam magno consilio à Spiritu sancto propositam, atq; magnam doctrinam consolationemq; in ea inuolutam esse.

Quarta coniectura. Est & magnum mysterium in eo, quod sex dies occupatus fuerit Deus in cõdendis creaturis, septimo aũt quieuerit. Quo significatum est procul dubio discrimen vitę in hac natura ψυχικῇ, vt dicitur, & alterius vitę, in qua vere sabbathũ celebrabimus, cũ hæc natura sine cibo & potu & generatione, viuet nouo modo, coram fruens aspectu Dei. Nã illa noua & illustris notitia & glori-

fica-

ficatio Dei, erit vera sabbathi celebratio. Et consentaneum est, ex hoc numero dierum insigne hoc dictum Eliæ sumtum esse, quod mox recitabimus in fine coniecturarum. Nam finitis sex millibus annorum deinceps in septenario initium erit illius nouæ & æternæ vitæ, in qua Ecclesia Dei in vita perpetua, vere sine caligine & peccato sanctificabit sabbathum faciet sancta opera, coram cernet Deum, & eius immensa sapientia fruetur. Hanc esse principalem significationem Sabbathi, omnes sentiunt, & epistola ad Hebræos cap. 4. testatur, & Psalmo 90. dicitur mille anni sicut dies vnus. Ad hunc typum sabbathi & Dauidem & Paulum respexisse in his locis, non dubium est.

Sumitur etiam concinna annorum coniectura à numero annorum ætatis Christi. Sicut Christus in hac mortali vita ab incarnatione sua vsque ad resurrectionem annos 33. & aliquid supra vixit, atque postea in cœlum assumtus est: ita quoque idem Dominus noster Iesus Christus, post triginta tres & medium fere annos Iubilæos, rediturus est cum gloria maiestatis suæ ad iudicandum viuos & mortuos, secundum scripturam. Hanc coniecturam libenter recipio, non tam quia cum aliis coniecturis in numero annorum pulchre conuenit, quam quod video, totam seriem historiæ Christi, per omnia ferme, Ecclesiæ sequentis vsque ad resurrectionem mortuorum typum fuisse. Quod considerare valde vtile est & iucundum. *Quinta Coniectura.*

Sicut primo anno Christi nati, Herodes crudeliter in infantes sæuiit, vt Christum, quem regem Iudæorum fore timebat, tolleret: ita primo anno Iubilæo princeps mundi & satellites eius, in primitiua Ecclesiæ docto es maximam tyrannidem exercuerunt, vt Christi doctrina extingueretur, quam exitium & pestem dignitati ipsorum fore verebantur.

Sicut post truculentā Herodis persecutionem, Christū fere per 6. integros annos secedere oportuit, atque in Ægypto vsque ad mortem Herodis delitescere: ita quoque per sex Iubilæos, id est, ferme vsque ad 300. annum Christi, vera doctrina Christi, partim gubernatorum tyrannide, partim tetris & perniciosis hæreticorum opinionibus obscurata & oppressa fuit. Maior enim pars Imperatorum tetræ & immanes bestiæ fuere, vtpote Caligula, Nero, Domitianus, Traianus, Bassianus Caracalla, Decius, Diocletianus, &c. quorum immania scelera, & impietates cogitari, aut verbis describi non possunt. Hanc sæuitiem & tyrannidem augebant furores tetrarum hæresum. vtpote Valentinianorum, Martionitarum, Montanistarum, Nouatianorum, Manichæorum, qui sub his Imperatoribus in Ecclesiis multum negotii facessebant: donec tandem optimus Princeps imperium obtineret, Constantinus Magnus, sub quo Christiani antea dispersi & oppressi, respirauerunt, atque doctrina Christi obscurata, per multos præstantes Ecclesiæ doctores,

vtpote Lactantium, Athanasium, Cyrillum, Basilium, Nazianzenum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Chrysostomum, instaurari successiue cœpit.

Sicut 12. anno ætatis Christi amittitur Christus, & in templo reperitur inter Pharisæos & scribas: ita 12 anno Iubilæo, id est, circiter 600. annum Christi, vera doctrina rursus obscurari cœpta est per Arrianam sectam, quæ tunc inualuerat: sed tamen conseruata à paucis, & in Conciliis, quæ tunc plurima celebrata sunt, aliquantulum propagata est.

Sicut à duodecimo anno ætatis Christi, vsq; ad 30. quo ministerium suum aggressus est, nihil prorsus de Christo legitur, nisi quod Euangelistæ dicunt, ipsum cum parentibus suis vixisse, ipsisque subditum fuisse: ita quoque à 12. anno Iubilæo, id est, ab anno 600. Christi, vsque ad tempora [redacted] species exigua: & duram passa seruitutem est [redacted] sub Imperatore Phoca augeri & stabiliri cœpit, qui [redacted] torius orbis terrarum confirmauit. Atque postea in dies singulos per mille annos ferme magis magisq; aucta est, donec tandem hisce extremis temporibus acerrime impugnata est. [redacted]

Sicut post tricesimum annum ætatis Christi, Ioannes docere cœpit pœnitentiam & fidem in Christum, atque ipse Christus baptizatus est, atq; suum ministerium aggressus: ita quoq; anno 30. Iubilæo, id est, circiter 1500. annum Christi, vera doctrina Christi, taxatis erroribus, nostro seculo instaurata & restituta est. In his omnibus quia vides, quod euentus optime responderit annis vitæ Christi, credibile est, eundem quoque in hoc extremo exiguo tempore, quod adhuc restat, vsque ad resurrectionem mortuorum, illis responsurum esse. Sicut scilicet Christus annos fere tres & medium prædicauit, miracula edidit, & cursum suum perfecit: postea vero in crucem actus, mortuus, sepultus, resurrexit, & in cœlos ascendit: ita quoq; post tres & medium circiter Iubilæos annos, de cœlo descendet, iudicaturus viuos & mortuos secundum scripturam. Hæc coniectura pia est, & nequaquam contemnenda, quando non adeo scrupulose aut præcise sumitur: potissimum autem quia cum cæteris optime congruit.

Sexta coniectura. Huc quoque referri debet hominum eruditorum coniectura, qui hanc extremam mundi particulam, in qua nunc viuimus, senectæ humani generis assimi-

assimilant, quod videlicet ante quatuor millia annorum hominum natura præstantior fuerit, nunc autem multo imbecillior sequuta sit. Initio dominabatur seculum ἡγεμονικὸν, id est, ratio gubernatrix, in qua primi parentes sapientia excellebant, temperanter, modeste & concorditer victitabant, ac plerasque artes inuenerunt. Deinde successit θυμοειδὲς, id est, irascibilis motus cordis, seu ætas bellatrix, in qua imperia armis constituta sunt, & quatuor Monarchiæ inde vsq; à Nino, coætaneo Abrahæ, ad Iulium Cæsarem vsque ordinatæ. In hac θυμοειδεῖ ætate fuerunt viri heroici, gladiatores robustissimi, vt Samson & Hercules, Dauid & Achilles, Cyrus, Alexander Magnus, Iudas Maccabæus, Hannibal, Scipio, & similes multi, quos Deus singulariter excitauit, per quos imperia mundi constituerentur, & defenderentur. Sequuta est deinde ætas postrema, in qua dominatur ἐπιθυμητικὸν, id est, ætas concupiscibilis. Natura enim hominum facta languidior, nec sapientiæ studet, vt in prima mundi ætate, nec illos acerrimos labores militiæ suscipit, quos sustinebant olim viri fortes, à temporibus Abrahæ vsque ad Iulium Cæsarem, sed veluti eneruata delicias & voluptates quærit.

Hæc partitio ex Physica huc translata est, & cum temporibus mundi vtcunque congruit. Ante diluuium homines longæui erant, qui annos 900. & circiter viuebant. Post diluuium ad pauciores annos ætas hominum restringebatur, & viuebant homines communiter annos quadringentos, trecentos, ducentos, &c. Nunc vero in decrepita ætate, paucissimi sunt, qui vel ad octogesimum aut nonagesimum ad summum perueniunt: tantum vigor humanæ naturæ labefactatus, fereque exhaustus est. Quid (quæso) de aliarum rerum quam plurium in natura decrementis dicemus, quas in dies decrescere atq; in deterius vergere manifestum est? Primis temporibus tanta fuit omnium prouentuum vbertas, vt nunc rerum natura plane degenerasse videatur. Gen. ca. 26. dicitur, quod ager Isaac centuplum protulerit fructum, nunc vero optimi nostri agri vix decuplum proferunt.

Audiui ego à senibus, viris fide dignis, & agriculturæ peritis, fertilitatem vinearum, agrorum, hortorum, arborum, &c. seculo tantum ipsorum aliquid diminutam, obseruatum esse. Multis in locis, vbi aliquando syluæ maximæ fuerunt, iam lignorum magna penuria est. Pecuniæ & opes quasi exhauriuntur. Nam vbi olim largissimæ venæ metallicę hinc inde inuentę sunt, iam nullæ aut parcæ effodiuntur. Imperia quoque mundi magisque asperiora fiunt, quod & Daniel significare voluit, cum Regnum Chaldaicum aureo capiti, Persicum argenteo pectori, Græcum æneo ventri, Romanum deniq; ferreis tibiis comparauit. Nulla deniq; vnquam olim tanta irreligio, tãta impietas, tanta scelerum, flagitiorum & libidinum immanitas, tanta securitas & leuitas fuit, vt iam in maiore parte hominum manifeste conspicimus.

Annon

Annon igitur hæc tanta naturæ degeneratio & quasi abortio, euidens testimonium est piis mentibus, insignem mutationem vniuersi generis humani mox expectandam esse? Hæc sæpe considerent piæ mentes in suis quotidianis precationibus, ac ingemiscant & deplorent miseriam & ruinam quasi generis humani, atque ardenter à Deo petant mitigationem. Harum autem maximarum rerum cogitatione se ad modestiam atque animi pietatem exuscitent.

Septima Coniectura. Euangelistæ nouissimam horam vocant aduentum filii Dei alterum, hoc est tempus, quod ad finem huius mundi inde vsque à prædicatione Apostolorum restabat. Necesse est igitur, breuius esse, quam fuit ætas, quæ præcessit.

Octaua Coniectura. Interrogat & Daniel cap. vlt. de fine, inquiens: porro quod ad tempus attinet, quo tollendum est perenne sacrificium, & quo tempore in vastitatem reddent abominationem, dies erunt 1290. Beatus ille, qui perseuerabit, & perueniet ad diem 1353. Etsi autem numerus hic videtur de bellis Maccabæorum vaticinari, tamen haud dubie aliquid significat de fine huius mundi. Ac facilis est accommodatio, si dies in annos commutaueris. Erunt autem anni 2625. Nec quærimus articulum ipsum seu momentum, quo illucescet vltimus dies: quod non est seruandum. Sed quia hic numerus aptissime congruit cum cæteris coniecturis, arbitror, significari annos mundi à tempore Danielis reliquos. Anni 600. sunt circiter à Daniele ad natum Christum. Reliqui sunt duo millenarii, postrema huius mundi ætas. Congruit & diuisio. Ideo enim prior numerus à posteriore discernitur, vt significetur, mox post primum numerum ventura esse initia postremi regni impii, Mahometici, & Hypocritici. Nam Mahometus regnare cœpit post Christum natum anno 630 Sequens numerus est curriculum regni impii, vsque ad finem mundi. Quod autem hoc vaticinium Danielis pertineat quoque ad vltimam mundi ætatem, ostendit postrema particula, quam in textu adiicit: quiesces, inquit, & stabis in sorte tua in fine dierum, id est, docebis & confirmabis etiam Ecclesiam vltimo tempore mundi.

Nona Coniectura Etsi semper apud plerosque Theologos tertii & quarti libri Esdræ dubia fides fuit: tamen cum locus in 4. lib. 6. c. maxime huc ad propositum nostrum faciat, consentiatque mediocriter cum coniecturis hactenus recitatis, non dubitaui etiam hunc locum ex Esdra adducere. Esdræ interroganti an maius tempus eo, quod futurum est, præterierit; an vero id, quod futurum est, excedat tempus præteritum? respondet Angelus Domini duabus hisce similitudinibus. Primo ostendit ipsi fornacem ardentem, deinde nubem aquosam. In his, ait, obserua, vtrum superet ignis fumum, & imber guttas, an vero secus? Cui Esdras: video, inquit, Domine, flammam imprimis transire magnam, video etiam magno impetu imbrem factum, sed deinde flammam superare

perare ignem,& imbrem guttas.Hinc,ait Angelus, tu Efdra ratiocinare de ætate mundi.Sicut prius flamma fumum,& imber guttas fuperabat postea vero fumus flammam, & guttæ imbrem: fic quoq; menfura temporis,quæ iam tranfiuit,excedit tempus,quod adhuc reliquum eft,vfque ad refurrectionem mortuorum.

Quia igitur hic ab Angelo Dei affirmatur, tempus prius atq; pofterius inter fe in proportione magni ignis & exigui,item magnæ pluuiæ & exiguæ,habitura effe,atq; ex vera computatione conftat, Efdram circiter 3500.annum vixiffe,paulo poft tempora Cyri,exinde vero iam fupra 2000.annos elapfos effe:certum eft,finem mundi iam haud procul abeffe.

Iam coronidis vice fubiiciemus egregium illud dictum Eliæ Prophetæ, quod etfi in Bibliis nufpiam extat, tamen quia reliquarum omnium coniecturarum fumma eft.& quafi explicatio, omnibus notiffimum effe debet, & maximi faciendum eft.Verba hæc funt:Sex millia annorum mundi, & poftea deftructio:duo millia inane,duo millia lex,duo millia Chriftus: & fi quid ex his deerit, deerit propter peccata noftra, quæ magna & innumera funt. *Decima coniectura.*

In hoc dicto Elias pulchre diuidit mundum in tres ætates, & præcipuas quafi viciffitudines mundi oftendit, præterea quo tempore Chriftum oportebat venire,& quam diu durare huius orbis ftatus debeat. Bis mille annos ftabit mundus fine aliqua politica gubernatione,& certis legibus Dei verbo expreffe ordinatis. Sed his exactis,circumcifio & lex dabitur,atque certa politia & cultus Dei ex verbo Dei inftituetur. Deus enim certam politiam & certas Ceremonias huic fuo populo tradere voluit vfque ad aduentum filii fui,vt ipfe filius Meffias in eo nafceretur,& fe patefaceret,concionaretur,fieret victima,& palam inchoaret vitam æternam.Poft hæc tempora,circiter finem quarti millenarii Chriftus veniet, & prædicationem Euangelij inchoabit, quæ fimiliter circiter duo milla annorum durabit, vfque ad extremum iudicium. Et poftea initium erit illius nouæ & æternæ vitæ, in qua Ecclefia Dei ex morte refufcitata,in vita perpetua,vere fine caligine & peccato fanctificabit fabbathum,coram cernet Deum,& eius immenfa fapientia fruetur. Impii vero & Diaboli abiicientur in æternos cruciatus.

Et quia euentus declarauit, iuxta hanc Prophetiam Eliæ, circumcifionem & promulgatam legem duo millia annorum præceffiffe, fimiliter etiam à circumcifione vfque ad Chriftum duo millia tranfiiffe: credibile eft, & in pofterioribus millenariis euentum refponfurum effe. Sed defiderabuntur, inquit Elias,aliquot anni.Nam celeritate aduentus fui Deus propter peccata & fcelera mundi anteuertet, quo minus fex millenariorum anni integre compleantur.

Cum autem propter multas alias caufas & vtilitates, hoc dictum Eliæ

diligenter notari prodest, tum vel maxime propter stultam & cœcam insaniam Iudæorum in Ecclesia retinendum est, qui Christo Iesu repudiato, adhuc alium Messiam frustra expectant. Etsi enim multis manifestis sacræ Scripturæ testimoniis ipsorum blasphemia refutari potest: tamen quia eo cæcitatis & pertinaciæ peruenerunt, vt videntes veritatem scripturæ non videant, nec audientes audiant: non incommodum etiam ex hoc ipsorum dicto argumentum contra eos sumitur, vt proprio suo quasi ipsorum gladio iugulari possint. Sæpe enim hoc dictum à Rabinis, vtpote in libro Apodazara cap. 1. item in libro Sanhedrim cap. vlt. atque aliis pluribus locis, vt vera traditio Eliæ, introducitur.

Caput vltimum. Sextũ millenariũ non completum iri, propter peccata mundi

Hæ rationes omnes, aliæque plures, ex sacra scriptura atq; ipsarum rerum natura sumtæ, perspicue ostendunt breuitatem temporum huius mundi. Simul autem & hoc considerandum est, quod dies nouissimus ante sextum millenarium completum aduenturus sit. Nam Deus abrumpet flagitia huius peruersi seculi, & ad iudicium suum festinanter accelerabit. Hoc temere non asseritur, aut petulanter affingitur, sed diuinis literis passim proditum est.

1. Matth. cap. 24. Christus ait: Et nisi abbreuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, sed propter electos abbreuiabuntur dies. Hæc verba etsi de excidio Hierosolymæ potissimum loqui videntur: tamen totus contextus huius concionis Christi ostendit, quod de extremo iudicio sint quoque intelligẽda. Ideo statim subiicitur, in illis tristissimis temporib. ne patiamini vos seduci: sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vsque in occidentem: ita erit & aduentus filii hominis. Vt cognoscas scilicet, hæc de extremis quoque temporibus prædicta esse.

2. Idem & ratio diei Sabbathi declarat. Supra ostendimus, Sabbathum à Deo ordinatum esse typum illius æterni Sabbathi, futuri in æterna vita, post hunc corruptibilem statum, in quo nunc immersi peccatis & carnalibus concupiscentiis degimus, Sicut enim sex dies priores laboribus vocationis nostræ deputati sunt, septimus vero vocationi & quieti: ita Deus suo sapienti & arcano consilio præordinauit, vt sex millenariis annorum hæc peccatrix natura mundi compleatur, septimus vero initium sit illius beatæ vitæ & cœlestis, quam omnes sancti cum Deo & consortio sanctorum Angelorum suauissime in omni æternitate victuri sunt. Vt epistola ad Hebræos 4. huc quoq; alludere videtur. Sed ratio Sabbathi in lege ita præscribitur, vt circa vesperam diei sexti inchoandum fuerit. Quapropter & æternum Sabbathum non à fine postremi millenarii, sed paulo ante inchoatum iri, verisimile est. Eadem quoq; Iubilæi anni ratio fuit, qui non post quinquagesimum annum præteritum celebratur, sed quadraginta nouem communibus annis exactis, quinquagesimus erat Iubilæus.

3. Reuerendus pater D. Lutherus haud contemnendam quoque coniecturam

ctuτam à tempore resurrectionis Domini sumit. Prædictum erat, Christum mortuum pro peccatis nostris, in sepulchro triduum requieturum esse, sicut Ionas Propheta triduum in ventre ceti detectus fuerat: sed anteuertit Christus diei tertii completionem, atq; circiter medium eius diei resurrexit, sicut Euangelistæ tradunt: verisimile est igitur, etiam altera vice Christum ante completum sextum millenarium venturum cum maiestate, ad iudicandum viuos & mortuos.

Iam piæ & Christianæ mentis est, hanc extremam mundi senectam, & quasi delirium senectæ, in qua nunc versamur, animo perpendere: vt hac cogitatione nos ad ardentiorem inuocationem & maiorem animi pietatem excitemus. Sed eheu, quam cœcus est mundus, quam stolidus & securus; qui Epicureo & Cyclopico more, instar pecudum irrationabilium, has maximas res aut non considerat, aut leuiter curat: sicut Propheta Esaias quoque de maxima sui temporis securitate conqueritur, inquiens: cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe dominorum suorum: Israel a. non cognouit, & populus meus nō intellexit. Imp. Ferdinādo. Pp. Paulo 4. *Hactenus Flinsbachius.*

EQ. Nimium late progrederis, ipsoque hoc tuo progressu, fortassis apud quosdam paruam inibis gratiam. Malo ego, pro statu vitę politice, quā theologice rē tractare; sed enim, genius cuiq; suus arridet. Nunc denuo ad institutū.

Omnium a. huiusmodi alterationum, vel ipsa Resp. Romana sola præbebit testimonium, si cōsideremus eius mutationes: à Regib. in Cōsules: à consulib. in Decemuiros in Tribunos militū Tribunos, plebis: Dictatores; Magistros militū Tyrannos, Imperatores: eosq; florentes decidentes & per anastasin restitutos: vt mihi videatur illa Resp. similis ægro & male disposito corpori: qd ab vno morbo in aliud recidit: & per interualla temporum bene se habet, donec destitutum radicali humore seu calore vitali in mortē refrigescit. Quodq; ipsa sensit in se, in aliorum principatus ēt exercuit: nunc prouincias in regnum erigens: nunc regna & imperia in prouincias reducens: vi propria deficiente, alia dominante. Carthaginis imperium, ciuitate deleta per Scipionem, in prouinciam redactum. Per Africam sex prouinciæ factæ: Maurorum, Numidarum regna extincta: per omnes Hispanos sex prouinciæ factæ, quæ postea Regna & rursum sub vno rege nunc cōiuncto. A Iulio Cæsare regna Galliarū plura in prouincias redacta: rursum in regna: à regnis in Monarchiam peruenerūt: Traianus Dacos sub rege Decibalo vicit: Daciam prouinciam fecit Romanā: Pannonias, Macedoniam, Thraciam: q̄ rursus in regna reuersa sunt: tū à Germanis, tū à Turcis occupata: vt Asia, q̄ in ditionē Attali testamento venerat: postea illis erepta: Idipsum de Lydia & aliis infinitis, ꝓpemodū regnis in prouinciam redactis, restitutis, subrutis, translatis, dicendum esset, si tempus superesset; De Persis item Partis, Saracenus aliisq;, quæ in ditionem Romanorum venisse, paucis notat sextus Rufus Cōsularis *libro de Rom. historia.* aliiq; historiographi.

PH. Etsi nulla vnquam fuit, est, aut erit resp. in qua omnia sint integra, nec multæ repetiantur feces, & subinde variorum vitiorum semina proueniant, quæ etiam vbi euulsa sunt, repullulare solent: permultum tamen refert, si illi qui in magistratu primi sunt, habeant virtutes ciuiles in precio, & ad eas se componunt, nec conueniant ad flagitia, sed ea tam in sua, quam in aliorum vita serio aduersentur & seuere puniant: & sic partim suo exemplo, partim iusta animaduersione, partim præmiis honestati propositis, inferiores quoq; ad eam studiose amplectendam alliciant: de multitudine autem plurimi eos, qui præsunt, sequantur, & reuereantur eorum cum vitam, tum imperium. Hæc enim dum vtrinque fiunt, magno subsidio sunt rebuspublicis: sicut econtrario, vbi ea vel euersa iacent, vel habentur neglıgentius, impossibile est vt sit felix aut florens gubernatio; nec multa grauissima ad exitium attrahantur.

Status Romanorum priscus, laudabilis.

EQ. Inuenimus certe in Romanis, dum res eorum creuerunt, viguisse apud plerosque, nec vnquam in vniuersum interruptas fuisse, quin mox iterum in ordinē, si quid erratum esset, redigeretur, multas illustres disciplinæ virtutes: quibus certatim opera data est à maiore parte subditorum & magistratuum, & tantum attributum studii, vt priscis illis temporibus multo pulchrius haberetur, cum viris optimis de honestate quam, vt postea degenerante seculo putatum est, cum auaris de opulentia, aut cum luxuriosis de delitiarum varietate certamen suscipere. De illarum numero fuit ardens amor patriæ siue totius Reipub. honestis legibus constitutæ, libertate sua vtentis, quam iudicarunt dignam esse, cuius salus nō modo iactura fortunarum, sed & liberorum ac suę vitæ adeoq; omnium rerum priuatarum amissione, quoties res posceret, redimeretur. Eam enim florentē viderunt sibi quoq; ornamento esse, & priuatorū res insuper saluas præstare, ea vero laborāte, nihil posse esse priuatis hominib. tutū ab iniuriis. Ideoq; multo dulcius ipsis fuit, bene de rep. mereri, quam studere suo cōmodo, ac nefas putarunt, esse summum, si non suam salutē posteriorē saluti cōmuni ducerent. Exemplo sunt Brutus, Genitius Cippus prætor, Ælius prętor, & alii: de quib. Valer. *li.5.c.6.&* 8 Cicero qui passim, quāti patriā faciat, indicat. Ipsa quoq; plebs Rom. aliquoties ad subleuandam publicam penuriam facultates suas cōferens: & innocentia in magistratu à plurimis declarata. Fuit præterea in Romanis eximium studium iustitiæ, & quæ ei cognata est fidei, q̃ æque domi in iudiciis & vita priuata, atq; in castris inuiolatā custodiebant. Documēto sunt Camillus, Faliscis obsessis, proditorē curans in vrbē ad [illegible]ci: Fabricius ad Pyrrhū remittens medicū, qui operam suam in eo tollēdo obtulerat: Regulus reuertēs Carthaginē ad exquisita supplicia, vt fidē liberet: Senatus Hannibalē cū qui iuramen[illegible]ū eludebat, reddēs & ceremoniæ solēnes in [illegible] bellis obseruatę. Plura iustitiæ & fidei exēpla vide apud Valeriū *li.6.c.5.&* 6 & q narrat *li.8.c.2.* quendā qui diutius equo accōmodato accepto,

quam

quam conuenerat, fuerat vsus, furti fuisse condemnatum. Ex hoc iustitiæ studio promanarunt etiam strictissima in castris & domi vsurpata seueritas, de qua plurimæ extant historiæ. Gratitudo erga bene meritos declarata singulari studio & præmiis, maxima erga leges & magistratus reuerentia, cui quantum tribuerint, videre est in historia P. Seruilii apud Valerium *libro octauo capite quinto*, vbi dicitur, *eum qui vereri principes nesciret, in quodlibet facinus procursurum crediderunt*, item in historia Fabii, qui consul patrem ad se accessiturum de equo iussit descendere. Quod item scribitur sub M. Scauro, quum aliquando castra mouisset, in ipso castrorum aggere inuenta fuisse arbor, optimis fructibus onusta, quæ à militibus intacta manserat. In primis vero cõspicua sunt plurima exempla abstinentiæ, αὐταρκείας paruo contentæ, & eleganter ferentis paupertatem, frugalitatis & sobrietatis, quæ in multis clarissimis viris apud Romanos antiquos deprehenduntur. Eo enim animo in republ. & in vita priuata versabantur: vt viro indignum haberetur, ad cupiditatem opum se demittere, nec toto animo de honesta potius laude & ornamentis animi, quibus illa comparatur, cogitare. Legantur quæ extant apud Ciceronem *in 6. Verr. pag.* 212. de Pisone, & *pag.* 228. De Marcello Syracusas occupante, apud Plinium *libro* 37. *capit.* 7. cum de aliis, tum de L. Mummio; de quo ita dicit Mummius *deuicta Achaia repleuit vrbem signis, ipse excessit, non relicturus filiæ dotem*. De Paulo Æmylio Plutarchus in vita narrat, quod quum pro prætore in Hispania CCL. oppida cepisset, ipse Romam ne teruntium quidem auctus rediret: captas etiam in victoria Persei opes non aspicere quidem sit dignatus. Cato Senior quum 400. vrbes in Hispania cepisset: negauit ad se ex præda quidquam, præter esculenta & potulenta, rediisse; neque se solum, sed & comites suos, ne acciperent, assuefecisse, auctor Plutarchus *in eius vita*. Apud eundem Plutarchum in Æmilio & Valerium *libr.* 4. *capit.* 4. leguntur in familia Ælia XVI. fratres (inter quos fuit Q. ille Tubero cognomento Catus Æmilii gener, vir præstantissimus, de cuius abstinentia vide Plinium *lib.* 33. *capit.* 11.) omnes vxorati cum numerosa sobole in angusta domo cohabitasse, & victum habuisse ex agello satis tenui. Et notissima sunt exempla Fabricii, Curii, M. Scauri senioris; qui omnes in sorte quantumuis tenui acquiescentes, & in virtutis decus, quam opum aggestionem conuersi, sed à corruptelis munerum & ab auaritiæ sordibus, atque stulta opum admiratione, integerrimos præstiterunt. Vniuersus quoque populus Rom. aliquoties etiam in rerum statu ancipiti dona & commeatus oblatos accipere noluit. Hæc integritas quanto bono fuerit Reipub. hac voce testatus est C. Pontius Saninis, quum dixit: *vtinam fortuna me ad ea tempora seruasset, quum Romani dona accipere cepissent: non passus essem eos diutius regnare*. De frugalitate vero & sobrietate, etsi ex eorundem, quos modo nominaui, historia, testimonia luculenta sumuntur: tamen indicium quoque habet lex,

qua simpliciter interdictum fuit vsu vini muliebri sexui: & quod Plinius *libr.* 33 *capit.* 12. dicit, *Inuenimus legatos Carthaginensium dixisse, nullos hominum inter se benignius viuere, quam Romanos: eodem enim argento apud omnes cœnitauisse ipsos:* & quod anno iam 664. Censores edixisse repetiuntur, *ne quis venderet vnguenta aut vina exotica.* Persuasum enim tam Romanis veteribus, quam multis magnis viris apud alias quoque gentes fuit, paupertatem & rerum apparatum tenuem, nec per se esse quiddam inhonestum, in quo aliquid turpitudinis consisteret: nec officere partæ gloriæ: sed potius maiori honori esse, quando tum quoque, quum occasiones ditescendi non desunt, retinetur tamen, & illustrata virtutis gloria diuitiarum splendori anteponitur, & sic toleratur, vt manifeste appareat, eum qui ita viuit, non in plus habendo, sed in promouendo bono publico curas suas atque animum habere defixum: opum vero certamen auaris tamquam muribus & aliis furacibus atque sordidis animalculis, in quibus nihil sit virile, nihil excelsum, nihil ad verum hominis decus directum, relinquere. Vide *in Valer. libr.* 4. *capit.* 4. Neque etiam piguit eos laboris, & quidem operis etiam rusticis clarissimos viros incubuisse legimus, vt Plinius quodam in loco non dubitet causam fertilitatis, quæ olim abunde agro Rom. protulerit, in cultores tam claros conferre: non aliter ac si terra ipsa lætaretur, se tam honestis honoratorum virorum manibus coli. Huc pertinent exempla Cincinati, M. Curii, Calatini, Catonis maioris, & similium. De Romanorum admiranda fortitudine & animositate omnium periculorum & mortis contemptrice, cuius specimen toties ediderunt in præliis, & quam in rebus quoque afflictissimis tamen non abiecerunt, singulorum fere annorum historiæ aliquid continent. Sed hoc pulcherrimum est, quod ea ipsa comitem habuit insignem quandam humanitatem. Vt enim hostes experti sunt, quid in armis possent, si lacessiti essent: ita humanitate, clementia, mansuetudine, quas coniunxerunt, ostenderunt se non esse barbaros, ferarum aut belluarum similes: & tantum cædes & vastationes quærere: sed dimicare de restituenda, tuenda & propaganda iustitia, honestis legum & iustæ pacis beneficiis. Nec obscurum est, hac ratione plurimum incrementi rebus ipsorum accessisse. Quod enim de Atheniensibus Æmilius Probus inquit in Alcibiade, eos non minus multas vrbes consilio ad amicitiam adiunxisse, quod in captos vsi fuerant clementia: de antiquis quoque Romanis verissime dici potest, de quibus Cicero in Orat. I. contra Rullum: *Maioribus nostris* (inquit) *quid fuit clementius, qui etiam, externis hostibus victis, sua sæpissime reddiderunt?* exempla egregia suppeditant Marcellus, Scipiones, Flaminius, Pompeius & plures: de quibus Valerius *lib.* 5. *capit.* 1. Quanta denique grauitas fuerit in priscis Romanis: argumento sunt, quod non licuit genero lauare cum socero, nec filio cum patre. Quod L. Fuluius, quum tempore secundi belli Punici corona rosacea capiti imposita prospectasset in forum, in carcerem de-

ductus est, & ibi vsque ad finem belli detentus. Item quod in publicis negotiis ne bibere quidem licuit; & quam maiestatem præ se tulerit senatorii ordinis consessus, testatur illa vox Cyniæ, quando dixit ad dominum; Se conspecto senatu Romano, multorum veluti regum consessum vidisse. Nec parum exstimulauit animos ad æmulationem in actionibus laudabilibus cupiditas gloriæ, & iusta collatio eorum præmiorum, in quibus honor aliquis virtuti ex merito habebatur, ita vt possent ii, qui se strenuos gesserant, discerni ab aliis, & frui aliqua suorum laborum mercede. Non enim licebat vlli sibi sumere quidquam de honore, nisi publice esset collatum. Dabantur coronæ variæ, torques, armillæ, & alia ornamenta: permittebatur annulorum gestatio, decernebantur supplicationes, orationes, & qui summus honorum gradus erat, triumphus: ponebantur statuæ & columnæ, suspendebantur in templis monumenta, indebantur à rebus gestis cognomina, euehebantur viri virtute conspicui ad altiores munerum publicorum gradus, interdum publicis sumptibus efferebantur, & si facultates tenues essent, liberorum ex ærario publico habebatur ratio. In honorem etiam defunctorum habebantur orationes funebres & alia præconia, sicut è regione ignominia notabantur, qui aliquid indignum aut nimis timide commiserant, nec facile vllum λύτρον pro captiuis dabatur; quod turpe habebatur, nō potius occumbere, quam manus supplices hosti porrigere: & quod verebantur, ne talis redemtio induceret militi ignauiam. De his ergo moribus, quorum custos fuit constituta censorum potestas, toties meminit Cicero, quum de maioribus loquitur: & in versu Ennii dictum est,

Moribus antiquis res stat Romana, virisque.

Quanquam etiam in illo feliciori statu (vt nihil ex omni parte beatum) non raro res turbauit, e i.iellendo coniunctionem ordinum, magistratus tribunitius eo quidem consilio delectus, vt quasi frenum iniiceret patribus, si quid ausuri essent præter commodum publicum. Sed qui licentiam coercere debebat, crebro nimium licentiæ sumendo Rempub. in grauissimum discrimen coniecit. Sed tamen discussæ sunt istę tempestates facilius, dum apud plures locus fuit aliquis illis, quas recensui virtutibus.

Simul autem atq; inualescentibus omnibus vitiis, virtutes cæperunt conuerti in rerum propriarum, neglecta cura proprię, procuratione, iniustitiam, perfidiam laxationem disciplinæ, legum & magistratuum contemptum, & contumaciā, auaritiā, insaniam luxuriæ & voluptatum omnia vndecunque conquerente, ignauiam, & mollitiem, aut rerū vanissimarum studia, & erga socios iniurias & fastum, variamq; vitę leuitatem, & sublata præmiorū iusta distributione quilibet pro libidine quæ voluit vsurpauit, aut certe pecunia, qua omnia venalia prostabant, redemit, & cum altero non tam honestate, quam ostentatione opū, luxuria & aliis vitiis certādū sibi statuit: ibi, vt fit, quę magno labore maiorum cōstituta fuerant, cœperunt ruere, & prono quasi alueo pro- *Status reip. Rom. degener.*

pe. ate ad interitum Quod quidem cœpit statim post victoriae Asiaticas, quum in bella ciuilia prorumperet ambitio, quorum diurna fuit & misera lanienа, donec ab Augusto res aliquo modo componeretur ad aliquam quietem, quæ tamen non fuit diuturna, vt docent historiæ, & toties conquerun tur scriptores plurimi. Quoties enim Cicero de sua ætate conqueritur & exclamat, *O tempora, ô mores!* Quoties in Verrinis, in Philippicis, & aliis orationibus & epistolis sui seculi pestes accusat? Quoties Plinius in peruersitatem succedentium temporum inuehitur, apud quem *libr 24. cap. 1.* legimus, *ita est profecto, magnitudo populi Romani perdidit ritus, vincendo victi sumus, paremus externis.* Et lib. 33. cap. 11. *Asia primum deuicta, luxuriam misit in Italiam.* Item; *Eadem scilicet Asia domata, multo grauius afflixit mores.* Et c. 10. *Videret hac Fabricius. Fabricius, inquam, qui bellicosus Imperator plus quam Scyphum & Salinum ex argento habere videbat, videret hinc dona fortium fieri, aut in hæc frangi huiusmodi mores. Fabricii nos pudet.* Et quid fuit voce illa indignius, qua Iugurta ex vrbe profugiens prodidit, quales ibi inuenisset ciues, dum exclamauit, *O vrbem venalem & cito perituram, si modo emptorem inuenerit.* Sed hæc, quorum obseruatio in lectione Romanæ historiæ perutilis est, paucis attigisse satis sit.

Virtutes & vitia Romanorum.

TH. Pauca ego addam. De virtutibus Romanorum & bene constituta republ. passim apud historicos innumera exempla reperiuntur, eaque magnifice celebrantur. Vt autem fatendum est, leges Romanas, cæteris omnibus præstantiores fuisse, quicquid enim ad augendam & conseruandam eorum Rempubl. conducibile fuit visum, ab aliis mutuati sunt, vel ipsi, malis moribus præbentibus occasionem condendi bonas leges prudenti ratione instituerunt, custodesque earum ii qui magistratum gerebant, plerunque diligentes fuere, sicut videre licet ex fragmentis duobus Polybii, ea fragmenta eleganter è Græco in Latinum sermonem conuersa sunt à Pompilio Amasæo: Ita quoque non pauci reperti sunt, qui crudelitatis & libidinis plus quam barbaricæ (non loquor nunc de Nerone, qui trucidatis multis insignibus viris, vt Cornelii Taciti verbis vtar, ad postremum, virtutem ipsam excindere concupiuit: non de Caligula, qui teste Suetonio sibi omnia, & in omnes licere putauit, quumq; cædibus satiari non posset, optauit, vt populus Romanus vna ceruice sustentaretur, quæ sua manu detruncanda foret: prætereo vna cũ Heliogabalo Caracallam, vt enim huius parricidia, incestus & periuria nota sunt, ita ille bipedum omnium scelestissimus dici meruit, neque nunc dico de aliis monstris Romanis potius: quam hominibus, qui prætextu absolutæ potestatis, omnia flagitia impune concessa sibi asserebant) non pauci, in quo sunt reperti in Republica Romana, qui crudelitatis suæ nefaria documenta edidere, ex quibus constat, quod sæpius innocentes viri indicta causa, contra ius, contraque leges, aut virgis cæsi, aut supplicio extremo

tremo affecti sint, inter quos L. Quintus Flaminius vir consularis non postremus fuit, de quo Liuij testimonium est eiusmodi, vbi recenset, quid illi à Catone obiectum fuerit: inter cætera, inquit: *Obiecit ei, Philippum Pœnum charum ac nobile scortum ab Roma in Galliam prouinciam spe ingentium donorum perductum. Eum puerum per lasciuiam quum cauillaretur, exprobrare consuli persæpe solitum, quod sub ipsum spectaculum gladiatorum abductus ab Roma esset, vt obsequium amatori iactaret. Forte epulantibus iis, quum iam vino incaluissent, nunciatum in conuiuio esse, nobilem Boium cum liberis transfugam venisse, conuenire consulem velle, vt ab eo fidem præsens acciperet, introductum in tabernaculum, per interpretem alloqui Cos. cœpisse. inter cuius sermonem Quintius scorto, vistu, inquit quoniam gladiatorium spectaculum reliquisti, iam hunc Gallum morientem aspicere. & quum is vix dum serio annuisset, ad nutum scorti Cos. stricto gladio qui super caput pendebat, loquenti Gallo caput primum percussisse, deinde fugienti, fidemque populi, Romani, atque eorum qui aderant implorantí, latus transfodisse.* Et paulo post, vt autor de eodem, Valerius Antias, *Placentiæ formosam mulierem, cuius amore deperiret, in conuiuio accersitam,* scribit, *ibi iactantem sese scorto inter cætera retulisse, quam acriter quæstiones exercuisset & quam multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus esset. Tum illam, infra eum accubantem negasse, vnquam vidisse quemquam securi ferientem, & peruellem id videre. Hic indulgentem amatorem, vnum ex illis miseris attrahi iussum securi percussisse. Facinus, siue eo modo, quo censor obiecit, siue vt Valerius tradit, commissum est sæuum atque atrox: inter pocula atq; epulas, vbi libare diis dapes, vbi bene precari mos esset, ad spectaculum scorti procacis in sinu consulis recusantes mactatam humanam victimam esse, & cruore mensam respersam.* Hactenus Liuius. Recte itaque dicit Lactantius: *Qui hominem, quamuis ob merita damnatum, in conspectu suo iugulari pro voluptate computat, conscientiam suam polluit, tam scilicet, quam si homicidij, quod fit occulte, spectator & particeps fiat, &c.* Cum igitur nihil magis impium aut crudele sit, quam innocentissimos quosq; seruitutis specie in spectaculis publicis à belluis lacerari aut mutuis vulneribus ad populi voluptatem trucidari, mirum est, apud Romanos nihil fuisse vsitatius, qui in summa iustitiæ opinione floruerunt, vt diuina quadam vltione hominum quinquaginta millia Fidenis, in munere gladiatorio, vnius theatri casu obruti sint. Eo autem progressa est licentia sæuiendi (luxu & delitiis paulatim corruptis moribus antiquis) in quosuis, vt tempore Augusti, necessariū fuerit statuere legem Fanniam, quum Respub. Romana ex luxuria conuiuiorum, maiora quam credi potest detrimenta pateretur. Siquidem eo res redierat, vt gula illecti pleriq; ingenui pueri, pudicitiam suam & libertatem venditarent; pleriq; ex plebe Rom. vino impleti in comitium venirent & ebrij de Reip. salute consulerent. Quod & Macrobius scriptum reliquit. Extant præterea exempla crudelitatis memorabilia apud Gellium, quæ vt ab eo ex oratione Gracchi *de legibus in noctibus*. Atticis referuntur. huc ascribenda operæ precium duci. Verba igitur Gracchi, sunt hæc: Nuper Tea-

num Sidicinum consul venit. Vxor edixit: Se in balneis virilibus lauari velle. Quæstori Sidicino à M. Mario datum est negotium, vti balneis exigerentur, qui lauabantur. Vxor renunciat viro, parum cito sibi balneas redditas esse, & parum lauta fuisse. idcirco palus cōstitutus est in foro, eoq; adductus suæ ciuitatis nobilissimus homo M. Marius; vestimenta detracta sunt, virgis cæsus est. Caleni vbi id audierunt, edixerunt, ne quis in balneis lauisse vellet, quum magistratus Romanus ibi esset. Ferentini ob eandem causam prætor noster quæstores arripi iussit. alter se de muro deiecit, alter prehensus & virgis cæsus est. Et paulo post pergit Gellius: idem Gracchus alio in loco ita dicit: Quanta libido, quantaque intemperantia sit hominum adolescentium, vnum exemplum vobis ostendam. His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus Magistratum non cœperat, homo adolescens, pro legato. Is lectica ferebatur. Ei obuiam bubulcus de plebe Venusia aduenit, & per iocum, quum ignoraret, qui ferretur, rogauit num mortuum ferrent. vbi id audiuit, lecticam iussit deponi struppis, quibus lectica deligata erat, vsque adeo verberari iussit, dum animum efflauit. Hæc crudelitas, tanquam indigna nomine Romano. & merito quidem olim in gentilibus reprehensa fuit, quare non absque causa in Synopsi Caroli IX. Regis Galliæ nuper edita, is reprehenditur, quod in natali die eius filiæ, quam ex Isabella Maximiliani Cæsaris filia tulit, ita auidus fuerit suppliciorum spectandorum, vt sub occasum solis accendi faces iusserit circa furcam, vt morientium ora certius cognosceret, annotatum, inquit autor istius libelli, id fuit, tanquam infaustum ac plane indecorum. Porro de illo rege in eodem libello scribitur, quod lanienam eandem Amiralij & sociorum eius, ex arce lætus spectarit, & aliquot post diebus, cum Amiralij cadauer ad furcam publicam suspenderetur, & ruis fœtorem non ferentibus, dixerit, Hostis Mortui bonum esse odorem. Adiungitur præterea, quod quotidiana belluarum insectatio in venationibus eum sanguinarium reddiderit, licet homines propria manu non occiderit, sed asinos obuiam factos decollarit, soluto dominis pretio, nec non spectantibus aulicis porcos mactarit: exta cruentis manibus extraxerit quasi laniariæ tabernæ seruus, irruentique in mulum Lansaci, Quod tibi diffidium, is dixerit, cum meo mulo intercessit, Christianissimo Regum? Symbolum præterea ipsius indicatur, tale videlicet, *pietate & iustitia*, quod ipse tamen Rex, quoties de reis ageretur, ita intellexit: pium esse crudelitatis esse crudelem pietatis non absque ratione igitur ibidem velut epiphonema adiicitur: Reges autores crudelium suppliciorum esse opportet, Quoties flagitia seuitiam exposcunt: spectatores autem minime decet, ne atrocia meditari discant, &c.

PH. Causas turbulentarum istiusmodi, quibus principatus afficiuntur, metamorphoseon, propinquiores, quæque magis incurrunt in sensus, quam

vos video; ac sane, omnibus qui principatum gerunt, sanam hanc egô precor mentem, vt non solum veras turbarum reipublicæ cognoscant causas, sed etiam cumprimis quæ remedia illis vtrobique salutaria adhibenda sint, sepositis priuatis affectibus serio, quantumuis sero, dispiciant, ne frustra aliquando in fundo quærant moræ dispendium ac pœnitentiam.

Palladium Troianorum.

EQ. Habuit Troianum regnum suas significationes, quamdiu duraturum esset; extititque vaticinium de simulacro Palladis, tanquam de signo fatali. Fingitur Troia euersa, postquam Palladium illud fuit ablatum. Significatur autem eo figmento: tum demum euerti respublicas, cum sapientia ex vrbibus sublata est. Pallas enim, cuius id erat simulacrum, Dea sapientiæ & consilij olim habebatur.

PH. Plato in octauo de Rep. disserens de causis, quæ afferunt mutationem Imperiis, inquit: *Degeneres posteri ex præstantioribus orti euertunt respublicas paulatim vsque ad periodum.* Degenerant autem à Maiorum suorum sapientia, sine qua diu subsistere imperium saluum nequit.

Autoritas labascens ruinam minatur.

TH. Circumactis Imperium periodis deficit autoritas, mox sequuntur discordiæ; illa deficiente, his glíscentibus, certissima sequitur Principatus mutatio. Regulam hanc eruo ex cap 5. Danid s, vbi videt rex Balsazar manum prodeuntem ex pariete, & scribentem hæc tria verba, *Mene, Tekel, Phares. Mene*, id est, numeratum est: regno tuo constitutus est certus terminus diuinitus. *Tekel*, id est, appensus es in libra, & leuior inuentus, id est, autoritas tua periit. *Phares*, id est, diuisum est regnum tuum: regnum tuum diuidetur inter alios, nimirum Persas & Medas.

Cæterum quemadmodum *Autoritas* Principis consistit in quatuor rebus. I. in *Sapientia.* Talis fuit in Alexandro Magno, de quo Plutarchus in vita ipsius scribit, quod prudentia vicerit sapientissimos senes. II. in *Virtute*, id est, agnitione Dei, iustitia, clementia, sedulitate in officiis vocationis, fortitudine, castitate, temperantia, veritate; inprimis vero Misericordia & veritate, quippe quæ, teste Salomone, custodiunt Regem, & fulciunt thronum eius. III. in *Felicitate*, id est, felicibus successibus. Nihil enim magis conciliat animos hominum quam felicitas. IV. in *Inclinatione animorum*: quæ simpliciter donum est Dei. De hac dicitur in historia Saulis: *Abiit cum eo magna pars exercitus, quorum corda Deus tetigerat*, id est, flexerat ad singularem beneuolentiam erga suum Regem.

Sic econuerso *Autoritas* amittitur per quatuor. I. per *Imprudentiam* Principum: quando vel non intelligunt officia gubernationis, aut recte monentibus non obtemperant: sed mordicus retinent semel conceptas sententias: & præferunt hominum furiosorum consilia rectis & moderatis. De hac imprudentia dicitur in Psalmo: *Errare eos fecit in viis*, id est, vocatione.

Item Esaias inquit: Dabo Principes pueros, id est, stultos & insipientes. Quo pertinent veteres versus:

Iratus ad pœnam Deus si quos trahit:
Auferre mentem talibus primum solet:
Caliginemque offundit: vt suas ruant
Furenter in clades: sibi quas noxiis
Accersierunt vltro consiliis mali.

Vel sic:

Cum Numinis subuertere ira aliquos parat:
Primum omnium aufert sanitatem mentium:
Prauasque pro rectis creat sententias:
Ne quis malefacta noscere possit sua.

Imprudentia. Idque pro Regula infallibili est: *Principium mutationis in imperiis est Imprudentia.*

II. Per *Malitiam* Principum, in quibus decrescit studium virtutis, & augentur omnis generis vitia.

III. Per *Mutationem fortunæ*, seu *Infelicitatem in actionibus.* Error enim in consiliis parit infelices actiones: quia suscipiuntur res vel non necessariæ, vel maiores viribus.

IV. Per *Mutationem beneuolentiæ in animis subditorum* erga gubernatores: seu odium subditorum contra magistratum. Et hæc mutatio plerunq; sequitur infelicitatem, sicut dicitur: *Et cum fortuna statq; caduque fides.* Sic Salustius: *Quo se fortuna, eo se fauor hominum inclinat.* Quo pertinet illud quod Esaias comminatur: *Ecce Dominus, Dominus exercituum auferet de Ierusalem & de Iuda, id quod sustentat & roborat: omnem videlicet sustentationem panis: & omnem sustentatione aquæ. Fortem & virum bellicosum, iudicem & Prophetam sapientem & senem. Principem qui præest quinquaginta, & autoritate præstantem consiliarium, & ingeniosum artificem & excellentem oratorem: Et dabo pueros Principes eorum: & paruuli dominabuntur eis. Puer quoque contumax erit aduersus senem: & leuis contra grauem.* Esa. 3.

Contemptus. EQ. Quando Deus vult punire Principes, circundat eos contemptu: sicut quos vult crescere & euehere: illos circundat autoritate. Intueamur in nostra præsentia tempora. Valde concidit (inquit Peucerus An. 1571 explicans illa verba: *Mene, Thekel, Phares,*) autoritas Imperij Germanici, & Principum in Germania, imo omnium ferme regnorum. Nullum pene habetur regnum in toto orbe terrarum, in quo imperet aliquis Princeps mediocri autoritate præditus. Si enim repetamus historiam illorum Principum qui in Europa excelluerunt ante annos 70. aut 80. & consideremus, quomodo imperia sint lapsa: quomodo autoritas decreuerit, & tandem pene sit collapsa: videmus, quomodo omnia tendant ad finem. Ante annos 80. fuer[illegible]

reges

reges præstantes: in Gallia rex Ludouicus: in regno Neapolitano Alphonsus sapiens, valde celebratus: in Hispania Ferdinandus: in regno Polonico Casimirus: in Vngaria Matthias Hunniades: & ante eum pater eius Iohannes Hunniades: cuius fuit admirabilis sapientia & virtus: & cuius virtute defensa est Hungaria: cuiusque autoritas tutata est filium magis, quam ipsius virtus. Postea Germanicum Imperium habuit tunc aliquot præstantes Principes: qui non tantum domi apud suos fuerunt in admiratione, sed & fuerunt terrori exteris: qualis fuit Fridericus Victoriosus Palatinus pręstans Princeps, & Albertus: qui vocatus est dextra manus Imperij: qui compescuerunt reges vicinos: sicut coegerunt tres reges ad Vratislauiam arma ponere, postea compescuerunt Carolum Burgundum. Nunc etsi Principes conantur rebus afflictis consulere, idque vnicum in animo propositum habent, tamen nescitur, quo fiat fato, vt plus valeat hominum malitia, quam Principum autoritas. *Hactenus Peucerus.* Fracta demum atque extincta autoritate sequuntur diuisiones, id est, fiunt paulatim distractiones, ignauorum Principum contemptu; dum alij alibi nouis rebus student, & res nouas moliuntur: alij has, alij illas prouincias auellunt: conspirant inuicem contra hunc vel illum regem aut Principem. Sic successiue Imperium Germanicum misere hactenus dilaceratum conuellitur.

PH. Strigelius parte 2. *Locor. Theol. pag.* 209. omnium calamitatum in Imperiis & rebuspubl. causas esse ait, 1. Idolatriam. 2. Tyrannidem. 3. & libidinum confusionem.

EQ. Petrus Gregorius Tholos. *in libris suis de Rep.* nouem cumprimis causas, cur respublicæ sæpenumero mutentur, sparsim infert, nempe: *Causa euersionis rerumpublicarum.*

I. Vel propter vitia & insolentiam eorum, qui dominantur & imperant.

II. Vel propter intemperantiam, prodigalitatem, luxum & expensas inutiles, in conuiuia, voluptates, superfluum apparatum conuiuiorum & personarum & profusas largitiones; magnum enim exinde detrimentum capit Respublica; tum quod postea pecuniæ in necessarios sumptus desiderantur: tum etiam, quod pro his onerandus multis fit tributis populus: quibus læsus accipit rebellandi occasiones.

III. Vel propter superbiam. Superbia namque inflati, plus de se, quam in ipsis est virium, sibi promittentes, seipsos decipiunt, & periculis temere se obiiciunt, à quibus de hinc non possunt se eximere: inimicos & subditos contemnunt; à quibus deindè incaute opprimuntur. Insolentia namq; Principum & superbia valde alienat animos subditorum ab eorum amore & obedientia.

IV. Vel propter crudelitatem. Quandò enim Principes & rerumpublicarum gubernatores non paterna admonitione aut castigatione, sed ferocia vtuntur, adeoq; in tyrannos degenerant; tunc aut principatus interitum, aut

magnam certe alterationem & mutationem accipiunt; odiosi & inuisi facti suis iuxta atque extraneis.

V. Vel propter contemptum Principum. Quando enim populus odit Principem vel suum rectorem, aut eundem contemnit; augurium id potest esse certissimum de infelici successu reipubl. Contemptus namque Principum viam parat ad minuendam, & postea ad excutiendam eorum autoritatem; odiumque atque exinde mortem aduersus illos conciendi; idque interdum ex leuioribus, interdum ex iustis causis. Sic aduersus Periandrum Ambraciæ tyrannum insidiæ factæ sunt ex eo, quod inter potandum quem amabat puerum interrogat, an nondum ex se prægnans factus esset. Et Adamas à Coty rebellauit, quasi contumelia affectus: quod ab eo in pueritia exsectus esset, *Vide Pet. Greg. Thol. de repub. cap. 8. pag. 1395.*

VI. Vel propter nimiam licentiam, potestatem & indulgentiam quibusdam concessam. Nutriunt enim plerumque Respublicæ & Principes improuide serpentes in sinu, mures in pera: & ferrum porrigunt, à quo pereant. Nimiam potestatem quibusdam concedunt: ex qua ad maiora audenda ambitiosi impelluntur: vt tandem, si non prospiciatur, præsenti fortuna, qua indigni etiam sunt, non contenti, nihil sibi habere videantur: nisi Principatum ipsum, necatis etiam Dominis aperte vel clandestine occupent.

VII. Vel propter auaritiam Principum. Siquidem cupiditas possidendi pecunias impellit ad illicita & grauia tributa imponenda, sine causa Reipubl. necessaria vel vtili: quo fit, vt à quibus inuitis pecunia sine iusta causa extorqueatur, ineant consilium seditionis, mutationis, aut defectionis, aut rebellionis. Et sane inopia multarum dissensionum bellorumque ciuilium causa atque origo sæpenumero extitit; paupertas namque ad res nouas moliendas impellit, rerumque exhaustarum necessitas (vt inquit Franc. Patricius) atque inopum conspiratio, rerum innouandarum causas præbet. Proinde que minime vera est illa Galbæ Cæsaris sententia, qua dicere solebat, nullos hominum minus metuendos esse, quam eos qui de solo victu cogitarent. Verius Lycurgus sensit; qui pauperem, & sine laribus, longe magis in republ. timendum esse iudicabat, quam diuitem & insolentem. Et Silius poeta:

Est deforme malum, & sceleri procliuis egestas.

Dura namque sunt eorum consilia, qui pro quærendo pane consultant; Et formidandam inopum ac famelicorum multitudinem, multi Imperatorum senserunt; difficile enim est, (vt Cato Maior in maxima annonæ caritate, ad populum aiebat,) ad carentem auribus ventrem verba facere. Quemadmodum igitur duæ virtutes, parsimonia atque paupertas imperia pariunt, augent, retinent. Iisdem duobus vitiis, auaritia & luxu perfunduntur

dantur. Studium pecuniæ, potentiæ, splendoris cupiditas, cuncta regna euertunt.

VIII. Vel propter contemptum cultus diuini & mandatorum Dei. Duo namque fundamenta totius bonæ societatis sunt, Religio & Iustitia; vbi cœptum est ab illis declinari, felicitas reip. minuitur; & qui rebellis est Deo; sibi subditos rebellare in se, ordinario iure sentit.

IX. Vel propter seditiones & factiones; quæ quidem in tantum plerunque perueniunt furorem, vt cum illis tandem subuertatur omnis Reipublicæ status. Etenim per discordias ciuiles, Reipublicæ compages paulatim dissoluuntur: & aperiunt hostibus viam facilem ad subiiciendos iam debilitatos & confractos. Idque fuit certissimum præsagium Crispi ad Cæsarem de reip. Romanæ excidio: *Ego*, inquit, *sic existimo: quoniam omnia orta intereunt: qua tempestate vrbi Romanæ fatum excidij aduenitarit: ciues cum ciuibus manus conserturos: ita defessos & exangues Regi aut nationi prædæ futuros. Aliter non orbis terrarum, neque cuncta gentes conglobatæ, mouere aut contundere queant hoc imperium.* Sicut nauis compactis & coniunctis tabulis, infinita propemodum maris pericula, syrtes & cautes superat & vitat: at vbi tabulæ dissolutæ sunt, per rimas & fissuras seu commissuras, paulatim aqua ingrediens in profundum, & ipsam & vectores & nautas demergit: & sicut modicæ commissuræ, aquæ dant ad submersionem initium, & nisi iungantur, causam interitus: sic quoque leues ab initio causæ, Reipublicæ, nisi cito subueniatur, aut mutationem aut subuersionem adferunt. Solent autem procedere ex factionibus & seditionibus. Ita factiones fuerunt eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbive. Sic Plato recensitis victoriis pluribus obtentis de barbaris ab Atheniensibus: *Tantam*, inquam, *est nostra ciuitas victoriam consecuta, vt nunquam expugnari posse, nec ab omnibus hominibus crederetur. Et sane id verum esse visum est: neque enim aliorum viribus, sed nostris ipsorum dissidiis oppressi sumus.*

Exemplis isthæc quæ iam dixi, illustrarem; quinetiam de superbia, ambitione, cæterisque eius generis rerumpublicarum pestibus, adderem quædam, sed quia de his infra erit dicendi locus, hic pedem nunc figo.

PH. Sæpe etiam Respublicæ mutantur, cum agitur de repetundis aduersus potentiores, ac rerum gestarum rationes exiguntur; in quo genere optimis quibusq; metuendum est, potissimum in populari statu, vbi agitur de capite, de fama, de fortunis denique omnibus; quam quidem peculatus accusationem quippe quæ inconsulto quodam impetu ac furore plerumq; solet suscipi, prudentissimi quique atque integerrimi viri summo studio declinauerunt simul ac represserunt. Sic Pericles, summæ vir integritatis, & qui suas opes pro republica Atheniensium magnifice semper effuderat, ne rationes redderet, Bellum Peloponnesiacum excitauit; quod non prius finem accepit, *Repetunda aduersus potentiores.*

pit, quam omnes Græcarum ciuitatum status conuerterentur. Sic Cæsar tametsi imperandi cupidissimus esset, non tamen imperij tanta in eum cupiditas extitit, quantus erat metus, ne rerum à se gestarum rationem priuatus reddere cogeretur, vt palam aduersarij iactabant. Meminerat, Scipiones, Rutilium, Ciceronem, tametsi summa integritate ac religione rempublicam gessissent, populi tamen iudicio fuisse damnatos.

EQ. Nimirum ex isthac loliorum ac seminum in rempublicam temere sparsorum commixtione multiuaga, nascitur infelix partus, *Discordia*, extremum scilicet reipublicæ malum, docente etiam, & asserente Vegetio: *Ciuile odium ad inimicorum perniciem praceps est; ad vtilitatem suæ defensionis, incautum.* Recte: *nam in ciuilibus discordiis, haud dubie ab vtraque parte Respub. detrimentum capit.* Atque ea quidem *Discordia* oritur ab rebus, plerumque nimium lætis, & ad summum fœlicitatis gradum perductis, *Namque*, vt Tacitus inquit, *ardens est, eodem loci potentiam, & concordiam esse.* Ideo, *indicium est imminentis exitij maturitas*, vt Seneca scribit: *& appetit finis, vbi incrementa consumpta sunt.*

Discordia.

PH. Latens & occulta res est *Odium*, & ideo magis imperio exitiosa. Cum enim subditi in metu nouo propter imperantis impotentiam versantur, nun dubie singuli acrioribus odij stimulis concitantur: illi ad vindictam propter iniuriam iam acceptam; hi propter inferendam: ille *restatur gemitu graues dolores*; hic autem *exsecratur, atq. insidiatur.* ——— *Exin promitur, quod multorum tacitis questibus tegebatur.* Quid illud? nisi, quod abominor, consulta cædes?

Odium.

EQ. Certe, *frustra terrore se succinxerit, si septus caritate non fuerit.* Deniq; sentiet *multorum odiis nullas opes posse resistere.* Imo, *nullam vim tantam esse, quæ premente odio ac metu possit esse diuturna.* Et sane proximam ad mutationem vel euersionem reipublicæ, *Discordiam*, atque *Odium*, proximum esse gradum, exempla vbiuis loquuntur.

Producatur imprimis ipsa ROMA, quæ priusquam ad vnius arbitrium delata esset, infinitas incredibilesque passa fuit clades, atque calamitates per domestica dissidia, diuersasq; partes Cæsaris, & Pompeij, quibus è medio sublatis exarsisse etiam Remp. factionibus Triumuiratus, nemo non nescit. Animaduertit hoc CÆSAR, cuius apud Sallustium legitur vaticinium hoc: *Ipse existimo*, inquit, *quoniam orta omnia intereunt, qua tempestate Vrbi Romanæ fatum excidij aduentauerit, ciues cum ciuibus manus conserturos: ita defessos & exsangues Regi, aut nationi prædæ futuros. aliter non orbis terrarum, neque cuncta gentes conglobatæ mouere, aut contundere queant hoc Imperium.*

Quid in Græcia? nonne dissensionibus quoque ciuilibus pessimum publicum sustinuit, maximasque clarissimarum vrbium euersiones, exorto Peloponesiaco bello exitiali?

CARTHAGO etiam, quæ ante Romanis semper formidabilis, [illegible] eadem causa in ruinam acta est?

Quid

Quid GOTHARO Noruegiæ regi dedit animum Danos inuadendi, nisi dissensus ille, quo capitaliter à suo Regi diffidebant?

Quid quoque Turcam HVNGAROS aggredi incitauit, nisi dissidia ciuilia, quibus irretiti defensiuum (vt Bonfinius inquit) quam offensiuum bellum gerere constituerunt?

Ac vt magnis & dissitis minutas, & vicinas vrbes nectam, scimus superiori æuo, DIONATENSES atque BOVINOS, tametsi ante inuictos, propriis tandem dissidiis ab *Philippo* Burgundo suppressos fuisse. Sed non est, cur diutius hæc firmem exemplis, aut illustrem. Testes sunt Germaniæ, Galliæ, Belgicæ ditiones, atque adeo proh dolor Europa, quæ mutuis dissidiis iam diuulsa decumanas pœnas sustinet à fero illo & capitali Christianorum hoste, quem nisi viribus conglobatis Principes oppugnent, verendum certe, ne nos in exosam redigat seruitutis conditionem, sed enim sic viuimus, quemadmodum de suo æuo scribit Pomponius lætus: *Mali dæmones sic implicuere mentes nostras, vt relictis viris hostibus, quos longa pace frui permittimus, in nos nostrorumque membra armatas & sanguinolentas conuertamus manus.*

I.H. Odium sane è discordia natum, graue quidem est ac virulentum, at *Contemptus* longe grauius, lethaliusque. Quod enim oleum flamma, sulphur incendio, flagellum Furiæ, hoc *Contemptus*, vbi Odio semel dextram dedit. Istud enim clancularium est, & proinde minus audax: at ille, aperte faces præfert ad audendum, & facit, vt quo plurimum retinetur osor, metum excutiat, & non cogitet iam, sed audeat, & attentet. Grandis ergo Imperatorum pernicies *Contemptus*, & odio (quod dixi) validior: *Contemptus.*

Potissimum autem oritur, aut ex *Forma Imperij*, aut *Moribus imperantis*.

I. *Moribus*, si nimirum libidini, lasciuiæ, temulentiæ, ignauiæ deditus sit. *Qui enim voluptuariam vitam traducunt*, inquit Aristoteles, *ij certe facile despiciuntur, multasque dant impetui faciendo opportunitates.*

II. *Forma* vero *Imperij* fit Contemptus, si nimis remissa, & assidue lenis. Cum enim Princeps plus æquo indulgentior est, non dubie *fiue deteriores reddit*: nempe, quia *euadunt ad maius malum per impunitatem*; *quotidieque ad maiora facinora prosiliunt, audaciaque nutrietur.* Nam, quis eum, quæso, metuat, ac potius vereatur; *apud quem conditum, imo constrictum ferrum est?*

III. Adhæc, si magnos honores subditis, eosque diuturnos conferat. *His enim talibus deteriores fiunt, & ferre secundam fortunam non omnes possunt.* Breuiter iuxta, ac vere Dio: *Longiora, ac diuturniora Imperia multos attollunt, & ad res nouas impellunt.* Oraculum igitur puta; *Nihil tam vtile, quam breuem potestatem esse, quæ magna sit.*

IV. Rursum, Contemptio incumbet Principi, si ex aliorum arbitrio Rempubl. gerat, & quasi precario imperitet. Hoc enim est, *vim principatus resoluere.* Namque, *ea demum est imperandi ratio, vt non aliter constet, quam*

si vni reddatur. Itaque, *contemnuntur ij, in quibus nullus labor, nulla industria, nulla cura est.*

V. Par causa fit, motum neglectus: *Incompositio enim corporis*, vt ait Augustinus, *inaequalitatem indicat mentis.*

VI. Vt vt familiaritas nimia: *Dum enim nimia seruatur humilitas* (ait idem Praesul) *regendi frangitur auctoritas.* Quae tamen, Principi nihilo segnius seruanda, quam vita *Nihil enim potestas Regum valet, nisi prius valeat auctoritas*; qua de re alibi dictum.

VII. Denique, ad despicientiam inducunt fortuita quaedam: qualis, casus aduersi. Quod indicat Caesar: *Res aduersa*, inquit, *auctoritatem Imperatorum imminuunt.* Orbitas, Valetudo infensa, corporis vitia, & eiusmodi minuta; sed, *ex quibus magnarum saepe rerum motus oriuntur.*

Respublica animal immortale. PH. Vera est illa vetustissima sententia, (quam citat Franc. Patrit. *lib. 5. de repub. tit. 2.*) qua dicitur, Rempublicam esse diuturnum atque immortale animal, quod nunquam occidit, nisi ipsi vim afferat, mortemque sibi consciscat. Vim autem sibi ipsi affert contentionibus atq; dissidiis. Suntq; ruinae ciuitatum talia vniuersaliter initia: vt primum orbatae ciuitates vel gentes sapientibus gubernatoribus, tumultuentur inter sese vel irritent alios, vt Salomon *Prouerb. 29.* inquit: *Cessante Prophetia dissipabitur populus.* Vocat enim Prophetiam, felicem & salutarem gubernationem: vt post Elisaei mortem non multo plus centum annis durauit regnum Israel, agitatum assiduis seditionibus. Deinde sequuntur seditiones: in quibus sunt diuersae factiones: & quaeruntur diuersi duces. Et cum in his certaminibus vtrinq; labefactatae sunt vires; postea vel sine externis hostibus dissipantur, vel opprimuntur ab externis hostibus, vt tristissima omnium aetatum exempla ostendunt.

Graecae ciuitates seipsas euerterunt moto bello Peloponnesiaco & sacro, post pulsum exercitum Xerxis.

Mutationis in vrbe Roma exordium sumptum est à bellis ciuilibus Marij & Syllae, Iulij & Pompeij.

Initium postremae aetatis in populo Dei ante Christum natum extitit à contentionibus & dissidiis summorum Pontificum: qui cum atrocibus caedibus & odiis dimicarent de Pontificatu, attraxerunt reges Syriacos, & paulo post, illis regibus sublatis Romanos.

Romana Monarchia intestinis bellis corruit, cum multi Imperatores passim eligerentur, dimicantes inuicem de Imperio.

Imperium Occidentis primo discordiis successorum conuulsum, paulatimque velut neruis incisis ac solutis compagibus inclinatum ad ruinam, postea exterarum gentium impetu ac violentia grauius impulsum, pene corruit, his per ruinas inuolantibus, & rudera diripientibus, nemine prohibente: imo consternatis omnibus ac trepidantibus.

Cum

Cum domesticis bellis & seditionibus eneruatæ atque in contemptum adductæ essent vires Constantinopolitanæ: initio commoti sua sponte, deinceps etiam inuitati & acciti ex Asia Turci, ex Europa Hispani & Itali, iiq; diuersi & inter se diffidentes, Veneti, Pisani, Genuenses, Florentini, vno quasi impetu in reliquias miseræ dilacerandas incubuerunt: donec Turci, oppressis per partes, Palæologis, Seruiis, Bulgaris, Hispanis vero & Italis exclusis, Græciam omnem edomuerunt.

EQ. Hi nimirum sunt insignes illi dissidiorum intestinorum fructus. Prudens itaque illud Scipionis de non delenda Carthagine fuit consilium. Capta namque Carthagine deliberatum olim fuit Romæ in Senatu: vtrum vrbs deleri deberet necne? Suasit Cato, delendam esse: sed hoc dissuasit Scipio: & addidit causam: non tollendam esse æmulam imperij: ne, ea sublata deesset, quæ lacesseret & exerceret milites Romanos. Futurum enim vt milites, deficientibus externis bellis, mouerent bella ciuilia, patriæ perniciosa.

PH. Imperium Turcicum iam tantum stat sua mole: quia non habet parem hostem externum: Si concidet, concidet dissensionibus familiarum Imperatoriarum, quarum hodie adhuc quinque sunt. Sed decederet Ottomanica, sine dubio reliquæ de Imperio decertarent.

EQ. Sapientes existimant, Ianizaros euersuros tandem esse regnum Turcicum, exacta fatali periodo regni Turcici, de quo videri potest Leonhardus Rauwolffius, Doctor Medicus *in Itinerario*, & Camerarius *Oper. succis. cent. 2. cap. 24.*

TH. Ergo Principes Christiani, positis dissidiis, & leuibus irarum incitamentis, arma quibus eorum ergo inter vos sæuitis, & Europam metu iam completis, in immanem illam, & feram belluam conuertite, tot eius cruentas de patribus vestris reportatas victorias cogitate, miserorum Christianorum CHRISTI sanguine redemptorum præduram seruitutem attendite, fletus amaros, & iuges eiulatus audite, sanguinolenta eius in vos consilia frangite. Quandiu seueritati eius, ac potius tyrannidi indormieris? excitet, excitet vos, ô Principes, & moueat longe, lateque fusum eius Imperium, quod nisi communi repagulo contineatur, & confringatur, plus plusque in dies serpet, & in ditiones aliquando vestras (quod Deus ille auertat) protendetur. Non arma, non vires desunt, modo postpositis simultatibus, firma inter vos stabiliatur societas.

EQ. Prosequamur infelices quos diximus partus; Discordiam & Odium diximus; vnde Contemptus; ex quorum vtrobique coitu ac facili conceptu dimanant subito. *Insidia*, atq; *Coniurationes*. Quæ quidem tanto diligentius, ac solertius præcauendæ, quanto minus præuidentur. Verum enim est, *aperta odia, armaque palam depelli: fraudem, & dolum obscura, eoque ineuitabil.a.* *Insidia. Coniurationes.*

Sed qui potissimum illas machinentur, videamus. Comperimus interdum hos, *qui turbatis rebus alacres sunt*, hoc est, *quibus afflicta fides in pace*, siue, vt Historicus inquit, *quibus quies in seditionibus; in pace turba sunt*. Siquidem isti, *honores quos quieta Republ. desperant; perturbata, consequi se posse arbitrantur.*

Amplius, *qui fortuna inopes, & moribus turbidi sunt.——Ita se res habet, vt publica ruina quisque malit, quam sua proteri, & idem passurus minus conspici.* Quid quæris? *odio suarum mutare omnia student.*

Postremo, arrogantes, elatos, præpotentes, & ambitiosos ministros: *Etenim insidiosa aduersus Principes coniuratio, non est ex infimi sub ellij hominibus. sed ex generosissimis, & iis, qui animi magnitudine, & confidentia valent, propterea quod tales imperantium sibi contumelias, & insolentiam minime ferre possunt.* Adeo quod Agrippa dixerit, *fieri non posse, vt vir animo sublimi, ac magnis spiritibus praditus, libertati cupidine non ducatur Dominumque omnem oderit.*

Proditio. Quibus agnata *Proditio* est, occulta illa molitio, si non in Principem, at in eius res, & facultates. Grande profecto, & periculosum malum, & nihil perinde noxium Rebuspubl. & Imperiis euertendis. Cum enim omnem perfidiam proditor tacito sinu alat, vrbes, arcesque quamlibet munitas, nullo negotio deserit, consilia Reipubl. optima hostibus detegit, adeoque imperium ipsum,

——*Quod mille Ducum peperere labores,*
————*angusto tempore vertit.*

Verum, qui maxime in hoc perfidiæ genus propendeant, operæ est examinare.

Video imprimis auaros: quorum animus vbi se cupiditate deuinxit mala, necesse est, vt Terentius inquit, consilia consequi consimilia. Asserit in re nostra Tacitus: *Vbi magnitudo quæstuum spectatur*, inquit, *raro fides integra manet.*

His proximi sunt improbi, & sequioris vitæ homines. Quippe, *in turbas, & proditiones pessimo cuique plurima vis.*

Adhæc occulti, & versipelles. *Neque enim fidum esse potest multiplex, & tortuosum ingenium.* Enimuero, talia ingenia plerunq; *fidem* in paruis *simulant, vt maiore pretio te prodant.* Nempe, magna fallendi species.

TH. Rem in pauca contraham. Causa principalis interitus vrbium, populorum & regnorum est, quod malitia eorum ascendit coram Domino, inquit Dominus ad Ionam *cap. 1.* Quemadmodum etiam de Sodomitis dixit Dominus: *Clamor eorum venit ad me*, Genes. 18. *Ob iniquitatem enim commouetur terra, & luget habitator eius*, Amos 8. *Oculi Domini super regnum peccans*, Amos 9.

Malitia hominum est causa ruina rerump. Testantur id exempla diluuij, Sodomorum & Gomorrhæ & aliarum vrbium & regnorum florentissimorum. Eamque ob causam nec emporiis parcit, sicut docet exemplum Niniues, Tyri, Sidonis, Babylonis, de quarum vrbium interitu Prophetæ vaticinati sunt. Quia vultus Domini super facientes

mala,

mala, vt perdat è terra memoriam eorum, *Psal.* 34. Cuius ira humano consilio aut machinis auerti minime potest. Accipiuntque causæ euersionum rerumpubl. originem accipiunt à nobis ipsis; vitiis, inquam, nostris, quæ viam Necessitati, seu Prouidentiæ diuinæ ab æterno illi præuisam pandunt. Quid? annon *regna de gente in gentem transferuntur propter iniustitias, & contumelias, & diuersos dolos?* transferuntur sane: & exemplis firmabimus, maximum illum regnorum Architectum ob offensas, & scelera hominum, Ciuitates, Prouincias, Regna ipsa alienigenis dedisse; dedisse autem? imo & euertisse, nonnunquam terræmotu, incendio, animalibus virulentis, aut pestilentia, aliis denique modis & rationibus (*enumerare enim omnes Fatorum vias longum est*) quibus impios punire solet, ac tollere.

EQ. Vanissimi itaq; sunt qui principatuum euersiones ad nescio quæ cœlestia fata referunt, naturam videlicet, & Posituram stellarum. An ignorant, *sicut lutum in manu figuli, sic nos*, & regna ipsa, *in manu Domini?* Ille est, qui *in misericordia disponit omnia*: ita quidem, vt *nec iracunde, nec vindictæ cupiditate, nec præter meritum, neque nocendi causa quidquam horum faciat: sed instar medici, & curatoris, & parentis, & ad maximam vtilitatem nostram, & (quo vno verbo rem complecti totam licet) pro sua diuina bonitate.*

Quid de pulcherrima vrbium HIEROSOLYMA? quomodo vastata, excisaque fuerit à Romanis Imperante Tito, nemo quisquam est opinor tam infans à lection qui nesciat. Verum, ea instaurata, & habitari iussa ab iisdem Romanis, quadraginta nimirum vel circiter annis post eius excidium, ab Hadriano fuisse iterum rebellantibus Iudæis solo tantum non æquatam, atque adeo omnem fere Iudæam, testis est oculatus Iosephus: *Pauci*, inquit, *admodum eu asere, & à cæde superfuerunt. Arces eorum quinquaginta celeberrimæ dirutæ sunt. Vici ad nongentos, & octoginta quinque, qui sane frequentes, & nominatissimi erant, direpti & mox igne consumpti sunt. Viri in excursionibus, & præliis ipsis ad quinquaginta millia cæsi fuere, fame, morbis ac igni ingens multitudo absumpta est. Ita omnis fere Iudæa ad internecionem pene deleta est.*

PH. Quam Imperia ac Respubl. mutationibus, & diuinæ illius obnoxiæ sint necessitati, facinora nulla inulta sinentis, clare omnino testatur *Isocrates* Orator ille Græcus: *Quamplurima*, inquit, *sunt exempla, quæ docent, nedum priuatas res, sed etiam publicas frequentissimis mutationibus esse expositas. Nam & nos vastata à barbaris Vrbe (Athoniensi) ob cautam, & diligentem rerum administrationem, Principes Græcorum euasimus: cum autem nos potentia esse præditos insuperabili putaremus, vrbis excidium vix euitauimus. Et Lacedæmonij ex obscuris olim, & paruis oppidulis progressi, vitæ modestia, & disciplina militari Peloponnesum subegerunt: post autem fastu, & superbia elati, cum terra, marisque Imperium adepti essent, eadem qua nos discrimina subierunt. Quisquis igitur huiusmodi mutationes non ignorat, & cum tantas opes tam subito euersas videat, præsenti statui tamen confidit, incogitans est, &c.* En rerum vicissitudo Superbia.

situdo non tam Oratoris, quam Vatis penicillo depicta: pro qua etiam Iustinianus: *Quid enim est,* inquit, *tam stabile inter homines, & ita immobile, vt nullam patiatur mutationem?* præsertim vbi fastus, arrogantia, fraus, iniustitia, ceteraq; vitia sedes in Imperio sibi ponunt. De Troiæ excidio canit Poeta:

——— ——— Ceciditque superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia.

Istæ, inquam, istæ præclarissimæ vrbes, quæ maximorum Regum, ciuium potentissimorum domicilia erant, iam ferarum cubilia sunt; præter parietinas, videbis nihil.

De Babylone quid dicam, tali ac tanta vrbe? Super ea sic Nabuchodonosor eius conditor gloriabatur: *Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum Regni?* hæc autem tempore Alexandri Magni, aut paulo ante concidit, à Persis nimirum capta & subuersa. Hoc tempore adeo diruta est, vt qui nouissime eius inspector fuit, dicat præter ruinas nihil apparere, vt vero simile sit, inquit, diuino consilio ob aliquod grande flagitium euersam esse.

TH. Harum itaque conuersionum, vel euersionum potius Deum Opt. Max. auctorem esse, qui iusto suo iudicio, impunita non sinit atrocia scelera, quorum maxime familiam ducunt Iniustitia, & Superbia, in confesso est, & testatur Sirachidis Oraculum: *Propter iniustitias,* inquit, *& diuersos dolos transferuntur regna de gente in gentem.* & Isaiæ: *Quoniam defecit, qui praualebat, consummatus est illusor; & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem.* Et NABUCHODONOSORI minatur Deus: *Tibi dicitur Nabuchodonosor, Rex, Regnum transibit à te, &c. donec scias quod dominetur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.*

Ita & regnum ISRAEL sustulit propter varia delicta, in Assyrios, populo translato, & relicto tantum populo Iudææ sub Rege suo. Quemadmodum etiam dicitur de extremo Imperio Hebræorum: *Non fuit Ciuitas, quæ se non traderet filiis Israel præter Heuæum, qui habitabat in Gabaon. omnes enim bellando cepit Iosue. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Israel, & caderent; & non mererentur vllam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Dominus Moysi.*

Similiter euertit Deus MACEDONVM Imperium propter immania flagitia, & scelera quibus scatebant Macedones, vt & ÆGYPTIORVM, ob prodigos reges, probrososque, & stupris, aliisque vitiis commaculatos:

——— ——— Nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.

EQ. Extant alij quoq; alicunde immissi interitus Rerumpublicarum, atque principio, qui incendio contingunt. *Sunt* enim inquit Sirachides: *spiritus* *Incendia.*

ad vin-

ad vindictam creati, ignis, grando, fames, mors, bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & romphaea vindicans in exterminium impios.

CONSTANTINOPOLI tempore Leonis Imper. quo tempore incredibilibus vitiis, ac sceleribus laborabat, tantum exortum fuit incendium, vt vniuersam Vrbis tum publicam, tum priuatam magnificentiam miserabili, & horrendissimo spectaculo in cineres redegerit, flammis durantibus in quartum vsque diem, quae nulla ratione ipso eo tempore extingui potuere.

NERONIS vero aetate tantum incendium VRBEM inuasit, vt è quatuordecim regionibus quatuor modo intactae manserint, tres enim solotenus deiectae, è septem reliquis pauca tectorum vestigia supererant lacera, & semiusta. Postea vero sub *Tito* Imp. incendio è terra oborta Serapidis, & Isidis fana, septa, Templum Neptuni, Thermae Agrippae, Diribitorium, Theatrum Balbi, Scena Pompeij, Octauiae Porticus cum Bibliotheca, templum Iouis Capitolini, cum fanis vicinis igne consumpta periere.

Quinetiam *Terramotus*, magna mehercule diuinae vindictae scutica. Quoties, ait Seneca, ASIAE, quoties ACHAIAE vrbes vno tremore ceciderunt? *Terramotus.* quot oppida in Syria? quot in Macedonia deuorata sunt? Cyprum quoties vastauit haec clades? quoties in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum vrbium interitus.

Nec abit à vero Seneca En quatuor vrbes Asiae, tres Galatiae, duas Graeciae, terraemotu subuersas, quid, quod in Sicilia praeter vrbes plurimas 25000. hominum prostrauit.

In SYRIAM deflecto, quam totam haec ipsa clades sic concussit, vt multas vrbes, & oppida infinita dirueret funditus, maxime autem circa Ciciliam, Isauriam, & Coelosyriam. Nam in Sicilia Mamistram cum multis opidis solotenus prostrauit, Mareslamque deiecit cum suburbiis, ita vt quorundam vix etiam restarent vestigia. Quatiebantur turres, & moenia, maioribus aedificiis periculosius ruentibus, fiebat populorum strages infinita, & ciuitates amplissimae, quasi agger lapidum constitutae, tumulus erant oppressorum, & contritis habitatoribus vicem praestabant sepulchri. Fugiebat plebs, mente consternata, habitationem vrbium, domiciliorum ruinam formidantes, & dum sub dio requiem sperant, timore concussi somnos interrumpunt, oppressiones quas vigilantes timuerunt in somnis perpessi, nec erat hoc tam ingens in vna tantum regione periculum, sed vsque ad extremos Orientis fines haec pestis late se diffudit.

TH. Horret animus tantarum cladium imagine, & tamen nimio plures sunt in veteri memoria si quis disquirat. Verum hic interius ago, & stylum delabi patior ad alium calamitatis calicem, è quo omne genus morborum, cladiumq; nobis propinant, Deus Opt. Max. qui *non fineret, malum,* vt D. scribit Augustinus, *nisi ex malo sciret eligere bonum.*

Scri-

Pestilentia. Scriptum nobis reliquit Zonaras pestilentiam sub Gallo, & Volusiano Impp. tantam in ÆTHIOPIA exarsisse, vt omnes Romanorum colonias per quindecim ipsos annos exhauserit.

In GRÆCIA vero tempore Michaelis Ducæ, tam funesta, lateq; patens pestis fuit, vt viui prorsus non essent pares mortuis sepeliendis.

Ranæ. Iam in PÆONIA, SARDANIA, quid dicam? ranis in ea regione ita pluit (si fides veridico scriptori) vt præ multitudine illarum, & fœtore, nouas sibi quærere sedes incolæ cogerentur, quod & de ATTARIOTIS testatur Diodorus Siculus.

Florens illa, & inclyta BABYLON nunquid cubile facta est immundorum animalium? Audi oraculum: *non habitabitur vsque in finem, & non fundabitur vsque ad generationem, & generationem, nec pones ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi: sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi, & respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & sirenes in delubris voluptatis: prope est, vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.*

De PHARAONE, populoque ÆGYPTIACO nunquid supplicium sumpserunt ranæ, muscæ, locustæ?

Denique plures vrbes, vrbiumq; incolas ab animalibus vexatas memorat Plinius ex M. Varrone: Nimirum *à cuniculis suffossum in Hispania oppidum; à talpis in Thessalia; ab ranis ciuitatem in Gallia pulsam; ab locustis in Africa; ex Gyario Cycladum insula, incolas à muribus fugatos; in Italia Amyclas à serpentibus deletas; & citra Cynamolgos Æthiopas late desertam esse regionem à scorpionibus, & solpugis gente sublata; & à scorpionibus abactos Trerienses auctor est Theophrastus.*

Plura eiuscemodi exempla dinumerare piget, quibus liquidum est, Conditorem illum generis humani, vim quandoque suam in mortales, & mortalia omnia exercere, quod videmus dum è mapalibus maximas mox vrbes, & Imperia suscitat, rursumque ista ad interitum perducit, idque quando illi placet, cui scilicet nihil iniuste placet.

EQ. O quam curuæ, & obstipæ mentes (quod denuo sciens repeto,) qui Imperiorum, Vrbium, Rerumpubl. mutationes siue etiam euersiones ad sidera nescio quæ cœlestia referunt, nō ad eum, qui cœlum, mare, terras, quæque in eis sunt omnia, diuersimode quidem, non ipse diuersus, mouet gubernatque! Siquidem si naturali corporum cœlestium influentia fierent, & soluerentur Principatus, & Respubl. certis modis fierent eiusmodi mutationes, & eodem modo: at illæ variis modis, & fiunt & dissoluuntur. Itaque non naturali influxu. Quin reprehendit Deus Babylonem, quæ ex calculis Astrologorum perpetuum Imperium sibi promittebat, Esa. 37. *Sta*, inquit, *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum*

tuorum

tuorum: flent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos, non liberabunt animam suam de manu flammæ, &c.

TH. Sufficiat nobis, hæc libasse, & digito ostendisse, inuerti, tollique Imperia, & Respubl. per vim maiorem, Deum inquam ipsum, Dominatorem omnium, *qui nõ veretur magnitudinem cuiusquam, qui balteum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorũ*: quippe pro absoluta sua volũtate, interdum & per causas secũdas, res eas inuertit, immo quandoq; euertit, in quib. fœlicitatẽ non pauci praue ponunt: fluxam (dico) potentiam rerum terrenarum. Vere fœlices, quibus post Dei laudem, vnicum votum est Salus populorum. Illud enim est, ô Principes, quod ad æternam, & nunquam deficientem Monarchiam vos perducet, vbi *Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui solus habet immortalitatem*, viuit. & regnat cum sanctis ciuibus in pace, & gaudio.

PH. Quod maximum est, cum (vt inquit Arnobius lib. 2. aduer. Gent.) rationibus fixis peragantur res Dei; & quod semel decretum est fieri, nulla possit nouitate mutari, proinde finito, qui à Deo ipso statutus est, termino, nemo hominum protelare eundem potest, & quod Petrus Gregor. Tholos. inquit, nemo potest sibi tollere successorem tanquam fato destinatum. Exempla extant passim: Verus Cęsar cum de morte Auidii Cassii cogitasset, qui postea fuit Cæsar, & Marco de eo scripsisset: respondit Marcus: Si ei diuinitus debetur imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proaui tui (Adriani scilicet) dictum: *Successorem suum nullus occidit*, vt scribit Vulcatius Gallicanus in vita eius. Similiter, cum multa prodigia facta fuissent, quæ mortem Neronis denunciare declarata sunt ab Haruspicibus; ipse tanquam futuros infensos trucidabat, donec à Seneca monitus est: *licet quamplurimos occidas, non potes tamen successorem tuum occidere.* Vide Xiphilinum ex Dione *in Nerone*. *Fatalia non sunt alia.*

Cambyses Cyri filius admonitus in somniis, quod Smerdis post eum successurus esset; putans sortem eludere, curauit fratrem suum Smerdin interfici: tamen non euitauit, quod decretum erat. Nam alius magi filius, Smerdin se dicens, ei successit.

Saul voluit sæpe Dauidem necare, suspicatus tanquam meliorem, & à Deo electum regnaturum: sed non potuit.

Salomon voluit interficere Ieroboam seruum suum seu præfectum tributorum, eo quod intellexerat, illum regnaturum in decem tribubus post mortem suam, ex prophetia Ahiæ Silonitis prophetæ: sed non potuit. Dominus enim ita decreuerat ob peccatum Salomonis.

EQ. Memorat Sabell. c. *l. 2. emend. 1.* Pharaoni prædictũ fuisse: vnũ ex gente Iudæorũ nasciturũ, qui Ægyptũ magnis cladibus afficeret: idque per Sacerdotem Ægyptiacum, incertum an spiritu afflatum diuino, an vero edoctum aliquo oraculo. Cuius metu rex iussit omnẽ natũ masculum ex Hebræis necari.

TH. Solet Deus futuras proximas mutationes rerumpub. plerunq; [illegible] re vel signis, vel prodigiis, vel prophetiis, vel aliis modis, prout sapientiæ eius incōprehensibili expedire visum est: vel ad admonitionē mortalium, vt resipiscant & ad Deum conuertantur, vt euadant iram eius: vel vt parati sint ad patientiam, tolerantiam, & aduersus tela futura, quæ præuisa minus lædunt: vel vt fugiant à loco, vbi hæc mutatio imminet. Non enim fiunt mutationes illæ regnorum & formularum gubernandi, vel occupationes tyrannicæ, vel principum expulsiones, sine maxima calamitate cædium & omnis generis malorum. Deditq; Deus significationem dilectis suis, vt fugiant à facie arcus, *Psal. 9. v. 6.* Vel singulari illorum prouidentia, eos quos diligit, inde subtrahit: vel in alia loca eos, etiam illis non cogitātibus transferendo: vel ex hoc seculo ad meliorem vitam ante miseriarum tempus rapiendo. Sic in Sodomorum [illegible] etiam velut inuitum inde exire fecit Loth cum filiabus. Et imminente diluuio, iussit intrare Noam cum liberis & vxore arcam. Sic reuelauit Deus prædixitq; per Danielem, futuram Persici regni euersionem, & inclytam Alexandri Magni victoriam, per visionem Arietis & Hirci, aliaq; edocta mysteria.

Regni Gallicus Fatalia

EQ. Meminit Aymonius *lib. 1. de gestis Francorum c.* 8. de quodam vaticinio Bassinæ, Bassini regis Thuringorum vxore, quæ relicto marito nupsit Childerico regi Francorum adhuc pagano: quod videretur nostris temporibus, [illegible] rum esse, finem minari regno Gallicano. Cum enim Bassina prima die [illegible] conuenisset cum Childerico: admonuit vt à thoro coniugali illa nocte abstineret: & rogauit, vt ante foras palatii exiret, & quæ vidisset, sibi renunciaret. Is autem vidit primum foras magnarum formas bestiarum veluti deambulantium, pardorum scilicet, vnicornium, leonū: quibus perterritus ad coniugem rediens commemorat visa. Illa bono animo esse eum imperauit: & vt secundo ac tertio id faceret, edixit. Quare iterum reuertenti regi apparuerunt vrsorum luporumq; circumcursantiū imagines. Tertio quoq; regressus aspexit canum figuras, minorumque animalium, se inuicem lacerantium. Quorum visiones Bassina sic ei interpretata est: esse præsagia morum futurorum successorum. Nostro, inquit, qui primus surget à semine, filii censebitur nomine, [illegible] rit potentiæ: quem leonis & vnicornis conspexisti in specie. In figura [illegible] & vrsi, signātur eius posteri, virtute prævalidi, rapinæq; auidi. At canis [illegible] impatiens, meliusq; virtutis sine ope humana esse prævalens, eorum [illegible] ignauiam, qui vltimis in seculis huius regni potiētur sceptris. Porro minorum turba animaliū, semetq; inuicem lacerantium, populus est sine timore principum. Qui dum regni primorib. mutuo sese odio impugnantibus [illegible] attētius: variis sese implicat causarum tumultibus: dumq; proceres [illegible] sese moliūtur priuare honoribus: illis ignobile vulgus fauendo, [illegible] numero cędibus. Hęc sunt ipsissima verba vaticinii. Iudicet aūt, (vt [illegible] Gregor. Tholos. *l. 21. de Repub. c. 3.*) qui voluerit, num hæc cōueniant [illegible] bus: & si existimet conuenire, det operam, si in eius est potestate, vt [illegible]


prior ætas. Quod ad me attinet, nihil possum certi proferre: scio tamen, quod in mentē venerat an. Dom. 1537. quo tēpore Lutetiam inuisi primū, vt coronationi Henrici III. de regno Poloniæ & Polonicis legatis ibi existentibus faciendæ interessem: dumque contemplarer statuas regum Galliæ in Palatii Parlamenti aula dispositas; viuente adhuc Carolo IX. cuius statua erat in vltimo angulo aulæ, iuxta & retro aulæ egressum: venit, inquam, in mentē, nullum locum intra illam aulā superesse, quo recipi posset futuri regis imago, nisi alius ordo inciperetur: aut extra portam poneretur: tuncq; cœpi quibusdam amicis virisq; clarissimis, qui mecū aderant, & cūcta velut æditui peritissimi eius palatii, ordine mōstrarāt, nescio qua opinione tunc motus, dicere. videri mihi illud quippiā male ominari Galliæ. Quid aūt contigerit post morttem Caroli IX. & Henrici III. tēporibus, nec refero, nec oportet: notiora enim sunt. Quid autem futurum sit, & Deus quoq; solus nouit: & nostrum non est de his sententiam ferre. *Hactenus Petr. Gregorius Thol. lib. 21. de Repub. cap. 3. fol. 1290.*

PH. Nimirū in orbe viuimus rotūdo, eiusdē ergo facilē nobilitatē non est quod miremur, iactāda itaq; est alea, ita tamē, vt fixā vbiuis in Deo spē propositā habeamus, quippe qui ex tristissimis rerū facieb. lætissimā sæpenumero facit catastrophen. Cantabit intetim Princeps pius illud Psalmistæ: *Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circūdabit me. Verūtamen Deus redimet animam meam,* Ps. 49 Et illud: *Ecce, qui elongant se a te, peribūt. Mihi aūt adhærere Deo, bonū est: ponere in Domino Deo spem meā,* Ps. 73. *Bonum est* enim, *confidere in Domino, quam confidere in homine: Bonum est sperare in Domino, quā confidere in principibus, Fortitudo & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutē,* Ps. 118. *Viriliter agite,* inquit Ezechias Rex: *nolite timere. Nobiscū est Dominus Deus noster, qui auxiliator est,* 2. Par. 32. *Credite in Domino Deo nostro,* (inquit Iosaphat,) *& securi eritis; credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera,* 2. Paral. 20.

EQ. Fortem virum, (inquit Ioh. Iouianus Pontan. *l. 2. de fortitudine, pag. 77.*) quem iure virū dicimus, difficilima quæq; ac maxime calamitosa probāt. Nihil potest tā acerbū cōtingere, quod non æquus animus tolerādo maturet. Nihilque tam angustum, in quo nō euagari animus suapte natura liber queat. Ferre igitur, non culpare, debet vir princeps infaustas eiusmodi metamorphoses quas mutare non potest: *Rebus & in dubiis præsentem ostendere vultum*

Obuiaq; intrepido damna subire pede.

Cantat gallus gallinaceus inclusus calatho; deuorat pisces Delphinus etiam tū cū reti implicitus captusq; extrahitur; nihil vtrobiq; remissiores facti. Qui ergo homo, Princeps præsertim vt non deiiciatur animo, par est. Iugurtha, regno amisso, Romā captiuus ductus, ad carceris ostiū etiā iocatus dicitur. Carolus Malatesta victus captusq; à Philippi Mariæ Mediolanēsis ducibus admirabilē in captiuitate præ se gessit animi firmitatē. Alphonsus rex Neapolitanus, nō animū modo generosū, verū et iā regiā dignitatē captiuus retinuit. Sed nolo coaceruare plura exēpla, quippe quorū pars aliqua supra etiā à nobis allata est.



APHORISMVS XII.

PRINCIPIS AVRES ADVLATORIBVS calumniatoribusque patulæ haud sunto; quippe, qui illorum oculos malitiose perstringunt..

12. AVersare adulatorum pellaceis sermones, vt coruorum rapaceis mores. Illi nanque corporis effodiunt oculos, isti autem animę hebetant cogitatus, cum non permittant perspicere rerum veritatem: vel enim cōmendant nonnunquā quæ reprehensione digna sunt, vel reprehendūt plerunque quæ omni laude sunt maiora: vt de duobus alterum ab ipsis committatur, vel prauorū laus, vel contumeliosus bonorum contemptus..

Ἀποστρέφου τῶν κολάκων τοὺς ἀπατηλοὺς λόγους, ὥσπερ τῶν κοράκων τοὺς ἁρπακτικοὺς τρόπους. οἱ μὲν γὰρ τοὺς τοῦ σώματος ἐξορύττουσιν ὀφθαλμούς, οἱ δὲ, τοὺς τῆς ψυχῆς, ἐξαμβλαύνουσι λογισμούς, μὴ συγχωροῦντες ὁρᾶν τὴν τῶν πραγμάτων ἀλήθειαν. ἢ γὰρ ἐπαινοῦσιν ἔσθ' ὅτε τὰ ψόγου ἄξια, ἢ ψέγουσι πολλάκις, τὰ ἐπαίνων κρείττονα, ἵνα δυοῖν θάτερον αὐτοῖς ἁμαρτάνηται. ἢ τὸ κακὸν ἐπαινούμενον, ἢ τὸ καλὸν ὑβριζόμενον.

* * *

12. *ADulatorum auersare fallaces sermones: vt coruorum rapaces mores. Nam hi quidem corporis oculos effodiunt, illi vero animæ hebetant cogitationes, quum non sinant rerum veritatem perspicere. Aut enim, quæ vituperatione sunt digna, interdum laudant; aut etiam non raro, quæ omni laude sunt maiora, vituperant: vt horum duarum alterutrum ab iis committatur, nempe [illegible] aut malum prædicent, aut contumeliose bonum tractent.*

DISCVRSVS.

PII. Latissimus hic sese aperit campus in quem Adulatorū, Hypocritarum, Inuidorum, Calumniatorum, & si quæ sunt huius fecis, [illegible] rumpunt; & quam vellem turmas illas sigillatim perlustrare, sed [illegible]

intercapedo; perlustrabimus tamen, quantum id quidem per hoc interuallū licuerit, tametsi non omnia nec omnes; lustraturi aliquanto penitius infra Aphorismo XXII. vbi denuo Antesignanis quibusdam pompofis atque ampullosis agmina ipsorum ducturientibus, in hunc prodibunt campum.

EQ. Sed neque nunc carent suis quæque agmina ductricibus. Adulatio namque vexillifera, in medio Adulatorum stat nuda, quod se amabilem præbeat. peplo caput vinctum quod simplex esse cupiat. Dextra manu anteriorē partem versus gestat lancē edulijs refertam. quam intuetur; quod ventris gratia fiat, quicquid facit, sicut in Gnathone Terentiano patet. A tergo gerit læuam, quæ caudam vulpinam habet, quod gestus adulatorum exprimit. Catum circa pedes blandientem cauda tenet, quod & adulatorium sit animal & morsu noxium admodum, dein vnguibus, vnde dicimus Germanico prouerbio: Odimus catos ante lambentes, post mordentes, die Katzen so forn lecken/ hinden kratzen/ qui ob oculos beneuoli sunt, & à tergo calumniatores. En Adulationem! Hanc iuxta, Hypocritarum agmen ducit, cognata Adulationi *Hypocrisis*, eaq;: Tecta pileo sacerdotali ceu sanctimoniam præferret, & quadrata figura vult perfectionem designari. Tecta extrinsecus corpore pellicula ouina. Vnde Faustus Andrelinus: *Adulationis effigies.* *Hypocriseos effigies.*

Ne pura explicitæ credas sub imagine fronti
Raptorem occultat pellis ouina lupum.

Manu gestat pedum Monachorum, quo reconditus est ensis qualem circumferunt Monachi. Altera manu columbinam pellem inductam super accipitres, vt conspiciatur simplicitas externa, & interna rapacitas. Vult idem lupus tectus pelle ouina, pedib. astans. Pedibus stat gramine sub quo coluber latet, cauda manifestus & ore trisulco. Quod proprium Hypocritarum est, qui externis gloriantur & fulgere conantur virtutis operibus. Sed internis sunt lupi, aspides, accipitres, Homicidæ & occultissimi nebulones affectibus.

Ex altera eaque inuia campi parte atque angulo subobscuro, sese infert, Inuidorum agmen ducens *Inuidia*, eaque effœta admodum, quippe ab ipso Diabolo, post ipsius à Deo defectionem prognata, primisque nostris parentibus mox in paradiso infesta, quamobrem etiam gressu tardiusculo, valde tamen suspecto, titubat. Hanc sic describit Ouidius libr. 1. Metaph. Fab. 12.

Protinus inuidiæ nigro squallentia tabo *Inuidiæ effigies.*
Tecta petit: domus est imis in vallibus antri
Abdita: Sole carens non vlli peruia vento,
Tristis & ignaui plenissima frigoris, & quæ
Igne vacet semper, caligine semper abundet.
Huc vbi peruenit bello metuenda virago
Constitit ante domum; neque enim succedere tectis

Fas habet) & postes extrema cupide pulsat.
Concussa patuere fores: videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta suorum
Inuidiam: visusque oculos auertit, at illa
Surgit humo pigre, semesarumque relinquit
Corpora serpentum, passuque incedit inerti
Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest: nisi quem visi mouere dolores.
Nec fruitur somno vigilantibus excita curis.
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum, carpitque & carpitur vna.
Suppliciumque suum est, quauis tamen oderit illam, &c.

Et paulo post: *Vixque tenet lacrymas, quia nil lacrymabile cernit.*

Cæterum eandem quoque Inuidiam Baptista Mantuanus hoc carmine egregie depinxit:

Liuor edax tristi surgens Acherontis ab amne
Pallidus & mæsto demissus lumina vultu,
Obliquumque tuens, rebus gaudere secundis
Nescius, æra virum claris signata triumphis
Dente terens, tardoque mouens vestigia passu,
Murmure nunc tenui, nunc fulmine vocis aperto
Percutit insontes, bona, vultu, aliena, maligno,
Ingemit, aspiciens, & felle grauatus amaro
Tabescit, quocunque ierit teterrimus oris
Spiritus, agrorum virides interficit herbas.
Hac fera, Lernæo, rabies maculata veneno
Omnia depascit. Nullos innoxia nullos
Præterit illæsos: nulli mansuescit, in omnes
Inuehitur: quod agit non est sanabile vulnus.

Æri Inuidiam insculptam vidi hoc modo: Inuidia Belli mater occu[illegible] rhedam *Iniquitatem*, auriga equos *Liuor* regit, *Detractionem* hunc, alte[illegible] *lumniam*, Infaustiorum infausta rerum nomina; Pone *Inquietas* atque *Pertur[illegible] batio* sequuntur, accedente *Maleuolentia*.

Calumniæ effigies.

Superuenit Calumnia, quæ alioquin satis suo se vbiuis, cum multorum [illegible] mitu & lachrymis prodit indicio. Huius vero imaginem non longe [illegible] ab ipso Apelle, qui ab eiusdem furiis misere exagitatus fuit, mu[illegible] gitur de Calumnia, Mendacio & maledicis criminationibus [illegible] p[illegible] hanc & mystico sensu plenam edidit figuram: In solio re[illegible] dominum cuiusdam terræ designans. Hic porrigit manum do[illegible]

[illegible]

assistentibus ad vtrumq; latus ei dominantibus *Ignorantia & suspicione.* Calumnia ardentes habet oculos,& facem flammātem tenet in læua,dextra manu *Innocentiam*,hoc est,virū innocētem quendā cum crinibus trahit ad dominū. Inuidia sequitur:& pedes viri insidiosis protrudit manibus. Calūniam comitantur *Mendacium* & *Fraudulentia*, Demum à longe procul aduenit quoque domina *Veritas*, adiunctam habens dominam *Pœnitentiam.* Hanc figuram laudatissimus ille super omnes in orbe vniuerso pingendi artifices, Apelles (cum apud Regem Ptolomæum Ægypti à sycophantis falso delatus,coniiceretur in carcerem:Sed tandem vbi veritas & innocentia illius innotuisset, dimitteretur iterum)finxit,& quam pulcherrime depictam Regi obtulit: significaturus:indignari,& grauiter in insontes & fideles ministros animaduertere quosdam dominos adeo,vt locum dantes suspicionibus,calumniis,mendaciis & pestilentibus adulatorum & nequam hominum morsib. atq; detractionibus,sæpius in furore fidelissimos ministros temere & iniuste eiiciant,& interdum quoq; interficiant; sed veritate & pœnitentia insequente,contingere eis idem quod Alexandro Magno, qui felicissimum sibi cum interfecisset Clitum,hastam ex corpore iacentis euulsam pectoriq; admotam retorquere voluit in seipsum;quam etiam retorsisset, nisi aduolantes domestici è manibus ei extorsissent.Ille vero humi prostratus,gemitu eiulatuq; miserabili tota personans regia, laniauit deinceps os vnguibus, & circumstantes rogauit,ne se tanto dedcori superstitem esse paterentur;triduum insuper iacuit sine cibo,inclusus;ad moriendum obstinatus;quæ omnia recenset Q. Curtius. Cæterum in prædictam Apellis picturam, Eobanus Hessus commentatoriam eamq; valde elegantem Elegiam scripsit ad Phil.Melanthonem. Quinetiam de hoc Diabolo Mendacii & Calumniæ scripserunt quoq; Henricus Knaust. IC.Thomas Guntherus & Conradus Porta.

PH. Egregiæ scilicet agminum egregiorum ductrices. Sed enim non alios patitur natura correlatiuorum ductores. Cæterum vt de Adulatione primum dicamus; videor mihi iam videre Adulatorem ab ipsa ductrice Adulatione gnauiter edoctum, quem cum chamæleonte animali haud iniuria comparauerim. Sicut namque *Adulationis consideratio.*

Semper hiat, semper tenuem qua vescitur auram,
Reciprocat chamæleon
Et mutat faciem, varios sumitque colores,
Præter rubrum vel candidum:
Sic & adulator populari vescitur aura,
Hiansque cuncta deuorat
Et solum mores imitatur principis atros
Albi & pudici nescius.

Cæterum ad deriuationem nominis quod attinet, deriuari videtur ἀ δουλεύειν, quod est,seruire.Porro, recte etiam autores dicunt, κροκοδίζειν,

verbum adulatoribus congruere, vbi ſubblandiendo floccos, piloſque e ve-ſtibus legunt, quos vocant Græci κροκίδας, item γνάφαλα & τύλας. ex quo elegantiſſime Galenus Phreneticos ſigna commonſtrans, eſſe in iis, inquit ſtultam manuum iactationem, καὶ κροκιδισμὸν καρφολογίαν. id eſt, Crocidiſ-mum, & Carphologiam, id eſt, feſtucarum collectionem. Crocylia vero no-men ciuitatis eſt. Scribunt Græci κερκωπίζειν eſſe adulatorum verbum, [illegible] proprium, translatione tamen à brutis dicta, quæ cauda motitant, quam di-cunt κέρκον, ſubblandiri aſſueuerint: id vero noſtris literis cercopiſare recte dicetur.

Adulatorũ mores pa-raſitici. EQ. Fuiſſe iuniori Dionyſio adulatores legimus plures, quos etiam p[illegible] Dionyſicolas nominant: hi primum ſe non acute admodum videre ſi-mulabant, quia ſic afficeretur Dionyſius. Expuenti quoque faciem o[illegible]-bant, quam is conſpueret: nec ſatis, ſuperfluitates oris collambebant etiam, quæ euomuiſſet, melle dulciora videri aſſeuerantes. At Apollophanes An-tigoni adulator, illius dicebat fortunam ἀλεξανδρίζειν.

Apud Sonciates Gallorum populos Rex habet quoſdam ſecum Adula-tores Siloairos, græci euolimos vocant, qui vna ſemper aderant, ſectabantur quocunque iuiſſet: idemque faciebant, ſiue rideret, ſiue lugeret, ſeu aliqua ca-peretur voluptate, denique qui cum occumbentibus occumberent.

PH. Cliſophus Philippi Macedonis paraſitus, claudum ſe fingebat, quod Philippus crus fractum haberet, os, oculoſque idem contorquebat, quoniam huiuſmodi geſtib. dominum videbat. Nicelias cum Alexandrum Magnum à muſcis petitum videret, quanta, inquit, hæ cæteris præſtant, qui [illegible] ſan-guinem deguſtant. cum vulneratum ſemel conſpiceret, illud Homericum protulit ἰχὼρ οἷον πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι. *Qualis diuorum per[illegible] ſanguis.*

EQ. Heresbachius IC. grauiſſime monet, vt Princeps omnes [illegible] habeat, qui vbique ſtudent eſſe plauſibiles, omnibus ſente[illegible] aſſ[illegible], ſemper parati vel laudare, vel vituperare, ad alterius gratiam [illegible]: Qui in honorum exhibitione, in ſalutationibus, in opera pol[illegible], [illegible]-libus officiis vulgaribus, ſunt plus ſatis prodigi, qui quibuslibet [illegible] de-xtram ad ſex vlnas vſque porrigunt, altera videlicet panem oſtendentes, [illegible] lapidem abſcondentes. Qui nuſquam non corpus, facultates [illegible] offerunt, qui ſecreta omnia rimantur expiſcanturque, & ſimulata qua-dam ſimplicitate factiones ſubodorantur, potentioribus ſe ad[illegible], [illegible] in procerum ac heroinarum numero patronos captant, ab [illegible] emereri ſtudentes, non habita ratione, ſiue id virtute, an ſcelere [illegible] qui minores quidem Deos venerantur, ſed vt apud Iouem ipſum [illegible]-tur. Huc omnis artis ſuæ ſpecimina dirigunt, adeo vt etiam [illegible] ac catellis, quæ illis in delitiis ſunt, non dubitent adulari. Si videant Princip[illegible]

[illegible]

venationibus, aucupiis, deditum, nihil præter venationes, canes, accipitres crepant, identidem visam à se ingentem feram clamitantes. Si luxum aut splẽdorem, nihil præter gemmas bracteatasque vestes ingerunt; hæc Principe, inquam, digna vestis. Si crapulis poculisque delectari sentiant, subinde comessationes adornant, quin & ipsi quoque ebrietati vacant, atque cum ingentem pateram exhaurire Principem vident, *ô* dignum Principe haustum, succlamant. Si erga eos quos vocant Euangelicos, Princeps sit propensior, in promptu sunt in Pontifices & Ecclesiasticos conuitia. Si rursum Pontifici faueat, mox Euangelicos lacerari audias, eosq; vt seditiosos tollendos, vt hæreticos cremandos. Sic Dionysij crudelitatem adulatores iustitiam appellabãt. Assueri assentatores acclamabant, *iusta est Regis indignatio.* Breuiter, ad omnem ventum pallium, vt dicitur, subducunt huic arti vacantes. Hactenus *Heresbachius.*

PH. Anazilas (vt autor est Theophrastus) adulatores assimilabat vermib. qui triticum nacti non discedunt, donec vacuum reddiderint: sic illi apud diuites substantiam rodunt. Antisthenes eos assimilat meretricibus, quæ amatoribus omnia bene exoptant præter mentem & pudorem Cynicum Diogenem scite admodum & vere solitum dicere accepimus *κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας, id est, præstare ad coruos redigi, quam adulatoribus exponi.* Quoniam illi morticina modo consectentur, hi etiamnum viuos bonosque laniatu pestifero excarnificare non desinant. Et Anaxilas dixit, adulatores esse diuitum *σκώληκας*, id est, vermes. Cui concordat, quod extat in Æglога B. Mantuani: *Adulatoris noxa.*

Est & apud Reges rudis, inuidia, rustica turba,
Minus adulator Leno, Assentator, Adulter,
Histrio, scurra, quibus virtus odiosa poetas
Mille modis abigunt, vt quando cadauera corui
Inuenere, fugant alias volucresq; ferasq;

TH. Nescio tamen interim, quo fato seu prauitate potius fiat, vt (loquor cum Hieronymo in Epist.) naturali ducamur malo, vt adulatoribus nostris libenter annuamus: & quanquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat, tamen ad laudem suam quisque intrinsecus lætatur. Cui consentit Laertius *lib. 6.* Quo apertior, inquit, est adulatio, quo improbior, quo magis frontem suam perfricuit, hoc citius expugnat. Et Seneca 22. *Epist.* 124.

Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quę cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum & praua laudantium sermo diutius hęret, quam auditur; nec facile est, animo dulcem sonum excutere, prosequitur & durat: & ex interuallo. Igitur claudendæ sunt aures malis vocibus, & quidem primis.

EQ. Sunt tamen fueruntque quouis tempore, qui adulationibus sese inescari minime passi fuerunt. Extat huius rei Exemplum de Augusto Cæsare. Tarraconensibus pro læto ostento nunciantibus, quod in eius ara palma esset enata, apparet, inquit, quam frequenter accendatis, quod illi diis tribui volebant, ille tribuit illorum negligentiæ, qui nunquam in ara Cæsaris adolerent incensum.

Adulationibus non est dandus locus.

Laudandus etiam imprimis Macedo Alexander, qui Aristobulo historiam de suis rebus gestis sibi inter nauigandum recitanti, vbi homo adulator multa supra veritatem affinxerit, ereptum manibus librum in Hydaspen fluuium demersit, & tu, inquiens, ô Aristobule, eodem fuisses pacto præcipitandus, qui isto modo solus pro me depugnas, qui vel iaculo ipso interficias elephantos.

TH. Ego adulatores verbis S. scripturæ ita exciperem: *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus non sit mecum?* Iud. 16.

Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem: ita vir, qui fraudulenter docet amico suo, & cum fuerit deprehensus dicit, ludens feci. Prou. 26.

Homo q blandis fictisq; sermonib. loquitur amico suo, rete expadit gressib. suis. Pro. 29.

Qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Esa. 3.

Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. Eccles. 9.

In malitia sua latificauerunt Regem, & mendaciis suis principes. Oseæ 7.

EQ. Quotusquisque est, qui possit cum D. Apostolo ad testimoniorum & scientiam omnium hominum prouocare ac dicere. *Neq; enim aliquando fuimus in sermone adulationis.* Adulatoriis passim perstrepunt fora, templa, palatia vocibus. Adulatorium fuit, Arcui triumphali Domini ab Alenzon, qui frater fuit regis Galliæ, inscriptum carmen, cũ is pōpose ingrederetur Antuerpiam:

Tu pater es patriæ solus, spes vnica nostra.

Quamobrem etiam inuanum spes omnis illorum concidit. Vnum mali attulit Augusti illius Monarchia (vt Cornelius Tacitus non obscure subinde indicat, & Suetonius) quod illa recepta, populus vndique in adulationem, nemo ad veritatem, aut virtutem excolendam, tuendamque prolapsus fit in aula Cæsarea.

PH. Sæpe principis minime mali stulta facilitas ac benignitas facit, vt adulatores ac fures Rempublicam depeculentur: ac sceleratissimis & impudentissimis quibusque honores, imperia, magistratus sine delectu tribuantur. Exemplo (inquit Bodinus *lib. 2. de rep. cap. 4.*) vtar domestico. Nunquam calamitosior extitit Respublica, quam regnante eo Carolo, qui ab ingenii stupore simplex nominatur. Hæc itaq; cautio esto quam præscribit Seneca *lib. 3. nat. præf.* his verbis: Adulatoribus ne latus præbeas, artifices sunt ad captandos superiores: par illis, etiamsi bene caueris, non eris. Sed mihi crede, proditione etsi non capieris, ipse te trades. Habent hoc in se naturale blanditiæ: etiam cum reiiciuntur, placent: etiam exclusæ, nouissime excipiuntur.

TH. Beata igitur mens, vt inquit Hieron. *in Epist. ad Demetriadem*, quæ nec adulatur, nec adulanti credit. Cæterum Hypocrisin hac vice non persequemur, non quod in suam nos societatem pertraxerit, (tametsi elocatam illam esse viris Ecclesiasticis siue Canonicis supra aliquo modo innuere voluimus) absit hoc; sed quia infra vberior de ea dicēdi erit locus. Quinetiam Inuidiam, peculiari discursu non prosequemur, quippe quæ ad Calumniam, de qua nūc acturi sumus, latere, tanquam comes eiusdem indiuiduus, nunquam fere discedit, proindeq; Calumniam dicendo ipsam vna fere Inuidiam dicimus. Porro de Calumnia acturi, cumprimis, vt distinguamus, necessum erit, veritatis exploratores à calumniatoribus, qui mendaciorum plaustra ad opprimēdam veritatem conuehunt. Illis enim principes quippe qui in summis sæpe, etiam apud amicissimos sibi (vti videatur) versantur periculis, summopere opus habent; quorum præcipua solerti indagatione, insidias, fraudes & cōiurationes facile possunt declinare atq; mature coercere. Grandisq; cautio est, aduersarii animum cognouisse; etenim hostem protinus sensisse, superasse est. *Exploratorū & Calumniatorum differentia.*

Hac itaq; via occulta machinationes improborum facile vitabit Princeps, nihilque ei rei erit tam abditæ, quin in illā se per illos penetret, maxime si indicii & accusationis pręmium aliquod ꝓponat. *Pecunia n. cūcta sunt difficultates peruia:* vt Tacitus 15. annal. ait: *Cruciatu aut pramio, cūcta sunt peruia.* Prorsus vere. namq; ab illo imbelles facile vincūtur; ab hoc vero, cupidi quā citissime impellūtur.

PH. Cum ab amicissimis quibusque & maxime necessariis, sæpenumero clades immineant Principibus, cautio ita esse videtur, ne Principes quenquā vnquam euehant ad proximam suæ dignitatis sedem. Quippe ambitiosis *non tā iucundū est, multos post se videre, quā graue, aliquē ante se.* Nimirū *vltra cupiditas se porrigit, & fœlicitatem suam non intelligit, quia nō vnde venerit, respicit, sed quo tendat.*

Ceterū, machinātur cōspirationes sępenumero ēt triobolarii ac plane nauci homines. Huic rei fidē facit Octauianus Augustus, Cæsarū potentissimus, cui insidiæ factæ ab vno vilissimo mulione, imo & ab vno abiectissimo lixa, si Suetonio credimus, de eo sic scribenti: *Ne vltima quidē*, inquit, *sortis hominū conspiratione ac periculo caruit. Telephus* (mulio) *quasi debita sibi fato dominatione, aggredi ipsum, vna cū Andasio, atq; Epicado destinauerat. Quinetiā quondā iuxta cubiculū eius lixa quidam ex Illyrico exercitu, ianitorib. deceptis, noctu deprehensus est, cultro venatorio cinctus: impos ne mentis, an simulata dementia incertum, nihil n. exprimi quæstione potuit.* *Principum vita insidiæ struuntur.*

EQ. Cōmiseratione hi quadantenus, at venia minime, digni sunt. Illud vero execrandū, dirisq; omnib. deuouendū, quando magni & ꝑpotentes ministri, quiq; Principib. maxime intimi sūt, in eorū necē nefarie cōspirāt. Malim mille milliaria à principe discedere, quā tale quippiam animo cōcipere, nedū cōmittere. Inueniuntur tamē interim quouis tēpore deploratæ huiusmodi perfidiæ ministri, q ipsū pluribus exēplis firmari potest. Veluti *Iulij Cæsaris Augusti, Tiberij C. Caligula, Domitiani, Seueri, Cōmodi, Aureliani*, q; oēs experti fuere cōiurationes

potentissimorum ministrorum,& maxime sibi familiarium, quos alioqui euexerant ad eos honorum gradus, vt pręter solos imperii fasces, nihil eis deesse videretur, quos vt comparare possent, in leui habuerunt conflare exitiosas in Principes suos coniurationes.

Nec *Iustinianus* (optimus alioqui pro tempore Imperator) exsors etiam fuit nobilium, atque adeo propinquorum coniurationis, de qua sic Ammianus Marcellinus: *Hypatius, Pompeius, & Probus, Anastasii Imp. nepotes, quod Imperium sibi singuli indigna ambitione exoptarent, Idibus Ianuariis cum plerisque nobilium coniuratis, omniq; e fastidiosorum turba armis, donisque ministratis illecta, dolis inuadere tentarunt: atque per quinq; continuos dies vrbem regiam,* (Constantinopolin) *rapinis, ferro, igneq; per sceleratos ciues sine certo interrege discurrentes hostili impietate (ipsi se fideles Reip. in Palatio dissimulantes) depopulati sunt. Quanto vero huius nefandi sceleris die, dum de foro Hypatius, sceleratorum comitantium manibus, torque redimitus aureo, & Pompeius Comes sua sub veste loricatus, ad inuadendum, tenendumq; Palatium ascendũt, vterq; ante fores Palatij captus est. atq; statim pijssimi Principis nostri nutu catenatus, trucidatus, pœnas luit: & ante Imperium perdidit, quam haberet, innumeris passim in Circo populis trucidatis, & tyrannorum sociis continuo proscriptis.*

Potentiorũ coniurationes quomodo auertundæ. TH. Ex his igitur, aliisque, quæ ætate etiam nostra occurrunt exemplis, discant Principes (hic enim pleriq; decipiuntur) ad euitandas eiusmodi coniurationes, eos maxime metuendos quos multis maximisq; beneficiis ornarũt. Sed prudentius longe fecerint, si nunquam præpotentib. familiarib. tribuant proximum à sua dignitate locum, cæterum locum aliquem relinquant veluti intermedium, quo (relicto supremo fastigio) ad illũ aspirent. Ita enim maiori, & fide, & affectu tenebuntur: Nam, vt possint in Principis dignationem peruenire, & tandem dignitates illas Principatui proximas adipisci, nullum non obsequium & cultum Principi deferrent. At vero, quid si iam sint in excelso?

Primo consilium est, vt præpotenti ministro, alium ei parem vel maiorem adiungant, vt hoc modo mutuo sese obseruare possint, & ex quadam æmulatione impedire, si quid in Principem grauius fortassis alter decernere velit. Etenim vt vere Polybius scribit: *Quotquot natura ad imperitandum propendent, & studio libertatis tenentur, indesinenter inter se dimicant, eo quod indiuulso studio huc contendunt, vt priores habeantur.*

Secundo, consilium est, vt specie honoris, vel legationis, vel aliorum obsequiorum principalium aliquo ablegentur.

Tertio & postremo, videndũ est, vt prægrandes eiusmodi dignitates ad tẽpus tantũ concedant. ita sensit differitq; *Catulus* apud Dionem: *Primum, inquit, hoc, & præcipuum dico, non debere vni alicui viro tot imperia vnum ex alio committi: quod & leges hoc prohibent, & experientia deprehensum est, rem eam esse longe periculosissimam. Neque enim* Mario *alia causa fuit, cur talem se gereret, quam quod breui admodum temporis spatio tot bellorum administratio ei credita, Consulatus sexies intra* paucis-

paucissimos annos mandatus est: neque Sylla, quam quod posteaquam multis annis absq; vlla intercapedine exercitibus præfuisset Dictator, postea ac deinde Consul creatus fuit. Ea quippe est natura animorum humanorum, vt non modo iuuenes, sed & ætate prouectiores, posteaquam multum temporis in potestate transegerint, patriis moribus haudquaquam sibi viuendum ducant.

PH. Vere Tullius: *Nulla sunt occultiores insidiæ, quam eæ, quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine: nam eum, qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare possis; hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum, non modo non exsistit, verumetiam opprimit, antequam perspicere, atque explorare potueris.* Iure ergo Græcus ille Scriptor: *A nullis plus insidiarum Regibus tenditur, quam ab his, qui se simulant amare maxime*; horumq; fallacia plus damni consequuntur Principes, quam vlla hostium impressione, atq; feritate.

Sensit id Xantippus Lacedæmonius, vir alioqui manu strenuus, rerumque gestarum magnitudine inclytus. Is enim ab Atheniensibus, de quibus optime meritus erat, fraudulenter & summa cum perfidia circumuenitur, quando qui specie officii se fingunt illum domum reuehere, in mare præcipitem agunt.

Philippus Austriæ Dux, cum bellum aduersus *Carolum IV.* Imper. administraret, nunquid similiter eorum quibus maxime tribuebat, fallaciam expertus est? stabant vtrinque acies in procinctu, tantum non pugnaturæ; Imperator viribus impar, ac inde sibi metuens euocat clam tribunos tres hostilium copiarum: quos impenso pretio sollicitat, vti duci suo renuncient, persuadeãtque se speculatum iuisse, atque *Caroli* exercitum triplo suo maiorem deprehendisse; proinde è re sua esse, vt quam citissime cum copiis se recipiat, ni cum illis velit periclitari. Dictum ac factum, redeunt, & Philippum circumscribũt, vti conuentum erat: atq; ita nocte proxima coactis copiis, re infecta, & amissa hostis profligandi occasione, fugit *Philippus*, hostem (ridiculum) metuens fugæ propiorem.

EQ. Verum enimuero sedulo tamen cauebit princeps, ne temere minus Delatoribus istis, & Auriculariis credat. *Quis enim innocens esse poterit, si accusasse suffecerit?* Sunt enim nonnulli, qui siue præmio inducti, *locupletissimum quemque deferunt*; siue liuore, & odio impulsi, insontes criminantur, & *verba praue detorquent, & conuiualium fabularum simplicitatem in crimen ducunt.* Enimuero, haud oportet indicta causa accusatos rapere, vinculisq; (quod sæpenumero fit) mancipare: sed nec *omnibus, quæ ab his talibus dicentur, fidem adhibere*, quin *acriter ea examinare, & discutere oportet*, eos interea sistendo, dum causam peregerint. O quam notandum Senecæ præceptum! *Ne sint aures criminantibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium suspectum, notumque nobis sit: quod quæ inuiti audimus, libenter credimus, & antequam iudicemus, irascimur.* Haud ergo temere Delatoribus credet Princeps: cum immatura credulitas *mater sit erroris, nouerca consilii.*

Exploratorum delationibus nõ promiscue fidendum.

PH. At, quid si vera ab his referantur?

EQ. Vindica scelus, & exsequere pœna celeri.

Immo etiamsi affectum tantum, & cogitatum sit scelus. Nam, *non exitus rerum solum, sed & hominum consilia legibus vindicantur.* Ratio aperta: quia *in ipsa deliberatione facinus inest, etiamsi ad id non peruenerit.*

Puniet igitur Princeps, sed cum triplici hac cura.

I. Vt ne in vltionem properus sit: *Prope enim est, vt libenter damnet, qui cito.* Et vt hoc non sit. *non potest esse temperata iustitia, vbi est feruida vindicta.*

II. Quid, quod etiam sæpe alieno tempore deteguntur insidiæ, vt non tam pœna repræsentanda sit, quam mora interponenda. Quid item, si nobilis aliquis, vel præpotens vir inter reos delatus? Quid si propinquus quispiam, & necessarius? Dissimulabit gnarus *optimum insidiarum* quandoq; *remedium esse, si non intelligantur.*

III. Si tempus patiatur vt puniantur, cito exsequetur, *& citeriorem delicto prabeat vltionem: vt potius caueat iniuriam quam vindicet.*

IV. *His addo vt indicia ac confessionem damnatorum* ad alios Principes transmittat. Nam alioqui supplicium in inuidiam vertent multi, & *vulgi rumore laceraberis, tanquam viros insontes ob inuidiam, aut metum exstinxerit.*

V. Vt capita tantum coniuratorum è medio tollat: *vt vbi orta culpa est, ibi pœna consistat.* Bene est, abunde est, *si nefaria coniurationis auctores sanguine luant, quod admiserunt.*

Quoad ceteros, *flexus sit animus Principis, pronus sit semper ad veniam.* Siquidem, *omnibus est amori clementia:* Immo *saluum Regem in aperto clementia præstat.*

TH. Quid fieri debeat, recte dicis, delationibusq; non promiscue fidendum inculcas. Sed enim quam parum hoc sæpenumero attendatur, infinita loquũtur exempla. Audite peruersitatem Saulis. Dauid in exilium pulsus à Saule rege ad Moabitarum Regem proficiscitur, rogatq; hominem, vt parentes ipsius intra regni sui fines tantisper reciperet, dum res eorum in meliore statu collocarentur. Quo impetrato, & parentibus in magno honore apud Regem, quandiu illic manserunt habitis, ipse iussu prophetę relicto deserto in tribum Iudæ se cum suis transtulit, apud Sarim oppidum se continens. Quod postquam ad Saulum delatum est, Dauidem cum armatorum manu esse conspectum, in non mediocrem metum ac perturbationem Regem coniecit. Sciẽs enim eius magnanimitatem ac fortitudinem, aliquid magnum moliturum suspicabatur, quod rebus Regis aut periculum, aut certe difficultatis ac laboris plurimum afferret, conuocatisq; amicis & ducibus & vniuersis suis tribulibus ad regiam vrbem G. bam, sedens in loco cui nomen Aruum, adstante honoratissimo quoq; & toto satellitio, sic eos est affatus. Viri contribules, scio vos meminisse quantis à me affecti sitis beneficiis, & agris locupletati, & honoribus ac præfecturis aucti. Rogo igitur num plura & maiora munera à Iessæi filio expectetis. scio enim vos omnes in illum propensiores, initio facto à

Saul.

Ionatha filio, qui & vobis huius sententiæ autor est, non enim me latent clandestina inter illum & Dauidem icta fœdera: neque quod consilio & opibus aduersariorum partes contra me adiuuat. Vos autem nihil hæc cura tangit, sed quieti, quo res euasura sit expectatis. Post hæc regis verba cæteris silentibus, solus Doecus Syrus mularum regiarum curator respondit se vidisse Dauidem in Noba oppido, quo cum ad Pontificem Achimelechū venisset, ab eo de euentu rerum oraculum accepisse, adiutumq; commeatu & gladio Goliathi armatum, quo volebat deductam esse. Accitus est mox cum tota cognatione Pontifex: cui Rex; Qua nostra iniuria prouocatus excepisti Iessæi filium, & Regis insidiatorem armis atq; commeatu instruxisti? aut cur etiam de futuris oracula ei reddidisti? Non enim ignorabas, quod propter odium, quo familiam meam prosequitur, hinc aufugerit. Pontifex autem nihil horum inficiatus, libere fassus est hæc se non tam Dauidi præstitisse quam ipsi Regi. Excepi, inquit, non vt inimicum tuum, sed vt fidissimum ministrum & tribunum, &, quod maius est, generum, ac propinqua necessitudine coniunctum, quis enim putaret eum, qui hoc honore à te dignatus sit, inimicum esse, ac nō potius cum primis beneuolum? Cōsultus etiam de diuina voluntate, nō nunc primū ei respondi, sed alias quoq; sæpenumero. Cumq; se dicere à te missum ad arduum negocium properare, non suppeditare quæ requireba̅t, ad tuam magis quā ad illius iniuriam pertinere iudicabā. Quare nō est quod de me male suspiceris, aut si quid noui nūc Dauidē moliri audiuisti, ob exhibitam à me humanitatē, fauere me illi aduersum te cogites. in amicū enim ac generum & tribunū tuum collatū volui, quicquid officii in illum contuli. His verbis Saulus fidem habere noluit, quod plus apud eum metus periculi valeret quā excusatio quantūuis iusta. itaq; circūdatū armatis cū tota familia iubet contrucidari, cumq; illis religio esset viros Deo sacros ferro violare, Doecū Syrū eam cędem perpetrare mādauit, qui assumptis ad hoc aliquot sui similibus facinorosis, Pontificē cum tota cognatione interfecit: quorū numerus erat trecenti octuaginta quinq;, moxq; missi sunt à Rege Nobam sacerdotū oppidum, qui cōtrucidatis ad vnū habitatoribus, nullo vel ætatis vel sexus respectu, postremo flāmis eā deleuerūt. *Hæc Iosephus*. Tandē ipse Doecus vna cū rege desperabūdus, suo gladio incubuisse perhibetur, cū interitu miserrimo totius suæ familiæ, nomine etiā ipsius de terris sublato, quod Dauid ei futurū prædixerat.

Huic consimile est (ratione falsæ delationis) illud de Mephibostho. Memphibosthus Saulis nepos Dauidi ab exilio, in quod filius Absalon eū eiecerat, redeūti venit obuiā, sordidatus & promisso ac neglecto capillitio, ex quo enim rex profugerat, neq; comā torondit, neq; vestem purgauit, calamitatem eius nō secus quā propriā ferēs: interim vero à suo procuratore apud regem falso delatus fuerat, is post salutatum & adoratum regem interrogatus ab eo, qua de caufa nō simul exisset, socius fugæ futurus. respondit, Sibam esse in culpa: Hūc iussū parare ad profectionē necessaria, verba sua nō aliter q̄ alicuius mancipii *Dauid.*

contempsisse. alioquin, inquit, si pedibus integris fuissem, & ad profectionē his vti potuissem, nunquam abs te relinqui passus fuissem. Nec contentus meam erga te domine pietatem impedisse, insuper malitiose ac mendaciter me detulit. Sed bene noui quod tua prudentia tales calumnias non admittat: quum sis iustus, & Deum ac veritatem, cui tantopere studes, diligas. Cū enim in grauissimis periculis aui mei temporibus versatus sis, liceretque tibi de tota familia nostra eo nomine pœnas sumere, quæ tua bonitas est ac modestia, omnes acceptas iniurias obliuioni tradidisti, recenti etiam tum earum memoria summam potestatem assecutus præterea in amicorum ordinem allectum, & mensæ tuæ quotidianum conuiuam adhibitum, nihilo deteriore conditione quam vnum quemuis è maxime necessariis apud te esse voluisti. his auditis neque Memphibosthum punire libuit, neque an Siba calumniator fuerit cognoscere, sed præfatus cuncta se eius bona Sibæ largitum, veniam tamen illi & dimidiæ partis restitutionem promisit. Tum Memphibosthus, habeat sibi totam Siba, mihi satis est te in tuum regnum restitutum esse. Idem Iosephus.

E Q. Mira sunt quæ extant apud eundem Iosephum *Antiq. Iud. lib. 15. cap.* 4. de calumniis, quibus Mariam apud Herodem regem impetita & tandem etiam oppressa fuit, quarum hæc summa est: Herodes citatus ab Antonio, cum causæ suæ nō satis fideret, commissa regni cura Iosepho patruo, clam ei mādauit, vt si Antonius in se grauius aliquid statuisset, cōfestim Mariammen interficeret. sic enim se affectum erga vxorem, vt etiamsi post ipsius mortem aliquem potiri contingat illius pulchritudine, ad suam id iniuriam pertinere existimet. aiebatque totum hoc negocium exhiberi sibi propter eius fœminæ formam, in quam ille iam pridem fama cognitam accensus sit. atq; his mandatis, non admodum læta sperans de rerum suarum exitu, proficiscitur ad Antonium. Porro Iosephus creditum sibi regni regimen administrans, & sæpissime Mariammen conueniens, partim propter negocia, partim honoris causa, dum crebra mentio fit coniugalis amoris, quo eam Herodes prosequeretur: *irridentibus hanc eius asseuerationem mulieribus, præsertim Alexandra, ille nimio studio approbandi eius affectum Regis eo prouectus est, vt mandatum illud proderet, ratus id certissimum amoris argumentum, quod neque sine ea viuere sustineret, neque vel morte ipsa ab ea disiungi. quæ Iosephi verba mulieres nō tam vt indubitatum Herodis amoris signum interpretatæ sunt, quā exhorruerunt illius tyrannicum animum, si vel mortuus sæuiret in earum capita. Interea per ciuitatem rumor ab inimicis Regis sparsus est, excruciatum eum ab Antonio neci traditum: qui cum reliquam regiam turbauit, tum mulieres maxime. Alexandra etiam Iosephum hortata est, vt assumptis eis [illegible] a legionis Romanæ confugeret, quæ tum ad regni custodiam circ[illegible] debat sub tribuno Iulio, sic enim primum si quid turbatum in a[illegible]

Herodes & Mariamme.

ret ipsas in tuto fore propter Romanorum beneuolentiam. Deinde sperandum esse consequuturam quiduis Mariammen si in Antonii conspectum venerit, atque etiam regnum recepturam & quicquid debetur regio generi. Tenente adhuc ea consultatione literæ ab Herode superuenerunt rumori contrariæ. quamprimum enim venit ad Antonium, muneribus eum placauit, quæ in hoc Hierosolymis attulerat: & crebris colloquiis indignationem viri leniit, vt minus posthac ponderis apud eum haberet Cleopatræ instigatio. negabat enim Antonius oportere Regem facti sui rationem reddere, alioqui ne Regem quidem futurum, sed dato illi semel honore, etiam liberam potestatem permittendam esse, idque ipsum etiam Cleopatræ aiebat conducibile, si non multum se misceret alienis imperiis. Hæc significabant Herodis literæ, reliquumque honorem quo se dignaretur Antonius, ad consessum adhibens & ad quotidiana cõuiuia, idque non cessante à criminationibus Cleopatra: quæ capta eius regionis cupidine, quo regnum id sibi vsurparet, omnibus modis quærebat illum perdere. Sed quia iustum se præberet Antonius nihil posthac expectandum grauius, venturumque breui constabilito tam regno quam amicitia, nec relictam Cleopatræ cupiditati vllam spem, quando Antonius pro eius postulatis Cœlesyriam ei concessisset, hac conditione, ne posthac Iudæam peteret, & vt molesta esse desineret. His literis redditis voluntas confugiendi ad Romanos euanuit, non tamen latuit id consilium, sed quamprimum deducto aliquantisper Antonio contra Parthos eunte, Herodes in Iudæam reuersus est, statim soror Salome & eius mater indicauerunt, quid Alexandra cum suis voluerit, nec hoc contenta Salome, etiam maritum suum criminata est, Mariammes consuetudinem obiiciens. hoc autem fecit propter simultatem veterem, quod Regina elati animi fœmina inter muliebres contentiones exprobraret ei obscuritatem generis. Porro Herodes, qui semper ardenter amauit Mariammen coniugem, statim perturbatus est, non ferens zelotypiæ stimulos, ægre tamen se continens, ne à recta ratione transuersum raperetur insanis affectibus, seorsim Mariammen percunctatus est, ecquid haberet cum Iosepho commercii. Illa vero pernegante factum cum deierationibus, & quicquid insons fœmina posset in defensionem adducente, rex paulatim assentiendo placari se sinebat victus amore vxorio, ita vt postremo veniam peteret, quod temere fidem habuisset rumoribus: agebatque ei gratias pro seruata pudicitia, suum vicissim amorem commemorans, tandem vt mos est amantium prorumpentibus lachrymis ruunt in complexus mutuos, cum tamen nondum vxori amoris sui fidem faceret, tantoque magis conaretur id efficere: tum illa, Non est, inquit, amantis mandare si quid ipsi humanitus accidat, vxorem innoxiam addi fati comitem. Hoc verbo Rex velut ictus præ dolore confestim eam è complexu dimisit: vociferabaturque capillos sibi lacerans, tenere se manifesto deprehensam constupratam à Iose-

pho coniugem. nunquam enim prodíturum fuisse data sibi primum ac socero mandata, nisi obstricta mutuum fide per stupri consuetudinem atque ita parum abfuit quin eam interficeret. Sed amore victus, licet ægre, cohibuit se tamen. Veruntamen Iosephum ne in conspectum quidem admissum iussit interimi, & Alexandram vt malorum omnium causam, vinctam coniecit in custodiam.

Interim in corde Mariammes subinde recrudescebat mortiferum illud, quod Herodes Iosepho de ipsa, se defuncto, interimenda, dederat mandatum, quamobrem cum abesset Herodes, vota faciebat, ne ille vnquam saluus reuerteretur cogitans vitam sibi cum eo fore intolerabilem: id quod postea nec dissimulauit, aperte fassa quid se vreret. Ille enim cum præter spem magna ornatus fortuna appulisset. primæ, vt par erat, vxori lætum de hac re attulit nuncium: eamque solam præ aliis vxoribus ob amorem ac iucundissimam consuetudinem salutauit & complexus est. Mulier vero narrante eo suos successus, susque deque ferre videbatur, nec belle suum affectum occultabat: sed vt erat ingenuis minimeque fucatis moribus, ad illius blandas appellationes ingemiscebat: narrationeque eius contristari magis quam gaudere videbatur: vt iam Herodes non tam suspicionibus quam manifestis signis turbaretur, angebatur enim videns inexpiatam & apertam vxoris auersationem: quam molestiam præ amore ferre non valens, nec in ira, nec in reconciliatione perdurare poterat, & sibi ipse non constans iam hoc illo affectu distrahebatur, adeo animus inter amorem & odium ambigebat, vt cum sæpe cuperet punire mulieris superbiam, intercedente amore vetaretur. Nihil autem magis timebat quam ne sumpto de ea supplicio, seipsum hoc pacto grauius læderet ob defunctæ desiderium. Talibus curis æstuantem & sic erga Mariammen affectum, vt videre soror eius & mater, opportunissimum tempus se nactas putauerunt: moxque assiduis calumniis concitabant hominem accendentes eius odium ac zelotypiam: quas ille nec reiiciebat, nec tamen libebat credere, & sæuire in dilectam coniugem, peius tamen indies erga eam afficiebatur, magisque ac magis exasperabatur, dum nec illa curas suas occultat, & ipse amorem vertit in odium. Ac forsan iam tum sæuius in eam aliquid statuisset, ni commodum nunciatum esset, extinctis Antonio & Cleopatra, Cæsarem Ægypto potiri: cui obuiam properans familiam sic vt erat reliquit. Discedenti Mariamme commēdauit Sohemum, plurimum ei se debere propter habitam sui curam profitens, & cuiusdam Iudææ partis ei dominium impetrauit.

Cæterum Herodes in Ægypto cum Cæsare congressus, liberius iam cum illo egit amicitia fretus, & magnis ab eo beneficiis ornatus est. quadringentorum enim Gallorum Cleopatræ satellitium ei donauit, & regionis partem

cem reddidit, quam illa prius occupauerat, quæ illi non mediocris fuit ad Regium splendorem accessio. Deducto deinde vsque Antiochiam Cæsare in regnum reuersus sensit fortunam quam foris propitiam, tam domi aduersam, maxime quod ad coniugium attinet, qua parte sibi ante videbatur felicissimus. Flagrabat enim legitimo coniugis Mariamnes amore quam qui ardentissime, ne illis quidem exceptis, de quibus à scriptoribus proditur, ea fœmina cætera pudica & inuiolatæ fidei, innatam habebat muliebrem quandam morositatem, improbius illudens obnoxii mariti patientiæ, ita vt non habita Regiæ potentiæ ratione, non raro contumeliosius eum tractaret: quam tamen ille dissimulanter & moderate ferebat, licet solitam aperte & sorori eius & matri exprobrare humilitatem generis, quæ causa fuit implacabilis inter eas mulieres odii, atque etiam calumniarum quoties daretur occasio: exque suspiciones paulatim crescentes durauerunt integrum annum post Herodis à Cæsare reditum, tandem diu præmeditatum odium in hunc modum erupit. cum meridiano tempore quietis causa in cubiculum se rex contulisset, pro coniugali affectu Mariammen accersiit, hæc autem introgressa quidem est, sed vna cubare noluit, rogantem contemnens, & insuper patris ac fratris sui necem opprobrans quo indigne ferente, & vix ab inferendis mulieri manibus temperante, postquam ex strepitu commotiorem eum sensit soror, submittit iam dudum subornatum pincernam, qui indicaret solicitatum se à Mariamme, vt ei operam commodaret in propinando Regi amatorio poculo: & si amplius sciscitaretur qualenam id esset, diceret pharmacum penes ipsam esse, à se requisitum tantum ministerium: quod si Rex mentione amatorii nihil moueretur, tum & ipse sileret, nihil enim illi fore periculi, hæc prædoctum illo ipso temporis articulo intromittit ad eum alloquendum, atque is composito vultu ingreditur, & quasi rem valde seriam afferens, ait se largitione à Mariamme solicitatum, vt amatorium Regi misceret, quo audito cum ille perturbaretur, ait pharmacum quoddam sibi oblatum, cuius ipse vim ignoret, ideoque id renunciare, quod hoc & Regi & sibi tutius existimet, ad hæc verba Herodes, iam ante satis commotus, cum magis etiam exasperatus esset, eunuchum Mariammes fidissimum tormentis examinauit, sciens quod sine illo nihil nec magnum nec paruum tentatum sit, qui cruciatus non ferens ad interrogata quidem nihil respondit, vxorem igitur causam suam iubet agere aduocato intimorum amicorum consilio, accusationem accuratam exorsus, & confictum veneficii crimen intentans, erat autem verbis immodicus, & iratior quam decorum iudicii postulat: quo factum est, vt, cum eum ita velle viderent, omnium qui aderant suffragiis damnata sit, qua sententia prolata, visum tamen est tam ipsi quam aliis quibusdam

præſentibus, non eſſe eius ſupplicium præcipitandum, ſed includendam in aliquem regiæ carcerem, at Salome cum ſua factione modis omnibus dedit operam, vt mulier ſine mora necaretur: quo tanto facilius Regem perpulerunt, quod dicerent timendum eſſe aliquem motum in populo, ſi ſciretur vitam aſſeruari in carcere, atq; ita Mariamme ducta eſt ad ſupplicium. Id cũ ſignificata Alexandra, & intelligens ſimilem exitum, ſibi expectandum ab Herode, omiſſa priſtina ferocia valde indecore mutata eſt. Volens enim oſtendere ſe non eſſe conſciam eius criminis, cœpit filiæ conuicium facere omnibus audientibus ſceleſtiſſimam & ingratam erga virum clamitans, dignamque tali exitio, quæ auſa ſit tam immane facinus, non enim pro merito tractatum maritum amantiſſimum. Hæc illa turpiter fingente, & inuolatura vt videbatur capillos miſeræ, etiam alii merito damnabant ineptam eius ſimulationem, ſed in nemine hoc magis apparuit, quam in ipſa quæ ducebatur ad interitum. nam neque verbo vllo eam dignata eſt, neque vel tantillum intemperiis eius perturbata, excelſo animo improbare ſe illius turpem dementiam vultu ſignificabat, ipſa intrepida ſpecie, ac ne colore quidem metu mortis mutato ibat generoſam indolem extremo quoq; ſuo tempore præferens. Ad hunc modum periit mulier & temperans & magnanima, ſed non ſatis modeſta, & paulo contentioſior. Cæterum formæ venuſtate, & comitate cum maieſtate coniuncta dici non poteſt quantum omnes ætatis ſuæ fœminas ſuperauerit, quæ potiſſima cauſa fuit quo minus iucũde cum rege vitam degeret. Obſequiis enim ob amorem ab eo culta, & nihil moleſtum expectans, licentioſius æquo ſe gerebat, moleſte etiam ferebat ſuorum caſus, idque apud ipſum quoq; fatebatur. Tandem effecit, vt exoſa eſſet regis & matri & ſorori, atq; etiam illi ipſi, à quo ſolo nihil timebat. Ea perempta impotentius etiam flagare cœpit rex, iam ante miſere affectus, ſicut diximus, neque enim vulgari coniugum more amabat, ſed cum pene ad inſaniam vſq; indulgeret huic cupidini, ne licentioribus quidem vxoris moribus effici potuit, ne indies magis ac magis eam diligeret. Tum vero maxime ſibi viſus eſt irato Deo necaſſe Mariammen, ſæpe inuocabat eius nomen, ſępe etiam indecore lamentabatur, excogitabat autem oblectamenta quæcunque poterat, apparandis conuiuiis ac compotationibus, nihil tamen proficiebat: quare & regni curam reliquit, adeoq; dolori ſuccubuit, vt ſæpe miniſtros iuberet vocare Mariammen, quaſi illa adhuc viueret. Hæc Ioſephus.

Frideric. II. ſuſpicax. PH. Vnum addo. Aduerſationũ atq; inſidiarũ pertinacia Fridericũ II. Imp. vſq; adeo exacerbauit, cũ imperio exutus ne inter ſuos quidem reperiret quibus fideret, & in animo ſæpe irritato grauiterq; ſauciato metus defectionis ſuorum ac nouarum cõſpirationum redderet ſuſpecta omnia, ætate etiã propenſionem ad ſuſpiciones augẽte, quæ quidem, vt eſt ὑπόνοια δεινὸν κακόν, ſæpe adeo

adeo inualuerunt, vt ne quidem coniunctissimis atque fidissimis pepercerit. Nam Petrum de Vineis, patria Capuanum, Iuris peritissimum, qui Imperatoris causam vnus omnium fidelissime ac diligentissime summo suo cum discrimine egerat, calumniose adductum in suspicionem de structis ipsi insidiis, coniecit in carcerem oculis captum, in quo ille tandem seu desperatione seu impatientia iniuriæ seu supplicii atrocioris metu, capite parieti illiso sibi metipsi mortem consciuit.

TH. Quod nequissimus ille Haman apud Ahasuerum regem in perniciem totius gentis Israeliticæ calumniis machinatus olim fuerit, testatur præter ipsum S. scripturæ codicẽ, etiam Suidas in dictione Ἀμάν, quo in loco Asuerus vocatur Δαρεῖος, cuius verba Latine translata sic sonant: Aman, præfectus regiis negotiis Darii, pollicebatur, se in regium fiscum illaturum decies mille talenta, si Iudæos perderet. Postquam autem id persuasit regi, mandatum est gentibus, vt vno die omnes Iudæos delerent. Sed priusquam hæc peragerentur, Mardochæus indicauit regi per Esther insidias aduersus ipsum. Itaque rex reuocauit mandata, & suspendit cruci Aman, qui crucifixurus erat Mardochæum. Ac multi inimicorum interempti sunt à Iudæis. Vnde & Iudæi hos dies festos agunt. *Hæc Suidas.* *Haman.*

EQ. Prudenter Carolus V. Hispanorum inuidam erga Germanos aliquando contudit calumniam. Petentibus namque Hispanis quibusdam aulicis, vt Germanos satellites & alios ex aula dimitteret, idque sine modo vrgentibus; conuocari Germanos Imperator iussit. His vultu ad seueritatem composito, indicat Hispanorum petitionem, & venite, inquit, ego etiam sum Germanus: abeamus ex aula, ne illis deinceps molesti simus; & abire se ostendit, Germani satellites & alii alacres sequuntur. Sed Hispanis ad pedes ipsius abiectis, ac vt maneret, & veniam stultitiæ suæ daret, suppliciter petentibus restitit ac ignouit. Alioquin si Imperator sapientissimus, Hispanorum calumniis indulsisset, nullus fuisset calumniarum finis, quæ tandem tamẽ nemini magis quam ipsi Imperatori fuissent dãnosæ. Sensit idipsum damno suo Iustinianus Imperator Græcus. Huic multarum calamitatum causæ fuerunt duo eius domestici assentatores & Sycophantæ, qui nimiam potentiam sibi sumserunt, vt apud Theodosium Iuniorem Eutropius, quem Gorgonem cognominarunt. Horum Sycophantarũ alter fuerat Monachus nomine Theodosius: cui cum summam autoritatem tribueret, nominauit eum Generalem. Alter Stephanus nominatur Sacellarius, qui regit consilia de religione, etiam matrem Imperatoris verberare ausus est. Hi duo assentatores crudelitatem in Duces exercebant. Leontium Ducem biennio in carcere retinuerunt, qui cum euasisset ex carcere, adiuuante Patriarcha factus est Imperator. Hic Iustiniano nares præcidit, eumque Chersonam relegauit, cum annos decem Imperium tenuisset. Duos Sycophantas aulicos Theodosium & Stepha- *Carolus V.* *Iustinianus Imp. Græcus.*

num funibus ad pedes alligatis per vrbem traxit, postea combussit.

PH. Iure itaque laudatur Eluius Pertinax, qui delatores ab vrbe pepulit, ne alicui de vanis criminibus immineret periculum. Et in Creta insula simulacrum Iouis, sine auribus pingebatur, vt ea effigie principes admonerentur, non oportere eos præbere aures delatoribus. At Myda rex asininis auribus deformabatur, quia & delatores circum se & consultos habebat, quos hodie auditores nuncupant, parum ab asinis differentes. Potius attendere debet Princeps ad illud, Eccles. 6. *Ab amicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.* Et illud Eccles. 19. *Amico & inimico noli narrare sensum tuum, & si est tibi delictum, noli denudare. Audiet enim te, & custodiet, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper.* Hinc elegans illa de bilinguibus Dionysii Lebei commonefactio:

Altera fert vndam, gestat manus altera flammas,
Quid nisi vel fraudes illa, vel illa parat?
Dissimulant multi verbis, vultuque benigno
Blanditias simulant, dissimulantque iocos.

EQ. Nimirum igitur quod antea à nobis dictum est, Exploratores à Calumniatoribus probe sunt discernendi. Semper namque Principibus vtile visum est, quosdam instituere, qui facta dictaque subditorum clam exciperent, vt hoc procliuius occultum illud animorum virus pateret. Inuentum hercle comprimendis monarchomachis aptum: quod quidem æui hoc fere exsoletum, sed quod operæ pretium sit in vsum reuocari propter non frequentes studium istarum architectores. Quamquam hæc minus à me dicuntur, vt bonorum Principum animos ad temerarias suspiciones, atque sæuitiam informari velim; absit: sed vt eorum vitæ, quæ instar Palladii est fœlicitatis subditorum, consultum eatur. Hoc inquam sine Delatores Principibus propono: quos vt dixi, nolim procliuius ferri ad inanes quasdam accusationes, quas vario sæpe fuco esse adumbratas propius examinanti patet. Vt enim canes monnullos videmus clanculum mordentes, sic vafros quosdam aulicos, & pessimæ notæ homines secretis criminationibus infamare ignaros, & quo incautius decipiant, palam ante laudatos.

Cuiusmodi plures fuere temporibus C. Cæsaris, quem ob nimiam credulitatem in maximam lapsum esse crudelitatem scribunt, suspectos habens optimos amicorum, ex leuibus delationibus, vel criminationibus insidiatorum, vel adulatorum.

Delationi prudens habenda ratio

Prioribus vero seculis, eodem laborarunt vitio *Tiberius* & *Domitianus* Cæsares; quorum ille lucri & quæstus causa tantum tribuit delatoribus, vt nemini non crederet, seu quid veri, seu falsi referrent. *excipiebatur enim* inquit Seneca, *ebriorum sermo, simplicitas iocantium. nihil erat tutum: omnis sæuiendi placebat occasio*: hic vero rapinæ supra modum studiosus ac cupidus, ita auri

cu-

calumniatoribus patefecit, vt delator delatorem timeret, & caussidici caussarum actionibus posthabitis, ad delationes sese conferrent.

Sed nec *Hadrianus* Cæs. caruit hac reprehensione, quippe quod vel amicissimos, vel eos, quos summis honoribus ante euexerat, per nimiam credulitatem hostium loco habuit, vt *Tatianum*, *Nepotem*, *Septicium*, *Clarum*; aliosque.

Ita *Herodes* Antipari filius, adeo vsque delatoribus credidit & indulsit, vt innocentissimum quemque è vestigio raptum trucidaret; cuius paulo ante à nobis exempla allata sunt.

Ac vt vetera omittam in Anglia *Edoardus* II. nimia notatus fuit credendi temeritate, quia non solum delatoribus exitium, sed & sibi infamiam longe maximam importauit. Nam ecce falsis eorum criminationibus inflammatus, duos & viginti nobilissimos Angliæ Barones ad supplicium rapuit, coniugem quoque suam (mirum dictu) vna cum filio Anglia pepulit. quid inde? Regina tandem amicorum fide & opera postliminio reuersa, cum filio non solum delatores omnes (illos quidem nobiles ex familia Spensiorum) atrocissimis puniuit suppliciis, verumetiam Regem maritum ceu inutilem regno, variis grauissimisque de causis, ex populi & Senatus auctoritate, custodia continuit.

Peccarunt etiam hic (id adeo verum est hunc morbum in familiis principum regnare) *Galliæ Reges*: vsque eo, vt à Carolo Magno (vt auctor est Cominæus) vix pauci Galliæ Reges, annum ætatis sexagesimum excesserint, collecta sæpe ægritudine ex suspicionibus, & iis quæ clanculum ac falso essent delata.

Sed maxime Principes illius oræ, vt constat in *Ludouico XI.* qui suspicionibus tantum indulsit, vt nulli prorsus homini fideret, & omnes insidiari (ô vltimam miseriæ lineam!) sibi putaret. Eius vero pater, cum decumberet ægrotus, persuasum habebat paratum sibi venenum, ideoque ab omni cibo abstinuit.

Immo etiam in *Carolo VI.* cuius eo fuit deterior conditio, quod deliraret, ac mente captus esset, dum iis quæ deferebantur, priusquam oportebat, crederet. Quare ex sententia Cominæi, *prudenter facturi sunt Principes, cum aliquid ad ipsos occulte defertur, si delatorem sistant, & fidem sibi fieri iubeant eius quod sit delatum. Hac enim ratione multo viuent tranquillius: quando nullus eo sit progressurus amentia, vt quod probare non possit, de eo sit alicui facturus calumniam. Sed sunt nonnulli ex iis, adeo stolidi & ignaui, vt etiam iureiurando promittant se non hil enunciaturos, atque interim anguntur animis, & ab impuris hominibus persuasi, incipiunt illos odisse, quos pro ipsorum virtute. ac merito debebant amore & beneuolentia complecti.* Hactenus ille.

Longe

Calumniatorum pœna. Longe aliter bene instituti Principes. Etenim haud temere eiusmodi Sycophantis credunt: immo capitali, aut certe extraordinaria eos pœna afficiunt, si crimen illatum minus probent.

Quod in *Honorio* & *Theod.* Imp. apparuit, quorum exstat eiusmodi Constitutio: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi: cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.* Antiqua aliqua lege *Remmia* Calumniatori littera C. in fronte inurebatur, qua indicabatur, eum calumnia vsum esse.

Quid in AVRELIANO, & TRAIANO dicemus? Horum ille *delatores ingenti seueritate persequebatur*, hic vero calumnias in optimos amicorum apud se iactas flocci faciebat. nam, cum quondam ei significatum esset *Licinium Surram* in eum conspirasse, vespere eius diei inuocatus ad eum *Traianus*, cum duobus solum comitibus cœnatum se contulit, radique ab eius tonsore voluit, atque oculos ab eius medico inspici. Eidem postea, cum de conspiratione rursum affirmaretur, ridens respondit: se nullo modo, vt crederet, adduci posse, quod eo die periculum fecerat, vt Surra, si voluisset, id quod insimulabatur, agere potuisset. Ita in amicitia firmus perstitit, nec multo post Tribunatum eidem *Surra* detulit.

TH. Itaque haud facile debent Principes verbis delatorum fidem adhibere, præsertim si magnos aliquos viros, vel religiosos criminentur. Certe merito prædicatur *Mauritius* Saxoniæ Dux, quem scribunt nunquam solitum fuisse calumniatorum delationes accipere, nisi ipsi sponderent, affuturos se coram, quando accusatus esset alloquuturus. nec possunt etiam sycophantæ refutari melius, quam si iubeantur ea coram dicere in faciem præsentium, quæ de absentibus deferunt: multi boni viri talibus delationibus prægrauantur: quia non audiuntur excusationes ipsorum, & nimium delatoribus assentiuntur Principes, re non explorata.

Hoc mentis proposito AVGVSTVM fuisse à *Mecœnate* monitum Dio scribit quem non pigeat referre, digna enim prorsus sunt Principis memoria: *Quoniam*, inquit, *Auscultatores, & exploratores habere te oportet, quorum opera omnes Imperij tui res cognoscas, ne quid custodia, aut emendatione indigens te fallat e posse momento non omnia statim, quæ ab his referuntur, credenda, sed diligentem considerationem adhibendam esse: permulti enim eorum, vel odio aliorum, vtpote bona eorum affectantes vel in gratiam quorundam, vel irati ob postulatam, & non acceptam pecuniam, falso crimine seditionis tentata, aut contra Imperatorem alicuius facti, vel dicti temporis eos onerant. Ideoque non temere fides eis est adhibenda: sed omnia accurate examinanda. Quod si enim tardius fidem adhibuerit, nullo tuo magno id fiet damno, sed festinanter factum fieri potest, vt peccatum aliquod irreparabile admittas.* Hæc Dio: cuius sententia confirmari potest exemplo.

Margaretha Henrici VI. Anglorum regis, quæ cum æmulorum falsis delationi-

tionibus præpropere credidisset, ac *Humfredum* Glocestriensem Ducem, virum optimum, regni administratione submotum, & in vincla deiectum indicta causa strangulari permisisset. haud multo post ab EDVARDO IV. maritus eius captus, filius optimæ indolis, & magnæ exspectationis trucidatus, ipsa in exilium eiecta, innocenti sanguini pœnas dedit.

E Q. Prudentiori multo consilio Henricus IV. Galliæ Rex, nefario semper scelere ab impio parricida malis furiis agitato, interemptus, cui cum delati essent nobiles, & spectabiles viri *de Chasteul*, & *du Bourg*, quasi eum ex insidiis adoriri statuissent, eiusmodi delationes tanquam ab æmulis confictas, qui ægre tulerant eos sibi anteferri in expeditione Sabaudica, spreuit, contempsitque. Quinimo, cum cerneret (quæ singularis erat eius humanitas & prudentia) eos angi animis, & discruciari falso illo accusationis obiecto, erexit eos, solatusque est alloquutione hac: *Bono estote animo: Nam, quæ de vobis ad me delata sunt, equidem tam falsa iudico, quam quæ falsissima. Et quo videatis ita sentire me, meque sinistræ opinioni non indulgere, agedum in tanta calumnia suspectos inquirite, & proferte, quæstionem animaduersionemque, citam deprehendetis. quin potius pergite in legendo milite, & hercle videbitis grauius eos liuore interno plecti, atque si atrocissima pœna admoneantur.* Qua in re maximum præbuit magnus Rex acerrimi sui iudicij argumentum, quippe qui nescius non erat eam esse occultorum hostium vafritiem, vt quo ministrorū manu strenuorum opera Reges priuentur, falso eos criminentur, deferantque. Ita Franciscus Sfortia cupiens ab Alphonso Rege *Troilum*, & *Petrum* Bruniorum præclari & inclyti nominis Duces auellere, epistolam ad eos conscripsit, seu potius finxit, in cuius extremo monebat, vt nulla interiecta mora quod pepigissent, strenue & ocyssime præstarent. quibus litteris composito ad Regem, qui forsan alicunde suspicionem de ipsis animo conceperat, delatis, in custodiam ambo rapti sunt, missiq; Cataloniam, vnde præclarissimorum militum opera destituto Rege, consilium hostis ex voto successit.

Quod si vero omnino Delatores vera referant; tunc aliis potius cognitionem criminis relinquere debet Princeps, quam vt ipse cognoscat. Sic superiori ætate Ludouicus XI. Galliæ Rex sententiam in *Petrum Mauclerum* Britanniæ, & *Thomam* Flandriæ Comites læsæ maiestatis Reos ferre noluit, teste Ioanne Bodino. Quemadmodum nec nostra tempestate *Henricus IV.* cognitor esse voluit criminis læsæ maiestatis, cuius insimulabatur Dux Birronius. Vt nec ante eum Philippus cognomento Longus, causæ *Roberti* Comitis Flandriæ, rei quoque læsæ maiestatis, iudicem se præbuit: ab eadem cum cæteris ratione, ne causæ propriæ Iudex videretur. Imo legimus in horum causis, Placita Parium Curiæ, non Regis nomine lata, etsi alioqui in iudicio præsentis.

Cæterum in infligendis pœnis ac sumenda vindicta, habenda est ratio

temporis & circumstantiarum, quatenus id ferant vel non ferant. Nam quemadmodum Medici certis temporum interuallis, scilicet propter caloris, vel frigoris excessum, ægrotis catapotia non præbent, ita publicarum rerum curatores, certis temporum interstitiis abstinere debent a morborum ciuilium curatione.

Sic Iulianus Imperator, cum multa salse & procaciter in se dicta, non [illegible]lis hircum illum appellantibus (vtpote barbam præ se ferentem h[illegible]) aliis Victimarium, propter crebritatem hostiarum quas Diis immolabat, aliis Idolianum, & Tauricremum; aliis purpuratam simiam; aliis loquacem [illegible]pam nuncupantibus, plurimaque alia contumeliose in se dicta animaduerteret, coactus fuit dissimulare pro tempore, tametsi non mediocri ira [illegible] inflammaretur.

Hac ratione non fuit de M. Crasso, tametsi inter socios conspirationis Catilinariæ, sumpta vindicta: quod eius morte, vtpote viri primarij, plus turbarum in Repub. suscitaretur.

TH. Politica hac prudentia & discretione etiam fuit vsus ipse regius Propheta Dauid. Is namque ne pacem regni sui turbaret, cum Ioabo, qui *Abnerum* & *Amasum* (magnos, & potentes Principes) interfecerat, conniuendum putauit. Nam Ioabus astrorum Dux erat, plurimum affinium atque [illegible]corum præsidio munitus, eiusque opera tunc temporis Rex egebat: Itaque Salomoni filio mandauit, vt de eo pœnas sumeret, cum neque tam [illegible] esset, neque seditionum metus impenderet: quod etiam a Salomone factum est.

Supplicia quando debeant esse ocyssima.

Alias supplicia nocentibus repræsentanda & quidem post causæ cognitionem ocyssime. nam qui veterem fert iniuriam, nouam irritat. Ideo [illegible] admodum scriptor historiæ Byzantinæ dixit: *Oportere eos qui citra periculum [illegible]lint viuere, anteuertere, & occurrere malis impendentibus; & si in præsentia [illegible] plantæ radicem facile præcidere possis, non esse tamen cunctandum, neque exspectandum [illegible] acceptam iniuriam cum periculo vlciscaris, cum aduersarij male cogitantis [illegible] opprimere liceat.* Dabo exemplum.

Berengario Regi struebant insidias per *Flambertum*, gratia alioqui apud eum potentem, Veronenses. De qua re certior factus Rex, Flambertum aduocat, & pro supplicio, præmium ei proponit, ratus hoc pacto h[illegible]mum placatum iri, sibique deuinctum. Itaq; iubet generosum [illegible] poculo infundi, eiq; propinari: *Bibe*, inquit, *amorem*, *dilue ran[illegible] istum poculum ob nostri amorem tibi ac tuis serua.* At nihil [illegible] quit iram, & æstuat innocentem Regem [illegible] plerumq; surgere, ac templum petere [illegible] Dei [illegible] iuret scelus in optimum Regem, & [illegible] sociis, noct[illegible] templum [illegible]tem ex insidiis inuadit, & rumphæa occidit. ô facinus [illegible]

tent Principes: vt cito & è vestigio tollant talia monstra, prorsus facta ad necem & interitum Principum & Rerumpublicarum.

Admodum itaque significanter Carolus V. Imper. identidem inquiebat, vt idem Sol ceram liquefacit, & lutum indurat, ita eandem Regis clementiam alios reddere meliores, alios ingratiores, & nequiores.

PH. Quid vero, si in hanc furoris peruenerint audaciam Principis affines, atque consanguinei, an pari iure cum ceteris habendi, & æque atque alij mox exstinguendi?

EQ. Negat Bodinus: qui scribit, nihil perinde Galliæ Reges securos atque indemnes conseruasse, atque clementiam, qua vsi fuere erga Principes sanguine iunctos, tametsi inter reos relatos, adeoque damnatos læsæ maiestatis.

Ita Ioanni II. Duci Alensomo, iam conuicto atque damnato ignouit *Carolus VII.* serio prohibens, ne exsequeretur. multi quidem hanc mansuetudinem, ceu Principi damnosam ac pernitiosam damnarunt, verum non satis isti considerarunt Principem, qui consanguineos in manus carnificum coniicit, vel clam tolli præcipit, sicam in se acuere atq; fabricare: namq; satis constat, veteres & nouitios Imperatores Orientis, & non paucos Hispaniæ, & Angliæ Reges, qui amicorum sanguine manus sibi commacularunt, violento ac cruento fato postea periisse. Aliter atque boni Principes: in quibus, Dauid Rex Hebræus: nunquid à socero *Saule* mirum quantum exagitatus, & tamen inclamat: *Nunquid superest de domo Saul, cui faciam misericordiam Dei?*

Extra consanguineos vero, ceteros puniat, quamuis nobiles, quamuis potentes, quamuis bene de Repub. meritos: neq; enim delictum excusandum dignitate, vel magnis in Rempub. meritis imo potius aggrauatur delictum.

Vnde apud Rom. M. Manlius, vnde Gallos depulerat, inde ipse præcipitatus est: quia fortiter defensam libertatem nefarie opprimere conatus fuerat. Cuius iustæ vltionis nimirum hæc præfatio fuit: *Manlius eras mihi, cum præcipites agebas Senones: postquam mutari cœpisti, vnus factus es ex Senonibus.*

Verum, in puniendo duplex prouisio est adhibenda. *Prior*, vt indicia, & confessiones damnatorum palam faciat, adque alios Principes transmittat: Primo, ne ob inuidiam, vel metum claros viros extinxisse videatur; deinde, ne alij Principes eos, qui in reos relati sunt, in præsidium suæ fidei recipiant.

Altera, vt capita tantum coniurationis tollat. Augusti exemplo, qui affectis supplicio aliquot coniuratis, reliquis pepercit: atque adeo ipsi *Cinnæ*, quem dimissum summis honoribus & beneficiis varie ornauit, deuinxitque. Cum enim *Cinna* capitalem sententiam, ac supplicium exspectaret, hac ratione aduersus eum vsus est Augustus. *Vitam tibi Cinna*, inquit, *iterum do: prius hosti, nunc insidiatori, & parricidæ. Ex hodierno die amicitia inter nos incipiat; contendamus, vtrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas.* Neronis item, qui orta Pu-

teolis seditione plebem inter & magistratum, eaq; tam grandi, vt *ad saxa & minas ignium progressa, necem & arma perliceret, C. Cassium adhibendo remedio delegit, imo fratres Scribonios data cohorte pretoria: cuius terrore, & paucorum supplicio, rediit opidanis concordia.*

Æque prudenti consilio Dux Farnesius, paucis ante eius obitum annis, coniuratione in eum exorta, quamuis multi accusarentur, noluit in omnes inquirere, sed solum confessos, & conuictos puniri permisit, cæteros silentio oblitterari, atque id quidem prouide. Etenim imprudenter faciunt Principes, qui post detectam in se conspirationem, non contenti sunt in auctores animaduertere conspirationis, sed vltra, ab addictis supplicio, correos perquirunt.

Qua in re Neronem pristinæ suæ sagacitatis immemorem, grauiter offendisse, Tacitus scribit: vtpote qui detecta in sui exitium coniuratione, omnes quæstionibus ac tormentis coniurationis conscios exquisiuit, per quæ nihil aliud effecit, nisi quod accusari viderit, ac referri inter reos, plurimos sibi coniunctissimos, quos omnes æqua lance mortis supplicio condemnare debuit: quæ seueritas postea in causa fuit, vt omnes legiones, ac prouinciæ pene omnes ab eo deficerent, qua de re idem Cornelius Tacitus, si lubet videatur.

PH. Progressi sumus aliquantulum extra septa nostri discursus, sed sermo incidens aliter non tulit, at nec is caret suo fructu. Interim quum in hoc discursu cumprimis agatur de vitandis calumniatoribus, ego illum finiam insigni illa Demosthenis sententia, ex oratione prima contra Aristog. *Nemo vestrum,* inquit, *vnquam vestrum fortasse vipera momordit, neque phalangium. & absit vt mordeat vnquam, Sed tamen omnia eiusmodi animalia vbi conspexeritis, mox interficitis. Itidem & cum delatorem, & calumniatorem, & crudelem, & hominem videritis viperinam habere naturam, ne expectate donec aliquem vestrum mordeat, sed cum primum occurret, puniatur.* Et:

Calumniæ detestatio.

Homines qui gestant, quiq; auscultant crimina,
Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant;
Gestores linguis, auditores auribus.

EQ. Totius iustitiæ nulla est capitalior pestis, quam eorum qui tum, dum maxime fallunt, id agunt, vt viri boni videantur. Quare in omni vita sic nos affectos esse oportet, vt proditiones, hypocrisim, ac dolos vitemus. Astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult quidem videri esse prudentiam, sed abest ab ea, distatque plurimum. Nec vlla pernicies vitæ maior inueniri potest, quam cum in malitia inest simulatio.

TH. Studendum itaque vt lingua in afferenda veritate seruiat, & ad famam proximorum conseruandam; illorumque vtilitatem & commoditatem promoueat. Deus, namq; qui est ipsissima veritas, mendacium funditus execratur: iubetq; nos in hac societate vitæ concordiam, & mutuam charitatem

colere

colere & retinere. Quod fieri non poteſt, vbi calumniis falſiſque criminationibus violatur nomen proximi: vel mendacio in ſuis fortunis læditur, vel maledicentiæ, procacitatiſque libidine petulanter exulceratur. Fidelis opera ſemper commodanda eſt vnicuique in aſſerenda veritate, cum de illius fama negotium agitur, aut ad tuendam bonorum illius integritatem. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. *Leuit.* 19. Remove à te os prauum, & detrahentia labia ſint à te procul. *Prou.* 4. Non ſuſcipies vocem mendacij: nec iunges manum tuam, vt pro impio dicas falſum teſtimonium. *Exod.* 23. Abominatio eſt domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. *Prou.* 12. Cuſtodite, vos à murmuratione: & à detractione parcite linguæ. *Sap.* 3. Os quæ mentitur occidit animam ſuam. *Eccl.* 7. Noli amare mendacium aduerſus fratrem tuum: neq; in inimicum ſimiliter facias: Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtabitur anima eius, Oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum: teſtem fallacem proferentem mendacia, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordiam. *Prou.* 6. Et Dominus hæc præcepit: Cum diligentiſſime perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium: reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauerat & auferes malum de medio tui: vt audientes cæteri timorem habeant: & nequaquam talia audeant facere. *Deut.* 19. Cum ſteterit teſtis mendax contra hominem accuſans eum præuaricationis, ſtabunt ambo quorum cauſa eſt ante Dominum in conſpectu ſacerdotum & iudicum qui fuerint in diebus illis. Non miſereberis eius: ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges, *Exod.* 21. Odiſti, inquit regius vates. *Pſal.* 5. *v.* 5. omnes qui operantur iniquitates: perdas omnes qui loquuntur mendacium.

PH. Ariſtoteles interrogatus, quid lucri facerent mendaces? Vt vera, inquit, loquentibus non credatur. *Laert. lib.* 5. *cap.* 5. Epenetus dicere ſolitus eſt, mendaces omnium ſcelerum & iniuriarum auctores eſſe. Eſtq; mendacium ſicut quoddam venenum, quod in ipſo ſtatim ore exiſtens hominem interficit. Sed hæc apud omnes Chriſtianos ſunt notiones anticipatæ. Itaque ad Aphoriſmum ſequentem progrediemur.

* * *

APHORISMVS XIII.

PRINCEPS FRONTEM HABEAT APERTAM; proindeq; in fide data minime vacillans, constanti ac firmo animo, quod iustum est, exequetur.

13 ÆQVALEM oportet semper esse Imperatoris animum: mutari enim pro rerum varietatibus mentis instabilis argumentum efficitur. Firmiter autem bonis inhærere qua firmitate pium vestium corroboratum & fixum est imperium, & neq; vsq; ad insolentiam extolli, neque vsque ad animi consternationem deiici, in tuta veluti basi stabilitorum est hominum, incussamque habentium animam.

Ἴσον εἶναι χρὴ πάντοτε τοῦ βασιλέως τὸ φρόνημα. τὸ γὰρ συμμεταβάλλεσθαι ταῖς τῶν πραγμάτων μεταβολαῖς, διανοίας ἀβεβαίου τεκμήριον γίνεται. τὸ δὲ παγίως ἐν τοῖς καλοῖς ἐρηρεῖσθαι, ὡς τὸ εὐσεβὲς ἡμῶν ἐστήρικται κράτος, καὶ μήτε πρὸς ἀλαζονείαν ἐπαίρεσθαι, μήτε πρὸς ἀθυμίαν καταφέρεσθαι, βεβηκότων ἐστὶν ἀσφαλῶς, καὶ ἀκράδαντον ἐχόντων τὴν ψυχήν.

13 *ÆQVABILEM semper esse debet regis animum. Cum rerum enim mutationibus commutari, mentis leuis & inconstantis est argumentum. Firmitate vero & fixa voluntate hærere bonis, vti pium nostrum imperium est corroboratum, & nec ad insolentiam efferri, nec ad animi deiectionem demitti, eorum est, qui sunt virtute confirmati & velut inuictaque animi magnitudine prædíti.*

* * *

DISCVRSVS.

PH. Midam probe auritum nobis depinxit Eques in superiori Aphorismo, eo quod ad calumniantium susurros aures protendat. Aretio Pierius Valer. *lib.* 33. *pag* 31. non per protensas sed *amputatas* potius *aures* hieroglyphice accipit eum, qui detractionibus & calumniis in alios aggestis delectatur, atque id quidem, vti mihi quidem videtur magis, accommodate. Cum enim C...

mnia ab antiquo verbo *caluor*, siue *caluis minis*, deriuetur, calui vt vtrobiq; forent, æquum esset.

TH. Solent alioquin furibus, loco primæ ad suspendium tonsuræ & initiationis, præscindi auriculæ, qua quidem abscissione (quum venæ ab auriculis ad membra prolificatiua descendant, iisque nexu alioquin per naturam indissolubili cohæreant) omnis vis prolifica ipsis furibus abscinditur, quin etiam omnium bonorum conuersatio adimitur, caluæque adeo ipsorum minæ in cineres abeunt atque euanescunt.

EQ. Memini me legere apud autorem, quis fuerit, iam non occurrit, verba hæc quæ adhuc teneo memoriter: *Potiorem genituræ partem ex cerebro descendere, argumento sunt venæ, quæ vltra aures feruntur, Si enim adustæ aut sectæ fuerint, miro quodam atque secreto naturæ limite sterilitatem inducunt.* Mirum! Cæterum reminiscor nunc Thearidis. Is olim cum gladium acueret, rogatus à quopiam; num acutus esset? Respondit: Acutus est, at acutior calumnia. Forsitan eo ipso gladio, calumniarum tenaces voluit abscindere auriculas. Hæc per lusum. Interim vitandi sunt calumniatorum ac sycophantarum, aduersus quorum morsum clancularium, eoque magis perniciosum ac ineuitabilem, non est remedium, congressus, atq; commercia. Fere namq; secundum illud Plautinum:

Qui cauet, ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet,
Etiam cum cauisse ratus, sæpe is cautor captus est.

Et sane eiusmodi adulatores seu calumniatores, (sunt enim in eodem prædicamento,) Germanis Lockvögel / quantumuis demissis manibus grandiq; gradu fugies, vix tamen effugies.

PH. Imitanda est hoc quidem in genere, gallina illa Æsopica. Quemadmodum enim illa cum ægrotaret, ad felem interrogantem eam, tanquam ex beneuolentia, quomodo valeret: Recte, dixit, si tu discedas. Sic ad eiusmodi hominem adulatorem, qui sermones varios mouet, atq; exinde secreta aliqua suffodit, dicerem: *Cum mihi condoleas gratis*, discedito gratis.

TH. Grauiter D. Chrysost. Sicut (inquit) Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliori pallio castitatis: ita & tu proiice pallium in manus calumniatoris, & fuge cum meliori velamento iustitiæ: ne forte dum vis vendicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas.

EQ. Calumniæ istiusmodi ac delationes non minus infidelis quam humilis & abiecti animi indicia & certissima argumenta sunt, nec ad hunc vsq; diem delatorem fuisse fidelem compertum est. Delatores, ait Tacitus 4. *annal.* hominum genus publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam coercitum, ideoq; olim ob imposturas, lites, calumnias in bonos & falsas delationes merito submotum fuit, quamuis à tyrannis valde probatum fuisset, atq; etiamnum non improbaretur, sed amaretur, vt inquit Tholosan. *lib. 33. cap. 4. num. 21.*

num. 21. *& lib.* 24. *de Republ. cap.* 8. *n.* 3. Obsequium enim simulantes in Principem; fingunt se egregiam illi operam nauare Principes, quia suspicaces eorum animos, metus cæteriq; affectus, ex rumoribus & delationibus orti facile penetrant, criminationibus credere amant, *Comin. lib.* 1. *cap.* 4. Apud eiusmodi toparchas tyrannellos periculosus est candor, libertas ingrata, sermo insidiosus, Sehe einer was er rede/ frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ; denique ficta & falsa sunt omnia, vt inquit Keller. *lib.* 2. *de off. iur. pol. cap.* 17.

PH. De lue isthac hominum adulantium iuxta ac calumniantium epidemiali, Clapmar. *lib.* 5. *de arcan. rerumpubl. cap.* 15 exclamat: *Qua in re,* inquit, detestemur perditissimorum nebulonum fumos atq; fraudes, an vero Principum insolentiam, qui huiusmodi amant, fouent, amplectuntur: apud quos plena, vt inquit Polyb. omnia suspicionum, & vix secreta domuum sine formidine. Cæterum cordati Principes eiusmodi delationibus inescari sese non patiuntur. Sane de Tiberio Cæsare refertur, quod causa præcipui quæstus tantum delatoribus tribuerit, vt nemini fidem abrogaret, siue quid vere, siue vani referrent. Nam ebriorum sermo excipiebatur, simplicitas iocantium, & quodcunque dictum capite & fortunis luebatur, adeo vt capitale esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, effigiemq; impressam nummo aut annulo latrinæ aut lupanari intulisse, dictum factumq; eius sequa æstimatione læsisse. Rectius vero & mascule magis Pelopidas, apud quem cum fortis quidam miles per calumniam, vt qui ei conuitiatus esset, deferretur: *Equidem,* dixi, *facta eius respicio, verba autem non audiui.*

TH. Optimum itaq; calumniarum remedium, est bene ac iuste factorum dictorumve conscientia, ad quam ipsi etiam Apostoli alicubi cum gaudio & exultatione prouocarunt. *Veritatem dico* (inquit Paulus Rom. 9.) *in Christo Iesu, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* Et *Gloria nostra hæc est, testimnoium conscientiæ nostræ.* 2. Corinth. 1. *In manifestatione veritatis commendantes nosmet ipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo,* 2. Corinth. 4. Et Act. 23. inquit Paulus: *Ego omni conscientia bona conuersatus sum coram Deo vsque in hodiernum diem,* Et: *In hoc & ipse studio, sine offendiculo conscientiam habere, ad Deum & ad homines semper,* Act. 24.

Conscientia bona testimonium.

EQ. Bona conscientia, inquit D. Bernhardus, nec damna nec verborum contumelias, nec quicquam aliud formidat; quotidie virescit, laboribus non affligitur. Estque, vt Augustinus loquitur, in homine, quidam læticiæ paradisus. Hinc ipsius Augustini insignis de conscientiæ bono vox: Tu qui veram requiem, quæ post hanc vitam Christianis promittitur, quæris, etiam inter amarissimas huius vitæ molestias degustabis, iucundiusq; ex bona conscientia lætaberis, quam ex mala inter delitias, *August. ad Catechum.*

PH. Arborem (inquit Cassiod. lib. 2. Epist) quam florere vides, etiam fructa con-

ma conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficie, quod pertinetur in radice. Hominum quoq; vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis grauamen nullius sentiat læsionis. Bene ergo sibi conscius (inquit Ambros. *de offic.*) falsis non debet mori conuitiis, nec æstimare plus ponderis in alieno esse conuitio, quam in suo testimonio.

TH. Conscientia læta & exultans (inquit Anton. *serm. de puro corde,*) sibi etiam vultum hilarem reddit, ac gentis rigat animi bona valetudo. Nec sine causa dictum est à sapiente; *Læti cordis os florescit*; omni namq; caret metu. Et sicut si breuem scintillam in magnum deieceris profundum, statim extinxeris: itidem & omnis tristitiæ superabundantia in bonam missa conscientiam, extinguitur facile, *Chrysost. hom. 24. de recta fide.* Atque vt Nepenthes herba ab Homero prædicata, addita poculis, omnem conuiuij tristitiam discutit: ita bona mens insita nobis omnem vitæ solicitudinem discutit. Hinc Agis ab Ephoris captus & damnatus, cum iam duceretur ad mortis supplicium, interrogatusq; num ét pœniteret eorum q̃ gessisset, impauide respondit: Nequaquam pœnitet, cum sciam, me prudentiã cum honestate semper coniunxisse.

PH. Commendatus fuit Iulius Drusus, tribunus plebis: quod cum ædes eius multis locis paterent vicinorum prospectui, & opifex quidam hoc incommodum, quinq; talentis correcturum polliceretur, effecturumque, ne pars aliqua esset obnoxia prospectui. Tum Drusus, Decem, inquit, dabo, si talem reddas domum meam, vt vndiquaq; pateat omnium oculis, quo non vicini tantum, sed omnes ciues perspicere possint, quomodo domi meæ viuatur, *Plutarch.* Nimirum bona conscientia, vt inquit Seneca *Epist. 97. ad Lucil.* prodire vult & conspici.

EQ. Conscientia bona interius tanquam embryo ac fœtus adhuc in vtero cordis materno inclusus, subinde sese motitãdo ac iucunde quasi saltitando felicem portendit ac promittit moxmox proditurum partum, nempe *Veritatem*, quę demum in aprico posita omnium calumniarum fumos facile discutit; cuius ob id effigiem ac partum, vt è Drusi ædibus non extrusam equidem, sed mutuatam, cordis sui promontorio quilibet præfigat, par omnino est. Sic autem Veritatem effingo: Prorsus nuda etiam pudibundis stat; petras habens à capite, lateribus & pedibus, eo quod multi eam conentur premere, quæ tamen nunquam opprimitur; nec latitare potest, itaq; nuda sine omni velamento se conspici sinit. Manu dextra tenet orbem mundi, quod secunda sit à Deo & mundum gubernet. Læua ensem habet ancipitem, quo se defendit, & mendacia repellit. *Veritatis effigies.*

PH. Ægyptij Veritatem ex humano corde gutturi appenso ἱερογλυφικῶς indicabant. Quod si etiam iisdem *pomum Persicum adhærescente folio vno tantum* pinxissent, *Veritatis* id signum erat; quippe quod ea species linguam cordi coniunctam ostendit, ac perinde sermo cordis ipsius penetralia adaperiat, non aliud quippe sentiat, aliud proloquatur. *Pier. Valer. lib. 54. pag. 527.*

Veritatis triumphus. TH. Notus est elegans Veritatis triumphus, qui extat 3. *Esdr.* 3. Cum enim Darius rex, durante splendido illo ac magnifico apparatu, quo tam domesticos suos, quam Medorum ac Persarum satrapas prouinciarumq; præsides exceperat, nocte quadam, post breuem in lecto quietem à somno relictus obdormiscere non posset, cœpit fabulari cum tribus suis satellitibus, (è quibus vnus fuit Zorobabel vetus regis amicus, inter satellites regis cum aliis duobus assumptus) & qui proponendam à se quæstionem verius ac prudentius soluerit, ei præmium fore promisit vsum purpuræ & aurei poculi, in cubatu quoq; ac vectatione vsurum instrumento aureo, & tiara byssina ac torq; aureo: & in consessu habiturum locum regi proximũ, annumeratum inter gentiles regios, post hæc promissa quærit ex primo num vinum maxime polleat, ex secundo num reges, ex tertio num mulieres, an forte veritas magis quam hæc omnia his ad inquirendum propositis siluit. Mane vero accersiuit megistanas ac satrapas ac toparchas, residensq; vbi solebat iura reddere, iubet satellitum illorum quenq; coram toto cætu respondere ad quæstionem sibi propositam quid ipsi videatur verius. Tum primus eorũ sic exorsus est vini prædicare potentiam. Viri illustrissimi, equidem vino potentiæ palmam tribuere haud dubito, dum eius virium hinc coniecturam capio. Animaduerto enim quod quorumuis potentium mentem subuertit, & vel regis animum sic afficit, vt: non secus quam puer aliquis parentibus orbus curatoris egeat: seruum quoq; suæ conditionis oblitum ad dicendi libertatem cõcitat, & pauperi addit animos diuitis. mutat enim & regenerat animas quas sub ingreditur. nam & calamitosorum extinguit tristitiam, & ære alieno atq; vsuris oppressos facit aliquantisper sibi videri omniũ ditissimos, vt obliti sui nihil sonent humile, sed talẽta crepent, & alia fortunatorum verba magnifica. præterea tam ducum quam regum illis sensum ac metum eximit, & omnem amicorum ac familiarem memoriam. armat enim homines vel aduersus carissimos, eosq; facit videri alienissimos. cunq; edormito temeto p̃ noctem sobrij fuerint redditi, surgunt omnino inscij q̃ eis per ebrietatem patrata sunt. quo fit, vt his argumentis persuasus vinum ducam rem oĩum longe potissimam simul & violentissimam. Postquam primus prolata sua de vino sententia dicẽdi finem fecit, tum secundus cœpit extollere potestatẽ regiam, huius vires asseuerans esse maximas omnium q̃ intellectu ac potentia prædita sunt. id conatus est p̃bare his rationibus. Omnium rerum penes homines esse imperium qui & terras & maria ad quoscunq; vsus seruire sibi adigunt. at ipsis hominib. reges imperitare, eisq; quidlibet pro suo mandare arbitrio. proinde qui in fortissim[illegible] malium habent dominium, eorũ vim ac virtutem merito existimari [illegible] superabilem. Quid? quod dum ad bella & pericula subditos mittun[illegible] rum imperata obsequenter faciunt, siue dum per eos obiiciunt[illegible] hostibus, siue dum coguntur cum mœnib. ac turribus, atq; adeo cum montibus, ipsaq; rerũ natura bellũ gerere, ipsorum iussu parati vel occidi vel occidere, dum [illegible]

videantur à regiis mandatis vsquã digredi. parata deinde victoria, belli commoda vniuersa ad Regem redeunt. Iam vero qui alieni à militia, dant agris colendis opera, post longos labores & sudores comportatis fructib. regi tributa persoluũt, & quicquid ille iusserit, hoc necessario sine mora pficitur. Interim ille expletus omnibus deliciis & voluptatib. dormit in cubiculo, excubantibus ante fores satellitibus, & ceu vinctis metu nusquã discedentibus. nemo.n. audet dormiente illo relicto abire ad curanda propria negotia, sed vnã hanc curam putans necessariam, in hac vna est assiduus. Et qui fieri potest, vt nõ is sit oĩum potentissimus, cui tanta hominum multitudo paret per oĩa? His peroratis successit tertius Zorobabel, dicturus de mulierib. & veritate, quatum vis quanta sit quanq; præpolleat cæteris rebus omnibus, sic dicere aggressus est. Confessum est & vinum pollere plurimũ, & regem cui omnes obtemperant, maior tñ est potentia mulierum. nam & rex per mulierẽ in lucem hanc productus est, & eos q vites colendo vinũ nobis afferunt, mulieres & educant & pariunt; & nihil est omnino q non illis acceptum ferendum sit. nam & vestimenta nobis texuntur harũ opera, & rei domesticæ cura his est cõcredita: nec vllo pacto possumus carere fœminis, sed licet argẽto multo abundem⁹ & auro, pretiosisq; rebus aliis, simulatq; mulierem formosam conspexerimus, neglectis illis omnib. inhiamus in visæ pulchritudinẽ, & libenter ei bonis cedimus, modo adamata forma frui liceat. Relinquimus ẽt parentes ac patriam, & vel amicissimorũ sæpenumero propter mulieres obliuiscimur: ac ne commori quidem cum illis refugimus. addam & aliud argumentũ earum potentiæ non minimum. quicquid terra mariue longo labore quæsitum est. nonne totum hoc mulierib. committimus? ipsum ẽt regem tantarum rerum dominum vidi aliquando ab Apame Rapsacis Themasini filia, cõcubina sua cædi alapis, nec hoc tãtũ ferre, sed vt sibi detractũ diadema capiti illa suo imponeret, ridentẽ cum ridente, & irata illa mœrentẽ, & adulatorie se ad affectus illius attemperando humiliter satisfacientẽ, si quid eam offensam animaduerteret. Interim dum satrapæ mirabundi alij in aliorum vultus inter se mutuo coniiciunt oculos, Zorobabel ad veritatis laudes fecit transitũ. Dixi, inquit, & declaraui quantũ mulieres polleant, veruntamen nec hæ nec rex veritati vllo modo conferendus est. Nam cũ terra sit maxima, cœlum item immensæ altitudinis, & sol celeritatis ineffabilis, cumq; hæc Dei voluntas gubernet ac moueat, qui Deus iustus est & verax, consequitur vt veritas sit rerũ omnũ longe potentissima, contra q̃ iniustitia nihil omnino valeat. preterea reliqua omnia quantumuis pollere videãtur, mortalia sunt & celeres habent exitus, veritas vero immortalis est atq; sempiterna. Quin & ea q̃ ab illa percipim⁹ nec mortalia sunt, nec iniuriæ temporum aut fortunæ reciprocis vicibus obnoxia, sed iusta & legitima, secretaq; ab omni labe iniustitiæ. his dictis Zorobabel sermoni finem imposuit. Acclamante vero auditorio quod dixisset optime, & q sola veritas vim omnis senij vel mutationis expertem, iussit eum rex postula-

re aliquid ex his quæ illi paulo ante vltro fuerat pollicitus. Libenter enim se concessurum, vt viro sapienti,& qui prudentia vincat cæteros. quare posthac, inquit assessor meus eris, receptus inter cognatas mihi necessitudines.

PH. Periculosum alioquin est in aulis dicere veritatem, & Principes vtplurimum libertatem dicendi ferre non possunt. Custodienda tamen interim (inquit Lactantius,) est veritas; quæ licet ad tempus sit insuauis, tamen cum fructus atq; vtilitas apparuerit, non odium pariet, sed gratiam. Et quamuis calumnia aliquantisper confirmat auditoris opinionem, tamen progressu temporis ipsa nihil est imbecillius, quæ etiam viperæ instar ipsi parenti tandem perniciem affert. Labium enim mendax non erit stabile ad diuturnitatem, *Prouerb. 6.* Et sicus auis fugit & hirundo auolat: ita maledictum falsum non adhæreseit.

TH. Talis est conditio falsitatis, vel erroris, vt etiam nullo sibi assistente consenescat ac defluat: talis autem è diuerso est veritatis status, vt etiam multis impugnantibus suscitetur & crescat.

PH. Tantam semper potentiam veritas habuit, vt nullius machinis aut cuiusquam hominis ingenio aut arte subuerti potuerit. Et licet in causis nullum patronum aut defensorē obtineat, tamen per se ipsa defenditur. *Ex Orat. in Vatin. Cic.* Multorumq; improbitate depressa veritas emergit, & innocentiæ defensio interclusa respirat, *Cic. pro Cluentio.* O igitur magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias, facile se per se ipsa defendit, *Cic. pro Cœlio.*

EQ. Nullæ duæ res (inquit Viu. *lib. 2. de anima,*) inter se tam amicæ & concordes, quam virtus & veritas, nempe, germanæ à Deo genitæ, & humanis mentibus sicut vtilissimæ, ita etiam integris iucundissimæ. Estq; is vir verus, inquit Marsilius Ficinus, in quo nihil effœminatum, nihil efferatum, nihil mendax, nihil quod non virtutis vim præ se ferat, & intra se ferat.

PH. T. Pomponius, eques Romanus & amicus Ciceronis (ob linguam Atticus dictus) mendacium nec ipse dicebat, nec pati poterat: quapropter omnes ei res suos amici curandas certatim dabant, consiliumq; ab eo de republica deq; rebus magnis petebant.

M. Antoninus verissimus appellatus ab Adriano, quod nunquam fuisset mentitus. De quo etiam ob hanc cæterasque eius virtutes, insignem habuit orationem, magnus ille Conradus Rittershusius, cui *Speculum Principis cuiuslibet boni,* titulum fecit.

Candor. *EQ.* Quam sit illustris in viro præsertim Principe, virtus Veritas, ex mendacij contra positione facile elucescit. Coruscat autem in ipsius Veritatis facie, splendor quidam insignis i *Candor,* dictus, cuius tanta est gratia, [illegible] corpore quouis senili ac decrepito, nedum iuuenili, summo[illegible] que commendetur. Extant huius candoris exempla apud autores passim, quorum quædam hoc loco inseram.

Eume-

Eumenes rex fratribus suis crebro dicere solebat: Si me vt rege vsi fueritis, vobis tanquam fratrib. gratificabor: Sin autē tanquam fratre, ego vobis vt rex.

Epaminondam aliquando Diomedontes Cyzicenus, rogatu Artaxerxis, pecunia corrumpendum susceperat. Atq; is (Diomedontes) quidem magno cum pondere auri Thebas venit & Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, & causam aduentus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, *Nihil*, inquit, *opus pecunia est. nam si ea Rex vult, quæ Thebanis sint vtilia, gratis facere sum paratus. sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis. namque orbis terrarum diuitias accipere nolo pro patriæ caritate.* Te, qui me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror, tibi ignosco. sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris. tu argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam Magistratui. Hunc Diomedon cum rogaret, vt tuto exire, suaque, quæ attulisset, liceret efferre: istud, inquit, faciam, neque tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat ad me ereptum peruenisse, quod delatum accipere noluissem. à quo cū quæsisset, quo se duci vellet, & ille Athenas dixisset: præsidium dedit, vt eo tuto perueniret. neq; vero id satis habuit, sed etiam vt inuiolatus in nauem ascenderet, per Chabriam Atheniensem curauit.

TH. Antigonus, cum quidam dixisset, omnia regibus & honesta & iusta esse, *per Iouem*, inquit, *regibus barbarorum, sed nobis sola honesta sunt honesta & iusta sola iusta.* quod ita verum est, vt sola pietate & iustitia (quod eleganter inquit Seneca) principes dij fiant. Eiusmodi candoris exemplum egregium enituit in Sexto Pompeio, Magni illius Pompeij filio. Cum .n. aliquando cum Antonio atque Octauo percussis fœderibus illos in triremi accepisset in cœnam, atque inter discumbendum ab Menedoro classis præfecto clam esset admonitus, vtriusque capiendi, qua ratione & paternam vlcisceretur necem & vniuersum sibi imperium vindicaret: cum Menedorus ipse ita prospexisset nauibus vti euadere neuter in continentem posset, summa cum animi celsitudine respondit: Menedoro quidem id licere, cui peierare fas esset (fuerat enim seruus) Pompeio vero Magni Pompeij filio nequaquam licere. Vtrumque animo quam generosissimo.

EQ. Laudabiliter admodum Romanorum Dux Camillus, Faliscos circumsidens, abuti noluit Pædagogi perfidia, qui nobilium filios fidei suæ commissos ei tradebat; sed hunc vinctum pueris dedit, & vt eorum parentibus pœnas lueret, in vrbem remisit. Medicum etiam pollicentem se Pyrrhum veneno necaturum, ab eo consilio deterruit C. Fabricius, & Pyrrhum commonefecit, vt ab insidiis suorum sibi caueret. Atq; hinc vtriq; Romanorum plus æquitas iustitiæ seruata profuit, quam fides violata profuisset: & Romana Respublica clarior facta est, quod fraude vincere noluisset, quos dolis facile superare poterat, vt Valerius Max. scriptum reliquit.

PH. Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque vt vrbe relicta, coniugibus & liberis Trœzone depositis naues conscenderent, libertatemq; Græciæ classe defenderent, Cyrsilum quendam suadentem, vt in vrbe manerent, Xerxemq; reciperent lapidibus obruerunt. Quorum virtutem rursum in extremo discrimine positorũ, idem commendans Themistocles, post victoriam eius belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reipublicæ salutare, sed id sciri non opus esse: postulauit, vt aliquem populus daret, qui cum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille: classem Lacedæmoniorum, quę subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse, quo facto frangi Lacedæmoniorum vires necesse esse. Quod Aristides cum audiuisset, in concionem magna expectatione venit, dixitq; perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaq; Athenienses quod honestum non esset, id ne vtile quidem putauerunt, totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiauerunt. Otho Frisingensis.

EQ. Cum Pyrrhus Rex in Italia esset, & vnam atq; alteram pugnam prospere pugnasset, satisq; angerentur Romani, & pleraq; Italia ad Regem desciuisset, tum *Nicias* quispiam Regis amicus ad *C. Fabritium* furtim venit, ac præmiũ petiuit: & si de præmio conueniret; promisit *Regem* venenis necare: idq; facile esse factu quoniam filij sui pocula in conuiuio *Regi* ministrarent. Eam rem *Fabritius* ad Consules scripsit. Consules Legatos ad Regem miserunt. Literas autem, quas ad Regem *Pyrrhum* super ea causa miserunt, Cl. Quadrigarius scripsit, fuisse hoc exemplo: Consules Romani S.D. Pyrrho regi: *Nos pro tuis iniuriis continuo animo strenue commoti, inimiciter tecũ bellare studemus. Sed communis exempli & fidei visum est, vt te saluum velimus: vt esset, quem armis vincere possimus. Ad nos venit Nicias familiaris tuus, qui sibi pretium a nobis peteret si te clam interfecisset. Id nos negauimus velle, neve ob eam rem quicquam commodi expectaret, & simul visum est vt te certiorem faceremus; ne quid eiusmodi si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum. & quod nobis non placet, pretio, aut præmio, aut dolis pugnare. Tu, nisi caueas, iacebis.* Quod factum dilaudat Ambrosius eleganter: *Præclarum* (inquit) *reuera factum: vt qui virtutis certamen susceperant, nollent fraude vincere. Non enim in victoria honestatem ponebant, sed ipsam nisi honestate quæsitam, victoriam turpem pronunciabant.*

TH. Recentius est, quod referam. Franciscus Galliæ rex *Carolum V.* Imperatorem citatis equis, paucis quidem sociatum comitibus in Flandros rebellantes properantem, Lutetiæ qua decuit Regum magnificentia & fide excepit. Varij tum inter vtrumque de pace agitanda sermones (grauissimis enim tum bellis alter ab altero dissidebat) deq; donando Regis filio Ducatu Mediolanensi. Interea inaudit alicunde Cæsar, Regi à quibusdam suggeri, a[...] lam, quando maxime opportunum sit, cauea inclusam retineat. Is vasa nihilominus colligit Rege vidente, atq; adeo eo, & Principibus (qui [...] in au-

in aurem illius identidem repetebant)benigne salutatis: Hic Rex ab Cæsaris discessu: *Absit,absit,*inquit,*à nobis tam turpis & fœda perfidiæ nota. Etiamsi fides toto orbe exulet,Regibus tamen tenendum esse,qui nullo metu,nulla pœna,nisi virtutis & fidei reuerentia vt eam præstent, cogi obstringique possunt.* Ita est: si à pudore Principes discedunt,nihil est,quo ad fidem seruandam obligentur.

EQ. Candori non est opus suspensa hedera, cum seipsum satis commendet. At huic opposita Fraus & deceptio, (quam si mauis, prout contingunt casus,perfidiam aut periurium dixeris,eodem recidit)etiamsi plaustra appendas hederæ,seipsam tamen sua prodit vafricie. Adumbrabo vobis illius (perfidiæ) effigiem:

Stat,oculis in terram fixis abiecto velamento pudibundorum, quod honestatem & verecundiam omnem abiecerit & ceu pedibus conculcarit. Linguam exertam habet, cuius anterior pars abscissa est, quod perfidis & periuris illud membrum quo blasphemarunt Deum impie in testimonium vocantes, abscindi soleat,& rectissime, sicut & duo dexteræ manus digiti, index & proximus abscissi, sinistra monstrat dextræ abscissos digitos; quod non diu possit celari perfidorum iniquitas. Quod si nemo prodat, produnt semet ipsos suis facinoribus. *Perfidiæ effigies.*

TH. Magnum hic possem perfidorum eisque consimilium congerere catalogum; quum vero odiosa sint restringenda,erimus breuiores,dicemus tamen aliquid. Ac primum magnus se se offert numerus veteratorum, qui admodum sunt versuti, atq; anguium instar volubiles, quorum ob id versutiæ difficulter possunt deprehendi. Ex horum numero olim fuit Antiochus, cuius tamen versutos conatus Popilius Romanus prudenter repressit. Historiæ breuiter sic habet. Nupta fuerat Ptolomæo Epiphani Cleopatra, soror Antiochi Epiphanis. Ex hac natus fuit Ptolomæus Philometor,cuius ætas quum mortuo patre nōdum matura esset gubernationi, simulat Antiochus, se quia auunculus erat,Tutorem fore adolescentis,& sperat,hoc prætextu se potiturum esse regno Ægypti. Cumq; venisset in Ægyptum,præsidia in Memphi & in aliis quibusdam vrbibus,tanquam tutor,collocat.Hæc dum attentaret,venit in Ægyptum legatus senatus populi Romani Popilius, præcepitq; nomine Senatus Antiocho, vt ab Ægypto abstineat & ex Ægypto p̄sidia abducat; quia Senatus pupillū defensurus sit. Antiochus vt eluderet Romana mādata, tergiuersat, & ambigue respondet. Ibi legatus baculo in puluere circulū pingit circa Antiochum, & iubet eum plane respondere, priusquā ex eo circulo egrediatur.Id nisi faciat,populū Romanum ei bellū indicere Antiochus metuens Romanos,promittit se imperata facturum esse Rediēs igitur Ierosolymam,anno regni sui octauo,iratus,fremens & egens,longe maiorē crudelitatem exercere incipit, q̄ antea. Proponit edictū. vt relicta lege Moysi adorent oēs Idolum Iouis Olympij,quod ipse in templum Ierosolymę collocauit.Libros Moysi & Prophetarū vndiq; conquisitos igni consumpsit.Munit Idolū præsidiis *Veteratores. Versuti. Fallaces.*

diis sceleratissimorum militum. Iubet Bacchanalia celebrari in vrbe Ierosolyma. Interficit horrendis suppliciis multos senes, matronas, & virgines.

EQ. Hi nimirum sunt nefandi tyrannorum mores, vt spe ac desiderio suo frustrati, in miserum deinceps immaniter sæuiant ac debacchentur gregem. Sed hoc miseris restat solatium, quod mors illorum pretiosa est apud Deum; vlli vero viri sanguinum non dimidiant dies. Difficilimum namq; est, vt etiam Æsopus dictar, inuenire senem tyrannum.

TH. Manuelem Comnenum Imperatorem Græcum huic subiungo. Fuit is, vt extat in Chronico Carionis, leuis, turbulentis, infidus, perniciosus; quæ quidem epitheta Imperatoriam Maiestatem valde dehonestant. Conradum Sueuum Imperatorem, cum ad fœdus & amicitiam inuitasset propter affinitatem pollicitationib. blandissimis, postea fiducia amicitiæ securius se transmisso Hellesponto Asiæ committentem, insigni perfidia pene grauius hostibus ipsis afflixit, ferro, fraude & veneno exercitum depopulatus. Magnam.n. partem eius perdidit, submissis panibus, qui parati erant ex farina infecta commoliti gypsi tenuissimo puluere. Huius perfidiæ pœnas Rogerius Siciliæ Rex bello persequutus, Corcyra, Ætolia, Acarnania, Corintho, & Acrocorintho partim vi, partim deditione captis atq; direptis, classem regiæ vrbi admouit, & impetu in eam facto suburbia flammis iniectis exussit, ægre sese cum Imperij titulo intra mœnia Imperatore conseruante.

PH. Veteratoris Memnonis Thessali ex Xenophonte audite veteratorium ingenium. Is (Memnon) neminem ex animo diligebat, neq; se cuiquam vnquam amicum simulauit, quin insidias ei fecerit: ex hostibus neminem vnquam ludibrio habuit; & contra quibus cum consuetudinem habebat, cum iis de rebus omnibus ridens atque illudens agebat: hostium bonis non insidiabatur, quod difficile esse putabat: amicorum autem res ita appetebat, vt solus nosse videretur facilime, quæ non custodiantur, adimi posse, ad hæc periutos, quos insidiosos esse intelligeret, eos tantum quasi bene aduersus se armatos, metuebat: bonorum pietate & fide ceu hominum minime strenuorum, pro libidine sua abutebatur.

EQ. Callidum, nec fortassis iniquum, proindeque non admodum improbandum fuit, factum Pharnabazi Satrapis Regij. Nam cum Lysander præfectus classis in bello multa crudeliter, auareque fecisset, deque his rebus suspicaretur ad ciues suos esse perlatum, petiit à Pharnabazo, vt aut Ephoros sibi testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset, sociosque tractasset, de eaque re accurate scriberet. magnam enim eius auctoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur. librum grauem multis verbis conscripsit, in quo summis eum effert laudibus. quem cum legisset, probassetque, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, vt discerni non posset, signatum subiecit: in quo accuratissime eius auaritiam, perfidiamque accusarat. Hinc Lysander domum cum reduxisset, postquam de suis rebus gestis

apud

apud maximum Magiſtratum, quæ voluerat, dixerat, teſtimonii loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, ſummoto Lyſandro, cum Ephori cognoſſent, ipſi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipſe ſuus fuit accuſator.

TH. Poſſunt iſtiuſmodi verſutiæ prudenti proſpicientia præcaueri. Perfidiæ vero atque periuria non item. Quamobrem etiam Deus perfidiam ac periuria tantopere abominatur, & atrociter quoq; punit. *Vnuſquiſque*, (inquit Zacharias propheta *cap.* 8.) *malum contra amicum ſuum ne cogitetis in cordibus veſtris, & iuramentum mendax ne diligatis, omnia enim hæc ſunt quæ odi, dicit Dominus.* Exemplum perfidiæ referam ex Othone Friſingenſi, quod his recenſet verbis. Circa annum incarnationis Dominicæ DCCCCX. Albertus nobiliſſimus Francorum comes, Ottonis Saxonum Ducis ex filia nepos, Conradum, qui à quibuſdam Ludouici Regis frater fuiſſe creditur, occidit. Ob ea Rex prædictum Heroem in caſtro Babẽberg, vbi nunc nobilis epiſcopatus fundatus cernitur, bello petiit. Cumque viribus ſe proficere poſſe non videret, Hattonis Moguntini Archiepiſcopi conſilio, ad dolum ſe contulit. Itaque (vt non ſolum in Regum geſtis inuenitur, ſed etiam in vulgari traditione, in compitis, & curiis auditur) præfatus Hatto Albertum in caſtro ſuo Babenberg adiit, eumque pietatis diuinæ obtentu, de gratia Regis adipiſcenda conuenit. Ille deuote monitis eius obtemperans, humiliter conductum de perſonæ propriæ incolumitate petiit. Ac ne multis morer, interpoſita ſacerdotis præfati fide, iter carpunt: vix caſtro exierant, iam proximi vico, qui Teurſtat dicitur, appropinquabant, & Epiſcopus graue (inquit) erit nobis ieiunium ſuſtinere: ſi placet antequam Regi præſentemur, ad prandium diuertamus. Tum ille ſimplices aures, more antiquorum primorum habens, dolumque minime perſentiens, gratanter eum ad prandendum in caſtro, vnde digreſſi fuerant, reduxit. At poſtquam refecti ſunt, ad curiam veniunt, in cauſa princeps ponitur, ac tanquam reus Maieſtatis capite plectendus adiudicatur. Monet ille Epiſcopum de fide data: quam econtra ille ſe bene in hoc, quod ſanum, & incolumem eum in caſtrum reduxerat, ſeruaſſe reſpondit. Sic præfatus Albertus capite plectitur, poſſeſſioneſque eius, è quibus poſtmodum Babenbergenſis Eccleſia locupletata dicitur, in fiſcum redactæ ſunt. Ex huius Alberti ſanguine Albertus, qui poſtmodum Marchiam orientalem, id eſt Pannoniam ſuperiorem Vngaris ereptam, Romano Imperio adiecit, originem duxiſſe traditur. Iudicent de hoc ſacerdotis facto alii qui velint, & tanquam pro regni vtilitate commiſſum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non ſolum quemlibet Chriſtianum fraude circumuenire, ſed etiam in corde, & corde in cauſa capitali loqui non debuiſſe, arbitror Epiſcopum.

EQ. Quam nefarie etiam Muſtapha fidem, quam præſidiariis militibus Famaguſtæ dederat, fregerit, recenſent Didaſcus Serauas, Samuel Budina, &

alii qui de rebus Turcicis scripserunt. Historia hæc est. Famagustam an. 1571. dum nulla affulgeret subsidiorum spes, & hostes vrbi vehementer imminerent; extrema necessitate compulsi præsidiarii tandem his conditionib. dedũt; vt Venetis salua sit vita, arma, facultates, concedanturq; eis quinq; machinæ bellicæ, terni pulcherrimi equi, & in Cretam vsq; tutum iter: Græcis autem liceat manere domi suæ, rebus suis frui, & Christianam colere religionem. Hæc vero omnia se seruaturum, confirmauit Mustapha propriæ manus subscriptione. Statim igitur cœperunt militem nauibus imponere, & iam duces quoque abire volebant, cum ecce postridie Nonas Augusti Bragadinus scribit Mustaphæ, secum clauibus ad ipsum venturum, & petit ab eo, ne quicquã interim molestia afficiatur. Assentit Mustapha, laudat Bragadini virtutem, iubet sine vllo metu eum quandocunque velit, ad se accedere.

Nihil igitur formidans Bragadinus, sub vesperam cum multis nobilibus, & quinquaginta gregariis militibus venit ad tentorium Mustaphæ. Ibi primũ ab illo comiter accipiuntur, & cum eos assidere iussisset, loquitur cum eis familiariter. Deinde vero obiicit Bragadino, sed falso tamen, quod durantibus induciis captiuos quosdam supplicio affecerit: moxque exiliens stomachabundus, iubet omnibus vincula iniici, atque ita extra tentorium productos, ipso inspectante, in frusta discindi. Bragadino autem tertio mandat, vt caput præcidendum porrigat: illique constanter porrigenti, aures abscindit: mox in terram eum procumbere iubet, atque os impurum homo impius & crudelis iactandis in Saluatorem nostrum conuiciis & blasphemiis laxat, & vbi nam est, inquit, modo Christus tuus, vt opem tibi ferat?

Bragadinus tacet ad omnia. Nec enim dignus erat homo perfidus & cruentus carnifex, cui vir tantus vel verbum responderet. Erant tum in hostium castris etiam alii milites, & Christiani plus minus trecenti, nihil à sibi à tanta perfidia metuentes. Ii omnes subito quoq; necati sunt. Qui iam naues conscenderant detenti & spoliati sunt. Incidit hæc horrenda Christianorum cædes in septimũ Augusti diem. In arce relictus erat à Bragadino Tiepolus. Eũ Mustapha suspendi iussit. Nestor Martinẽgus Comes, cũ ad paucos dies hinc inde in Græcorum ædibus latuisset, tandem captiuum se tradidit Turcæ cuidã in eiusq; castris mansit, cum ei pollicitus esset aureos nummos quingentos.

Decimoseptimo Augusti, qui Veneris dies erat, & spurcis illis hominibus festus, producunt Bragadinum, præsente semper Mustapha, ad singula loca vrbis diruta, cogunt in singulis locis binas ascendendo & descendendo terræ mensuras ferre, deinde cum transiret Mustapham, humum exosculari: mox ad mare eum adducunt, & sedi ipositum vsq; ad antennas supra malum pertrahunt, vt à Christianis omnibus, qui adhuc in portu erant, conspiceretur. Inde in forum eum reducunt, & vinctũ illic viuumq; non sine immenso cruciatu excoriant. At ille tantã crudelitatẽ fert animo inuicto, & inter ipsos cruciatus

ciatus obiicit tyranno perfidiam: Deumq; rogat, vt sui misereatur, seq; illi cōmendat. Ad extremum pellem eius à corpore detractam carnifices paleis & stramine farciunt atq; ad antennas suspensam, per maritima Syriæ loca ludibrii causa circumducunt, omnibusque ostentant.

TH. Admoneat nos hæc barbarica tyrannis, vt non solum preces contra eam assiduis gemitibus in vera Christi agnitione, ac pœnitentia nostrorum peccatorum ad Deum fundere discamus, sed & perfidissimæ ac maledictæ sectæ Mahometanæ promissis minime fidem adhibeamus, tunc fallere conantis, cum credulos inuenit, vt præter hoc exemplum, & Iulæ in Hungaria, anno 1566. simili fraude doloq; captæ, abunde testatur. Non est autem, cur admodum mirum nobis videatur, potuisse Turcas, Christiani nominis hostes infestissimos, Cyprum expugnare, cum in Famagustæ obsidione fuerint stipēdiis conducti ad 80000. Ianicerorum 14000. & sua sponte militantium 60000. simul omne genus hominum 200000. Obsessa est Famagusta diebus sexaginta quinque intra quos centum & quadraginta ferrearum pilarum milia in vrbem coniecta sunt ex bombardis. Ex tanto vero exercitu vltra 80000. ad Famagustā perierunt. Ad Cypri defensionē relicti sunt à Mustapha peditū 200. equitū 2000. Nō est dubium, quin more suo ita cōmuniturі sint eam insulam, vt eius recuperandæ nulla spes relicta videatur. *Sed hoc obiter.*

Perfidorum & periurorum tragici exitus.

Cæterū grauissimi semper fuerunt, sunt & erunt, tristes exitus eorum, qui fiunt periuri. Hinc Phocylides grauiter monet:

Principio venerare Deum, cole deinde parentes,
Nec iusiurandum violes, volensque nolensque:
Nam Deus æternus periurum quemlibet odit.

EQ. Grauissimum est iudicium Pausaniæ, quod Philippi Macedonis posteritas ideo in tantas calamitates inciderit, & miserabiliter deleta sit, quia Philippus non semel factus est periurus, sed quasi lusit cū iuramētis. Hoc iudicium Pausaniæ cōuenit cū sapientissimo dicto Lycurgi in oratione cōtra Leocratē: quod periurus, etsi potest aliquando effugere pœnas, quas homines de sontib. sumunt: tamen iudicium & pœnas diuinas effugere nunquam potest: & si nō ipse, tamen posteri & totum genus in magnas calamitates incidit. Quod vtinā regib. & principibus quoq; Christianis in mentem mature veniret, cum fœdera iureiurando per veri Dei nomen Dei firmata, tam flocci faciant, vt leui de causa ea negligant, & cupiditatib. suis posthabita fide indulgeant. Recentia attingerē exempla, modo non essent odiosa. Quoties Ludouicus XI. rex Galliarū & Carolus dux Burgundiæ pactiones iureiurādo confirmarūt, toties fere cū alterutri videretur cōmodum ab iis recesserūt, & vt Cominæus *lib.* 4. de illis refert, eo spectarunt omnia illorum cōsilia, vt alter alterum falleret, & *lib.* 12. dicit, horum duorum principum per omnem vitam in rebus omnibus contrariam & diuersam fuisse voluntatem, & qui nullam rem simul ex animo comprobarunt, nisi in caput Conestablii coniurationem.

PH. Apud Herodotum etiam Pythia Glauco respondit, commissam periurii fraudem in nepotes redundaturam, nimirum; Hospes quidam magnam pecuniæ vim apud Glaucum deposuerat: cumq; homine mortuo filii ipsius depositam pecuniam repeterent, Glaucus post quatuor menses se responsurum dixit. Interea Delphicum oraculum consuluit, vtrum iureiurando liceret negare, pecuniam esse depositam. Territus autem responso Pythiæ, quod periurii pœna esset in nepotes redundatura, veniam petiit. Sed Pythia respõdit: idem esse, tẽtare Deum, & facere. Itaq; reuersus domum, Milesiis iuuenib. pecuniam quidem reddidit, verum ipse non multo post cum tota familia sua extinctus est. Tametsi vero Ethnici in iuramentis non vtuntur nomine & inuocatione veri Dei: tamen Deus in ipsis & perfidiam & voluntatem abutendi nomine Dei ad periuria punit: & ea exempla nos admonẽt, vt nos qui verum Deum in iuramentis nominamus & inuocamus eo magis caueamus periuria. Cęterũ quantũ à perfidia abhorreat Dominus, plurimis exemplis manifestũ est. Cum Gabaonitæ (de quibus extat *Ios.*9. callide sese apud Iosuam Israelitarum Ducem, cæterosq; Israelitarũ insinuauerant, idq; impetrauerant, vt nec Iosuæ nec cæteri principes subditive se perniciem exitiumq; Gabaonitis nõ allaturos, iurarẽt. Quanquã vero fraude postmodũ cognita ad cædẽ eos plebs deposceret, Iosuæ tamen, ne iusiurandũ violaret, eis periculo mortis exemptis vitam ea lege concessit, vt conuehendis lignis aquaq; in vsum & ministerium altaris cõportanda populo deseruirent: quo in seruitio ad vsq; tẽpora Saulis regis perseuerarũt: qui pietatis & religionis obtẽtu, cupiditate quadã illectus, neglecto iureiurãdo, quo se & posteros Iosuæ adstrinxerat, Gabaonitarũ vrbes occupauit, plurib. eorũ occidi iussis. Qui ex tanta cæde super fuerũt, vidẽtes se affligi & torqueri miserrime nec ab hominib. auxilium sperãtes, oculis manibusq; in cœlũ sublatis, Deo supplicarũt, vt in hominib. perfidis tantũ facinus vindicaret, *2. Sam.*21. Nec frustra fusæ preces. Nã Deus tãtæ perfidiæ pœnas sumpturus, famã immisit in terrã tribus annis iugiter, & è populo multos inedia consumpsit. Porro Dauidq; Sauli in regno successerat, ignarus quodnã maleficium ac scelus tã dira fame, velut cõmuni supplicio, Deus vlcisceretur, cõsuluit oraculũ Domini; dixitq; Dominus: propter Saul & domũ eius sanguinũ, & ꝙ violat iurisiurandi sacramento Gabaonitas occidisset, eam sterilitatẽ rerumq; omnium egestatẽ accidisse; nec finẽ fore tantæ plagæ & calamitati, quoad pro iniuria Gabaonitis satisfecissent. Atq; hi quidẽ necem suorum, nõ auro & argento, sed eorum qui ex familia Saulis erant, sanguine cõpensari voluerunt. Itaq; septẽ ex eo genere sibi iussu Domini à Dauide traditos patibulis affixere: quibus gestis placatus est Deus, famesque cessauit. Quo ex facto satis intelligi potest, quã acerbas perfidiæ pœnas Deus ab iis exigat, qui iuratã fidem fefellerunt, quam vel à se vel ab alio datam seruare debuerunt: quantumuis ii qui sacramentum dixerint, Reges sint, & quibus fides datur, obscuri & rerum inopia abiectissimi.

EQ. Audi-

EQ. Audite historiam ex Bonfinio *de rebus Hung. decad.* 3. Cōpositis inter regē Vladislaū & Amurathē Turcarū Imperatorē rebus omnib. rex Hūgariæ, violato fœdere prior in Turcā bellū mouit: initoq; prælio Turca, cū suos in pugna nō sine magna cæde fugari cōspicaretur, ad expiāda fidei violatæ pacula, ad vlciscendā Christianorū perfidiam, & ad vindicandū ius rescissę pacis, depromptum è sinu codicem initi sanctissime fœderis explicat, intentisq; in cœlum oculis, *Hæc sunt*, inquit, *Iesu Christe, fœdera quæ Christiani tui mecum percussere. Per nomen tuum sancte iurarunt, datamq; sub nomine tuo fidem violarunt, perfide Deum suum abnegarunt: nunc Christe si Deus es (vt aiunt,) & nos hallucinamur, tuas measq; iniurias, te quæso, vlciscere: his qui sanctum tuum nomen nondum agnouere, violatæ fidei pœnas ostende.* Vix hæc dixerat, qui vltimum in se impetum expectabat, cum prælium, quod anceps ac dubium diu fuerat inclinare cæpit: nam camelorum onerariorum interuentu à cæde ad prædam Hungari animos conuerterant: tandem trucidato rege Vladislao, Hungari in fugam coniecti, nobilem victoriam Amurathi reliquerunt.

TH. Memorabile extat punitæ perfidiæ exemplum in Rudolpho Sueuiæ duce, quam prolixe recenset Ioann. Wolfius in 1. *parte memorab. fol.* 285. 286. Quum Gregorius VII. eius nominis Romanus Pontifex (antea Hildebrandus) contra morem maiorum sine consensu Imperatoris antea semper in Pontificum electione interponi solito, Pontificatum inuaderet, idque circa annum Christi 1058. insuper etiam Imperia, regna & principatus, auferre & cōferre se posse, iactitaret, ac temporalem supremamq; iurisdictionem lege lata vsurparet, Reges atque Augustos vt precario regnantes floccifaceret, nuncios Cæsareos conatibus ipsius refragantes in vincula coniiceret, ac per vrbem ignominiose circumductos Roma pelleret. Itaque Henricus IV. Imperator, nouam atq; insolitam Pontificis audaciam minime ferendam ratus, Concilium Wormatiæ indixit: In quo legatis, qui Roma venerant, auditis, & literis de Hildebrandi sceleribus lectis, præter Saxones, omnes Episcopi Germani & Galli Pontificem Hildebrandum Pontificatum abdicandum, nec oues lupo committendas decernunt: Rolando quodam clerico Parmensi cum epistola, quæ concilii sententiam complectebatur, Romam misso, vt nomine synodi, Gregorio Pontificiis officiis interdiceret publiee: præciperetq; Cardinalibus, vt relicto Gregorio, alium pontificem habituri ad Imperatorem proficiscerentur. Cæsar quoque & Hildebrando, & sacerdotibus, populoq; Romano scribit, imperans ex concilii decreto, vt ille ad priuatam vitam redeat: hi, deserto Hildebrando, more maiorum pastorem sibi deligant.

Hildebrandus nuncio harum rerum accepto, adeo nihil commotus est, vt & furiosius exacerit, multoque insolentior euaserit. Nam cum ante quosdam Imperatoris familiares excommunicasset, quorum consiliis eum ad tales actiones impelli existimabat, Cæsarem iam ipsum, in conciliabulo suo, contra

ordinem iudicandi sacris canonibus determinatum, nouo exemplo excommunicat, proscribit, regia dignitate priuat, regno spoliat, subditos à dato iuramento absoluit. Veruntamen vt primum ad excommunicandum Cæsarem de sede surrexit, sedes ista nouiter lignis fortissimis composita, subito Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: vt manifeste daretur intelligi, quod tam temeraria excommunicatione sessor ille horrenda schismata cõtra Christi Ecclesiam seminaret. Nec vero hæc fulmina penitus cæca & irrita fuere. Principes etenim atq; Episcopi Germani, Pontificis anathemate cognito, partim superstitione vana, partim spe amplificandæ potentiæ, partim odio antiquo Heinrici adducti, comitiis indictis, nisi Heinricus à Pontifice in Germaniam venturo, supplex veniam peteret, defectionem minitantes: rem eo deduxere, vt ipse in angustiis positus, atque in periculum abrogationis Imperii veniens, se pontificem aditurũ culpamq; deprecaturũ, principib. polliceretur.

Itaq; positis regalibus ornamentis, cum vxore ac filio paruulo, in aspertima hyeme Canusium periculosissimo itinere ad Papam contendit, in laneis vestibus, pedibus nudis, spectaculum angelorum & hominum factus, ante portas ciuitatis, à mane vsque ad vesperam ieiunus veniam supplex petit: Hildebrandi ludibria inter meretrices & monachos, in lachrymabili afflictione triduum perfert, cupiens ad illum intromitti. Sed ingressus denegatur. Petenti instantius per totum triduum, respondetur: Pontifici non esse adhuc ocium colloquendi cum eo. Heinricus æquo animo ferens, se non intromitti in vrbem: mansit in suburbio, non sine magna incommoditate. Hyems namque erat asperrima, & cuncta rigescebant gelu. Indesinenter tamen nequicquã toto triduo petẽs sibi veniam dari: tandẽ rogãtibus Mathilda comitissa, Adelao comite Sabaudiæ, & Cluniacense abbate, ad Pontificem intromittitur. Quarto die, in signum, quod veraciter pœniteret, Pontificiæ potestati coronam tradidit, cum omnibus Imperatoriis insigniis: faceturq;, se indignum fore Imperii titulo, si eadem posthac in Pontificem designaret, quæ antea commiserat. Postulanti veniam Pontifex neq; veniam dare, neq; ab excommunicatione absoluere vult, nisi prius reciperet, se iuxta Pontificiis decreta velle culpam commissam expiare in Concilio, & quouis loco & die à Pontifice indicto præsto esse: & ipso Pontifice causæ cognitore, ad accusationes respondere, nec ad vindictam intendere animum: item ad Pontificis sententiam (etiam purgato se ab obiectis) regnum vel retẽturum, vel amissurum. Item, ante cognitionem causæ nolle regio habitu vti aut regia insignia sumere: nec gubernandi potestatem vsurpare, neque à subditis datæ fidei iuramenta exigere. Promissa vero Pontifici ista obedientia: paceq; iureiurando & scripto cõfirmata, Heinricus absoluitur ab anathemate.

Verum, cum Pontificii hanc iniuriam atq; tyrannidem se minime impune laturos, Heinrico quiete data, perspicerent: nouo consilio de eo exautorando inito,

inito Rudolpho, Sueuiæ duci, Heinrici sororio, coronam auream, quo seque resq; suas tutiores redderent, cum hac inscriptione misere:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

Et Gregorius Moguntino & Coloniensi Episcopis præcepit, vt Rudolphum, Heinrico deserto, regem inungerent, atque pro viribus iuuarent. Etsi autem Rudolphus non solum Imperatori fide obstrictus, sed & Mathilde eius sorore in vxorem ducta; affinitate iunctus, denique ab eo post obitum Othonis Sueuiæ ducatu donatus, maximisque beneficiis affectus esset: tamen & Episcoporum speciosis argumentis impulsus, & fretus sua potentia, atque auxiliis Saxonum, Imperium inuasit, bellumque quanta vi potuit, molitus est. Cæsar itaque, qui de hoc per Argentinensem Episcopum admonitus, ad tuendum Imperinm copias contraxerat, & sibi nihil ab omni parte tutum videret, mox Rudolpho occurrit, atque de summa rerum, pugna cum ipso commissa, experitur. Cuius exitus is fuit, vt Papa suis metuens, vtrique pacem mandaret: Synodi, quam in Germania indicturus esset, sententia expectata. Verum, cum Heinricus institutum Pontificis eluderet, dicens, se minime permissurum conuentum in Germania agi, nisi prius Rudolpho remoto: Pontifex, ne penitus Rudolpho deesset, excommunicationem in Heinricum renouat, & literas furoris plenas in ipsum emittit. At is minime iis fractus, tertio ad Elystrum Mysiæ cum Rudolpho congressus, eum prælio superat, anno 1080. Idibus Octobris.

Rudolphus grauiter in eo conflictu vulneratus, ex exercitu ereptus, perlatus est Merseburgum: eoque ad se iussit accersi Episcopos & primores suæ conspirationis. Quo cum venissent, Rudolphus allata dextra, ex cuius vulnere mortem adesse maxime præsensit, ait: Hæc est manus, qua sacramentum præstiti domino meo Heinrico: Vobis autem vrgentibus toties tam infeliciter contra eum pugnauit. Ite & implete regi vestro primam fidem: nam ego ad patres ibo.

EQ. Semper Deus illustribus exemplis pœnarum ostendit, nunquam manere inulta periuria.

Rex Franciæ Philippus Valesius Imperatori Ludouico Bauaro iureiurando confirmarat & promiserat, se, si Eduardum Angliæ regem, quo Francus vtebatur hoste, desereret, perfecturum vt reconciliaretur Pontifici. Quod etsi sancte se facturum Francus iurarat: tamen id deinceps ita egit, vt quanquam valde vrgeret, non dissimularet tamen, se nihil minus velle. Sed dedit pœnas perfidiæ Francus, qui 7. Cal. Septemb. Anni 1346. magno prælio ad Cressiacum ab Anglo victus, florem nobilitatis Gallicæ amisit. Desiderati perhibentur ex omni numero circiter triginta millia. *Chron. Philippi lib. 5. cap. 197.*

Nobi-

Nobilis quidam hostis Imperii, siue Sueuici fœderis, captus erat à Palatino, à quo vt veniam ad sua negotia discedendi impetraret, iureiurando promisit, se rediturum ad certum tempus in aulam Heydelbergensem. Postquam vero res ita esset constituta, vt parceretur eius vitæ, Palatinus ipsi discessum permisit hac conditione, vt iuramentum præstaret, ꝙ certo tempore rediret, ac se iudicio sisteret. Ille vero neglecto iuramēto non rediit: vnde paulo post à Iudæo hospite suo non procul à valle Ioachimica proditus ac bombarda ictus est. Talis fuit exitus illius periurii.

Carolus Borbonius, vt refert Bellaius insignis historicus (*lib. 8. Comment.*) cum à Mediolanensibus magnam vim pecuniæ, ad stipendia militibus soluenda postulasset: iiq; propter exactiones & continua bella, numerare eam recusassent: promisit illis, si hac vice tantum obsequerentur, & descriptam pecuniā militibus numerarent: optare se à Deo, & à Deo immortali precari, si forte illis vlla præterea fieret iniuria: vt vbi primum inter hostes versaretur, siue in prælio siue in oppidi oppugnatione, plumbea pila necaretur, vel vt Franciscus Guicciardinus *in Italicis historiis lib.* 17. recenset, respondit Mediolanensibus: si sibi triginta aureorum nummum millia in menstruum stipendium militi darent: se exercitum extra vrbem ducturum: & quamuis ipsos alios huiusmodi promissis deceptos fuisse sciret: tamen verbis ac fide sua fretos, id certo credere posse affirmauit: simulq; se Deum orare, vt si fidem falleret, primus hostilium tormentorum globus sibi caput auferret. Hac spe immunitatis freti Mediolanenses, maxima cum difficultate, siquidem vniuersa ciuitas exhausta erat pecuniam corraserunt, & militibus stipendia persoluerunt. Verum nihilo mitius deinceps, quamuis ad egestatem extremam pleriq; redigerentur ab ærusca toribus, exactoribus, ipsisque militibus, frustra implorata fide Borbonii, tractati sunt. Hoc facto, paulo post Borbonius Cæsareanum exercitum ad Florentiam, & cum ab hoc conatu depulsus esset, ad Romam occupandam duxit: vbi dum ipse acriter vrgens oppugnationem, antequam nebula, siue fortuita siue fatalis discuteretur, mœnia trāscēdere conatur: globo, incertū à suis vel ab hoste, traiectus interiit. Quod plurimi diuina vltione, vt idem Bellaius refert, accidisse putant, quia fidem Mediolanensibus datam soluisset.

Periurorum posteritas extinguitur.

TH. Quid? quod etiam posteritas periurorum & impiorum omnium extinguitur. Exempla extant in historiis. Sennacherib contra fidem datam obsidet Ezechiam regem Iudæ in vrbe Hierosolyma; punitur itaq;. Non tantum infeliciter obsidet vrbem, & postea à filiis interficitur: sed ipsius etiam posteritas deficit, translata Monarchia à filio ipsius Assarhaddone ad Chaldæos per Merodachum.

Zedechias fidem fallit iureiurando confirmatam regi Nebucadnezar. Itaque punitur diuinitus, vrbe Hierosolyma expugnata & flammis deleta: ipse capitur, inq; conspectu eius omnes ipsius liberi interficiuntur, iussu regis Nebucad-

bucadnezar, 2. Reg. vlt. Omnino iuxta illud Syracidis: *Cessare facit Deus memoriam eorum à terra.* Et quod Euripides ait:

Crimina sæpe luunt nati scelerata parentum.

Et Homerus Iliad. δ.

At non irritum erit iurandum, & fœdera pacta
Sanguine, nec dextra quis credere suadebamur.
Nam quanquam Deus haud pœnas in tempore sumit,
At post sumet, & hi magno mihi crede rependent
Ipsi, atque vxores, & dulcia pignora nati.

Quibus Plutarchus assentitur: *Qui*, inquit, *ex scelerata natus est stirpe, hunc decet, quemadmodum in hæreditatis are alieno, ita & in prauitatis succedere supplicio.* Quid! quod non semper eorum supplicia post mortem differt, sed sæpe anteuertens etiam in hac vita, eos seuero ac inusitato modo vlciscitur, horæ momento coniuges & liberos eorum, vniuersamq; sobolem a stirpe subuertens.

PH. Assunt fuetuntq; interim multi in ea opinione, eiusdem Principis administrationem minus fore firmam, nec dignitatem amplitudinemque eius constare posse, nisi in loco & tempore fraudes misceantur. Ecce *nihil gloriosum*, inquit, *Æmil. Lepidus apud Sallust. nisi tutum*: nec quidquam tutum, nisi id fraudium scuto contegatur. *Nunquid enim fraudibus, atque dolis Principatus euertuntur?* Arist. 5. Polit. Si ita, cur non liceat iisdem artibus retinere? quid est in rebus humanis vsquequaque fidum? vel potius, quid est, quod non vsquequaque sit infidum, fallax, fraudulentum? Vt non immerito Comicus ille Græcus, Theognis, si etiam superaret, exclamaret identidem: *Principi an liceat fidem fallere.*

Παῦροί τοι πολλῶν πιστὸν ἔχουσι νόον:

Paucis è multis fidus adest animus!

Sed quanto minus fidei Aulam incolentibus?

Non intrat vnquam regnum limen fides, ait Ægisth. apud Senec. Agam.

Itaq; caue, inquiunt, Principem reprehendas, si *cum vulpe pariter vulpinetur*: si non vbique per Iustitiæ, ac honestatis callem, sed obliquæ fraudis quandoq; tramitem ambulet, inquit, *Paræmigraphus*. Nam,

Vbicunq; tantum honesta dominanti licent,
Precario regnatur, inquit Seneca in Thyest.

Hoc præsertim tempore, quo *periculosum est, in tot humanis erroribus, sola innocentia viuere*, vt inquit Liuius *lib* 2. Et:

——— *Nunc qui fœdera rumpit*
Ditatur: qui seruat, eget, inquit Claudianus 2. Eutrop.

Et vero, quid si etiam publicus vsus salusque suadeat? Nonne cum Plinio Lib. 8. Epist. 5. de Republ. iudicabitis, non esse fraudis decipere, sed prudentiæ? *Decipere*, inquit, *pro moribus temporum Prudentia est.* Ac diserte diuinus Plato scribit, *crebro mendacio, & fraude vti Imperantes debere ad commodum subditorum.* Et Ci-

cero lib. 3. de offic. *Hæc sunt, quæ conturbant Principes in deliberatione non nunquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur.*

EQ. Non desunt sane, qui fidem à principe negēt semper seruandam, quod ea multis seruata exitio, perfidia vero aliis commoditati ac saluti fuerit: quod Alexādri VI. Pontifi is probant exemplo, qui cum nec fidem alicui vnquam seruasset, omnesq; calliditate sua fallere consueuisset, cuncta feliciter, atq; ie ex voto perfecerit. cui etiā sententiæ quodammodo Plato *in repub. sua* assentitur, dum magistratui, aut principi clam reip. causa licere mentiri, priuato autem nemini putat. Quorū opinione quid turpius, absurdius, aut perniciosius? quid enim aliud est, fidem non seruare, quā pietatē ac religionem deserere? quam omnem naturæ legem violare? quid quærat, expectetve is, qui nihil veri dicat, nullum pactum tueatur, nullam fidem datam conseruet, quam vt ne ciuibus quidem suis fidere possit, sicq; perfidiæ ac proditioni vitam exemplo suo patefaciat? Fateor equidem aliquando, necesse esse occultari sic à rege sententiam, vt aliud simulet, aliud agat, sed aliud profectò est occultari sic à rege sententiam, vt aliud simulet, aliud agat, sed aliud profectò est simulare, ac tegere, quod sis facturus: id quod iuste licet: aliud quod iam cōstitueris, pactusq; sis semel cum aliis, rescindere. Illud quidem prudentis ac circūspecti est viri, qui patriæ suæ illo cōsilio & sagacitate velit cōsulere, hoc aūt perfidi grassatoris, qui vt quiduis prædetur, nullā cuiquā fidem, nullam constantiā in dictis, aut factis teneat.

PH. Quid vero, si alii fidem non seruent Principi, anhon enim tunc locū habet commune illud dicterium: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

EQ. Intelligitur hæc sententia rhytmica in his, quæ vna eademque sponsione comprehensa sunt & in promissionibus quarum altera alterius causa facta est, connexorum enim vnum idēq; est iudicium: secus vero in separatis. Itaq; si in bello cum perfido & fœdifrago hoste res sit, & qui semel, iterum, ac sæpius fidem fefellit, vicissim fidem fallere non licet, nisi per hostem stet, quominus conuentorum fides seruetur: alioqui perfidiam perfidia vlcisci semper turpissimum fuit. Quo nomine Lucullus male audiuit, qui Lusitanos, ruptis fœderibus bella gerentes, contra iurisiurandi fidem dolo circumuentos, per summam immanitatem omnes trucidauit: barbaros imitatus, nulla Romanæ dignitatis habita ratione. Ideoque bene ab Onosandro scriptum. *Etiam proditoribus fides & promissa ab Imperatore seruanda sunt, nec considerandum, quales illi antea extiterunt, sed quales deinceps futuri sunt. vt postquam sibi hostium partes amplectentibus gratiam haberi perspexerunt, animos ad ea beneficia concertantes [illegible] quis enim proditori dat, munus accipit potius, quam confert. Ideoque prompta esse debet Imperatoris hæc in re liberalitas: quippe de hostium prodita ciuitate iudex aut arbiter non est, sed patria sua Imperator.*

Frangenti fidem. sensus.

TH. Omittamus veteres istos falsitatis architectores, quibus ignoscendum est in

est in illa errorũ caligine. Nam per Deum immortalem, quid aliud est, fidem fallere, quam omnem pietatem, omnem religionem euertere? quam naturæ legem, atq; iura omnium gentium violare? quam tollere è vita, vitæ societatẽ? Ipsum Principem si spectes, quid eum minus decet, quam doli, fraudes, insidiæ? quam consilia sua non ad humanæ societatis fidem, sed ad rem suam vafre referre? Memorabilis est, & scita Agesilai Regis sententia, dicentis: *Regia dignitati non astutiam, sed bonitatis excellentiam conuenire* Et Sal. Prou. 17. *Non decet Principem*, inquit, *labium mentiens*. Quid ita? quia *improbi hominis est mendacio fallere: quod ædificare mendacium sine demolitione veritatis nemo queat.* Etenim, *mendacium semper aut fallit, aut nocet.*

PH. Verum, quid si bono publico fraudes comminiscantur?

EQ. Scio nonnullis id excusari; sed ruo, nisi fallor, dogmate. *Dominus namq; auersatur omnẽ in iustitiã.* Deu. 25. Et aperte sapiẽs ille Syracides: *Ne velis mẽtiri omne mendaciũ*; Syr. 7. etiã, vt inquit Augustin. *pro Dei laude.* Quid hæremus, an non ipsa naturæ principia suggerunt, *Inter bonos bene agier oportere, ac sine fraudatione?*

PH. Quid vero, si quis aliquid promittat etiam cum iuramẽto, cuius tamen sensum atq; interpretationem peculiarem penes se teneat reconditam?

EQ. Iuramenta non calumniose aut sophistice, sed simpliciter secundum communem sensum debent intelligi, quia, qui loquitur sophistice odibilis est, *Ecclesi.* 27. Hinc recte Isidorus: Quacunq; (inquit) arte verborum quis iurat: Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit: sicut ille cui iuratur, intelligit: scilicet si ab eius intellectu etiam absit calumnia. Sciamus igitur, à iuramento excludi omnem calumniosam interpretationem & intellectum. Est enim & periurium & blasphemia, in iuramentis sophistice ludere. Non recte fecerunt Thraces, quod cum pacti essent triginta dierum inducias, noctu Bœotiorũ agros populati sunt. Iniquius Cleomenes Lacedæmoniorum rex, qui assumpto in societatem consiliorum Archonide iurauit ei, si voti compos fieret, se omnia cum ipsius capite effecturum esse. Cum vero rerum potitus esset: socium Archonidem interfecit: & abscissum caput vrnæ imposuit mellis plenæ, & secum circumuexit, & quotiescunq; aliquid agere vellet, vrnam intuitus est, dicens, se cum capite Archonidis deliberare, sicut iurasset. *Paulus ab Eitzen, lib. 2. Ethic. cap.* 18. Huius generis est illa iurisiurandi, quam Solimannus Imperator Turcicus erga Hebraymum Vesir, malitiose vsurpauit, illusio, cum in cubiculo per Eunuchum, carnificis munus obire solitam, in puluino dormientem, cultro adunco, quod de manu Imperator tradiderat, contra fidem datam Hebraymum necari iussit. Ferunt enim, inquit Iouius (*in fine libri 83*) Hebraymum, cum summa Solimanni gratia potirẽtur, familiari sermone aliquando postulasse, ne se tantis honoribus onerare contenderet, ne demum amplitudine odiosa, supra æquum, florentem è gradu, tanquam è fastigio summæ fortunæ, præcipitem dare atque occidere ne-

Iuramenta qualiter interpretanda.

 cesse

esse haberet fidem ve.o in ea verba ita Principem dedisse, vt nūquam eo viuo vitam ercpturum polliceretur. Stertenti igitur necem intulit; quoniam Talismanus sacerdos, diuini interpres iuris, dormientem nequaquam censeri inter viuos, quum vna vigilia totius vitæ actus constatet, asseuerasset. *Hæc Ionius.*

EQ. Argutum sane commentum ad frangendam fidem ex naturalibus rebus, ad scelera excogitatum. Constat enim, somnum esse viuendi & non viuendi interliminium: vt neq; omnino sit qui dormit, neque omnino non sit. Viuitur enim potissimum vigilia propter sensum. Ceterum ad perfidiæ exempla denuo transeo. Refugit animus, horretque contemplari recens exemplum Henrici Valesii Galliæ regis. Subnectam tamen, vel idcirco, vt Principes metu famæ, talia declinent; aut certe vitent pœnas talibus dolis fraudibusque dignas. Eius igitur factum ex Annalibus Iansonii libr. I. Mercurii Gallobelg. summatenus referam. Henricus III. Galliæ Rex, cum Ducem *Guisium* velut sibi infensum è medio tollere decreuisset, comitia indicit Blæsis, ad quæ, vt quam citissime vna cum ceteris Principibus veniat *Guisius*, hortatur. Paret consilio siue iussioni; adque Regem citatis equis properat, quantumuis alii monerent, non esse quod nimium Regi fideret. Perbenigne à Rege excipitur, summæ regni dignitates ei decernuntur, immo regni administratio, & tantum non regium nomen tribuitur. At non diuturna fuit hæc illi fœlicitas. in hoc enim Rex curas, cogitationesque confereb at, vt quocunq; se modo posset, *Guisium* trucidaret. Itaque quo incautum intercipiat, quendam aulicum ad eum ablegat cum mandato, habere Regem ardua quædam, & arcana cum illo conferenda, priusquam ad sacramenta Confessionis, & Communionis, accederet (erat enim is dies sacer Dagoberto sanctissimo Galliarum Regi) veniret itaque ad cubiculum, vbi Rex eum præstolabatur. Parietes cubiculi preciosissimis circumquaque tecti erant aulæis, & sub illis octo sicarii (posteritas admitte fidem) ad hoc scelus perpetrandum, à Rege constituti latitabant, *Guisius* quum cubiculum ingrederetur, Regem non inuenit (is enim in aliud interius secesserat) & horrore suffusus, insidias suspicari cœpit. (Dii boni! & me horror capit & intercipit verba dictantis) Leuatis vna parte aulæis, mox vnum ex latronib. videt, quem collo apprehensum humi prosternit. Accurrunt alii septem, strictis gladiis, & pugionibus, prosiliūt, *Guisiumq;* hostiliter inuadunt. Vnus eorum suram illius percutit, graueq; vulnus infligit: alius pugionem in collum adigit, quidā gladiū illius tenent, ne posset stringere, tandē alius accurrit, qui à tergo illi lethale vulnus impegit, alii alia addiderunt. Defessus itaq;, vulneribusq; consumptus magnanimus Princeps concidit, altaq; voce, opem, & misericordiā diuinā implorat; moxq; post aliquot plagas mādato Regis inflictas, tollitur è medio, contra fidē datā, & corpus in rogū imponitur, inque cineres redigitur, corpus, inquā, eius, qui paulo ante Galliā sæuo hæreticorū dominatu

Perfidiæ exempla.

natu

natu insigni virtute liberarat. Sed quid *Rege* factum? Hauddum lapsus erat ab hoc facinore septimus mensis, quum à quodam F. Clemente, non dissim li dolo necatur. Nam cum nonnullas litteras *Rege* legendas dedisset, fingens se alias quærere, cultrum promit, & capulo tenus in ventrem Regis adigit, ac-actamque in vulnere reliquit; atque ita, eadem fraude, quam alii parauerat, paulo post Rex occubuit, nullis relictis liberis, ac ne quidem agnatis; delata in alienam familiam Gallorum Monarchia. Perpetrata sunt isthæc anno 1588. Notent Principes, maxime quibus suggeritur, licere in occasione, quo hostem è medio tollant, fidem suam labefactare. Notent, inquam, hoc exemplum, quod nostra, prohdolor, ætas vidit, & in tempore alieno periculo discant, *Deum etiam in hac vita* (quod bene à Gregora monitū) *sæpe iusta mensura fac nora pensare solere, vt illustribus* [redacted]*que terreantur, qui* [redacted] *Numinis omnia perspicientis, præ suis cupiditatibus negligunt.*

EQ. Referam hic aliud non minus nefarium facinus, intentatum aduersus Gulhelmum principem Vraniæ, quod [redacted]træus in Chronico, his verbis: Anno 1582. die 18. Martii, qui Andegrauensis natalis erat: Guilhelmus princeps Vranius, ex cuius autoritate, prudentia, consilio, fide, & industria, Belgici res peturbatę potissimum pendebant, ab Iohanne Iauregio Cantabro, octodecim annorum adolescente, ictu sclopeti, per vtramque ma-[redacted] arrepto cor principis petens, à satellite quodam cæs[redacted] aut tricies transfossus est. Facinore ad ciues delato, subito multa armatorum millia; um ad hospitium principis vbi Andegauensis erat: t m ad D. Michaelis monasterium, vbi bona pars satellitum Andeg. manserat, conuolant: exaudiuntur magno fremitu sonantes voces minaces: ob vesperas Siculas, prob nuptias Parisinas: ne musca Gallorum subtersfugeret.

Andegauensis cum suis trepidare, lachrymari, & sacra prophanaque detestari, atque inauspicatum suum in Belgiam aduentum exectari: Princeps, qui mentis adhuc erat compos, per suos familiares, toto conatu sese opponens, ciues mulcens, culpamq; ab Andegauense auertens, ægre tandem ciues placauit. Cadauer latronis in forum elatum statim est à multis agnitum, & palam iactatum, mercatoris illius Hispani esse ministrum, atque etiam alium eiusdem domesticum in ciuitate esse, qui eidem à rationibus sit. Ille è vestigio comprehensus, totam insidiarum originem, ac seriem in quæstionibus aperiebat.

Mercator natione Cantaber, seu Bischaiensis, Hispanus, Casparus Anaster, Antuerpiæ ante annos aliquot bonis cesserat, cum 30000. librarum Francicarū creditores fraudasset: postea, fide apud mercatores vtcunq; recuperata, rursus in eorum conuentu ferebatur, donec iterum animam debens, eadem

Bbbb 3

dum prorsus excideret. Is in Hispaniam reuolans, cum Regis commissariis de principe interimendo sic paciscitur, vti pro laniena omne eius debitum Rex soluat, addatq; dein, facinore quocunq; modo possit perpetrato, ducatorum millia 80. Ille in Belgicum duobus famulis comitatus, quantis itinerib. potest profectus, cum quodam sacrifico Hispano, qui Antwerpiæ multos subsisterat annos, ita rem agit, vt multa millia istis duobus famulis polliceatur, si facinus perpetrassent.

Sacrificus frigidam suffundere, ius fasq;, imo meritum summum dicere, eiusmodi hæreticum & Reipublicæ perturbatorem è vita tollere. Imo se interfectorem indulgentiis, sanctorum reliquiis & benedictionibus muniturum, vt inuisibilis incedere possit. Etsi casus aliquis accideret, vt eum occumbere contingeret: sese [redacted] effecturum, vt absque pœna purgatorii recta in cœlum subuolet. Vterque famulus, stultitia [redacted] occæcatissimus, conditionem accipientes, inter sese sortiuntur, & ille, cui prouincia obtigit, [redacted] sacra synaxi sumta, post confessionem, rem ipsam, vt supra exposui, patrauit. Sacrificus vna cum altero, quem sors exemerat, illius Hispani familiari, Antonio Veneto, quadrifariam dissectus est. Autor vero consilii, captorum indiciis, Greuelingam, à domino Le motta Malocontento ante aliquot annos occupatam, profectus dicebatur.

[redacted], & nescio quibus aliis. Vranius à vulnere accepto, indies magis conualescere cœperat, spesque plane erat, proditurum in hominum lucem; donec vndecima die Aprilis ex rupta vena sub lingua, sanguis aliquot dies effluxit: cuius cum semunciæ multæ iam profusæ essent, sisti tandem cœpit. Interim qua fuit autoritate apud populum, perfecit, vt prouinciæ fœderatæ per delectos, Andegauensi iuramentum tanquam suo principi, præstarent.

Parmensis, occasione huius vulneris, vrbib. ordinum fœderatis, Vranium extinctum esse, scripsit: proinde redderent in Regis potestatem, qui eas clementer in gratiam recepturus omniq; clementiæ genere prosequuturus esset. Sed Vranius hoc præuidens, se viuere, & intra paucos dies restitutum iri pristinæ valetudini, omnes præmonuerat: frustra itaque defectionem Parmensis tentauit. Princeps Vranius, restituta valetudine, in publicum rediit Anno 1582.

PH. Hæc igitur cautio est: *Fide, tamen cui confidas prior ipse videto.* Cæterum, cum fides, secundum Stoicos, nomen habeat à fiendo, quod fieri debeant, quæ fideliter permittuntur, proinde nemo non dictorum factorumq; fidem debet exhibere ingenuam.

Fidem datã nemo violabit.

EQ. A veterib. Romanis tanta religione celebrata fuit fides, vt non tantum violari eam crederēt, si aliquid contra facerent, sed etiam cum paterētur fieri

aliquid

aliquid ab aliis, quo fides læderetur. Idque potissimum demonstrarunt post Cannensem cladē, sicut Liuius *li. 22.* recenset, cū Hannibal quibusdā captiuis redimendi se potestatē fecisset, fide ab eis accepta redeundi, nisi res cōfici posset, ea quā proposuerat cōditione; & illi dolose iter vnius diei progressi, simulato negotio in castra hostium redijssent: inde quasi sacramento soluti, tanquam liberi essent, securi confidentesq; Romam se contulissent; indignatus Hannibal, dum eos sibi dedi postularet, publico Senatus decreto ad Hannibalem remissi sunt. Ob eam causam in multis numismatibus Romanis, veluti testib. seruatæ fidei conspiciuntur duæ manus coniunctæ, interdum cum hac inscriptione: *Fides exercituum.* interdum *Fides legionum.* interdū: *Fides Romanorū.*

TH. Fides populi Romani perditis ēt hostibus exploratissima habebatur. Duellius Cornelius Asina in primo Punico bello exercitū in Sicilia habebat: verum ab Hamilcare & Hannone, qui exercitui Carthaginensium præerant, pacta fide ad colloquium vocat⁹, per dolū intercept⁹ est, & in vincula cōiect⁹. Sed cū aduerso Marte Carthaginēses terra mariq; bello succūberēt: placuit vt de petēda pace ageretur: resq; Hamilcari & Hānoni à senatu demādata est. Hamilcar memor violatę fidei Cornelio Asinæ, ad Cōsules ire formidabat. Hāno a Romanorū fide fret⁹, audacter ad Cōsules perrexit. Et cū in eū tribun⁹ quidā militū obstreperet perfidiaq; eū in Cornelium Asinā accusaret: vterq; Cōsul silētiū ei indixit, Hānoniq; ait: Isto q̄ te periculo fides populi Romani liberat.

EQ. Ptolomæus Ægypti rex, agnita Romanorum fide, cum moreretur, Romanū populum infanti filio, cui regnū debebatur, tutorē testamento reliquit. Senatus vero, ne qua ex parte ille spe sua frustraretur, Æmilium Lepidū Pōtificem Maximū, virum grauem atq; integrum ad tutelam eiusdem gerendam, Alexandriam misit: qui summa virtute summaq; diligentia puero indulsit: & moribus virtutibusq; regiis instruxit: regnumque non modo conseruauit, verum etiam auxit decorauitque.

PH. Omnium virtutum splendidissima in principe est fides; tantoq; præfulget splendore, vt sine ea omnes Regum ac principum virtutes obscuriores fiant. Et quamuis stare promissis, cuiuscuis sit hominis, etiam de media plebe, tamen longe accuratius cauēdum principi, ne fidem datam violasse videatur: nam vel nuda principis verba oraculorum instar esse debent, quibus plus insit firmitatis & constantiæ, quam alteri cuius obligationi. Quare Isocrates *in 1. orat. ad Nicoclem.* Perpetuo, inquit, tantum studium & reuerentiam præ te fer, vt tuis verbis maior sit fides, quam aliorum iuramentis.

EQ. In illustrib. viris hoc vsus obseruat, vt etsi iuramento nō interposito tamen verbum simplex serio ab iis prolatum sub fide, tantū valere debet, quantum priuatorum hominum iusiurandum, vt crebro sapientissimus Arragoniæ rex Alphonsus dicere solebat.

TH. Prisci *Ægyptiorum Sacerdotes*, quo Principē suum, quē omnium optimū, atq; æquissimū esse oportebat, monerēt in omnib. semper Veritatis habendā.

Fidem quatenus præstare princeps debeat. rationem, *sapphirum*, quæ Veritatis nomine nuncupatur, collo eius appendebatur, vt istius gemmæ recordatione, Veritatis nunquam limites transilirent. At ego cum Æliano Iudicem aut Principem, non tam in lapide sculptam aut expressam veritatem circumferre, quam in animo, menteq; insitam & infixam habere velim.

PH. Debent tamen interim etiam Principes de fide præstanda commonefieri iusto cum moderamine. Cum veterano militi promissa exigenti, dixisset, *immoderata fuit ô amice petitio tua;* respondissetque miles, *Poteras negare cum peterem, nunc autem sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non potes*, subiecit Imperator: *Si ex duobus alterum me facere oportet, rerum, quam famæ iacturam subibo.* Egregie magnificus Imperator, qui nec ignorabat turpem esse notam in Principe, fidem exuere, & promissa nihil pensi habere. Princeps enim vnum calamum, & vnam linguam habere debet. sicut scriptum est: *Irrita non faciam, quæ de labiis meis processerunt.* Cæterum si promissa iniqua sint, aut certe turpia, nunc princeps his talibus haud obstringitur. Deus siquidem in rebus pulcris, iustisque consensum adhibet, non turpium, inhonestarumque actionum sponsor accedit, vt recte ex Dionys. Halycarnass. Fr. Patritius probat. Immo *nonnunquam est contra officium*, vt D. Ambrosius scribit, *fidem seruare*: q & Cicero sensit. Hinc cum aliquando quis Alphonso Aragoniæ regi dixisset, decere principem non tantum ea quæ verbis promisit, præstare, sed & ea quæ nutu tantum affirmauit; sapienter more suo: *Recte sane dicis*, inquit, *sed decet etiam petentes, vt ea tantum a Principe efflagitent, quæ sunt iusta & honesta; sin minus, satius est promissu non stare, quam peccare in leges iustitiæ.*

Princeps priuilegiis subditorum obstrictus. *EQ.* Sunt quædam, quæ salutem patriæ concernunt; cum vero princeps sit salus populi, proinde ea quæ salutẽ concernunt patriæ summopere curare debet, est n. priuilegiis patriæ vel maxime obstrictus. Sic Galliæ rex regnũ capiens, in solemni coronationis sacro, iurat, promittitq; se omnia iura, libertates, publica & priuata iuri communi non contraria, Ecclesiis, Principibus, Baronibus, nobilibus, ciuibus, incolis per suos decessores Reges iuste donata, ab Ordinibusque tempore interregni statuta obseruaturum, &c. Iustitiamq; omnibus incolis iuxta iura publica administraturum. Quod si sacramentum violarit, nullam illi incolæ obedientiam præstare teneantur, &c. Eademque est reliquorum Regum Hispaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ, Imperatoris Germaniæ in suis Christianis regnis, & Imperiis conditio.

Annal. Angl. in Ioanne an. 1216. Quo iustius *Ioannis* Angliæ Regis factum reprehendendum: à quo cum proceres petiissent, vt sincere confirmaret illis antiquas patriæ leges, & libertates, quemadmodum regno inauguratus iurauerat; ipse eas ad se transmissas accurate & singulatim perlegisset, cum iracundia respondisset: *se non magis velle, aut posse eas ratas habere quam diadema regni sui tradere*; proceresque contra retulissent, sese eum bello sempiterno prosecuturos, donec iis confirman-

mandis iuramento suo satisfecisset, emissisque in omnes regni partes edictis, belli huius causas veras exposuissent: mox non solum omnes per regnum Magistratus, qui regio nomine publica munia curabant, ab officiis suis exequendis destiterunt, sed & omnes Regis famuli domestici eum deseruerunt, adque proceres conuolarunt; adeo vt ex toto comitatu, sæpe tentatum equites eum assectarentur. Quo tandem factum est, vt postulatis libenter assenserit, easque interposuerit fidei suæ præstandæ cautiones, quas ipsi proceres desiderarent.

PH. Duces Brabantiæ in Belgio, more institutoque maiorum, eodem se obstringunt iuramento: iura videlicet, libertates, & priuilegia patriæ sese obseruaturos. Sic autẽ se habet iuramentum: *Iuramus nos ius sacrosanctæ Ecclesiæ, & ius Marchionatus sacrosancti Romani Imperij, vniuersaliter illorum statuta, priuilegia, chartas, libertates, & omnia illorum iura, consuetudines veteres, & nouas, necnon priuilegia nostri iucundi introitus, quæ à nobis & maioribus nostris Statibus Brabantiæ data, & concessa sunt, nullis quidem in illis exceptis, firmiter obseruaturos, & obseruari facturos, nosque aduersus & contra eadem non facturos, aut fieri permissuros in toto, vel in parte, quouis pacto: Et quod nos illa omnia faciemus, quæ boni, & iusti Domini, ac Marchiones sacrosancti Romani Imperij suis bonis subditis eiusdem Marchionatus facere tenentur, & obligantur: Et quidquid horum infractum, & innouatum est, reparabimus, & restaurabimus. Sic nos Deus adiuuet & omnes Sancti eius.*

EQ. Vidi ego Curiæ cuiusdam valuis inscriptum hoc monitorium: *Libertatem quam peperere maiores, dignè studeat fouere posteritas.* Quod quidem monitorium, prout nunc sunt secula, probe attendendum; proinde submisse commonefaciendi atq; exorandi Principes, ne quid libertati auitæ contrarium velint inuehere; huiusmodi namque nouæ inuentiones nouas pariunt contentiones, quæ postmodum in turbas exitiosas desinunt.

TH. Ex omnibus Fœderibus nullum est, quod difficilius seruari possit, quam quod ictum est cum subditis: quia nihil æque Principum mentes exulcerat, quam cum subditis, à quibus contumeliam acceperint, pacisci, & ad pacta seruanda compelli. Exempla sunt obuia. Ludouicus XI. cum subditis, à quibus desertus ac proditus fuerat, pacem inire coactus est: Sed eos omnes, paucis admodum exceptis, clam aut aperte necandos curauit; vsque adeo vt etiam fratrem Carolum, eo numero complexum, veneno sustulerit.

Superiori quoq; ætate Rex Fessarum à fratre iuniore obsessus, & iniquissimis conditionib. pacisci coactus, iureiurando sese obligauit. Sed eodem momento fratrem, quem ad complexum admiserat, suffocari, ac de sublimi solario coram exercitu deiici mandauit.

PH. Anno 1581. promulgarunt Ordines Belgii in Hagæ Comitis decretũ quoddam, die 26. Iulii, eo declarantes: Principem omnem esse propter subditos, nõ hos propter illum; ideoq; iustis debere Principem regere subditos Im-

 periis,

periis, & eosdem amare tanquam pater liberos: & per nomen Domini iurare, se & hoc facturum, & subditos eum suis priuilegiis & consuetudinibus atque libertatibus incolumes conseruaturum: aliter vero, & extra hanc conditionem; stabile ipsi Regnum & Principatum consistere non posse, & merito, iustisque de causis dominio exui: & non mereri nomen Magistratus, sed crudelis & perfidi Tyranni, cum promissa & iurata non præstiterit. Et ex hac causa liberos pronunciant omnes subditos, Vasallos & Officiarios, à iuramẽtis Regi datis: prohibent vsum sigilli & numismatis Regii: & conuersi ad ordines Belgicos, suam fidem iuramento eis contra Regem adstringunt. Hoc edictum sane omnibus difficilimum videbatur præstitu, adeo vt, cum quidã Senatorii Ordinis in Frisia super eo iuramentum præstare deberet, protinus ecstasi correptus animam expirarit. *Meteranus in annal. Bel.*

EQ. Habet quælibet natio sua peculiaria statuta atq; ordinationes, quæ vbi confirmatæ sunt autoritate cumprimis ipsius principis, ipse ergo vt iisdem sese conformet, æquũ est, quũ graue sit fidem fallere, & maxime in rege, quia vbi ab alio non esset seruãda, ab eo seruãda est. *Ant. in l. conuentionũ. C. de pac.* Et præsertim in principe qui est tanquã stella matutina existens in medio nebulæ, *vt dicit Bald. de prohib. f. v. alien. per Fred.* cũprimis vero quando se aliquid facturũ conuenit & promisit per suas patentes literas, bona fide, & in verbo regis seu principis, sic namq; videt iurasse, quoniam promittens aliquid sub fide, dicitur iuramento firmare. & ab hoc veniens contra contractũ fidei præstatione firmatum incurrit pœnas *l. si quis maior. C. de transact.* & Ioan. And. inquit, *in l. non erit, §. dato. ff. de iureiur.* quod parum aut nihil differt, an permittatur sub fide, vel iuretur ad S. Dei Euangelia. Cæterum, hic se obiter infert quæstio, nimirum, an promissio sub data fide, bey Ehren / Trewen vnd Glauben / iuramento æquiparanda sit? Negat *VVesenbec. in par. de iureiur. n. 6.* (qui tamẽ *consil. 52. n. 22* aliter sentire videtur:) *Faber in §. item si quis. n. 15. Inst. de action.* Rationes sunt: 1. quia proprie iuramentum non est, vbi nomen Dei non inuocatur. Iuramentum siquidem est inuocatio nominis diuini, *Deut. 6. v. 13. & 6 10. v. 20. gl. in sum. can. 22 q. 1.* A quo autem remouetur definitio, ab eodem & definitum. *l. 4. C. de form. & impetr.* 2. Quia pœna periurii grauior ac durior est, quam fidei violatæ. *Specul tit de iureiur. n. 14 & tit. de arbitr. & arbitrat. n. 49. §. 2. Alciat. in l. si quis maior. 41. verb. inuocato. C. de transact.* 3. Quia ex fidei præstatione non oritur actio & exceptio, quemadmodum ex iuramento. *Iason in d. l. si quis maior. 41. n. 28 l. actori. C. de reb. cred. d. l. 41. vbi Dd.* Ergo fides data & iuramẽtum in effectu non æquipollent, nec fidei interpositio pro iuramento habenda est. *Couarru. in c. 2. §. 2. n. 2. de pact. in 6. Faber d. loc. VVes. d. loc.*

His tamen nõ obstantibus contraria opinio verior est, & in praxi recepta, quod nimirum promissio sub fide, bey Ehren / guten Glauben / Trewen vnd wahren Worten / Item / bey dem Wort der Warheit / (interdum additur: An Eydes

Promissionis sub data fide vis.

An Eydes

An Eydsstatt) iuramento æquipolleat. *c. ad aures. quod metus causa c. peruenit. de fideiussoribus. c. peruenit. de iureiur. Neuiz. consil. 78. num. 49 Schurf. consil. 37. numer. 11. cent. 2. & consil. 53. num. 19. cent. 3. Euerhard. consil. 176. num. 9. Curt. iun. con. 286. n. 15. Grauet. consil. 241. nu. 11. VVes. consil. 10. num. 41. & consil. 15. num. 88. in f. Tib. Decian. consil. 2. num. 113. lib. 1. Petr. Rotz. dec. Lit. 3. n. 34. Laur. Kirchou. cent. 4. com. op. concl. 23. VVes. d. consil. 52. n. 22. & consil. 10. n. 41. Soc. consil. 125. n. 19. vol. 4. Tessaur. decis. 17. nu 11. Surd. decis. 159. sn. 20. & 225. num. 2. & 234. num. 6. Geil. 2 obser. 59 n. 5. Bursat. consil. 40. lib. 3. num. 51* & ita etiam suo tempore obseruari solitum ait *Salic. in authen. sacramenta. D. si aduersus vend. num. 6. & Ias. in l. 3. §. iurari. num. 3. de iureiur.* quod multo magis procedit, si per fidem Christianam promissio facta sit bey seinen Christlichen Trewen vnd wahren Worten / &c. *Mynsing. 1 obser. 17 Fachin. libr. 1. controuer. iur. c. 12. Couarru. d. lo. Cyn. num. 4. Bar. 8. Fab. n. 1. in d. authen. sacramenta. C. si aduers. vend.* Ac talem fidei promissionem maxime ab illustribus ac nobilibus personis factam, iuramento æquipollere, idemque quod iuramentum, in effectu operari, non modo communiter Doctores allegati tenent, sed & in praxi ac Imperiali Camera receptum est. *Mynsi. d. obser. 17. lib. 1. Gail. 2. obs. 59. Hartm. t. 29. de fideiu. obs. 3. Coler. de proces. executiu. p. 1. c. 10 n. 250. & n. 289.* vbi hoc in Doctorib. procedere testatur. *Thesaur. decis. 47. n. 11. VVes. consil. 23. n. 56. Graff. in lib. commun op. q. 4. in fin. c. 3. Menoch. consil. 201. lib. 3. num. 120. Franc. Burs. consil. 306. lib. 3. num. 12. Myns. decis. 11. resp. 3. n 30. Meichsn. to. 4. decis. Camer. 1. num. 3. & to. 1. decis. 12. num. 6.* adeoque iuramentum inducunt, vt nec hæredes contrauenire queant. *d. n. 6.* suntq; instar iuramenti realiter præstiti. *gl. in c. pen. de iureiur. Meichs. d. decis. 12. n. 10. & n. 142.*

In summa hodie ex communi opinione omnium probatorum Iurecōsultorum & practicorum hæ clausulæ, à principibus, bey meinen Fürstlichen / à Comitibus, bey meinen Gräfflichen / & Nobilib. bey meinen Adelichen / & aliis in dignitate constitutis, vel fide dignis viris. bey meinen Christlichen Ehrē / bey meinem guten Glauben / Trewen vnd Würden. Item an Eydsstatt / prolatæ, & in instrumentis insertæ, vim iuramenti veri important & operantur, vtut circa pœnam alias differant: Sed hæc obiter. Cæterum quum etiam mediante data fide confœderationum nexibus sese inuicum soleant obstringere principes; de illis igitur identidem quædam proferemus in medium.

PH. Quam necessaria sint rerum moderatori fœdera aliorumque Principum amicitiarum vincla, haud scio an quisquam omnium Principum, quos equidem legerim, æque intellexerit atque *Carolus V.* sagacissimus & circumspectissimus Imperator. Quippe qui statim initio Imperii & ipso ætatis flore, totum se tradidit amicitiæ Regis Gallorum *Francisci* eius nominis I. qui tum temporis recens ad Imperium euectus erat. Hinc se ad *Angliæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Daniæ, Poloniæ Regum* amicitias & fœdera ineunda composuit. *Emanuelem* — *Fœderum consideratio.*

Lusitaniæ, secundisque nuptiis *Francisco I.* iam dicto Eleonoram; *Christierno*, Daniæ, Norvuegiæ, Sueciæ, Isabellam; *Ludouico* Pannoniæ Bohemiæque Regi Mariam sorores suas matrimonio collocauit. *Ferdinando* autem fratri Annam prædicti Ludouici regis sororē (qua affinitate duo illa regna acquisiuit) sibi vero Isabellam Lusitaniæ Regis filiam despondit. Quibus affinitatibus & fœderibus ad tantum amplitudinis, & potentiæ tantum, cuectus fuit, vt non solum subditos in officio contineret, quod satis testatum faciunt crebræ in Hispanos, Belgas, & Germanos dimicationes; verum etiam vicinorum hostium & barbarorum impetus & conatus comprimeret frangeretq;. Id quod clare docet Gallicum, Italicum, Hetruscum, Saxonicum, Pannonicum, Bohemicum, Libycum seu Thunetanum, Mexicanum, Africanum seu Algerense bellum, adeo inquam frangeret, & debilitaret, vt immanis ille Christiani nominis Hostis, tanquam Numen quoddam, vel naturæ miraculum Carolum & formidaret & reuereretur.

EQ. Nouerat nimirum prudentissimus Imperator, verum esse illud Herodoti: *Potentium hominum fœdera nunquam manent firma, nisi firmissimis vinculis constricta.*

TH. Recte quidem Herodotus; quænam vero sint illa vincula firmissima, ipse Herodotus aliiq; plures assecuti non sunt Extant fœderum commemorationes etiam in sacris literis. Sic fœdus, quod Ionathas cum Dauide pepigit, memorabile admodum est, plerumq; affectibus atque amore mutuis. Miserat Saulus rex, qui Dauidem apud Samuelem prophetam degentem comprehensum ad se deducerent. Cum omnes missi, ipse quinetiam Saul rex, spiritu prophetico corriperentur, liberq; adeo Dauid ex ipsorum manibus euaderet, venit paulo post Dauid ad Ionathan, multa de patris eius insidiis conquerēs, quod se nihil tale meritum totis viribus opprimere cuperet. Ille vero rogabat, ne vel ipse hoc temere suspicaretur, vel aliis forte suggerentibus talia facile crederet: sed sibi soli fideret, cui compertum sit nihil mali patrem contra ipsum moliri. alioqui indicaturum eum sibi fuisse, cum absq; ipsius consilio nihil agere soleat. Contra Dauid iureiurando asseuerabat se vera dicere: obtestabaturq;, vt mallet credere ac saluti amici prospicere, quam contemptis eius verbis tanquam vanis tum demum fidem habere, posteaquam extinctū vel viderit vel audiuerit. Nam patrem talia consilia ideo cum ipso non communicare, quod non ignoret mutuam beneuolentiam quæ inter ipsos intercedat, Quare tristis quod iam persuasus esset, percontatus est, quanam in re posset illi gratificari: Tum Dauid: Scio, inquit, quod bene mihi velis, & gratificari cupias. Cras erit prima luna & solenne Regis conuiuium, cui me quoque adhibere solet. quare si ita videtur, extra vrbem in agro clam te præstolabor, tu vero cum requisierit me, dic profectum in patriam Bethlema, vt intersim festo quod mea tribus celebrat: idque permissu tuo factum

Quod

Quod si, vt mos est, de amicis, dixerit, feliciter profectus sit, scito illum nihil mali aduersum me in pectore coquere. Sin autem aliter responderit, hoc e.it tibi iniqui in me animi argumentum, indicabisque mihi rem, ita vt præsenti mea calamitate mutuaq; nostra amicitia dignum est, quam fide in hoc data & accepta dominus cum seruo tuo voluisti inire, quasi me indignum aut erga parentem tuum iniurium censes, nihil expectat: seius iussis iam nunc me tuo gladio confodito. Hæc vltima verba grauiter ferens Ionathas, facturum se postulata promisit, & si quid patrem male de ipso cogitare deprehenderit, indicaturum, & quo maiorem ei fidem faceret, educto sub diuum iureiurando confirmat, nihil se non tentaturum quod ad salutem ipsius pertineat. Deus, inquit, qui hanc vniuersitatem quam late vides, implet ac moderatur, quique priusquam eloquar mentem meam nouit, testis esto initi inter nos fœderis, quodque non prius patris voluntatem scrutari desistam, quam compertum habuero, ecquid latentis odii aduersum te conceperit: & quicquid deprehendero, siue amicum, siue infensum, confestim tibi significabo. Nouit Deus, quod ipsum tibi perpetuo propitium precor, vtque semper tuas res prosperet, quemadmodum & nunc facit, & posthac facturus est, & siue pater meus, siue ego tibi aduerser, tu tamen ope illius nunquam non victor euades. Tu vero memor esto huius nostri affectus, & si me potire contingat, liberos meos serua, & mihi debitam gratiam in illos colloca, &c.

EQ. Affectus simul & effectus vtrobique ex corde candido ac syncero, in hoc fœdere sese exeruit. Cæterum in pangendis fœderibus cautio quoq; adhibenda est, quomodo nimirum & cum quibus ineantur fædera; atq; hæ quidem fere à Politicis traduntur cautiones. I. Vt non mediocri valeant potentia, & in proximo habitent. Cui enim vsui essent, longe dissiti, aut miseri & afflicti, ni, vt periclitantibus illis, aut etiam ipse periclitetur? notum est illud Hadriani Imp. verbum: *In caducum parietem non esse inclinandum.* *Cautio in confœderationibus.*

II. Vt non cum multis, sed paucis, iisque potentibus societatem ineat. Nam, vt ex vero Philosophus scribit: *Perfecta cum multis amicitia nemini intercedere potest.*

III. Vt illi eadem politiæ forma & Religione viuant. Quia enim, *non possunt esse inter eos iura pacis, inter quos est bellum fidei* Et per Deum immortalem, *qui fieri potest, vt homini sit amicus, qui Deo fuerit infidus?*

IV. Videndum adhæc, vt paribus legibus, conditionibusque cum Principe socientur. Ratio clara est, quod *mutui metus æqualitas, societatem fidelem faciat, firmamq; conseruet.*

Contra quam si imparibus conditionibus, vt puta iure Clientelę (quod sæpicule fit) in amicitiam potentioris veniat Princeps: hic enim magnopere timendum est, ne Dominum, quam socium sit habiturus: quod tamen discrimen ex facili vitabit, si certis contra Patronum sese muniat cautionibus. Ni-

mirum imprimis vt in protectionis literis *iura Maiestatis* excipiantur: vt certis temporum interuallis fœdus sit definitum, non perpetuum: denique vt Protectori arces, oppidaue suo milite munienda & occupanda minus concedat. Nihil enim verius illo Bruti Trib. Pl. dicto: *Vnam esse tenuium aduersus potentiores securitatis cautionem, vt potentes si nocere velint, non possint.* Quæ quidem protectionis literæ, quo omnis soluti fœderis prætextus adimatur, à nouo Principe confirmandæ veniunt.

PH. Postremo hæc cautio nemini præterquam vigilantibus subueniet. Princeps igitur alienorum exemplorum, quæ passim extant, recordatione debet esse cautior. Sic Romani in fœderibus, quæ cum Latinis pangebant, erant superiores. Ii enim de bellicis negotiis soli deliberabant, duces eligebant omnesque dabant magistratus. Et breuiter vt dicam, vt soli bellis præerant, sic etiam vti victores omnia ad sese transferebant, adeo vt Latinos seruis haud absimiles fuisse liquido appareat: nomine quidem socios, at non re, nisi in laboribus. Non enim ad honoris, lucri & imperii partem admittebantur; adeoque sociale fœdus in patrocinium mutabant, ac tãdem etiam dominatum arripiebant, atque ita sub æqui fœderis specie imperiose sibi parere compellebant. Vt non immerito Setinus, Latinorum imperator de Romanis questus fuerit: Sub vmbra fœderis æqui seruitutem patimur. Siquidem ex Latinorum pecuniis, arma, classes atque exercitus, Romani comparabant, ipsorumque auxilio totius fere orbis terrarum dominium adepti sunt: Latinos vero suum ipsorum imperium denuo restaurare nunquam passi sunt, sed vel ipsi vel alii ipsorum nomine conatus eorum represserunt. Quam ob causam etiam, vt inquit Liuius, concilia populorum Latinorum habita, responsumque non ambiguum imperantibus Romanis datum, absisterent imperare iis, quorum auxilio egerent: Latinos pro sua libertate potius, quam pro alieno imperio arma laturos. Iisdem prope querelis aduersus Romanos, Lycortas Achæorum imperator vsus est, cum diceret, fœdus Romanorum cum Achæis specie quidem æquum esse; re precariam libertatem, apud Romanos etiam imperium esse. Nec aliam ob causam Samnites aduersus Romanos tam diuturnum bellum gesserunt, quam quod societatis specie Romani imperare Samnitibus vellent. Ac sane quam imperiose Romani gesserint aduersus socios, patet ex sociali fœdere, quod cum Ætolis percusserunt, verba fœderis sic habent: Imperium maiestatemq; populi Rom. gens Ætolorum conseruato sine dolo malo; hostes eosdem habeto, quos populus Rom. armaque in eos ferto; & bellum pariter gerito; obsides arbitrio consulis XL. & talenta quingenta dato. Liberum quidem Ætolis imperium reliquerunt, sed iis conditionibus, vt paulo minus quam Romano imperio subditi viderentur. Hæc autem verba fœderis: *Maiestatem Romanorum conseruato*; iniquum fœdus esse, nec legibus æquis contractum satis declarant.

Quod

Quod autem dixi in Aphorismis: *tutius esse alteri belligerantium parti sese adiungere*, intellectum habet, cum intermedii impares sunt dissidentibus. Nam superior & dignitate & potentia, Theramenis cothurnum induere, vt est in prouerbio, & à bellis vicinorum abstinere potest. Aliter atq; cum intermedii viribus sunt inferiores; hic enim tutius est ad alterutram partem accedere.

TH. Quid vero statuendum de iis, qui neutri parti se adiungere, nec cum quoquam fœdus inire volunt?

EQ. Tutius est ad alterutram partem accedere, præsertim cum intermedii viribus sunt inferiores. Experti sunt id suo malo Massilienses, qui cum nec *Pompeium*, nec *Cæsarem* recepissent, atq; responsum dedissent, *esse se socios populi Romani, ceterum in præsentia neque curiose inquirere, neque sufficere ad dignoscendam vtrius eorum causa sit iniusta: proinde si quis amici more ad se venire vellet, vtrumq; se absq; armis venientem accepturos, sin bello veniant, neutrum*. tandem nauali prælio ab Cæsarianis vincuntur.

Similiter Optimates Messeniorum, de quib. sic Polybius: *Habito*, inquit, *ad priuata commoda respectu, affectatius, semper quam decebat, animos ad pacem inclinabant. Quamobrem multas sæpe occasiones atque oportunitates temporum nacti, aliquando vero in pericula incidentes, eodem modo continue labebantur: semperque idem propositum seruandæ pacis habentes, in maxima sæpe discrimina patriam adducebant. Cuius rei causam hanc arbitror fuisse, quod cum duabus præcipuis Græciæ gentibus vicini essent, Arcadibus, ac Lacedæmoniis, quorum his semper inimici fuerant, illis fœdere amicitiaque coniuncti, nec Lacedæmoniorum tamen se hostes aperte ostendebant, nec Arcadum amicos. Ex quo fiebat, vt cum prædictæ ciuitates, vel inuicem vel aduersus alios bella gererent, Messenii pace fruerentur. Lacedæmoniis vero, pace cum cæteris facta in Messenios impetum facientibus, cum neq; ipsi per se resistere illorum potentia valerent, neque Arcadum auxilio, quorum amicitiam conseruare neglexerant, se tueri, vel seruire turpiter Lacedæmoniis cogebantur: vel vt seruitutẽ euitarent, cũ coniugibus filiisq; patriã relinquere.*

PH. Principes plerunq; dant operam, vt muniant se fœderibus: & fœderum fiducia moliuntur non mandata, imo prohibita; fiduciaq; multitudinis sociorum, facile patiuntur se ad consilia impelli nõ necessaria aut violẽta, quæ infeliciter plerunq; ineũtur. Sic Crœsus fiducia fœderis Laconici suscepit bellũ nõ necessarium contra Cyrum, in quo & victus & captus fuit. Israelitæ infeliciter dimicarũt, cũ fœdus fecissent cõtra tribũ Beniamin, & fiderẽt virib. suis, *Iud. vlt.*

TH. Quid quod plerunq; συμμαχίαι & confœderationes, etiam in bonis causis sunt periculosæ & infelices. Imo qui sanctissime & religiosissime fœdera seruant, illi maxime decipiuntur, pereunt & faciunt iacturam grauissimam. Hinc illa Friderici III. Electoris Sax. vox memorabilis, qua solitus est dicere: In omnibus fœderibus seu inter confœderatos, illos esse loco & conditione deteriore, qui fœdera seruarent. Bonũ est, esse fœdera; sed vę illi qui seruat, &c.

Memini ego hanc sapientissimi ac piissimi Principis vocẽ à Politico quodam

dam publice exagitari, quasi isthæc sententia fœdifragorum conditionem approbauerit atque vsurparit. Verum is è suorum fortasse ingenio alios vult metiri. De Parthis sane Iustinus *lib.* 3. inquit: *Fides dictis promissisq; nulla, nisi expedit.* Et Euphemus apud Thucydidem ait: *Principi nihil esse iniustum, quod fructuosum.* Et Clearchus Lacedæmonius apud Xenophontem, *ad ea quæ concupisceret, compendiosa sibi admodum via peruenturum putabat, si mentiretur, si peieraret, si denique quauis ratione falleret.* Et: Mahometes II. Turcarum imperator dicebat, præstare fidem, mercatorum esse, non principum: quod illi à fide, isti ab armis pendeant & viribus. Et Machiauellica vox est: Cum humana societas sit fueritque semper fraudibus atque dolis exposita, versariq; in ea cum candore & sine noxa, non sit humanæ mentis; quidni liceat vicissim dolis deludere; quemadmodum enim, vt Archites inquiebat, difficile est piscem sine spinis inuenire, ita & hominem, qui non dolosum spinosumq; quiddam habeat, &c. Machiauellica hæc sunt, suisq; digna autoribus.

Non sic sensit supradictus sapientissimus ac laudatissimus Princeps Fridericus. Nec dixit quid in fœderibus fieri debeat, sed quid plerunque fiat. Expertus haud dubie ipsus fuit suo incommodo nefarias fæderum elusiones; vidit inquam, nullam societatem fœderum esse diuturnam; quum multa incidant, quibus illa dirimitur, & conuertitur in inimicitias hostiles; fiuntq; adeo sæpenumero confœderati ex amicis hostes. Expertus id fuit Maximilianus I. in expeditione cumprimis aduersus Venetos; quæ quidem expeditio cæpit anno 1508. mirabili voluntatum conuersione motum à Regibus totius Europæ ad deprimendum fastum insolentiæ, ac frenandam audaciam potentiæ Venetæ. Quo quidem in fœdere conditio eo fuit deterior & iniquior, quam reliquorum, quo æqui iustique ipse & fidei pactorumque fuit obseruantior. Nihil enim in eo fucatum, insidiosum nihil aut suspicax, nihil captiosum aut πλεονεκτικὸν, aut auarum fuit. Natura enim ad veritatem, candorem, iustitiam & æqualitatem ferebatur, ac fraudulentas simulationes oderat, alienus erat ab iniusta sæuitia, & moderationem amabat in omnibus rebus, consilia dirigebat exquisito grauique iudicio, non ad distractiones voluntatum, non ad inuoluendas res, non ad alendas simultates & odia, non ad oppressionem & euersionem aliorum, sed ad concordiam cum salute & dignitate Imperii coniunctam. Cæterum fuit hoc bellum contra Venetos admodum, memorabile exemplis cupiditatum & affectuum in Regibus, inconstantiæ ac mutabilitatis voluntatum humanarum, incertæ dubiæque fidei fœderum & tristissimi exitus non necessariorum bellorum. Confectum id est cum multa clade gentis Italicæ, quam in hoc bellum inuoluit ambitio & rabies Iulii Pontificis iusto Dei iudicio, scilicet, vt hoc ceu irretita hæreret in tristissimis & tragicis pœnis.

Bellum Maximil. aduersus Venetos.

TH. Nunquam certe fædera diu possunt durare, animis vera beneuolentia non

non coalescentibus; non coalescunt autem, quando causæ simul & personæ sunt dissimiles, opinionibus & voluntatibus dissidentibus diuersa fiunt opera. Hinc adeo fit, vt quoties illi, qui fœdere coniuncti sunt, secessionem faciunt, & se dissipari patiuntur, paulatim omnes cladem aliquam accipiant; quin etiam vnius confœderati ruina opprimit reliquam multitudinem sociorum, omnino quemadmodum in testudine, cum vna solummodo chorda discrepare incipit, tota harmonia turbatur.

EQ. Equidem certum & exploratum est, fœdera inter multos icta, non ea firmitate & consensione animorum sua natura esse, quin existimari possit, quempiam aut remissiorem fore, aut ab aliis disiunctum iri. In variis namq; fœderatorum studiis vbi variæ sunt cupiditates & varii fines, facile perturbationes, iræ, molestiæ, ac suspiciones exoriuntur; hinc adeo fit, vt mutuis sæpenumero sese armis conficiant.

PH. Voluit haud dubie id ipsum exprimere Ouidius *lib.* 3. *Metamorph.* fabula illa, de Cadmo, quam Sabinus in eiusdem interpretatione sic recensset: Cadmus, Agenoris filius, occiso rege, cui nomen erat Draconi, fertur occupasse regnum Bœotiæ: aduersus quem cum amici & filii Draconis bellum coniunctis viribus suscepissent, ipse iecit inter eos semina discordiæ, quibus etiam distracti atque disiuncti sunt. Hinc nata est fabula de serpente, eiusq; dentibus in terram seminatis: ex quibus subito extiterint duæ acies, gladiis & hastis armatæ, quæ mutuis vulneribus sese confecerint. Fingitur autem Cadmus illam sementem fecisse, iussu Palladis, hoc est diuino consilio: est enim singularis prudentiæ, ita diuellere hostium consensum. Ac videre mihi videor in hac fabula quandam imaginem horum temporum, vbi aliquoties fœderati principes simili arte sunt distracti: & postea inter sese dimicantes perierunt. *Hactenus Sabinus.*

TH. Sinit Deus sæpenumero fieri huiusmodi fœderum distractiones, vt emendet impiam fiduciam fœderum & aliorum præsidiorum humanorum. *Optimum* ergo (vt inquit Isocrates,) *& firmissimum fœdus est, iusta facere: talibus enim confœderatus est Deus ipse.*

EQ. Cumprimis vero fugienda est in sanciendis confœderationibus, impiorum coniunctio. Fœdera enim iuncta cum impiis, sunt & inuisa Deo, & noxia atque perniciosa hominibus: quia plerunq; oriuntur ex diffidentia recedente à Deo, & conuertente se ad hominum auxilia, imo etiam ad Dei hostes: aut trahunt homines ad impietatis alienæ malarumq; actionum societatem, vt fiducia præsidiorum humanorum reddantur elatiores & insolentiores. Hinc grauis illa Prophetæ interminatio: *Non veniat tecum exercitus Israel: quia Dominus non est cum Israele. Si enim hoc feceris, Deus sinet te cadere coram hostibus tuis.* *Fœdera cũ impiis vitanda.*

Et Esa. cap. 13. *Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia præualidi nimis,*

 & non

& non sunt confisi super Sanctum Israel, & Dominum non requisiuerunt,&c. Hinc Iosaphat, alias pio regi, Propheta in nomine dicit Domini. *Quia habuisti fœdus cum Achab, percussit Dominus opera tua.* 2. Paral. 20.

Accommodari huc potest, quod Æschyl. in Tragœdia scribit:

In omni negotio nullum est praua societate
Maius malum, quæ affert fructum non colligendum,
Videlicet mortem, natam ex calamitosa terra.
Vt enim conscendens nauem pius vir
Cum sociis nauigationis, qui sunt versuti & improbi,
Perit vna cum genere hominum, quod Deo inuisum est:
Aut inter ciues versans iustus,
Qui violant iura hospitii, & Dei ipsius immemores sunt,
Deprehensus in eadem venatione,
Percussus Dei flagello communi domatur:
Ita hic vates, filium Oicleis dico,
Modestus, iustus, bonus, pius vir,
Magnus Propheta, prophanis admixtus
Audacter verba facientibus viris, vehementi impetu
Suscipientibus expeditionem aduersus magnam vrbem
Ioue volente simul inuoluetur.

EQ. Exemplis insistamus. Ioannes Palæologus Imp. Orientis, bellis conflictatus per plerosque Græciæ Principes, cum *Amurate I.* confœderationem iniit, quæ ex re aditum ad ipsam Europam illi aperuit, simulque Græciæ toti cladem longe maximam importauit. Nam audacia Principum repressa, Turcæ in Vrbium Græciæ præsidio remansere, & insuper captus Amurates regionis amœnitate, oculos ad Europam adiecit, in quam se cum LX. hominum millibus penetrans Philippopolim, dein Adrianopolim, aliasque Vrbes loci ingenio munitissimas occupauit.

Taceo Manuelem Palæologum eiusdem Oræ Imperatorem, Alphonsum Megapolitanum in bello contra *Carolum VIII* Galliæ Regem, aliosque Principes Christianos, quos nō attinet commemorare, ne successorum hæredumue pudorem (si qui tamen supersunt) videar prouocare. Tantum dico eiusmodi fœdera neutiquam illis bene cessisse: &, vt ab aduersariorū impetu sese defenderint, aliasq; vrbes forte, vel arces infideliū istorū ope ab aduersariis occuparint, honesti tamen, & æqui rationem intuentibus (quæ Principibus semper attendenda) nihili hæc esse, præ infamia, quam ex eiusmodi barbarorum societate sibi accersiuere.

PH. De fœdere, quod Veneti cum Turcico Imperatore fecerunt, iudiciū

Me-

Melanthonis in locis Manlii pag. 407. extat: Sunt, inquit, λυκόφιλοι, es sind Hunds foedera gewesen. Paucis multa dixit.

EQ. Annumerari his potest foedus illud Caroli Calui, cuius meminit Melāthon in Chron. Carionis his verbis: Metu fratris muniturus sese amicitiis & foederibus, quorum praesidio firmius retineret Imperium Italiae, Bosoni affini suo despondit Hermingardin filiam Ludouici Imperatoris, & ducem Italiae primum, mox etiam Regem Prouinciae creauit. Berengarium vero ac Guidonem Romanae nobilitatis proceres ex veterum Longobardorum stirpe, alterum Foroiuliensium, alterum Spoletanorum ducem fecit.

Quae res, vt nunquam sunt felicia foedera spe augendae stabiliendaeque potentiae, aut studio mouendi res non necessarias contracta ad opprimendos alios: ita postea exitio fuit stirpi Carolinae, totāq; euersam pene radicitus extirpauit: Italiam seditionib. inuoluit à Germania Franciaq; auulsam, de qua cum diu contendissent armis vtriq;, Frācis exclusis, Germani recuperatam rursus pacarunt. Sed & Imperio tandem, & regno. Francico stirps Carolina excidit: & quos ad defendendam contra agnatos Italiam autoritate potentiaq; Carolus armarat, hi interea sibi Imperium Italiae illo excluso acquisiuerunt.

Reuersus autem Carolus in Franciam, comperta morte Ludouici Germanici, mox filiis eius de regno paterno bellum intulit, coacto ingenti exercitu, frustra Ludouico, qui ex tribus fratribus medius erat, & periculo proximus, deprecante, ne pergeret, & pacem petente. Callide Carolus suspendēs responsionem de pace, struebat insidias Ludouico, quibus incautum opprimeret: sed cum insidiis proditis Ludouicus periculum cognouisset, cum eo congressus ad Andernacum, praelio superatum fudit fugauitque & fugientem insequutus per Lotharingiam desertam à Francis, recuperauit amissa. Ita poenas dedit Carolus & iniustae auaritiae atque ambitionis, & moti belli non necessarii.

TH. Cum paucis, quod sciam, notum sit foedus illud Smalkaldicum, quibus nimirum pactis ac conditionibus initum fuerit, ego summā eiusdem ex Chronico Dauidis Chytraei recēnsebo. Sic autem Chytraeus: Foedus Smalkaldicum, ait, quod inter Ducem Saxoniae Electorem & caeteros Principes, qui confessionem Augustae vna exhibentes, sententia Caesaris damnati erant; primo inchoatum, & sex annos sancitum erat; iuxta decretum proximo mense Decembris Smalkaldiae factum, in annos decem prorogatum est. *Foedus Smalkaldicum.*

Formulae foederis, quod me puero, in toto imperio, in omnium ore erat, & multis formidabile videbatur: Ioan. Fridericus, & Ioan. Ernestus frater, Duces Saxoniae: Philippus, Ernestus, & Franciscus Duces Brunsuuicenses & Luneburgenses: Vlricus Dux Wirtebergensis: Philippus Landgrafius Hassiae: Barnimus & Philippus duces Pomeraniae: Anhaldini, Gebhardus & Albertus, comites Mansfeldenses: & ciuitates superioris Germaniae Saxoniae, & maritimae, Argentina, Augusta, Francofordia ad Moenum, Constantia, Vlma,

Eslingen, Reutlingen, Memmingen, Campidunum, Lindauia, Biberacum, Isena, Magdeburgum, Brema, Brunsuiga, Goslaria, Hannouera, Gottinga, Einbecca, Hamburgum, Lubeca (quæ tamen paulo post se iterum exemit) & Minda subscripserunt: & se ad mutuam beneuolentiam, fidem & defensionem: si quis præsenti aut futuro tempore, eos, eorumue subditos, ab agnita veritate verbi diuini, vi armata depellere, & ad pristinos abusus iterum adigere conarentur, sanctissime obligarunt: ac ne quis moto bello, absque alterius consensu & voluntate, cum hoste pacisci, aut, si exeunte hoc decennio, nondum finitum esset, ne quis ex fœdere, nisi eo finito, discedere possit, & alia, pacta sunt.

Nec aduersus Cæs. M. vel vllum Imperii statum, sed tantum ad conseruationem Christianæ veritatis & pacis, & propulsationem iniustæ violentiæ, in casu necessariæ defensionis, sancitum esse, testantur.

Altero deinde prolixiore scripto, cætera ad fœdus & defensionem pertinentia, constituuntur: duo capitanei, Saxo & Hessus, qui per vices singulis semestribus præsint: Tredecim consiliarii bellici: deliberatio & conclusio, an sit suscipiendum defensionis causa bellum, penes omnes ordines sit. Quod si singulorum sententiis auditis non conueniet, tredecim suffragia, secundum pluralitatem votorum decident: ex quibus duo elector Saxoniæ & frater, vnum duces Brunsuicensis, Lunæburg. Anhaltini & Mansfeldici, duo Hessus: vnū dux Wirtebergensis: vnum Pomerani: tria nomine ciuitatum superioris Germaniæ, Argentina, Vlma, Augusta; totidem nomin. Saxonicarum, Magdeburg, Brema, & Hamburga habebunt.

Pecuniam ad conducendos duces & milites necessariam, principes Torgæ & Cassellæ, ciuitates Saxonicæ Brunsuigæ; Sueuicæ, Vlmæ deponent Principes (exceptis Pomeranis & Wittenb. qui recens in fœdus accesserunt, ideoque nondum taxati sunt) 7000. Ciuitates (exceptis Augusta, Francofurtd, Campiduno, Hannouera, Hamburga & Minda) itidem 70000. ex quibus 52000. ad bis mille equitum: 88000. ad decem millium peditum stipendia in duos menses conuertantur. Postea Vlricus Wirtenbergensis decem millia ad stipendium menstruum Stutgardiæ: Augusta pro duobus mensibus, decem millia: Francofortii 6000 Campidunum 18000. Hamburgum 8000. Hannouera 1534. se collaturos promiserunt. Pomerani eo anno nondum de taxa conuenerant. Quod si necessitas bellum gerere cogeret: eadem ratione, pro tertio, quarto, quinto, sexto mense ordines contribuent. Belli tempore summi duces, si ipsi vna ibunt, singulis mensibus, mille ducentos: si alium substituent, quadringentos flor. pro sua mensa à ministris: singuli consiliarii bellici centum; ex communi fœderis ærario accipient. Explorationibus septem vel octo millia destinata sunt, & singuli fœderis status, consiliarii & alii, quidquid ἀξιόλογον cognoscent, ad summos duces statim referre iubentur.

Multa

Multa et alia, de modo defensionis: de saluo passu per aliorum vrbes, de controuersiis à summo duce & consiliariis belli dirimendis: de lucro, si quod ex bello redundet, iuxta proportionem contributionum diuidendo, & si quis ex confoederatis captus fuerit, vel oppida & arces amiserit, nulla pax fiat, priusquam in integrum restitutus sit, &c. sancita, sed suscepto post decennium bello, pauca seruata sunt. Optimum autem & firmissimum foedus est, iuste agere. Imp. Rud. 2. Pp. Greg 13.

LQ. De hoc foedere Smalkaldico, vaticinatus est B. Lutherus, quod futurum sit schmal & kalt / id est, curtum & frigidum. Et Peucerus *in lectione Chron.* Quando, inquit, nostri principes muniebant se foederibus, populus intuebatur potentiam principum coniunctorũ & deuinctorum inter se foedere, quod vocabatur Smalkaldense. Aliqui multa mouebant, fiducia illius foederis, quae praestiterat fuisse omissa. Illa fiducia eos ad arma capessenda impellebat, ad experiendam fortunam infelicis belli, quod quamplurimis exitiale fuit. Meminimus, quae fuerint voces multorum intuentium numerum eorum, qui eo foedere erant deuincti. Sed sapientes, quanto crescebat potentia magis: tanto magis frangebantur animis, & fiebant imbecilliores. *Hac Peucerus.*

TH. Cum celebris illa religionis transactio Passauiae facta identidem paucis nota sit: enarrabo & illam ex Chronico Chytraei. Sic autem habet.

Nos Ferdinandus, &c. fatemur, cum bellicos motus istos in Germania, ex Philippi Landgrauii Hessiae custodia, praecipuam originem & causam habuisse intelligeremus: adducti amore & cura salutis, & pacis Imperii publicae, fratrem nostrum Carolum Imp. amanter rogauimus, vt de liberatione Landgrauii, & cohaerentibus negotiis, quae causam bello praebuissent, amicam tractationem nobis instituere liceret. Quod cum à Caesare impetrassemus, nos & filius Maximilianus Rex Boiemiae, cum Mauricio Saxoniae, & Alberto Bauariae duce praeteritis Paschae diebus Lyncii conuenimus, & post varias deliberationes, vtile ac necessarium iudicauimus, alterum conuentum, ad 26. Maii in hac vrbe Passauio instituere, & Electores ac principes Imperii adscriptos, veluti intercessores, simul adhibere.

Itaq; nos & dictus Elector Saxoniae, & reliquorum quinque legati, nomine Moguntini, Daniel Brendel: Coloniensis, Henricus Saltzburg: Treuerici, Philippus à Winnenberg: Palatini Friderici, Ludouicus comes in Konigstein: Ioachimi Brãdeburg. Adamus Trode: deinde Ernestus Archiepiscop. Saltzburgensis, Mauricius Dryopolitanus, Wolffgangus Passauiensis, & Albertus Bauariae dux in persona: nomine vero Ioannis Brandeburgici, Bercholdus Mandeslo, & Andreas Zoch: Wilhelmi Iuliacensis Gulhelmus Keteler: Philippi Pomerani, Iacobus Zitzeuuitz: Christophori Wirtebergensis, Theodoricus à Pleningen comparuerunt, cum quibus causam tractare coe-

 pimus

primus: ac primum electoris Saxoniæ, & confœderatorum principum postulata & grauamina duobus scriptis exposita, accepimus & expendimus: & re accurate deliberata, sequentes articulos & media pacis poposuimus.

Elector Saxoniæ & fœderati principes, ante 12. Augusti, ab armis discedent, & Cæsareæ Maiestati ac Imperio obedientes erunt, copias sine vllius detrimento dimittent, vel Regi Ferdinando militare sinent, vrbes Imperii & alios status, quos armis sibi adiunxerunt, patentibus literis ab obligatione liberent. Philippus Landgrauius Hassiæ, conditiones in Salinis Saxonicis ipsi præscriptas, denuo ratas habebit, & perficiet, nec custodiam suam vlcisci conabitur, sed vt obedientem principem decet, deinceps se ergà Cæsaream Maiestatem, nos & Imperium geret. Ambo etiam electores, Saxo & Brandeburgicus, & Palatinus Wolfgangus, obligationem antea datam renouabunt, & Reginæ Mariæ vel ipsius præsidenti Machlinensi ad 6. Augusti diem tradi curabunt. His factis, Landgrauius custodia liberabitur, & ad 11. vel 12. Augusti in arce sua Reinfels, sistetur. Cæsar etiam militum copias aduersus Saxonem, Hassum & socios iam conductas, aduersus eos, qui pacificationem hanc accipient, non conuertet, nec in eorum ditiones collocabit.

Permittit etiam Cæsarea maiestas vt Landgrauius inchoatam vrbis Cassellæ munitionem perficiat, executionem quoq; sententiarum in controuersia Nassaensi plane inhibebit, donec liberato Landgrauio, amica compositio inter partes institui possit, vel per vtrinque delectos Electores & principes arbitros, causa recognoscatur, & intra biennium decidatur. Administrator ordinis Teutonici, & Henricus Brunsuicensis, actiones, occasione præteriti belli Smalkaldici aduersus Landgrauium institutas vel instituendas, inhibebunt: donec grauamina, ad Imperii Rempublicam pertinentia, per Mauricium & Hessum in hoc conuentu proposita tollantur.

Quod ad religionem, pacem, & iustitiæ administrationem in Imperio attinet: pax religioni vsque ad proxima comitia dabitur, in quibus de ratione hoc dissidium amice componendi, vel per concilium generale aut nationale, vel colloquium, vel communem Imperii conuentum, deliberabitur.

Hunc de religione articulum Rex Ferdinandus, ac Electorum & principum legati, in eodem conuentu Passauiensi, scripto peculiari ita declararunt, vt constans & perpetua pax in causa religionis siue componatur amicis rationibus: siue non componatur, inter Cæsaream & Regiam Maiestatem Electores, principes & status Imperii; seruetur, & ex consensu Iudicii Cameræ coniuncti Augustanæ confessioni deinceps non excludantur.

Articuli ad libertatem Germanici Imperii pertinentes à Mauricio exhibiti, in comitiis expedientur. Ad consilium vero Cæsaris aulicum, quod Imperii

Imperii negotia tractabit, consiliarios Germanos Cæsar adhibebit, & Germanica negotia non nisi per Germanos tractari sinet, libertatem vero Germaniæ patriæ suæ non imminuet: sed omnibus viribus conseruare, & augere studebit: ac ne Mauritius, & fœderati hos articulos neglectum iri metuant; Ferdinandus & Maximilianus spondent, se vna cum Electoribus & principibus, primo loco in comitiis hæc negotia Cæsari propositūros, ac vt ad exitum deducantur, adiuturos esse.

Ad Galliæ Regem quod attinet, ex legati illius oratione apparet, quædam ad communem Imperii pacem, quædam ad ipsum priuatim spectantia ab eo postulari. Cum autem publicæ pacis in Germanico Imperio cura ad Cæsaream Maiestatem, Electores & principes pertineat; de priuatis suis negotiis per Electorem Saxoniæ ad nos referre poterit, vt Cæsari postulata ipsius à nobis exhibeantur.

Qui ob Smalkaldicum bellum à Cæsarea Maiestate bonis exuti, vel proscripti sunt, Palatinus Otto Henricus: Wolffgangus princeps in Anhald: Albertus comes Mansfeldicus, cum filiis Ioanne, Volrado, & Carolo: Philippus comes ad Rhenum: Christophorus comes Aldeburgicus: Ioannes Baro in Heidec: Fridericus à Reiffenberg: Georgius à Reckenroth: Sebastianus Scherthle, & cæteri in gratiam Cæsareæ Maiestatis recipientur, & in possessiones ac bona sua restituentur, modo deinceps Cæsari & Imperio obedientes sint, & qui in Gallia militant, intra sextam hebdomadam se declarent, & post trimestre in Germaniam redeant. Quibus damnum hoc bello datum est, nullam eo nomine litem fœderatis mouebunt. Omnibus, qui in hoc bello aduersus se militarunt, Cæsar ignoscet: etiam Alberto Brandeburgico, si ab armis discedet, & copias ante diem dictum dimittet.

Inter Henricum ducem Brunsuicensem, & nobiles, bonis & domibus suis ab eo exutos, Saxo & Brandeburgicus Electores, & Ioannes Brandeburgicus, & Philippus Pomeranus, velut commissarii Cæsaris, intra trimestre amice transigent, & nobiles saluis actionibus cæteris restituent. Iidem commissarii controuersias ducis Henrici Brunsuicensis cum vrbibus Brunsuuiga, & Goslaria diriment. (sed cum Goslariensibus à se obsessis dux Henricus paulo ante pro suo arbitrio transegerat.) Hæc Cæsar pro se & successoribus, & confœderati principes, Mauritius Elector Saxoniæ, Otto Henricus Palatinus, Ioannes Albertus Dux Megapolitanus, & Guilhelmus Landgrauius Hassiæ, pro se & hæredibus, & omnibus, qui hoc bello ipsis militarunt, & Ferdinandus ac Maximilianus Reges, Electores, principes Ecclesiastici & politici, pro se & suis rata habent, & perpetuo fideliter seruaturos & defensuros, promittunt.

Exem-

Exempla vero huius recessus: tria Regis Ferdinandi, & Electorum Moguntini ac Palatini, Archiepiscopi Saltzburgensis, Alberti ducis Bauariæ, & Mauritii Saxonis, ac Guilhelmi Hassi manu propria subscripta, & appensis sigillis confirmata sunt, quorum vnum Cæsareæ Maiestati, alterum ordinibus Imperii, tertium Electori Saxoniæ & sociis tradita sunt, Actum Passaui 2. Augusti, anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, nostrorum vicesimo sexto. Hæc celebris illa, & toti Imperio salutaris pacificatio Passauiensis, quæ fundamentum & firmamentum publicæ salutis & tranquillitatis Germaniæ eo tempore fuit, ac, quod ad religionis pacem attinet, deinceps ad omnem posteritatem, Deo iuuante, futura est, habita est anno Domini 1552.

EQ. De republica quoque Heluetiorum, eorumque confœderatione, vt hic identidem aliquid inferamus, videtur commodum. Mutuabo autem id ex Iosia Simlero, qui in præfatione quadam de eadem sic scribit: Plerisque, inquit, persuasum est, maiores nostros occisa aut eiecta omni nobilitate, nouam rempublicam, quæ non iam respublica quam anarchia sit, instituisse; & si sit aliqua respublica, nobiles tamen ab ea excludi, neque vllum inter nobilem & plebeium discrimen esse. Quam vero vana & improba hæc calumnia sit, facile vidébunt, quicunque hæc nostra legerint. Primum enim, quod fœdera attinet, etsi pagi aliquot Austriorum imperio paruerunt, certum tamen est maiorem partem liberam & sui iuris fuisse, ideoque optimo & æquissimo iure potuisse fœdus inter se facere. Deinde illi pagi qui Austriis paruerunt, conditionibus certis eorum imperio subiecti fuerunt, & multa priuilegia habuerunt, quæ quum illis præfectorum improbitate eriperentur, & atrocibus atque notoriis iniuriis afficerentur, coacti sunt alibi defensionem quærere. Veruntamen in primis & antiquissimis fœderibus excipiunt Austriorum iura, & ostendunt se paratos esse ad omnia illis præstanda, ad quæ iure ac legibus tenerentur; cum vero illi nollent his contenti esse, sed eos prorsus opprimere conarentur, armis sese in libertatem asseruere. Ipsæ autem fœderum conditiones nullam seditionem spirant, nihil iniustum sanciunt, sed humanitatis & æquitatis plenæ sunt, ideoque Romani Imperatores Heluetiorum fœdera approbarunt & confirmarunt, noua quoque priuilegia & immunitates amplas ipsis elargiti sunt. Nobiles vero tam abest vt vniuersa ex Heluetia eiecti sint, vt nostra ætate in plerisque ciuitatibus peculiares societates & ampla priuilegia obtineant, præterea arcium possessiones & iurisdictio integra illis manet, ac nos in vna Turgeæ præfectura supra viginti nobilium arces & iurisdictiones enumerauimus. Sunt quidem arces complures dirutæ, quod negari non potest, sed neque omnes ab Heluetiis vastatæ sunt, verum non exigua pars nobilitatis ab Austriis principibus, Alberti Filiis, necem paternam vindicantibus cæsa & domo pulsa est, arcibus ipsorum euer-

eueisis: Ecclesiasticæ quoque fam liæ multas nobilium possessiones occupant;q ns nob.les illis l garunt aut vendi ie u t, aut ipsi bello cepere: quas vero Heluetii vastarunt, iustis & grau.bus causis, vt id facerent, ducti sunt, atque aperto bello, non tam nobiles quam tyrannos abutentes nobilitate, ex his locis proflig runt: cæteroquin nobilibus suus honor, sua iura, immunitates & priuilegia salua manent. Reipublicæ vero non vbique eadem est forma & ratio, omnia tamen maiorum nostrorum prudentia & consilio ita apte disposita sunt, vt vel ad hostes propulsandos, vel ad ciues in pace conseruandos, & consequendam illam αὐταρ-κειαν optimo gubernatori reipublicæ propositam nihil desiderari queat. Quod si al b: peccatur nostra ætate, & ab optima reipublicæ moderandæ ratione receditur, nostris id vitiis imputandum est, qui veterum mores & maiorum instituta non retinemus. Atque vtinam non liceret nobis iuste vti querela qua Africanus apud Ciceronem vtitur. Nostra ætas, inquit, cum rempublicam sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem vetustate, non modo eam coloribus iisdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, vt formam sal em eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam, quos ita obliuione obsoletos videmus, vt non modo non colantur, sed etiam ignorentur? nam de viris quid dicam? mores enim ipsi interierunt virorum penuria: cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam reis capitis quodammodo dicenda causa est: nostris enim vitiis non casu aliquo rempublicam verbo retinemus, reipsa vero iampridem amisimus. Hæc grauissimi & sapientissimi viri verba apponere volui, non quod existimem res nostras ad extremum peruenisse, sed cum constet magnam morum inclinationem factam esse, omnino cauendum est, & à viris prudentibus in tempore occurrendum, ne rebus in deterius prolapsis, idem nobis accidat, quod Romanis euenturum Cicero vere vaticinatus est, qui amissis antiquis moribus virisque rempublicam & libertatem simul amiserunt. Sed vt mores antiquos retinere, & labefactatos reparare possimus, præclara maiorum facta & instituta ante oculos semper habenda erunt, ac omnibus opera danda, vt hæc sint quam notissima. *Hactenus Simlerus.*

PH. Cum hactenus à nobis Fidei fœderumque facta sit bene longa mentio, non ingratum opinor erit, si quæ fuerit olim datæ fidei, præstationis iuramenti, pangendorumq; fœderum ratio ex veterum monumentis, quoad eius fieri poterit, eruero. Tanta autem fuit huius fidei constantia apud veteres, vt solis verbis libera fides quam diligentissime seruaretur, nullo Deorum aut hominum teste interposito. Scribit Iosephus *l.2.c.7.belli Iudaici*: iusiurandum quasi periurio deterius Esse: nos deuitasse existimantes, satius esse rate seruare sine iuramento fidem, quam datā pallere. Scribit Liu. *l.1.& 20.* & Polybius, Romanis

Fidei ac iuramenti præstandi olim ratio qua.

manis consuetudinem fuisse, vt cum firma fide aliquid promitterent, agnum leua manu, dextra silicem tenuisse, vt si fallerent, Iouem, cæterosq; Deos precatos fuisse: vt ita eos mactarent, quemadmodum ipsi agnum mactassent, & sic secundum precationem, caput pecudis saxo allidebant. Pœnorū mos traditur, vt aram sacram tangens, vel agnum læua, dextra silicem tenens, Deos hominesq; contestaretur: vt si sciens falleret, ita se Iupiter feriret: quemadmodum ipse agnum percuteret. Indis maxima societas erat, de Tantuli aqua potare: de qua si qui vna bibissent, ea obtestatione tenebantur, vt eiusdem fati & fortunæ fœdus iniisse censerentur. Parthi apud altaria complexi dextras, tāquam Diis testibus & arbitris, postquam sacra libassent, fœdera percutere pacemq; inire solebant. Scribit Suidas antiquos reges epulum publice præbentes, vinū phialis aureis aut argenteis temperatum à pincernis accipere consueuisse, eoq; libato, pro magni amoris signo, ei calicem cui volebant, dabant; calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem, qui faciunt fœdus, cultello aut gladio aliquantulum corporis incidentes: Deinde in calicem intingunt securim, sagittas & gladium: Hæc vbi fecerant, se multis verbis deuouent: postea vinum epotant non modo ii, sed etiam comites ii, qui sunt maximæ dignitatis, *Herodotus libr.* 4. Sic ferme apud Romanos iusiurandum inter factiosos confirmabatur, teste Salustio, qui scribit, Catilinam humani corporis sanguinem vino permistum in pateris circumtulisse sociis coniurationis, & eos sigillatim degustasse, quo inter se magis fidi forent. Mos est (inquit Tacitus) Armentorum regibus implicare dexteras, pollicesque inter se vincire, nodoq; constringere, mox vbi sanguis in artus extremos se effundit, leui ictu cruorem eliciunt, atq; inuicem lambunt: ex quo fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sacratum. Hiberi etiam colligatis pollicib. & vulneratis fœdus sanciunt. Britanni in cœlestibus & sacrificiis conspirationem fidemq; sanciebant, atq; ita communi consilio, & vna mente, pia ac æterna pax initia censebatur. Galli cum quibus fide & iureiurando iunguntur omnes collatis militaribus signis adesse iubēt. Germanos narrat Possidonius in symposiis sese cōplexos, venas in fronte abscindere, & sanguinem defluentē in poculo miscentes bibere, summum fidei terminum attigisse existimantes, cum sanguinem vicissim inter se degustauerint.

Iuramenta principum. Cæterum magistratus etiam iuramenta præstabant subditis, & vicissim subditi magistratibus his qui sequuntur, modis: Iurabant Atheniensium prætores, vt dicit Suidas, nisi ea præstarent, propter quæ Magistratum gererent, se auream statuam suam dedicaturos esse in Vrbe, Delphis & Olympiæ. Lacedæmoniorum Rex ante susceptum imperium iurat imperaturum se iuxta leges ciuitatis. Ephebi Athenis iuramentum præstare soliti erant tale (teste Aristoxeno Pythagorico *in libro Apophthegmatum*) Non ignominia afficiam arma sacra, nec deseram meum antistitem, sed dimicabo pro sacris, siue solus

siue

siue cum multis; Patriam non derelinquam in deteriori statu, sed ampliori, melioriq; quā accēperim, semper magistratus præfecto prudenter obediam, & legibus constitutis obediam: atque aliis quibuscunque plebis consensu decretis. Quod si quis leges vel irritas facere, vel eis obtemperare noluerit, non concedam, sed vlciscar tam solus, quam cum pluribus, sacra quoque patria colam; horum Dii mihi testes sunto. Apud Macedones, nisi militari sacramento miles adstrictus fuisset, hostem ferire gladio, aut militare minime fas erat: perindeq; in eum militaris animaduersio fuit, qui hostem militiæ sacramento non adstrictus occideret, aut qui classico reuocatus tardius pareret, vt qui ciuem aut socium iniuria occidisset. Romanis mos erat neminem suorum permittere aduersus hostem pugnare (quemadmodum senior Cato ad filium scrib.t) nisi prius Sacramento addiceretur. Lycurgus Lacedæmoniorum legislator, patria excedens, iureiurando ciues suos adegit, ne prius leges suas mutarent quam ipse reuersus esset: Voluntario igitur exilio in Cretam abiens, illic mortuus, cineres suos in mare proiici iussit: ne forte illis in patriam relatis, ciues se Sacramento solutos arbitrati, saluberrimas leges abrogare vellent. Scipio Africanus maior (vt scribit Plutarchus in eius vita) cum nobiles quidem adolescentes ex acie elapsi, de Italia relinquenda consilia agitarent, post Cannensem cladem ad eos strictos ferro repente ingressus, adeo terruit minaciter instans, vt non solum eos à proposito auerterit, sed passi sint etiam à se iusiurandum exigi, de patria, non relinquenda.

Fidem quinetiam erga patriam variis exprimebat documētis. Dauid Adolescens pro Patria propaganda, tuendaque immani Philisthæo se obtulit, cum quo congredi Iudæorum audebat nemo. Vicit ergo eum fides & pietas in Patriam, interfectoque Philistæo, & Patriam ab illa immani peste exemit, & ipse immortalem gloriam est consecutus. Theseus (vt placet Ciceroni & Plutarcho) Neptuni filius, non grauatus est. Se deuouere Minotaur, v. Patriam à seruitute liberaret. Cum Thebani duce Hercule cum Orchomeniis prælium commissuri essent, oraculo prædictum est, eius belli victoriam penes eos fore, quorum se ciuis, qui generis claritate præstaret, sibi ipsi manus consciuisset; Erat Antipœnus natalium dignitate Thebanorum omnium suorum facile princeps, sed adduci is non poterat, vt libenter mortem pro populi salute oppeteret. At eius filiæ Androclea & Alcis alacriter se deuouerunt; necem itaque cum sibi ipsæ consciuissent, publicos promeritæ sunt honores, in æde Dianæ Euclea sepulta. Leonides Spartanorum Rex, ad Thermophilas, quamuis sciret ex oraculo, sibi illic ad internecionem cum omnib. suis, pereundum, aut certe Spartam euertendam: patriæ incolumitati, suæq; gloriæ immortali consulens, Græcos socios omnes dimisit, ipse cū suis remansit, atq; ibidem gloriose pro patria mori non dubitauit, *Herodotus. libr.* *Amoris erga patriam documenta.*

7. Carthaginenses multis affecti cladibus, M. Attilium regulum ducem Romanorum, quem paulo ante in potestatem suam redactum acerbe vexauerant, solutum vinculis, cæterisq; rebus instructum, ad suos ablegatum, se æquam pacem, & captiuorum commutationem illius intercessione impetraturos rati. Is vero vna cum legatis. Carthaginensibus Romam profectus, & senatum ingressus, deferre solitos honores consularibus recusauit, se ciuem esse negans, ex quo sibi fortuna Dominos Carthaginenses imposuisset. Patres cõscriptos tamen monuit, vt pacem plane repudiarent, neque spem præberent hostibus iam ad desperationem redactis. Romani legatos Carthaginensium rebus infectis dimiserunt: ipsum vero per vim iis, à quibus ducebatur, eripere voluerunt, At ille negans sibi manendum in vrbe, cuius ciuis patriis institutis non esset, lege belli serui, e aliis coactus, vltro Carthaginenses sequebatur, ad extremum nec lachrymis, nec lamentationibus suorum à proposito abduci potuit. Sed Carthaginem reuersus, ac præter cæteros crucia-us domunculæ angustæ inclusus, quæ magnitudini corporis eius respondebat, intusque crebris clauis transfixus periit. Agesilaus Lacedæmonius ita patriæ honorem est prosecutus, vt cum Rex Persarum de contrahenda amicitia legatos ad eos misisset, respondit fieri non posse, vt sua priuatim amicitia frueretur, sed si Lacedæmoniis communiter omnibus amicus fieret; se quoque in amicitiam eius venturum. Scribit Liuius *li.14* Mithridatem regem Ponti ad Lycum amnẽ cũ Romanis equestri prælio cõgressum, egregie vicisse, captumq; eo Pomponium Romanorum ducem, qui pluribus, vulnerib, confossus, & ad regis cõspectum perductus, ab eo rogatus, An si diligenter suo iussu curatus esset, sibi vellet amicus fieri? Pomponius: Ero (inquit,) si tu rex feceris Romanis amicus, alioqui hostis, vt antea. Cuius vocem inuictumque animum miratus Mithridates omnem ab eo iniuriam abstinuit.

Animorum alacritas.

EQ. Grata admodum est quorundam ad quæuis obeunda alacritas, vt etiam caput deuouere pro tuenda fide præstita minime reformident. Audite exempla: Guido Flandriæ comes bellum mouens in Philippum Pulchrum Galliæ regem, ab eo captus est, eaque conditione in Flandriam dimissus, vt in fidem regis alienatos Belgas reduceret, interposito iureiurando, rediturum se, nisi eos permoueret. Rediit, carceri se restituit, in eoque paulo post mortuus est, vitæ commodo fidei religionem anteponens. Audite etiam Petri Ansurci, Equitis Castellani factum. Hic cum præfectus esset quibusdam Castellani regni præsidiis & arcibus & in Vrracæ reginæ Castellæ, Alphonsique Aragonum regis, eius mariti, ve ba iurasset, vtrique se castella munitionesque conseruaturum; orto postea inter Regem reginamque dissidio, existimauit, suum esse, arces & loca munita Reginæ, ad quam iure pertinebant, restituere, & quia non poterat Alphonso, cui simul iurauerat, arces tradere,

laparo-

laqueo in collum iniecto Regem adiit, & Procerum turba spectante, supplex orauit, vt sacramenti non tam sponte quam necessitate quadam violati à se pœnas reposceret.

PH Ad prisca regredior: Pullulantibus iam inter Antonium atque Octauium discordiæ seminibus, cum hic Antonii familiares, amicosque alium alio per honestas dimitteret causas, Lucium quoque illius fratrem, quem antea fame pressum apud Perusiam in deditionem acceperat, mittere ad Antonium decreuit, cum mandatis, siue Lucium vt tentaret, siue quod ea per fratrem potissimum Antonio nota esse cuperet: ad quæ Lucius, non vt liberalem modo, atque ingenuum decebat tum ciuem, tum Senatorem, verumetiam vt summo ac maxime excelso animo præditum: Si meus, inquit, fratet Antonius aduersus triumuiratum pro patriæ libertate contra te Octaui moturus est arma, quanquam de me tantopere est benemeritus, clam tamen palamue ad illum proficiscar aduersum te pro patria dimicaturus. Sin ea est fratris sententia, vt sua tantum pro dominatione aduersum collegas sit bellum suscepturus, ego pro te Octaui aduersus fratrem armatus atq; in acie stabo, nequaquam desiturus tua pro causa contra illum pugnare, quandiu intellexero patriæ in te libertatis curam inesse, quam & amicitiæ, & generi vbique sum præpositurus. Atq; hæc quidem verba vt magnanimiter à Lucio dicta, sic etiam ab Octauio maxima quoq; cum admiratione sunt accepta.

Valerius Max. lib. 3. cap. 2. Cum Centurio quidam D. Augusti cum Antonio insignes sæpenumero edidisset pugnas, tandem insidiis circumuentus ad Antonium in Alexandriam est productus. Interrogatus, quid iam de eo statui iuberet? Iugulari me, inquit, iube, quia neq; salutis beneficio, neq; mortis supplicio adduci possum, vt Cæsaris miles esse desinã, & tuus esse incipiam. Cæterum quo constantius vitam contempsit, eo facilius impetrauit. Antonius enim virtuti eius incolumitatem tribuit.

EQ. Non indignum videbitur si Iuliæ Antonii Triumuiri matris egregium tum factum, tum generosa admodum retulerimus verba. Nam eum Lucius Cæsar, Iuliæ frater, in illa Triumuirali coniuratione morti esset destinatus, militesq; ad eum occidendum concurrissent, qui ad sororis domum confugerat, illaq; dignitate atque autoritate sua grassatores initio arcuisset à limine, tandem in forum profecta, vbi Triumuiri considebant, virili maxime animo, quique antiquum præ se ferret genus, familiæque nobilitatem, ante filium ipsum constituta: Ego me ipsam imperator accuso, inquit, quæ Lucium fratrem meum, auunculum tuum, penes me domi aduersum edicta vestra habeam, quem vt recte intelligas habitura etiam sum. Proinde scias vno vtique gladio matrem cum auunculo simul transfigendam. Qua animi magnitudine effectum est, vt Planci consulis opera, Lucii sit Cæsaris incolumitati prospectum ac restitutioni. *Mulierum alacres animi.*

Nec vero ab re fuerit, si alterũ quoq;, ac tertiũ & quartum huic matronale exemplum subdidero. Thesta Dionysii tyranni soror cum à fratre grauissimũ accusaretur in modum, quod ipsa Polyxeni coniugis fugę conscia, nullũ fratri fecisset rei eius indicium: ad ea, qua ipsa quidem erat animi magnitudine, metusq; omnis expers: Adeo ne, inquit, Dionysi ignaua tibi visa sum, degenerãtique prorsus animo, vt non Polyxenum maritum fuissem secuta, si eius mihi consilium fuisset cognitum, omnis eiusdem fortunæ atq; ærumnarum comes futura ac particeps? ac si non satius vtiq; fuisset, vel exulantis ac profugi viri vxor dici, quam Dominantis Dionysii soror.

Tymoclia singularis pudicitiæ matrona Thebana in direptione per vim à tribuno cognita, illum haudquaquam multo post arte quadam vsa præcipitem dedit in puteum, deuolutis è vestigio plurimis in caput eius saxis, quo illum omnino conficeret. Accusata igitur à contubernalibus, deductaq; ad Alexandri conspectum, & incessu ipso, & corporis totius statu, quanquam captiua, atq; à militibus tracta, admirabilem præ se tulit animi magnitudinem. Interrogata igitur ab Alexandro, quæ nam esset quoq; è genere: tum ipsa animo maxime confirmato, vultuq; robur ipsum animi referens: Ego, inquit, ô rex, Theagenis soror sum, eius inquam Theagenis, qui dux exercitus in Cheronæa aduersus patrem tuum Philippum, instructa acie pro Græciæ libertate pugnans fortissime occubuit. Admiratus igitur matronæ magnitudinem animi tantam Alexãder in summa etiãm calamitate, & in respondendo, & in vindicando vim illatam, liberam eam cum omni familia esse iussit.

PH. Adiungo ego quartum animositatis in muliere exemplum. Cum C. Martius Coriolanus tribunitiam potestatem conaretur abrogare, atque ob id dies ei esset indictus, is vero ad dictam diem non adesset, proptereaque absens fuisset damnatus, offensus ingrati populi iniuria, præ nimia indignatione, contulit se ad Volscos: qui paulo ante à Romanis fuerant domiti: iisque defectionis auctor fuit. Ac vix iracundię suæ conatus expleret dux ipsius belli fuit, & aliquot oppida Romanis eripuit: donec tandem ad oppugnandam quoque ipsam Romam accessit.

Sed liberauit vrbem obsidione mater Coriolani Veturia, quæ egressa ad filium, cum videret eum velle amplexum petere: Sine (inquit) priusquam complexum accipio, sciam ad hostem, an ad filium venerim: captiua ne, an mater in castris tuis sim. In hoc me longa vita & infelix senecta traxit, vt exulem te, & deinde hostẽ viderem? Potuisti populari hanc terram, quę te genuit atq; aluit? Non tibi, quamuis infesto & minaci animo perueneras, ingredienti fines ira cecidit? non cum in conspectu fuit Roma, succurrit: Intra illa mœnia domus, penates, mater, cõiunx & liberi mei sunt? Ergo ego, nisi peperissem, Roma nõ oppugnaretur? nisi filiũ haberem, in libera patria mortua essem? Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius quã mihi miserius possum: nec vt sim miserrima, diu

futu-

futura sum: De his videris, quos si pergis, aut immatura mors aut certe longa seruitus manet. His verbis Veturiæ filiũ Coriolanũ ad priuatã pietaté flectés à publico parricidio reuocauit. Abducto igitur exercitu suo, ad Volscos Coriolanus redijt: & illo ipso anno siue morbo confectus, siue (vt nõnulli habent) à Volscis necatus, siue hausto veneno conatũ iracũdiæ vltro sedaturus, diẽ obiit.

EQ. Non minus ergo fœminas, quam viros animosas & constantes dici posse clarũ est. Cæterum, quod de aliis consimilibus à me factũ, sic etiã Cõstantiã lubet effingere, hoc nimirum modo: Caput vinctũ fronde quercus. Est enim arbor miræ cõstantiæ, quæ non facile concutitur aut dimouetur, nisi summa vi aut vẽtis. Læto vultu est vel in aduersis, quod parui mala faciat. Læua manu exurit ignitis prunis, sicut Scæuola ciuis Romanus coram Rege Porsenna. Dextra cor retinet, quod cordatum & immobilem significat. Quadrato stat lapide [redacted] nec facile mutetur. Membra generandi tecta, ne leuitatis arguatur vir[redacted] *Constantiæ effigies.*

Quo res cunque cadent, non[redacted]
Auertet.

Sed & illud Antonii Mureti, probe hoc accommodari potest carmen, in quo D. Catharinam de seipsa loquentem introducit:

Illec[redacted]*a virago,*
Re Princeps, mulier corpore, mente Dea, [redacted]
Nixa Deo, mundi spernens mala gaudia, vici
Tum tormenta animo, tum ratione sophos.
Non rota, non gladii, non ipsi horrenda tyranni
Mors potuit mentem sede mouere meam.
Scilicet haud quicquam mens Christo afflata veretur.
Ille mea vires, & mea vita fuit.
Quid? fuit? estque, fuitque, atque, est sine fine futurus:
Principium vita mors dedit ipsa mihi.
Qui legis hæc, sic tu te etiam compone, viator,
Mors tibi pro Christo vita perennis erit.

PH. Boetius Metro 4. l. 1. hominis animosi cõditiones eleganter exprimit.

Quisquis composito serenus æuo.
Fatum sub pedibus egit superbum,
Fortunamque tuens vtranque, tectus,
Inuictum potuit tenere vultum:
Non illum rabies minæque Ponti
Versum funditus excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Vesæuus ignes,
Haud celsas solitus ferire turres
Ardentis vi fulminis mouebit.

Conſtantia principem ornat.

EQ. Nullum certe maius indicium excelſi & conſtantis animi in Principe eſt, quam fidei & propoſiti conſtantia; ſed nec facile reperias virtutem quæ maiorem vim habeat animos hominum conciliandi, comparandique autoritatem. Admirabilis inter cæteros Scipionis conſtantia fuit. Is cum a debellato plane Antiocho pacis conditiones rogaretur, eaſdem quas ante pugnam tulerat, præſcripſit: addito, Romanorum animos ſecundis rebus non efferri, nec minui aduerſis. Cuius rei documentum haberet: quod, priuſquam caſtra regia, priuſquam aciem vidiſſent; cum communis Mars & incertus belli euentus eſſet, de pace hoſtibus agentibus, quæ pares paribus tuliſſent conditiones, eaſdem nunc victores victis ferrent. *Leic i u in obſeru pol. pag.* 40.

TH. Quid vetera admiramur, cum hoc noſtro æuo longe proſtent admirabiliora. Fuitque iſthæc perſtans potius ſententia, quam conſtantia. Ego itaque veræ conſtantiæ afferam exemplum. [redacted] vt antea ſæpe per literas, ita tunc coram, feudum [redacted] reliquarum ditionum ſuarum, pro more Imperii, autoritate Cæſarea, & ſolenni inauguratione ac Diplomate confirmari petiuerat. Verum decima ſexta Iulii Cæſar per Fridericum Palatinum & Henricum comitem Naſſaenſem Electori reſpondit: Cupere Cæſaream Maieſt. & renouatione inueſtituræ [redacted] petenti gratificari, & Regalia [redacted] conferre, & pacta dotalia cum duce Iuliacenſe, cuius filia Sibylla Ioanni Friderico nupta erat, confirmare, ſi, abiecta noua doctrina, quam cum Catholica Eccleſia pugnantem amplexus eſſet, ad Eccleſiæ Romanæ ſinum rediret. Si id non faciat, Cæſaream Maieſtatem ei, qui à ſocietate fidei & Eccleſiæ Catholicæ diſceſſerit feudum cõferre nequaquam poſſe.

Hac reſponſione Imperatoris accepta, Elector exemplum conſtantiæ, in veræ doctrinæ ingenua confeſſione, omnium ſeculorum memoria dignum edit, dum nullis fractus minis aut terroribus, nec vllis augendæ ſuæ aut filii potentiæ & opum expectationibus ac promiſſis languefactus, doctrinam Euangelii, quam amplexus erat, ſe omnibus rebus humanis anteferre, pia animi excelſi, & in Deo firmiter acquieſcentis alacritate demonſtrat, eaq; omnia ſcripto comprehenſa Cæſ. Maieſt. legenda exhibet.

Principum inconſtantia.

EQ. Homines tamen ſunt, humaniq; à ſe nihil alienum, animiq; adeo mutabilitatem ſæpenumero etiam ſapientes & boni principes experiuntur. Ita Conſtantinus Magnus biennio ante mortem à ſorore Conſtantia perſuaſus, exulantem Arium reuocauit, & Athanaſium relegauit. Ea mutatio voluntatis in Principe rurſus accendit Ariana certamina. Nam, cum pulſo Athanaſio reuerſus eſſet Alexandriam Arius, veluti triumphans, valde confirmauit ſuam factionem: Et multi Epiſcopi, qui antea metu tacuerant, aperte ſuam ſententiam propugnare cœperunt, præſertim poſt Conſtantini mortem. Sed nolo exempla huiuſmodi, cum ſint odioſa, congerere.

PH. Con-

PH. Constantem & animosum in omni fortuna decet esse Principem, quales multi passim celebrantur in historiis. Etsi enim vasa identidem, vt alij ex communi plebe, vasa fictilia circumferunt; tamen sublimius aliquid ex iisdem spirare debent, Mentem nimirum, quæ vt Socrates inquit, maxima est in minimo.

Animositatis nomine commendatur apud historicos cumprimis Porus rex. Is namque ab Alexandro deuictus, quum ab eo post pugnam rogaretur, dicente. Quomodo te tractabo? *Regie* ait. Rursus subiicienti Alexandro: Num quid etiam aliud? omnia, inquit Porus, complectitur hoc verbum, *Regie*. Alexander & prudentiam, & fortitudinem viri admiratus, latiorem ditionem illi addidit ea quam prius obtinuerat. Supplici, & ad pedes abiecto minus concessisset. Adeo diligebat animosus iuuenis impauidos animos. Q. Curtius aliquanto secus narrat, interrogatus Porus, quid ipse victorem statuere debere censeret? Quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es quam esset caduca felicitas. Submonuit regem, vt modeste sua fortuna vteretur, memor ipsi posse accidere, quod acciderat Poro. *Historiam recitat Plutarch. in apoph.* *Animositas Principum.*

EQ. Sunt Principes quidam ea dignitate, non modo vultus atque sermonis, sed habitudinis etiam motusq; corporei, vt nati ad imperium quodammodo videantur, tametsi Principes non nascerentur. Tales fuisse Cn. Pompeius, Antoninus Philosophus, atq; Imperatores Romani feruntur: quorum probitatem atque constantiam vel vultus ipse indicabat. Quanquam autem naturæ benignitas in hac parte multum efficiat, dum alij suopte ingenio graues, pacati, constantesq; sunt: alij contra leues ac mobiles: plurimum tamen recta institutio & concepta de maiestate regia siue Principis valet opinio: quam non modo Princeps quiuis, dum se in potentiæ illius fastigio collocatum videt, tueri debet, sed etiam homo priuatus, qui aliquam doctrinæ, prudentiæ, vel recte factorum laudem atque æstimationem sit adeptus. Quo nomine ab ipsa pene infantia Principes tueri grauitatē hanc moderatam, venustam, leniq; mansuetudine conditam ediscant, ne leuiculi & quasi ludij quidam videantur. Sed hæc supra in primo Aphorismo abunde à nobis tractata sunt.

PH. Nullus est Princeps, quin si quid optimo consilio faciat, id multi calumnientur, Et multa inde hærent in animis quæ odia pariunt; proinde animosus in omnibus vt sese præstet, è dignitate ipsius est. hinc illud Alexandri Magni: Regium est, bene facere & male audire. Exemplum præbuit Fabius Maximus Dictator Romanus. Is enim cum videret, in bello contra Hannibalem, multos esse ab Hannibale cæsos, exindeque Pœnis crescere animum; Hannibalem ita aggredi statuit, non vt rem prælio committeret, sed vt impetum Hannibalis mora, pecunia egestatem, copia hominum paucitatem consumeret. Itaq; ab equitatu hostium sibi cauere: in editis locis castra habere: sedente in castris hoste quiescere: mouente se eo per montes circuire: seque

per inteualla hoſti oſtendere: vt neq; ipſe inuiſus ad pugnam compelli poſſet: & cunctatione hac hoſtibus pugnæ expectationem afferret. Interea ſocias vrbes confirmauit, & præſidiis muniuit. Hac cunctatione Hannibalis rigorem per ſe paſſus eſt elangueſcere. Eodem modo tempus trahens omnibus contemptui erat: neque in caſtris modo male audiebat: ſed hoſtibus omnibus timidiſſimus ac nullius pretij Imperator videbatur. At Fabius ſuæ vtilitatis certus, confirmato iudicio, in ſua ſententia perſtabat, inquiens ad amicos: Ego vero infamiam timiditatis ea ratione augerem: ſi metu reprehenſionum & conuiciorum meo me detrudi paterer propoſito. Et quidem pro patriæ ſalute timidum eſſe, indecorum non eſt: propter hominum de ſe opinionem, calumnias aut reprehenſionem, in terrorem venire, id iam non viro, qui tanto dignus ſit imperio, conuenit: ſed qui vocum ſeruus eſſe velit: quibus eum male ſentientibus imperare decet. Maxime illi aduerſati ſunt cum toto exercitu Flaminius & Minutius: ex quibus Minutius dixit Fabium caſtris locatis in montibus pulchra theatra ſuis feciſſe: vnde Italiam populationibus & incendiis vaſtari cerneret. Idem dixit ad amicos Fabij, Fabium ſpe terræ tenendæ abiecta, in cœlum efferre exercitum, aut obiectis nubibus in nebulis hoſtem effugere intendiſſe. His duobus magna clade ab Hannibale affectis, apparuit vtilitas conſilij Fabij. De hac cunctatione Fabij inquit Paulus Æmilius apud Liuium *lib.44.hiſt.V.C.pag.*448. Fabius ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam ſecunda fama male rem gerere.

E Q. Illuſtriſſimum conſtantiæ ſpecimen exhibuit Carolus V. in Conuentu Bononiæ habito paulo ante Comitia Auguſtana, Anno 1530 Cum enim Mercurius, Caroli V. Orator, Clementis Pontificis Romani orationem, quam in illo Conuentu habuerat, iuſſu Imperatoris refutaret; Clemens autem Pontifex ipſum toruitate vultus & vocis interpellaretur, dicens: *Quare tu mihi ſic contradicere audes, & Dominum contra me incitas?* atque ad ea placide Mercurius, vt erat in eo ſumma grauitas, *Expono*, inquiebat, *mandata Domini mei Imperatoris, qui ſuo conſilio, non ex aliorum præſcripto hæc agit. Et tamen fateor, me quoque ipſius ſententiam probare, & ei hortatorem eſſe, vt in ſua ſententia maneat.* Inter hæc ſurrexit ad dicendum Carolus ipſe. Mirantur Principes, quid iuuenis dicturus ſit, & attenti audiunt omnes. Is igitur dicere ſic exorſus eſt: Agnoſco me iuuenem eſſe, & huius Mercurini & aliorum ſapientum conſiliis vti me fateor, & debere me ſapientiores audire iudico, & de hac ipſa deliberatione, quam ſcio pertinere ad gloriam Dei, & ad ſalutem vniuerſi generis humani, cum multis collocutus ſum, qui excellunt ſapientia, virtute & fide. Quare ſcito, Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixiſſe, & me ab hac ſententia, donec viuam, non receſſurum eſſe. Tuum conſilium

silium speciosum & plausibile profanis videri potest: Sed meum & iustum est, & Ecclesiæ conuenientius, & si non impedieritis, Deo iuuante, spero, humano generi salutare futurum esse, &c. Legat, cui lubet de hoc colloquio prolixe *in Memorab. VVolffij, Centen. 16. fol. 334.*

TH. Animositas illa fundatur non in aliqua virium humanarum præsumptione, sed in vitæ integritate atque innocentia. *Laudabuntur omnes recti corde*, inquit Dauid Psalm. 63. Debet igitur dare operam Princeps, vt rectus sit & rectum cor habeat, & orare cum eodem Dauide: *Spiritum rectum innoua in visceribus meis*, id est, in omnibus diuinæ voluntati consentientem. *Duæ* namque *sunt voluntates*, inquit Augustinus, *Tua, & Dei. Sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua enim est tua; regula est illa: stet regula, & quod prauum est, ad regulam corrigatur.* Et rursum: *Voluntas Dei est, aliquando vt sanus sis, aliquando vt ægrotes; Si quando sanus es, dulcis est voluntas Dei, & quando ægrotas, amara est voluntas Dei, non es rectus. Quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei, sed Dei vis curuare ad tuam. Illa recta est, sed tu es curuus. Voluntas tua corrigenda est ad illam, non illa curuanda ad tuam, & rectum habebis cor.*

Voluntati itaque diuinæ vtrobique etiam in iudiciis, quibus nos iuste Deus affligit, sese subiiciant, Quando igitur iusto eius iudicio mala atque aduersa ipsis accidunt vel imminent, dicere debent ex oratione Dominica: *Fiat voluntas tua*, non quidem rogantes, vt eos puniat, sed ne contra beneplacitum suum eos murmurare permittat, & tam iudicium quam misericordiam sibi cantare faciat. Fecit id Propheta Heli; cognita enim calamitate sua & filiorum ex Dei voluntate futura; dixit: *Dominus est, quod bonum est in oculis eius, faciat.* 1. Sam. 3. Et Ezechias pius rex: *Bonus*, inquit, *sermo Domini, tantum sit pax in diebus meis.* 2. Reg. 20. cum nimirum audisset asportationem thesaurorum domus Dei, & alia impendentia mala. Similis erat sermo Ioab: *Dominus faciet quod bonum est in conspectu suo* 2. Sam. 10. Et Iudæ Macchabæi: *Sicut fuerit voluntas in cælo, ita fiat.* 1. Macchab. 3. cum vterque prælium initurus esset contra hostes Domini. Vnde D. Augustinus tractans illud Dauidis: *Adhæsit anima mea post te*, Psalm. 62. *Adhæsit*, inquit, *anima mea post Deum; non cum Deo, sed post Deum, vt ille præcedat, tu sequaris. Qui enim Deum voluerit antecedere, consilio suo vult viuere, & non vult sequi præcepta Dei. Ideo & Petrus repulsus est, volens consilium dare Christo passuro. Cui Dominus: Abi post me Sathana, quia non sapis quæ Dei, sed quæ hominum. Quare, quæ hominum? quia antecedere me vis, abi post me, vt sequaris me.* Hactenus August.

EQ. Tu pro tuo ingenio theologice instruis Principem, & recte quidem, quo pacto magnanimitatem tueri queat. Ego vero, quomodo magnanimiter se Princeps gesserit, dicam; atque illud ex Ioan. Iouiani Pontanni *lib. 5. de Prudentia*, vbi de Roberto Sanseuerino & viro & duce fortissimo refert, Ro-

bertum hunc quò voto se damnatum absolueret, profectum Hierosolymam ad Christi sepulchrum, indeq; proficiscenti ad montem Sinan, quo in monte & diuæ Catharinæ monimentum esset, & Deus Opt. Max. Mosi se ostendisset, describendis tabulis ac legibus Iudæorum generi, factos obuiam latrones Assyrios, qui viam obsedissent: quos cum aliquanto longius a[...] agitatu venientis animaduerteret, conuersum illum ad eos, qui Soltani [...] publica eum deducebant, & qui nam ij essent percontatum: [...] illos metu repentino consternatos, latrones esse Arabes respondisse, vagos, palantes, nulla lege coercitos: ibi Robertum confirmatissimo animo cohortatum familiares ac comites, iussisse, vti sarcinulas explicarent, prandium enim esse parandum aduentantibus, deq; puluere atq; æstu fatigatis, ac vultu maxime hilari, vt erat statura, totoq; corporis habitu insignis, processisse illis obuiam, & attigisse venientibus, & comiter etiam eos accepisse, multaque per interpretem iucunde, familiariter ac maxime fidenter locutum: illos autem, quanquam barbaros atq; inhospitaleis, & maiestate viri commotos, & comitate sermonis pransi cum fuissent, donatos ab eo, quibus tum delinire ipsos posset muneribus: & gratias Roberto egisse, quod ab eo tam comiter accepti essent, & valere hilariter cum iussissent, discessisse, quã maxime pacatis atq; amicis animis. Sub vesperum autem, cum multum etiam itineris Robertus [...] conspecto prius globo perquam puluerulento, admonitum fuisse aduentare aliam latronum manum, qua re illum & qui aderant omnes, [...] metu perculsos, de salute iam desperare cœpisse. Ecce autem eosdem illos [...] circum equis, Robertum capite cum salutassent, rusticana p[...] grata tamen ante eius pedes posuisse munuscula, in iisq; [...] ex [...] pernsunculos, vt gentis eius mos esset. Quibus iucundissime acceptis, Robertum & metu esse liberatum, & iudicasse, nullam gentem tam barbaram, [...] nem, feram, quæ non & liberalitate caperetur, & gratiam referre pro benefactis studeret, quæq; non ægre etiam aliquando ferret vinci se beneficentia ac meritis.

Magnanimitas in afflictu. *PII.* Nimirum animi magnitudo in Principe afflicto cumprimis [...] laudabilis, cuius exemplum inter alios exhibet Herodes rex Iudæorum, [...] is amicitiam & auxilia, quæ M. Antonio, hosti Cæsaris submiserat, magnam sibi inuidiam apud Octauium Augustum conflauisset, ipseq; ad [...] di causa ad Cæsarem venisset: non modo nihil de dignitate sua demisit, sed multo magis magisque magnitudinem suam ostendens, maiestatem [...] rem etiam in conspectu hostis seruauit: dum nec ad preces nec ad [...] tanquam de peccatis suis satisfaciens proueheretur: Sed [...] suarum confisus, sine dubitatione Cæsari diceret: Amicitiam [...] cum Antonio fuisse: omnique virtute sua adnixum fuisse, vt ille rerum summa potiretur: & vt militiæ eius non interfuerit: pecunia [...]

trans-

transmisisse: Sed tamen omnia minora dignitate sua. Hac insigni magnitudine animi tantum apud Imperatorem consecutus est, vt non modo iram Cæsaris declinarit, sed vltro magna præmia & honores & liberrimam regni administrationem ab Augusto domum retulerit.

EQ. Memorabile est quod refert Curtius *in hist. Alexandri Magni, lib. 6.* Ex Sogdianorum captiuis ad Alexandrum Magnum, triginta nobilissimi, corporum robore exim j. perducti erant. Qui vt per interpretem cognouerunt, iussu regis ipsos ad supplicium trahi: carmen lætantium more canere, & tripudijs ac lasciuiori corporis motu gaudium quoddam animi ostentare cœperunt. Admiratus rex, tanta magnitudine animi appetere mortem: euocari eos iussit, causam tam effusę lætitię, cum supplicium ante oculos haberent, requirens. Illi, si ab alio occiderentur, tristes morituros fuisse, respondent. Nunc à tanto rege, victore omnium gentium maioribus suis redditos, honestam mortem, quam fortes viri voto quoq; expeterent, carminibus sui moris atq; lætitia celebrare. Tum rex admiratus magnitudinem animi; Quæro itaque, an viuere velitis, non inimici mei, cuius beneficio victuri estis. Illi nunquam se inimicos ei, sed bello lacessitos hostes fuisse respondent. Si quis ipsos beneficio, quam iniuria experiri maluisset, certaturos fuisse, ne vincerentur officio. Interrogatiq; quo pignore fidem obligaturi essent? vitam quam acciperent, pignori futuram dixerunt: redituros quando repetiisset: nec promissum fefellerunt. Nam qui remissi domos ierant, in fide continuerunt populares. Quatuor inter custodes corporis retenti, nulli Macedonum in Regem charitate cesserunt.

PH. De Cæsare vnum adhuc adiungam. Cæsarem iter cum exercitu facientem, Heluetij ex improuiso adorti cum essent, & ipse pedes inter acies versaretur, oblatusq; illi esset equus, vultu maxime hilari summamque fiduciam præ se ferente: Peropportune, inquit, pedibus pugnanti mihi adductus est equus, vt habeam quo paratissimo haud multo post vtar ad insequendum hostem iamiam in fugam inclinantem. Ad Rubiconem cum peruenisset, deque traiiciendo esset amne inter amicos disceptatum, ipseque cum tacitus aliquantum deliberabundusq; perstitisset, obticentibus, vt in re ancipiti, ac dubitantibus illis, obfirmatissimo animo, Sit alea, inquit, iacta: iussitque statim exercitum transmittere, atq; eodem impetu animique confirmatione inceptum prosecutus est.

TH. Triste spectaculum, & constantiæ singularis atque patientiæ exemplum animiq; obfirmatioris specimen, in Hispania editum fuit, idq; ab Alphonso Pererio Gusmano, in Hispania Bætica, cui à moribus cognomentum boni fuit. Magnus pace & bello vir ille, clarus opibus & eatum vitu: atq; ecce specimen. Rex Castellæ Sanctius Tariffam (quæ veterum Carteia siue Tartessus est) de Mauris ceperat, sed anxius custodiendi & tenendi ob hostium

viciniam, & ingentes sumptus. Suscepit vltro curam in se Alphonsus, & partem stipendij de suo daturum promisit: Rex interea res alias ageret. Paulo post frater Regis, Ioannes, ambitione praua ad Maurum transiit, & copiis ab eo acceptis subito Tariffam obsedit. Obsessi nihil trepidare, in sua & ducis virtute fidere, animos supra periculum habere: nisi quod infregit eos subito inopinata res, captus Alphonsi filius (in agris forte interceperant:) & ante mœnia ostensus. Vnicus porro patri erat. Illi minari, nisi oppidum dederetur, sub oculos interfecturos se, & fœde lancinaturos. Motis flexisque aliis, ille nec hilum: & alta voce negabat, *Si centum filios in potestate haberet, non ideo se à fide & honesto abiturum.* *Quin*, inquit, *si tanta libido iugulandi est, en gladium.* & suum è mœnibus proiecit. Stupor me habet hæc scribentem, quid spectantes? Ille sic abiit, & ad prandium se composuit; cum ecce clamor & eiulatus dissonus auditus eum euocat, iterumque in mœnibus se sistit. Quærenti consternationis causam, refertur, filium barbara crudelitate interfectum. *Hoc erat?* inquit, *credebam vrbem ab hostibus captam:* & pari tranquillitate ad prandium, vxoremque rediit. Hostes magnitudine viri attoniti, re infecta discesserunt. Libet hic exsultare: est ne factum in omni antiquitate fortius, vt laudabilius.

EQ. Phocionem Atheniensem adiungo. Phocion Atheniensis contra vulgus, contra potentes, contra fortunam & mortem ipsam immotus stetit. Oraculo aliquando Athenis recitato, *esse vnum virum, qui à concordi ciuitate dissentiret:* quærentibus omnibus & frendentibus: *Quæso*, inquit, *quiescite, ego ille sum quem quæritis, nam mihi nihil eorum quæ agitis placet.* Proh animum! licere vna voce totum populum reum agere peruersitatis & insipientiæ? Sed causa tamen erat, & illis Alexandri temporibus, populus Atheniensis delirabat senectute. Idem igitur, cum dux electus, trepidos suos in bello videret, & longius sola fortes, prudenter abstinuit à pugna. Mox cum rediissent, & pace facta incusarent illum ignauiæ, & quasi vincere nescisset, aut noluisset, inquit: *Felices vos qui Ducem habetis vestri gnarum! nam aliqui iamdiu periissetis.* Festiue & audaciter, exprobans ignauiam & imbelliam, quam in animo gerebant, ore auertebant. Iterum in populum & eius aurigam Demosthenem, cum ille quasi coercens libertatem Phocionis diceret, *Interficient te Athenienses si furere cœperint:* iste; *At te*, inquit, *si sapere.* Tetigit illum vt improbum; hos, vt parum sanos. Et constans hic tenor per omnem vitam, nec in morte deseruit. Ad quam publico iudicio damnatus, scissa ciuitate in factiones; cum duceretur in carcerem, præcurrerunt improbi, in via obuij & conuiciantes. Inter eos vnus sputum in os eius congessit. Ille conuersus placide ad Archontes, *Nemone huius*, inquit, *reprimet proteruiam?* Cum amicus eius in carcere quereretur, quod iniuste cum Phocione interficeretur: *Et tu*, inquit, *non in magna gloria ponis, quod cum Phocione?* Alio rogante, Nunquid ad filium vellet? Mandatum ni-

gali,

quit, *iubere me, vt iniuriarum populi Atheniensis obliuiscatur.* Alio amico petente, vt priori sibi bibere cicutam liceret: *Grauis mihi Nicocle*, inquit, (id ei nomen) *hac petitio: sed cui per omnem vitam nihil abnui, hoc quoq; indulgeo.* Ita constantissimus vir obiit, cum sui fama, Atheniensium infamia æterna. *Ex I. Lipsij monitis politicis.*

PH. Catonis facinus quod referam, pertinax potius fuit quam magnanimum. Cæsar confecto bello Africano, Catoni gratiam pollicebatur, quam tamen neque recipere, neque petere Catoni erat integrum, vtpote qui libertatis studiosissimus, & ab omni dominatione Monarchica alienissimus inde vsque à prima ætate fuerat. Quum igitur Vticensibus diffidens, resistere se Cæsari posse desperaret, conuocatos ad mare ciues suos, & viatico instructos in naues imposuit, ac prosperam nauigationem ipsis imprecatus, Vticam reuersus est. Scribit Dion, eum filio suo auctorem fuisse, vt ad Cæsarem se conferret, & interroganti, cur ipse idem non faceret? respondisse, se quidem in libertate vitæ & dicendi educatum, non posse nunc in senecta eiusmodi seruitutem tolerare: filium vero qui alio tempore & natus esset, & vixisset, amplecti debere fortunam, quæ esset oblata. His peractis quum rationes Vticensibus suæ administrationis reddidisset, mori ante Cæsaris aduentum decreuit. Sed quo minus sibi interdiu manus adhiberet, filius aliique eum obseruantes impedierunt. Quum autem aduesperasset, pugione furtim sub puluinari reposito, Phædonem Platonis poposcit, siue vt hac ratione astantibus suspicionem inferendæ mortis eximeret: siue vt libri eius lectione ad mortem fortiter obeundam animum erigeret. Lecto libro, media iam nocte pugionem vtero impressit: ex eoque ictu exanguis factus, animam egisset: nisi ex lecto delapsus, edito strepitu eos, qui ante fores dormiebant, è somno excitasset. Tum intro se coniicientes filius & cæteri, repositis in ventrem intestinis, quæ eruperant, medicinaque adhibita, ianuam quidem clauserunt, vt somnum Cato caperet: neque enim ex hoc vulnere decessurus videbatur; sed ipse admotis vulneri manibus, intestina extracta discerpsit, & sic extinctus est in ea vrbe, à qua cognomentum Vticensis postea accepit. *Cato Vticensis.*

EQ. Hoc Catonis factum minime laudo. Est enim indicium animi impotenter impatientis. Et de huiusmodi sui ipsorum interfectoribus recte Augustinus in persona ipsius Dei; Non recipio, inquit, tales animas, quæ me nolente è corpore exierunt. Cæterum non possum, quin hic sub finem huius discursus, constantiæ ac magnanimitatis, quæ in Maximiliano II. Imp. masculè sese exeruit, vnam eamque memorabilem annectam historiam. Hic Maximilianus, cum in Hispaniam à patrono suo Carolo V. Cæsare, qui filiam ei suam vitæ sociam desponderat, eo vocatus, nauigioque vectus, appulisset, cum vt nuptias celebraret suas, tum, vt Cæsare in rebus Germaniæ perturbatis constituendis componendisque occupato, regnorum ac terra-

terrarum gubernationi interea temporis præesset, & animi relaxandi reficiendiq; causa prope *Granatam* ad venationem obeundam aliquando profectus, in ceruum quendam incidisset, remis, quod aiunt, velisq, eum insequitur, atq; hac ratione à familia sua in loca syluæ deuia dilapsus, cum per deserta & inhospita tesqua, & summa montium cacumina hinc atq; inde diu multumq; obequitasset, animo admodum tristi & perturbato, nocte iam appropinquante, quippe qui à feris bestiis vehementer sibi timeret, magno cum desiderio anxieq; de loco sibi aliquo dispicit, ad quem pernoctandi causa tuto diuertat. Prospecta tandem opilionis cuiusdam casa, calcaribus equo additis, quam potuit celerrime eo profectus, pastorem, hospitio, vt sese nocturno excipiat, rogat, quod se facturum pastor affirmat, &, vt ex equo desiliens in tuguriolum ingrediatur, iubet. Ceterum opilio ille satis numerosam alebat familiam. *Etenim habebat domi suæ & filium viginti circiter annorum, & seruum in omni nequitiæ genere insigniter exercitatum, & vxorem, & filiolam, & nurum suam iuuenculam adhuc sponsam, non ita pridem domum deductam.* Quum igitur Princeps optimus ex equo desiliisset, eumque opilionis seruo pascendum tradidisset, in pastoris tugurium ingreditur, vbi cœna admodum exili excipiebatur, & forte portiuncula quædam carnis agninæ vel caprinæ ei apponebatur, & foco assidet, ab omni plane cura & sollicitudine vacuus, opilione & familia eius ignorantibus, quisnam Maximilianus ille esset. Quod autem & bene vestitus esset, & forsitan etiam aureos annulos & gemmas in digitis gestaret, & facie esset heroica ac liberali, non obscuro ipsum loco natum aut infimæ cuiusdam conditionis hominem, sed Dominum quendam prædiuitem esse coniecturam inde faciunt. In magnam igitur spem adducti, futurum, vt opimam ab eo prædam reportarent, de ipso è medio tollendo morteque delendo, consilium impium & nefarium capiunt. Cœna iam peracta, lectulus Maximiliano in paruo & angusto cubiculo, cui ianua & cariosa, & fracta, & non satis bene claudens appendebat, sternitur. Qua quidem in re occupatis reliquis, *iuuencula illa sponsa* ad Maximilianum accedit, & fidem silentij eius, quod ipsi patefactura esset, ab eo stipulatur. Silentium Maximiliano promittente, consilia illa & machinationes nefarias, quibus quidem in necem ipsius conspirassent, aperit, vel ideo, quod primum scelerati illius propositi conscia fuisset, & in illud consensisset, à quo tamen postea pœnitentia ducta dissensisset, vel (quod magis credibile est) quia ex ceterorum concursu, & gestibus, & nutibus illos aliquid monstri alere, & scelus machinari animaduertisset. Itaque tum nefario illo & scelerato consilio, tum singulari quadam erga bonum Principem commiseratione, adducta, rem totam ipsi patefacit. Etsi vero Princeps optimus indicio sui consilium & institutum ipsorum facile, nullo negotio, auertere potuisset, vitam tamen ipse suam manu defendere, quam opilionibus istis, veluti quorum perfidiam & scelus iam tum perspectum haberet,

ipse

ſeſe credere ac committere maluit. Sumto igitur animo virili & maſculo, fortunam potius omnem, quam fidem illorum periclitari, ſecum conſtituit. Non ita multo poſt ab hoſpite illo ſuo in cubiculum iſtud, quod ad cædem eius deſtinatum erat, deductus fuit, in quod etiam, ſubſecutus hoſpitem, ſine vlla ſeſe tergiuerſatione contulit, & poſtea foribus clauſis ciſtam quandam prægrandem admouit, ac bombardas ſuas probe prius probeque inſtructas ad manus ſumpſit, euentum exſpectaturus. Opilio, qui hoſpitem ſuum ex venatione & obequitationibus valde defatigatum eſſe perſpexerat, arcte illum grauiterque & laſſitudine iam dormire plane ſibi perſuaſum habebat. Itaque lento admodum gradu ac citra ſtrepitum ad ianuam graditur, minime omnium putans, tam probe illam ac diligenter clauſam communitamque eſſe. Quum autem ſpes illum ſua fruſtrata eſſet, Maximilianum, vt fores ſibi aperiat, rogat, tegumenti enim cuiuſdam ex ciſta depromendi neceſſitatem ſibi imponi. Verum Maximilianus, quippe qui fucum olfaceret, &, quia ſomno non indulſerat, quid in ianua tentaſſet opilio, inaudiuiſſet, diſcedere hoſpitem iuſſit, eumque obiurgauit, quod non prius ex ciſta, quibus opus erat, deprompſiſſet, ſe non poſſe, vtpote qui vix dum ad quietem & ſomnũ ſeſe compoſuiſſet, ſurgere, eique ianuam aperire. Quod opilio indigne moleſteq; ferens inclamare & quiritari cœpit, vim ſibi domi ſuæ fieri, poteſtatem ſibi rerum ſuarum denegari, &, quid de hoſpite ſibi ſuo polliceri haberet, ſe non ſatis intelligere. Ad extremum, cum clamoribus & quiritationibus nihil proficeret, vi cubiculum aperire molitur, &, niſi vltro aperiat. montem Maximiliano minatur, Iouem lapidem iurans, vita ſe potius ſua velle, quam rerum ſuarum copia poteſtateque per ipſum domi ſuæ carere. Interea & opiliones ſuperuenerant, & alij in aperienda ianua magnopere deſudant, alij per feneſtras aditum quærunt. Satis namque ſuperque iam ſentiebant, machinas ſuas diutius latere non poſſe, & Dominum illum non obſcure animaduertiſſe, quid in animo haberent. Maximilianus & ipſe rem iam virum poſtulare, & ad extrema deueniſſe intelligens, ad fores bombardas ſuas dirigit, & per eas opilionem glande emiſſa tranſuerberatum humi proſternit, & è veſtigio ciſta à ianua remota fores aperit, & ſtricto euaginatoque gladio procurrens filio hoſpitis caput amputat, & robuſtum illum opilionis ſeruum in fugam coniicit. Verum eo ipſo periculum omne nondum euaſerat. Opilionis namq; coniugis clamoribus, & eiulatibus, & inſolitis tumultuationibus alij quoque opiliones vicini expergefacti, & ab armis inſtructi domum circumdant, & Dominum illum omnino ex finibus humanæ naturæ exterminatum cupiunt. Maximilianus à ruſticis ſeſe tantiſper tuebatur, dum primus eis iræ feruor deferbuiſſet, & animo erat præſenti ac imperterrito, donec dies lucere & albicare inciperet. Ibi magnam ruſticorum turbam aduentare conſpicatus, animo ipſis intrepido & quidem tali tantaque fortitudine, qualis tantum Heroem

roem & dominum decebat, se Vicarium & Gubernatorem regnorum Hispaniæ esse, & si parsuri sibi non essent, periculum & iacturam omnium fortunarum ac vitæ ipsis imminere, indicat: quod si vero fidem hisce suis dictis non habeant, vt in præsentia saltem à vi sibi temperent, & Magistratus cognitioni rem totam permittant, illos obtestatur, si vero nulla horum omnium ratione habita vim sibi nihilominus afferant, contra omne ius & æquitatem secum agi, eamque rem ipsis ad vnum omnibus interitum allaturam. Et si vero imperita & promiscua multitudo & gestibus, & constanti, præstantique ac graui sermone magnanimi illius fortissimique Principis adducebantur, vt crederent, ipsum eum esse, quem se indicabat: captum tamen illum manibusq; retro tergum ligatis vinctum ad Capitaneum proximi Castelli, simul atque dies illuxerat, deducunt. Venerunt autem eo illum inuestigatum iam tum antea nonnulli eius satellites atque ministri, qui dominum suum tam inhumaniter & indigne vinctum adduci conspicati, parum aberat, quin in isto iracundiæ feruore furiosos illos & rabiosos opiliones inuasissent, & ad internecionem occidissent. At Maximilianus, vt ne hoc facerent, mandabat, & dehortabatur, quod tamen ægre ab ipsis impetrabat. Ibi totam illis rem aperit, & auctores huius flagitij indicat, qui etiam merito postea supplicio fuerunt affecti. Opilionis seruus capite mulctatus, & domus ista hostilis incendio concremata fuit. Sponsa vero iuuencula ista magnis & præclaris muneribus affecta ob id, quod de periculo certiorem ipsum fecisset, à Principe totaque adeo familia aulica, in summo est honore atque precio habita.

* * *

APHO-

APHORISMVS XIV.

PRINCEPS MORTALEM SE ESSE ET QVIbuſuis humanis calamitatibus obnoxium, meminerit; ſic namque fiet, vt ob dignitatem & praeminentiam, quam gerit, minus inſoleſcat.

14 SI quis purum habet cogitatum humanę deceptionis, perſpicitq; ſuæ naturæ vilitatem, breuitatemq; veloci fato obnoxiæ præſentis vitæ, tum carni coniunctas inſitaſque ſordes, ad ſuperbiæ nũquam illabetur præcipitium, quamuis in excelſo dignitatis faſtigio conſiſtat.

Εἴ τις κεκαθαρμένον ἔχει τὸν λογισμὸν ἐκ τῆς ἀνθρωπίνης ἀπάτης, καὶ βλέπει τὸ οὐτιδανὸν τῆς ἑαυτοῦ φύσεως, τό τε βραχὺ καὶ ὠκύμορον τῆς ἐνταῦθα ζωῆς, καὶ τὸν συνεζευγμένον τῇ σαρκὶ ῥύπον, εἰς τὸν τῆς ὑπερηφανίας οὐκ ἐμπεσεῖται κρημνὸν, κἂν ἐν ἀξιώματι ὑπάρχῃ ὑψηλῷ.

14 *QVI repurgatam ab humana impoſturamentem habet, &, quam nihil ſit ſua natura, perſpicit, nec non breuitatem huius vitæ, quodque ſubitæ obnoxia ſit morti, itemque carni coniunctas ſordes contuetur; in ſuperbiæ præcipitium non incidet, etiamſi in altiſſimo ampliſſimoque dignitatis gradu ſit locatus.*

DISCVRSVS.

PH. Diſcurſum hunc noſtrum ab inſigni Plinij (*lib. 7. cap 7. Natur. hiſt.*) miſeriæ ac vanitati. Magnatum, qui tumidi, faſtidioſi, ſuique nimium pleni, & in alios inſolentes eſſe ſolent, illacrymantis commonefactione ordiar. Sic autem Plinius: *Miſeret*, inquit, *atque pudet æſtimantem, quam ſit friuola animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerumque abortus, cauſa ſit odor à lucernarum exſtinctu. His principiis naſcuntur tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis; tu qui fortunæ munera amplexaris, & te ne alumnum quidem exiſtimas, ſed partum; tu cuius ſemper in victoria eſt mens; tu qui te Deum credis, aliquo ſucceſſu tumens, tanti perire potuiſti: atque etiam hodie minoris potes, quantulo ſerpentis ictus dente; aut etiam vt Anacreon poeta, acino vuæ paſſæ; vt Fabius Senator, poto in lactis hauſtu vno pilo ſtrangulatus.* Hactenus Plinius, qui hæc claudit eleganti prorſus, & notanda ſen-

tentia: *Is demum profectò vitam æqua lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanæ memor fuerit.*

TH. Accommode Origenes *homilia in Ezech.* Quid superbit, inquit, terra & ciuis? vt homo arrogantia subleuetur, oblitus quid erit & quam fragili vasculo contineatur, & quibus stercoribus immersus sit, & qualia semper purgamenta de sua carne proiiciat. Cæterum quibus notis superbi insigniantur, hæ fere sunt, quas ponit. Hugo *lib. 2. de Anima*: signa superbiæ hæc sunt: clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, honestas in imagine, inhonestas in actione, rancor in reprehensione.

Superbia effigies.

EQ. Superbia vna cum asseclis suis non vno modo effingitur. Vide ego nuper æri impressam Superbiam, parturientem *Inuidiam*, sedentemq; curru, qui *vana* vocatur *Gloria*, vbi equos regit *contemptus*: horum nomina sunt *Pertinacia* atque *Curiositas*, Currum sorores ternæ, *Inobedientia* sequuntur, & *Iactantia* & *Derisio*.

PH. *Superbia*, inquit Hugo, *in cælo nata est, sed velut immemor, qua via inde ceciderit, illuc postea redire non potuit.* Idem sic pergit. Quatuor sunt quæ trahunt elationis currum, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus & inobedientia. Rotæ vero sunt, iactantia mentis & arrogantia, verbositas & leuitas: auriga in hoc curru est spiritus superbiæ; amatores huius mundi sunt, qui feruntur in hoc curru: infrænes sunt equi volubiles rotæ, auriga peruersus & qui portatur, infirmus. *Hæc Hugo.* Hinc recte Socrates: *Apud superbum ceu apud malum figulum aut statuarium peruersas rerum imagines videre est.*

EQ. Nimis late vagatur huiusmodi superbiæ delineatio. Ego compendiose sic eam effingo: Pretioso nimirum pileo caput oblique tectum, quod tumidissimum animum significat superborum. Sedens contemplatur se speculo, quod alterutra manu tenet. Catena in alterutro pede constricta, quam Diabolus ad se trahit, quod captiui sint Sathanæ superbientes, & incitet Sathanas ad fastum contrahendum; quia & ipse propter superbiam cœlestibus sedibus eiectus est. Inserat alteram manum lateri, propterea quod id proprium sit fastuosorum. Annulis manus cinctæ, item collum monilibus ornatum & corpus Regificis vestibus item multis fimbriis adiectis. Pauonem habet circa pedes alas expandentem & caudam, deformes habens pedes. Ita & superbia extrinsecus ornata, intrinsecus diabolica malitia & sordicie contaminata.

PH. Non minus etiam elegans est, quam ego ex Poetis subiungo, superbiæ descriptio:

Culmen & ad superos niti, cœloque propinquum
Ita grauis, & raro incessu vestigia profert.
Strimonia de more gruis, quæ semina campis

Lecta

Lacta legens, aqua tepido sub sydere libra:
Si vicina ferat gressum per rara viator,
Tela ferens, arcumque manu, caput ardua tollens
Clangit, & ingenti mouet internodia passu,
Paulatimque viam suspenso gutture carpit;
Quum bellator equus domini frenatus habenis,
Ostentans pectus latum, ceruice sub alta,
Conglomerat bibulo lentos in puluere gressus,
Nunc hac nunc illuc oculos & collare torquens,
Spectari gaudet; Libycosque æquare leones
Viribus, Albanosve canes, dum se putat annis
Colligit, & latis imitatur naribus Eurum;
Non secus hac rabies ventoso inflatior vtre,
Cum graditur vibrans alternis motibus armos,
Ardua sublata circumfert lumina frontis,
Vanaque proceri miratur corporis vmbram,
Et tacitis ardens curis, sublimia semper
Mente agitat, tumidoque sedet sub corde venenum:
Contemptrix inopum, vultus elata seueros:
Inflatoque rogans turgentia gutture verba,
Ferre nequit iuga, maiorem indignata paremque:
Imperia vsurpat regnique libidine feruet.
Immansueta, ferox, miseris aduersa minaxque
Mitibus, elatis contraria, nescia pacis,
Nescia amicitiæ, rixarum & litis origo.
Dura, ingrata, duplex animo, violenta, rebellis,
Improba: quid pietas, quid sit clementia, nescit.
Perfida fœdifragam dubio sub pectore mentem
Versat, ab excelso, fugientia culmine semper
Saxa mouet: laudum semper vesana libido,
Sollicitum pectus curis flammantibus vrget.
Nec vitæ ratio, nec opum, nec honoris, in omne
Sponte scelus præceps ruit implacabile monstrum.

E Q. Ingens, & pestiferum, malum est superbia, quo vt nihil lethalius Principi contingere potest, cum semel animo radices egit. Quid enim est tam sanctum, quod non contemnat, aut quid tam iustum, quod non violet tumidi & elati vir animi? Lumen enim rationis, ac prudentiæ exstinguit Arrogantia, quæ simul ac animum vel ciuilis viri occupauit, iam omni humanitate oblita, in lentam sæuamque mutatur naturam, pronam prorsus interturbare, spoliare, rapere, concutere omnia: vnde est, vt regimen illius negligat

Deus, agatq; præcipitem in ruinam & Odysseam miseriatum. Hinc Gregor. *in Moral.* superborum inquit, mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessentes alios importuna, ad ea quæ facere debet & præualet, ignaua: ad ea autem quæ nec facere debet, nec præualet, parata, hoc in eo quod sponte non appetit, nullis exhortationibus flectitur. Ad hoc autem quod latenter desiderat, quærit vt cogatur, quia dum metuit ex desiderio suo vilescere, optat vim in sua voluntate tolerare.

PH. Cic. *lib.3. Tusc. quæst.* Vt membrum (inquit) turgidum ac tumidum vitiose se habet: ita inflatus animus & tumens in vitio est. Et Innocentius *de vilitate conditionis humanæ.* Superbia, inquit, turrim euertit, linguam confodit, prostrauit Goliathum, suspendit Aman, interfecit Nichanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit; sedes ducum superborum destruxit Deus, & radices gentium superbarum arefecit.

TH. Quum Superbia (vti sacræ Literæ *Ecclesiast.*10. inquiunt) omnis peccati principium & origo sit, teste S. Gregorius *in Moralibus lib.* 31. *cap.*31. à numero septem peccatorum capitalium eam excludens, omnium illorum Reginam constituit. Verba illius sunt hæc: *Ipsa vitiorum regina superbia, cum deuictum plane cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit.* D. Thomas, 2.2. *artic.*2. *&* 8. *quæst.*162. idem confirmat: & *quæst.*132. *art.*4. hanc adfert rationem. Quia *fines omnium vitiorum ordinantur in finem superbiæ*, & ei quodammodo subseruiunt. Adiungit etiam: Superbiam in omnia alia vitia influere, ideoq; non numerari inter septem specialia peccata mortalia, sed potius esse Radicem, Matrem & Reginam eorum. Superbia, inquit August. *lib.*14. *de Ciuitate Dei, cap.* 13. est *peruersæ celsitudinis appetitus*: id est, Superbia est vitium ad amorem & appetitum inordinatum propriæ excellentiæ inclinans, dum aliquid esse cupit supra id quod est. Hinc Isidorus *lib.* 10. *Etymolog. cap.* 18. recte ait, Superbum idcirco dici, *quia super vult videri quam est.* Cum ergo Superbia omnium peccatorum origo sit, merito Isidorus 2. *lib. de summo bono* appellat eam omnium virtutum ruinam, quia omnibus est contraria, omnes oppugnat. Quamobrem etiam tantopere Dominus abominatur fastum & superbiam. Id quod iuramento confirmat Dominus *Amos* 9. *cap.* Resistite superbis, inquit Petrus, 1. *Pet.* 5. Satanam superbientem eiecit è cœlo, homines è paradiso, & multos superbos tyrannos suis viribus confusos de solo deturbauit, vt Pharaonem, Sennacheribum, Nebucadnezarem & alios nimirum: *Sedes superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis,* Prouerb. 16.

PH. Monuit probe diuinus Plato: *Superbus*, inquit, *à Deo deseritur: desertus autem omnia interturbat: nec multo post pœnas superbiæ soluens, sibi ipsi & familiæ, &*

sui denique publicam pestem perniciemque accersit. Princeps itaque isthæc Sapientiæ documenta sibi in memoriam reducat, subindeque ipsius obuersetur oculis hæc commonefactio:

> *Non insolenter te geras; si plusculum*
> *Quam cæteri, dextra, vel auro polleas:*
> *Mortalium res auget, vel premit dies,*
> *Amant modestos, execrantur Dij malos.*

EQ. Persarum Regum inuisa semper politis cultisq; nationibus arrogantia fuit, quod iidem soli vna cum paucis domi perpetuo delitescerent, nec nisi per interpretem, aut clientes aliquos darent alicui responsum, quod soli, stantibus cæteris, & sederent, & mensæ accumberent, quod adorari se, & colla cunctis ad eos accedentibus flexisq; genibus supplicantibus, veluti Deos quosdam, cuperent, at hodie, in Hispania præsertim, vel Regulus quisque, aut opulentus homo, fieri sibi eadem vult, & quasi iure quodam postulat, nemo affabilitate, nisi apud pares vtendum sibi putat: diuitias, honores, nobilitatem, dignitatemque ipsa loquendi forma & seueritate vultus ostendet, quasi magnus aliter, nisi hac insolentia tumeat, haberi nequeat. Sed quid exotica memoro. Etiam ipsa Germania eiusmodi delicatula monstra alit, cum magna omnium bonorum indignatione; quippe à Germanorum antiquorum moribus plane deuia. *Superbiorum mores odiosi.*

PH. Odiosi valde sunt etiam apud eos qui eiusdem cum ipsis sunt familiæ & cognationis, vsque adeo vt familiaritatem eorum studiose declinent, eoq; fit, vt cum ipsi alios, iidem ipsi ab aliis, qui etiam longe ipsis sunt nobiliores iuxta atque ingeniosiores, habeantur despectui.

EQ. Huiusmodi hominum inuiso atque odioso generi par olim fuit, Pallas Claudij Cæsaris libertus, qui sub eo principe immensis opibus comparatis, cum à Peto accusaretur in Neronem conspirasse, atque ad rem probandam quidam Pallantis liberti adducerentur, coactus est Pallas, vt innocentiam probaret, superbiæ suæ magnitudinem detegere. Affirmauit enim moris sui esse nunquam ministrorum uorum quempiam alloqui, sed, si quid vellet, id eis aut manu aut nutu indicare. Et si quid esset, quod longiore oratione declarandum esset, illud eis scribere. Id autem agebat, ne cum ministris superbæ vocis suæ dignitatem communicaret.

TH. Pauo caput habet exiguum & debile, cum caudam habeat speciosam & prælongam: Sic multos seculi homines videas magna eos comitante caterua, longo famulorum cauda subsequente, quibus exile caput est. Nam cum propter sapientiam & prudentiam, nullius ponderis æstimationisve apud homines sint, saltem propter magnum comitatum æstimari debent.

EQ. Audite quæso Byzantij vocem arrogantissimam. *Nunc ad me veniunt, posteaquam cœlum attingo lancea.* Eam vocem insolentissimam, ita castigauit Pasiades, qui tum forte aderat, vt diceret, *Abeamus, ne lanceæ mucro cœlum perfundat.* Talis fuit Antiochus Syriæ rex. *At illum ipsum qui paullo ante sydera cœli se contingere arbitrabatur, eum mox* (sic pote à Deo punitum) *nemo poterat propter insolentiam fœtoris portare.* quam miseriam, & arrogantiæ exemplum hisce ipse verbis deplorat: *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum; qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea! & ecce pereo tristitia magna in terra aliena.*

In eadem sorte & regno fuit Sennacherib, qui cum secundis rebus volitaret, tolleretque alte supercilium in Ciuitate Hierusalem, tandem sic à Deo per Esaiam Prophetam compellitur: *Cum fureres aduersum me, superbia tua ascendit in aures meas. Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti.*

PH. Philo Iudæus eloquentissimus autor *in libro de legatione ad Caium Cæsarem*, eius insolentiam grauissime idcirco detestatur, quod cum ad ipsum ab Alexandrinis legatus veniret, vix ad colloquium acceptus fuerit. Nec mirum quidem. Nam idem Caligula omnium primus è Romanis Regibus appellari Dominus voluit, quod olim iisdem valde insolens videbatur, hodie vel infimo cuique familiare est.

EQ. Alexander Magnus ante captam Babylonem fuit modestus, temperans, in imperio iustus, non indulgens iræ, vt iniustam crudelitatem exerceret, sapiens in præficiendis gubernatoribus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipso Rege propter virtutem. Postea vero nihil eo turpius & deformius fuit. Nominari se Deum, & coli diuinis honoribus voluit. Hoc tantum scelus pœnæ sequutæ sunt, certamina in ebrietate, in quibus iratus interfecit Clitum, à quo seruatus fuerat in pugna ad Granicum, & alia multa turpissime fecit. Adorari voluit. Et Callisthenes Philosophum, natum ex consobrina Aristotelis, qui eum adorare recusauit, includi in caueam iussit, & circumduci spectandum, ac tandem interfici, versum addens: Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφὸς, hoc est, Odi sapientem, qui sibi non sapit; quinetiam nulli nisi Antipatro & Phocioni in literis salutem dabat.

PH. Nemo maiorem se putabat, quam vt quenquam salutaret, vel salutatus resalutaret: Eiusmodi Nerones, quod dixi, hodie ipsa alit Germania, qui num lucem an tenebras aliquando familiæ suæ daturi sint, tempus loquetur.

EQ. Huiusce genij atque ingenij quoque Annibal fuit. Is namque victoriæ Cannensis successu elatus, nec admisit quenquam in castra, nec responsum vlli, nisi per interpretem dedit.

Attila

Athila rex Pannoniæ, superbus incessu, huc atq; illuc oculos circumferens, vt elata potentia in ipsius corporis motu appareret.

Maximinus Imperator tanta fuit arrogantia, vt manus ac pedes senatoribus præberet osculandos.

Caius princeps seipsum inter diuos retulit, & Iouis Maximi nomine statuas erigi sibi imperauit.

Cyrus immani superbia elementis irasci, atque ab iis reuerentiam exigere non est veritus. Cum enim ad Babylonicam expeditionem proficisceretur, Gangem fluuium magnitudinis immensæ in trecentos ac sexaginta paruos alueos diuisit, affirmans se ita diminuturum amnem, vt etiam prægnans fœmina pedibus sine labore eum traiectura esset.

Demetrius Poliorcetes, Antigoni Macedoniæ regis filius, tanta fuit arrogantia & insolentia, vt Atheniensium legatos biennium suspensos tenuerit sine colloquio, ac demum re infecta reuerti iusserit.

Menecrates Medicus nullam ab his mercedem solebat accipere, quibus medebatur: sed hoc tantum petebat, vt liberati se ipsius seruos esse faterentur, eumq; Iouem dicerent.

EQ. Ridiculum est, quod de Aristippo Philosopho refertur. Is cum aliquando Dionysio tyranno, supplex ad pedes prouolutus quid supplicasset, reprehendereturq; ab aliis Philosophis grauiter, falso hoc dicto excusare deiectionem animi suam fuit coactus, quid si aures Dionysius habet in pedibus.

TH. Reminiscor iam Friderici Barbarossæ in Italiam ingressus, quem inconsulta Romanorum egregie scilicet excepit arrogantia. Historia, vti eam recenset Albertus Abbas Stadensis, sic habet: Veniente rege Friderico prope Romam, miserunt Romani legatos suos ad regem in castra, qui dicerent, paratum esse senatum, & vniuersos ciues vrbis, ad eum excipiẽdum cum triumphalibus pompis, siquidem imperatorio more sese exhibuisset. Quo percontante modum, quo sese exhibere deberet illi aiebant: Regem propter adipiscendum imperiale fastigium Romam venientem, decere venire more suo, hoc est, in curru aureo, purpuratum, agentem præ curru suo Tyrannos bello subactos, & diuitias gentium. Præterea oportere eum honorare vrbem, quæ caput est orbis, & mater imperii, & dare senatui, quæ edictis præfixa sunt, videlicet xx. millia librarum argenti, vt per hoc suscitentur animi Senatus ad beneuolentiam, & exhibeãt ei honorem triumphalem, & quem electio Principum regni creauit regem, authoritas Senatus perficiat Cæsarem.

Tunc Rex subridens: Grata, inquit, promissio, sed cara & dura emtio. Magna requiritis, ô viri Romani, de exinanita camera nostra. Puto autem, quia occasionem quæritis aduersum nos, imponendo non imponenda. Consultius vero agetis, si his omissis, amicitiæ potius, quam armorum ceperitis experimentum. At illi pertinacius instabant, iura ciuitatis nullatenus irritanda, a-

lioquin vrbis introitum obserandum. Rex autem reuerenter vocauit dominum Adrianum Papam in castra, propter participationem consilii. Siquidem Romani Papam in multis offenderant. Veniente ergo eo in castra, Rex festinus ei occurrit, & descendenti de equo tenuit strepam, duxitque per manum in tentorium, factoque silentio, locutus est dominus Bauenbergensis Episcopus verbum ex ore regis & principum, dicens:

Honorabilem sanctitatis tuæ præsentiam, Apostolice Pontifex, sicut dudū sitienter desiderauimus, ita nunc lætanter suscipimus, gratias agētes omnium bonorum largitori Deo, qui nos deduxit, & adduxit in hunc locum, & sacratissima visitatione tua dignos fecit. Notum igitur tibi esse volumus, reuerende Pater, quia omnis Ecclesia, de finibus orbis propter honorem regni collecta, adduxerit Principem suum ad tuam beatitudinem, prouehendum ad culmen Imperii: siquidem est nobilis, prudens, victoriosus, Deum timens, pacificus, catholicæ cultor fidei, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerator. Ecce te venientem excepit intrepidus, sanctissimis tuis vestigiis humiliter inclinatus. Ergo venerande pater, tu circa ipsum peragas, vt quæ ei desunt de plenitudine imperialis culminis, per tuæ benedictionis munificētiam suppleantur.

Frater, ait Papa, verba sunt, quæ loqueris. Princeps tuus debitam beato Petro hac vice non exhibuit reuerentiam: nam sinistram (Grande nefas scilicet, dignumq; Papali zelo,) nobis strepam tenuit, cum dexteram debuerit tenuisse. Rex se excusat, asserens, se in tenendis strepis minimum studuisse, & hunc defectum non ex indeuotione, sed ex inscientia prouenisse. Tu, inquit, sancte pater primus es, quem tali sumus obsequio venerati. At Papa Rex vester per ignorantiam minima negligit, quomodo maxima expediet? Rex aliquantulum motus ait: vellem instrui, mos iste vtrum ex beneuolentia sit, an ex debito? Si ex beneuolentia, causari non potero super eo, quod feci non de iure, sed de arbitrio. Si ex debito, quid refert inter strepam dextram & sinistram, dummodo seruetur humilitas, & Princeps ad pedes summi Pontificis incuruetur. Inter hæc & talia sine osculo recesserunt. Eadem hæc iisdem fere verbis recenset Auentinus historicus.

EQ. Memorabilis quoq; extat alicubi apud authores superbiæ atque ambitionis inter Archiepiscopū Coloniensem & Abbatem Fuldensem, memoria, cuius hæc est summa. Annum circiter 1184. Imp. Fridericus insignē egit Principum Imperii conuentum Moguntiæ, in quo Henricum F. suum Regem declaratum, auratum fecit militem, torque donata: ibi cōfirmatum est matrimonium inter eundem Henricum & Constantiam, quæ filia erat vnica Regis Neapolitani, monialis. In conuentu isto celeberrimo, ipso die processionis, in sacratissima Pentecostes festiuitate, cum in Ecclesia sederet Imp. cum vtriusq; ordinis Principibus: à dextris habens archiepiscopum Moguntinum, & a sinistris Coloniēsem: Abbas Fuldensis turbauit cætum tam celebrem, locum sibi

depo-

deposcens ex sinistro Imperatoris latere, quem dominus Coloniensis occupauit. Meminere multi, hoc ab antiqua obseruantia in eo præsertim loco factum. Sed Princeps Elector & Archiepiscopus cedere abbati, duxit ingloriũ.

Imp. interpellatus respondit: Veteres approbamus, vt tenemur, Imperii nostri consuetudines. Quibus auditis, Archiepiscopus, conuentu relicto, abiit: quando, inquiens, ita serenissima tua Maiestas erga nos affecta est, cedo Abbati Archiepiscopus, Monacho Princeps Elector. Sequutus est illũ comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris, & Comes de Nassavv, dicentes: Serenissime Imp. dominum sequimur exeuntem, cuius beneficia recognoscimus. Comiti de Nassavv, quod ille & ab Abbate beneficiũ teneret, dixit Ludouic. Thuringiæ Princeps: Pulchre hodie respondes beneficio, qui deserto vero domino alium sectaris. Cui ille: Beneficium quod teneo, iustis suo loco promerebor obsequiis, hodie sequor, q̄ eu in hunc cætum inter alios deduxi, æque dominum feudi, quod teneo. Idem fecit Dux Brabantiæ. Tot vacuatis sedibus, turbatur rex Hẽricus, etiam in collũ appendens Archiepiscopi, eum sancte rogat, ne festum diem à mœrore auspicetur, neue turbationem excitet in tanto principum conuentu: maneat in consessu, neu committat, vt diem suæ coronationis tãtis iræ tenebris obnubilet. Tunc Imperator & ipse se interponit: Quandoquidem, inquiens, vnum te adeo verbum cõturbat, vellem, me temperasse sermoni: quamuis nihil preter Imperii dignitatẽ me elocutum, agnoscam: sed vide, ne doloris minimi curatione, ingens corpori vulnus infligas. Quid enim sit scindere tantum conuentum, pro tua prudentia non ignoras.

Tum excandescens Archiepiscopus: Pulchre, inquit, hodie remuneratur mihi Cæsarea maiestas diuturna huius capitis obsequia, dum in castris incanui, Italiam fatigaui Lombardiã oppugnaui, Brunsuici sudorem cum sanguine fudi: Hæc magna merces mea, vt in conuentu Principum confundar propter Abbatem: qui, nisi occultam Cæsarei culminis intelligentiam foueret, ab hac iniuria merito temperaret. Quod si, & Cæsar, & Rex, manere me, vultis, ecce, pareo: reponantur nostræ sedes vt fuere: sin nostram Abbas turbauerit, ascendat in cœlum, ponat suam in aquilonem, & similis sit Altissimo. Præsentiens autem Abbatis Archiepiscopus arrogantiam, quatuor armatorum millibus in cætum stipatus venit: arma etiam proculdubio in Ecclesia exercuissent, si in longum durasset contentio.

Tum Imperator. Quandoquidem, inquit, à te, Archiepiscope, insimulamur de occulta cũ Abbate huius rei machinatione, parati sumus iusiurãdum præstare, nos eius culpæ non esse affines. Et cũ iurare paratus videretur, exceperat Archiepiscopus: verba, inquiẽs, Cę. Maiest. mihi pro iuramẽto sunt. Cõuersus inde ad Abbatẽ Imperator, quod & ille Principes haberet nõ paucos, pro illo, si ad arma veniret, vi pugnaturos dixit: Hodie, ne maior nobis turba hũc diẽ festũ obscuret, sine iuris tui præiudicio adhibenda est tibi, pater, breuis moræ

patientia. Tunc Abbas cum rubore locum tenuit inferiorem: & coronatus est rex Henricus cum Regina. Væ tibi superbia, quæ in cœlis nata, cum authore tuo ad inferni demergeris semper crucianda.

PH. Huiuscemodi spiritualium superbia atq; ambitio anno Christi 1338. non parum repressa fuit; id quod Auentinus historicus his recenset verbis: Anno inquit Christianæ libertatis 1338. sexto die Iulii, hora 6. Benedicti XII. Pont. Max. anno IV. in pomario vici Rhenosei, in ripa Rheni amnis, vbi fere septẽ viri Cæsariani electores cõuenire, atq; de summis Imperii rebus colloqui solent, Heinricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Treuerorum archimysta, Rudolphus, Ruperti duo, & Stephanus, præfecti prætorio Rheni, cum nondum decretum foret, quisnam eorum comitiis Cæsareis suffragium ferret: Rudolphus dux Saxoniæ, Ludouicus Brandenburgẽsis limitis præfectus, item alii pleriq; omnes sacrosancti Imperii cliẽtes & optimates, sacrati, prophani, cõcione vocata, sacramẽto prius rogari ritu solẽni, ex concilii decreto, accitis trib. libellionibus, qui in acta, quæcũq; fierẽt dicerenturue, ex fide referrent, subscriberent, atq; in vulgus ederent: hanc rogationem sanciuerunt, iusserunt, decreuerunt, voluerunt, promulgarunt, perpetuo sanxerunt.

Sacrosanctum Imperium, summa in terris potestas cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Deum est, & tam grande nomen à Deo solo traditur. Cui soli ille Reipublicæ administrãdæ rationem reddendam habet. Qui à supremo duntaxat cœli numine in summo rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris neq; parem neq; superiorẽ habet. Per quem leges, iura, regna humanę genti largitur ęterna maiestas. Cæsari reddite, quæ Cæsaris sunt. præcipit Christus. Is & comites eius omnes, vectigalia, honorẽ, officiũ, obsequiũ, obedienter ac reuerenter Imperatorib. præstiterũt.

A ciuitatis igitur Heptarchis, rebus impositus, continuo more maiorũ atq; iure gentium rex est & vocatur. Ipsum contra maiestatem Reipublicæ, decus imperii, legatos ad sacerdotem Romanum, vt author fiat, copiam administ. ãdi concedat, mittere, eidem iureiurando fidem astringere, atque petere ab eo vsum regii diadematis, religio est, nullum harum rerum ius omnino est pastori, qui seruus ouium est, & in consecrando domino gregi seruit. Quippe iure suffragiorum, beneficio electorum atq; populi quisq; imperat.

Hæc verissima esse, conuenit inter omnes annalium, rerum humanarum diuinarumque peritos, atque iam sæpius vtriusque iuris, Cæsarei atque Pontificii, cœlestis Thesauri testimoniis comprobatum est. Tamen quidam (vt sunt ebrii successu rerum nimio, atque impotentes sui mortalium animi, prosperis enim rebus ferocitas atque superbia augescunt) impudentissime refragari non erubescunt. Et nonnulli sanctuli, qui sibi sacrarũ literarum magisterium arrogantissime sumunt, per fallacias verba Domini arguunt, simplicitati Christianæ imponunt, diuinæ sapientiæ viua oracula polluunt, contaminant:

minant: sacram historiam falso interpretando suæ causæ seruire cogunt, suis moribus atque vitiis, nempe ambitioni, superbiæ, auaritiæ accommodant, veritatem adulterant humanis nugis, cœlestem philosophiam commentis deprauant, inuertunt, à germano sensu ad suum negocium, suas nundinas captiosis ratiocinatiunculis detorquent: non voluntatem legi sacræ, sed legem voluntati iungunt.

More argutorum hominum magis, quam ex æquo atque bono disputant, præter fas, contra naturæ legem docere non erubescunt. Pastoris beneficiarium esse dominum, neque ante principem principum esse, aut nominari oportere, quam ille seruus seruorum author fiat, & dignum iudicarit, qui regnet. Hæcque cum maxima Reipublicæ Christianæ pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ maiestatis iactura, nec sine grauissimo tetrarcharum, dynastarum, clientum, Imperii detrimento, instigante stygio principe, domino huius mundi, commenta esse, euentus docet, exitus probat.

Inde bella plus quam ciuilia, seditiones domesticæ, tumultus intestini concitantur, populus Christianus se mutuis vulneribus atterit, cognato sanguine manus polluit, stupra, periuria, adulteria, sacrilegia, peculatus, incestus, perfidia, impune committuntur.

Hæc vbi dogmata pestifera, hisce pestilentibus erronibus classicum concinentibus, cædes, parricidia, homicidia, incendia passim eduntur, excidia regnorum, vrbium, regionum direptiones vbique fiunt. Ima summis miscentur, diuina, humana perturbantur, pietas refrigescit, lites, discordia, scelera, simulata religio, ceremoniæ cassæ feruent & gliscunt: iustitia, pax, concordia, simplicitas, libertas, depulsæ terris exulant: diuitiæ atque arma dominantur, fraus, dolus, ambitus Ecclesiasticus corripiunt gradum, vt posthac huiuscemodi malis euitatis, augusta pace, festa quiete, populus Christianus fruatur ex concilii decreto, hocque plebiscito decernimus, quæ supra ritu solenni, religione adacti censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum ex solo electionis beneficio, omnem potestatem imperiumque proficisci: nec vllo pacto pontificis Romani in hac re sanctimonia, flaminio, autoritate, consensu opus esse.

Quicunq; aliter docuerit, senserit, factitarit, criminis læsæ maiestatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus esto, capite pœnas soluito, bona eius publica sunto, prædia infiscentur. Hactenus Auentinus.

TH. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ (inquit Ezech. *cap.* 16.) superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & quo tempore magis intumescebat, omnino cum sua republica sublata est. Ex superbia namque & insolentia principum nascuntur odia subditorum; hinc subuersiones principum & potestatuum: quod superbia inflati plus de se, quam in his sit vitium, *Superbia effectus infelices.*

sibi promittentes decipiant,& periculis temere se obiiciant,à quibus dehinc non possunt se eximere.

Sensit id etiam Nabuchodonosor Assyriorum rex. Vbi enim se superbia extulit dicens,*nonne hæc est Babylon magna,quam ædificaui in domũ regni,& in robore fortitudinis mei*? statim ab hominibus eiectus & de regno deturbatus est. Sic Darius, Arsani filius rex Persarum, qui se regem regum ac consanguineum deorum vocabat, & Alexandrum Magnum famulum suum, & iusserat Satrapis suis,vt insanientem illum Philippi adolescentulum (sic enim eum per contemptum appellabat) verberibus puerilibus grauiter cæsum, indutumq; post veste purpurea,sibi vinctum traderent, sensit quantum superbia illi profuerit,exutus vita & regno ab eo quem contempserat. Cum etiam Antiochus rex superbia & ira concitus iurasset, se venturum Hierosolymam,& congeriem sepulchri Iudæorum eam facturum; à Deo percussus est insanabili & inuisibili plaga:& inde obiit miserabili morte.

PH. Tygrannes Armeniæ Rex,Reges domitos domestico ministerio adhibebat in mensa, atq; aliis in rebus eorũ opera vtebatur: & cum pro tribunali causas populorũ audiret circumstare tribunali supplicib. manibus in seruorũ more cogebat, sed ipse tandem coram Pompeio huius superbiæ pœnas dedit. Nam flexu genu procumbere coactus est,& ad eius pedes diadema deponere.

TH. In horum numero haberi potest Nicanor,de quo scribitur 2.*Mach.ca.* 8.quod veniens ad pugnandum contra Iudæos, vendebat eos antequam in campo videret,sed ei male successit.

Balthazar,filius Nabuchodonosor, ob superbiæ vitium & regnô, & vita priuatus est, *Daniel 5.*

De Herode Agrippa nota est ex Actis historia. Is tertium iam Iudææ totius regni annum exegerat,cum peruenit in vrbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est:vbi solennes ludos celebrauit pro salute Cæsaris: ad quam festiuitatem magna multitudo nobilium ac procerum conuenerat,ex tota prouincia,eius celebritatis die secunda processit mane in theatrum, amictus veste tota ex argento mirabili opere contexta,quæ radiis exorientis solis percussa,& diuinum quendam fulgorem emittens, venerationem cum horrore excutiebat spectantibus. moxque adulatores perniciosi alius aliunde acclamantes Deum consultabant,rogantes vt faueret propitius.hactenus enim vt hominem reueritos,nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali natura excellentius.hanc impiam adulationem ille nec castigauit,nec repulit:pauloque post suspiciens, vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem:moxq; vt sensit hunc esse calamitatis nũcium,qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit.secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia.conuersis igitur in amicos oculis: En, inquit,ego ille vestra appellatione Deus vitam relinquere iubeor,fatali necessitate coarguente vestiũ menda-

mendacium: & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior. Sed ferenda est voluntas cœlestis numinis, &c. Hæc ita recenset Iosephus.

EQ. Quæ insolentia, vel potius insania *Maximiani & Diocletiani?* ille quasi ab *Hercule* prognatus esset, *Herculeus*; hic vero quasi à *Ioue* genus duceret, *Iouius* dici voluit. Ecce, quo arrogantię processerint hęc monstra, vt passi sint, immo voluerint, se vt Deos coli. Verum quas superbiæ suæ pœnas dederint, perspicuum est eorum vitas legenti. Certe vel iugulati omnes, vel veneno sublati: summa, nullus horum morte naturali, & sicca, vel vt Poeta loquitur, è viuis excessit. Vt merito dictum sit ab Artabano Xerxi Regi: *propterea quidam contra quam sua dignitas postulabat, in calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium, quam seipsum, sinit magnifice de se sentire.*

PH. In corde humano duo sunt turbulentissimi & sæuissimi affectus: Ira & ambitio. Hi & facile accenduntur in magnis viris: & accensi late turbant Imperia & vitam communem.

EQ. Solent sese in inuicem cōcomitari. exitu tamen plerumq; minus prospero. Cæterum cum paulo ante Superbiam effinxerim, non abs re fore arbitror, si ipsam etiam Ambitionem, superbiæ sororem effingam. Sic ergo eam comptā habetote. Ambitio pretiosa crocota incedit, auratā vittam habēs capite sub tiara pretiosa. Digiti referti annulis, quæ pompā vt exhibeatur honos augent. A tergo quidam puellus, vt apud priscæ ætatis fœminas, tollit gyrum & fimbriam vestimenti, lampada gerit manibus ante pectus, quod vt Seneca ait in Tragœdia, Herculis, vrit miserum gloria pectus. *Ambitionis effigies.*

PH. Mich. Hospitalius *Epist. li. 5.* Ambitionē eleganti hoc depingit carmine:

Vt qui se tecto, aut saxo deiecit ab alto
Haud facile in lapsu medio se sustinet, ima
Dum petat, & prono terram grauis opprimat ore:
Sic vehit alato quodcunque per aera curru
Ambitio: non ille potest retinere fugaces
Certus equos, medio vel in æquore sistere cursum:
Fertur at inuitus quo se permisit, & alis
Icarus vt preceps dilabitur igne perustis.

Ecquis vero ab isto malo immunis est? Nec seculares nec Ecclesiastici. Id ꝙ ēt paulo ante à nobis dictū est Laborabāt Apostoli ambitionis vitio, ideoque frequens erat inter illos contētio, quis eorum esset maior. S Ambrosio ægrotante, statim quidā Diaconi inter se tractare cœperūt quis post eius mortē ordinādus esset Episcopus, vt Paulin⁹ refert in eius vita. Hinc D. Augustinus *Epist.* 64. vbi agit de cōtentione & æmulatione: *Ista,* inqt, *vitia nō in plebe sed in nostro numero sunt grauiora: quorū morborū mater superbia est, & humana laudis auiditas.* *Ambitio viuus regnat*

Cuius etiam proles, zelus nimirum & æmulatio, pietatem infestissime insequitur. *Hinc* namque (vt inquit D. Cyprianus Serm. de zelo & liuore,) *vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas,*

scinditur vnitas, ad hæreses & schismata prosilitur, dum obtrectatur sacerdotibus, dum Episcopis inuidetur, dum quis aut queritur, se non potius ordinatum, aut dedignatur, alterum ferre præpositum, &c.

EQ. Obtenta aliquando in bello Turcico insigni victoria, cuius præcipui Duces, Iohannes Hunniades, imperator exercitus Christiani, & Iohannes Capistranus, concionator egregius; nec Hunniades, Capistrani, nec Capistranus, Hunniadis mentionem fecere in iis literis quas de obtenta victoria ad amicos scripsere; per suum quisque ministerium Deum Christianis dedisse victoriam affirmauit. Auarissima nimirum honoris humana mens facilius regnum & opes, quam gloriam partitur. Potuit (inquit Pius II. qui hanc narrat historiam,) Capistranus patrimonium contemnere, voluptates calcare, libidinem subigere, gloriam vero spernere non potuit.

TH. Conueniat (ait D. Hieronymus contra Lucifer.) *vnusquisque cor suum, & in omni vita inueniet quam rarum sit, fidelem animam muniri, vt nihil ob gloriæ cupiditatem, nihil ob hominum rumusculos faciat. Difficile est, Deo tantum iudice esse contentum.* Princeps sane, ex sententia Ciceronis *in lib. de republ.* alendus est gloria. Interim cautio sedulo adhibenda, atque orandum cum Dauide *Psalm. 35.* ne veniat pes superbiæ, cuius lapsu bonorum operum fructus intercipiuntur. Hinc recte monet Augustinus: *Cætera vitia in peccatis, superbia etiam in recte factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* In quibusdam sibi placet homo, efficit vt nihil placeat Deo, solamque virtutum inanem speciem relinquat. *Computrui coram oculis Domini,* inquit Augustinus, *placens mihi & placere cupiens oculis hominum.*

Imo nimia ista gloriæ cupiditas etiam sæpenumero ad improbas actionẽs impellit. Hæc ipsa (quod constat ex historia Euangelica) multos impediuit, ne in Christum crederent, alios vero iam credentes, ne illum confiterentur. Nonne etiam Pilatus Christum Dominum, quem innocentem sciebat & fatebatur, Iudæis tradidit, vt crucifigeretur, ita quærens demereri homines. Et Herodes rex, vt est in Actis, *cap. 12.* occidit Iacobum fratrem Iohannis gladio. Videns autem quia placeret Iudæis, apposuit, vt apprehenderet & Petrum.

Ambitio ex sceleribus. *PH.* Ex gentilitate aliquid adferam. Multi apud Gentiles sceleribus innotescere, & gloriam assequi non dubitarunt, inquit Val. Max. *lib. 8. cap. 15.* Sic Pausanias cum Hermoclem percunctatus esset, quonam modo posset subito clarus euadere, atque is respondisset, si illustrem aliquem virum occidisset, futurum vt gloria eius ad ipsum redundaret; continuo Philippum interemit.

Inuentus est etiam, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, vt opere pulcherrimo consumpto, nomen eius per totum terrarum orbem diffunderetur, quem mentis furorem, eculeo impositus detexit.

TH. De se

De se ait Augustinus lib. 2. conf. ss. cap. 3. ante conuersionem: *Praeceps idem tanta caecitate, vt inter coaetaneos meos puderet me minoris dedecoris, quam audiebam eos iactantes flagitia sua, & tanto gloriantes magis, quanto magis turpes essent: & libebat malum facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis. Quid dignum est vituperatione nisi vitium? Ego ne vituperarer, vitiosior fiebam. Et vbi non suberat, quo admisso aequarer perditis, fingebam me fecisse, quod non feceram ne viderer abiectior quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior.*

EQ. Hoc nimirum est quod Esaias: *Peccatum*, inquit, *quasi Sodoma praedicauerunt, nec absconderunt*, Esa. 3. & quod Psalmista ait: *Laudatur peccator in desideriis animae suae, & qui iniqua gerit, benedicitur*, Psalm. 10 v. 3 Sed vae, inquit Dominus, *animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala; vae impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei*, Esa. 3. Et Augustinus, lib. 10. confess. cap 36. ad Dominum: *Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te non defenditur ab hominibus, nec eripitur damnante te.*

TH. Merito ergo orabat Propheta: *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem*, Psalm. 118. in qua vanitate praecipuum locum obtinet amor humanae laudis, ait D. Augustinus. Contra quam idem Augustinus lib. 10. Confess. cap. 36. ita Dominum precatur: *Nobis quoniam necessarium est, propter quaedam humanae societatis officia, amari & timeri ab hominibus, instat aduersarius verae beatitudinis nostrae, vbique spargēs in laqueis, euge, euge, vt dum auide colligimus, incaute capiamur, & à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus, libeatque nos amari & timeri, non propter te sed pro te, atque isto modo sui similes factos, secum habens non ad concordiam charitatis, sed ad consortium supplicii, qui statuit sedem suam ponere ad Aquilonem. Nos autem Domine, pusillus grex tuus ecce sumus, tu nos posside. Praetende alas tuas, & fugiamus sub eas. Gloria nostra tu esto, propter te amemur & verbum tuum timeatur in nobis.*

EQ. B. Laurentius Iustinianus (*in vita, cap. 9.*) cum de rectoribus ciuitatum loqueretur, quasi illorum laboribus condolens: *Non sine clementia Dei*, inquit, *fieri putamus, vt virtutis comes esset gloria. & quasi laborum curarumque delinimentum aliquod. Tantisper autem gloriae cupiditati ignoscendum, dum virtutem velut ancilla sequeretur, non autem quasi domina praecederet.* Et D. Augustinus libr. 10. Confess. 36. inquit, *Laude ne careamus, nunquid male viuendum est, & tam perdite atque immaniter, vt nemo nos nouerit, qui non detestetur? Quae maior dementia dici aut cogitari potest? At si bona vita bonorumque operum comes & solet & debet esse laudatio, non comitatum eius quam ipsam bonam vitam deseri non oportet.* Et fatetur ibi Augustinus, delectari se laudibus, amplius tamen veritate quam laudibus. *Veruntamen*, inquit, *nollem vt vel augeret mihi gaudium cuiuslibet boni mei suffragatio oris alieni; sed auget, fateor, non solum sed & vituperatio minuit.*

PH. Viri cordatiores omnibus temporibus insanam hominū ambitionē detestati sunt. Democrates iam senex, ascendens in arcē Athenis perquam

anhelosus: idem se facere dixit, quod vniuersa ciuitas Atheniensium soleret nempe se magnum quidem spirare, parum autem valere, *Stob. serm.* 22.

EQ. Detestati equidem fuerunt ambitionem; at quotusque fuit, qui de semel suscepta ambitione aliquid fere remitteret: Pericles, magnus orator, tonans & fulgurans, & relinquens aculeos in mentibus auditorum, mouit sua pertinacia bellum Peloponnesiacum: quod durauit annos viginti octo: & quod fuit tale incendium, quo tota Græcia pene conflagrauit: & fuit leuissima & futilissima causa: de qua verissime potest dici: *Eheu quam leuibus pereunt ingentia causis.*

Ambitiosorum ingenia. Alcibiades homo maximo ingenio præditus fuit, homo adeo inquietus, vt dictum sit in prouerbio: Græcia nec duos Alcibiades, nec duos Lysandros ferre potest: quia vnus sufficiebat ad euertendam Græciam. Hic alias partium Atticarum, fuit alias Laconicarum: nunc se obtulit ad Pharnabasum Satrapã Persicum: paulo post ad Tissaphernem. Deniq; omnes res gestæ Alcibaidis à principio vsq; ad finem, nihil fuerunt, nisi futiles contentiones: quæ nec ipsi profuerunt, nec patriæ vel reipublicæ: imo vtrisque ipsi & patriæ fuerunt exitiales.

Antonius cum possedisset dimidiam partem Romani Imperii, non fuit ea contentus, sed intulit bellum collegæ & confœderato Augusto Imperatori: & victus cum non posset impetrare veniam ab Augusto irato victore, mortem sibi consciuit vna cum Cleopatra. Talis est exitus actionũ non necessariarum, quæ tantum ambitione quadam aut inquietudine naturæ mouentur.

PH. Animi hominum sunt ignei, inquit Seneca, ideo sursum tendunt; hinc fit, vt ambitiosæ naturæ, quæ assidue æstuant flammis libidinum, non possint quiescere,

Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum laudisque tituliq; cupido.

inquit Poeta; & ambitiosa ingenia nunquam feliciter res magnas gerunt.

EQ. Pompeii symbolum fuit: *Semper ego cupio praecellere & esse supremus.* Cæsar vero dixit: se malle in obscuro oppido primum esse, quam Romæ secundum. Verba Dionis de his duobus hæc sunt: Multæ commemorantur occasiones belli ciuilis inter Pompeium & Cæsarem. Sed verissima causa fuit, principatus cupiditas & amor dominandi. Nam Pompeius etsi initio ornauit & prouexit Cæsarem, tamen postea cœpit inuidere ipsius felicitati & splendori: & primum quidem clam conatus est eum premere: tandem vero apertum bellum eidem intulit. Cæsar vero cum non posset ferre deiectionem de gradu, sed cuperet aliis superior esse, relicta Gallia Romam properauit, vt Pompeium imparatum opprimeret.

Saul quamdiu vixit, Dauidem generum suum persecutus est, eo inductus spiritu ambitionis ac dolore inde solum manante, quod post Goliathi & Phili-

Philistinorum cædem, Israeliticæ puellæ hanc victoriam celebrantes, primum illi præmium & laudem virtutis tribuissent: quodque Deus, vt eius hypocrisin & inobedientiam vlcisceretur, illum regni successorem ipsi substituisset.

Salomon cum accepisset diuinæ esse voluntatis & decreti, vt Ieroboamus secundum ipsum in decem Israelis tribus regnum obtineret: nihil ab eo tempore prætermisit, quo hunc è viuis tolleret, & ne Dei consilium & voluntas impleretur, pro virili obstaret.

PH. Certabant inter se ambitione & odio Aristides & Themistocles, omnium Atheniensium ciuium tunc præclarissimi: & semper in contrarias sententias nitebantur. Proinde cum aliquando senatus dimitteretur, rebus omnib, infectis, propter eorum altercationem; exclamauit Themistocles: nisi me & illum in barathrum deieceris, Respublica Atheniensium nunquam salua esse poterit.

EQ. Alexander Magnus Clitum amicum optimum occidit, quod memoriam patris Philippi tueretur, eiusque res gestas laudaret, cum ipse se patri præferret, *Iustin. libr.* 11. Item Dario petenti, vt regnum cum eo partiretur, respondit: præstiturum se si secundus sibi, non par haberi vellet: Mundum non posse regi duobus solibus, sic nec duobus regibus. Et Cæsar dicebat, se in parua ciuitate malle esse primum, quam in magna secundum. De eodem & Pompeio, Florus *libr.* 4. *cap.* 2. scribit: *Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem.*

TH. Ad recentiora transeo. Fridericus Imp. cum Alexandri Pontificis Romani ira aliter leniri non posset, quam si sese submitteret & precaretur veniam, consensit tandem Imperator, venire Venetias, & ibi ad pedes Pontificis procumbens, absolutionem petere. Deinde constituta pace in Italia ducere exercitum in Asiam. Has conditiones Fridericus, etsi erat armis superior, accepit tamen, cumque se Venetiis ad Pontificis pedes abiecisset, Tyrannus, non contentus Imperatoris modestia, quod factus esset supplex, insignes insuper contumelias addidit: Pedem collo Imperatoris imposuit, & acclamari iussit: Super aspidem & basiliscum ambulabis. O execrandam superbiam & tyrannidem: In hoc ipso tamen spectaculo generosus animus ostendit indignitate rei se moueri, palam interpellato Pontifice, cum inquit, Non tibi, sed Petro. Significabat enim se factum esse supplicem non huic tyranno, sed Apostolicæ autoritati. Reclamauit Pontifex tyrannice, Et mihi, & Petro. Sic absolutionem tandem impetrauit. Demonstrat hoc exemplum, quanta sit pestis Rerump. ambitio Ecclesiasticorum.

Sed hoc miretur aliquis, potuisse Fridericum iniurias tam atroces obli-

uisci,& cōdonare Reip.& ita sese demittere, vt supplex fieret in causa meliore, & insuper supplicem se affici tanta contumelia sinere. Vicit optimum Principem opinio religionis, qua tyrannidem suam Pontifices scelerate & impie extollebant & exaggerabant, cuius in omnium hominum animis magna vis est præsertim si superstitio accedat, quæ tunc regnabat. Cessit autem vtilitati publicæ, vt constituta firma concordia in Europa, latrocinia Mahometica in Asia felicius reprimi possent.

Narrant inter cæteros militiæ Duces, qui Imperatori ad genua Pontificis prouoluto astiterunt, affuisse Theodorum Marchionem Mysniæ fratrem Ottonis illius, cuius seculo aperuerunt sese venæ metallicæ ad Fribergā Mysniæ, qui cum ad conspectum tyrānicæ insolentiæ ingenti generosaq; percitus ira, minaci gestu & flammantibus præ iracundia oculis accurrisset, Imperatorem prostratum erecturus, Tyrannum pauore consternatum in complexus & oscula Imperatoris sese effudisse, nec prius auelli se passum esse, quam de salute sibi certo caueretur.

Dominandi libidinis infelix exitus. EQ. Irregularis dominandi libido atque ambitio nihil vnquam aliud quā dissensiones, turbas, tumultus & clades publicas peperit. Fieri enim non potest, vt Respublica sit quieta & tranquilla, regnante Magistratu sine legitima vocatione. Nam is qui per scelus rempublicam oppressit, circumspectat omnia: & quicquid increpuit, pertimescit, regnumq; adeo malis artibus comparatum & vi retentum, non potest perdurare.

Sane dolo & fraude plures ad dignitatem principatus peruenerunt, ad quam legitime peruenire non potuissent. E quibusdam aliquandiu fortuna arrisit, aliquibus detrimento fuit, vt detectis dolis, etiam cum principatu vitam deposuerint; vsque adeo, vt pro regula propemodum, quam omnium temporum historiæ monstrant habeatur: Qui non rite ad Imperatoriam dignitatem peruenerunt, cruenta morte plerumq; interierunt.

PH. Quāta insania fuerit in Dionysio seniore, Plutarchus in *Apop.* censet: Cum enim in initio regni regia ipsius obsideretur, coniuratis in illum ciuibus: & amici auctores essent, vt imperium deponeret, ni mallet captus interfici: ille conspiciens bouem à coquo mactatum illico concidere, dixit: Quum mors adeo breuis sit an non absurdum sit, nec metu mortis tale regnū relinquere? Quanta regnandi libido pectus illius occuparat, qui principatum morte bene emi putaret.

EQ. Multa possem: (Lipsii verba vsurpo) vnum ex historia vetere, & de inclyto illo Annibale inter omnes æui duces. Iure hoc elogium vindicat: nec fuit aut erit, qui militari astu aut peritia virum æquabit, non dicam superabit. Is in Italia dominabatur, post Cannas victor: & quid nisi Roma restabat? Frænū fati cohibuit, ne statim iret: idē cōsilia eius alia, cōsulta licet & firma, euertit.

tit. Fœdus cũ Philippo tunc Macedonũ rege percusserat, & vt is in societatem belli, aut potius victoriæ veniret: legibus iis, vt Italia quidem Annibalis & Carthaginensium esset, Græcia Philippi, Punicis mox armis subiuganda. In hanc rem firmandam Xenophanes legatus à Philippo mittitur, nauigat, legit oram Italiæ, iuxta Tarentum in classem Romanam incidit, capitur, & *Quis, quo, quare*, rogatur. Ille Græculus, callido mendacio se expedit: & ait, à Philippo rege ad Senatum Romanum mitti, vt fœdus in Annibalem & Pœnos iungat. Romani, & eorum dux Valerius Læuinus, lætari, ouare: & cælitus tam opportunum auxilium, à potenti rege, in rebus arctis, missum opinari. Itaque honore hon. stant, prosequuntur, & in tutum Italiæ littus exponunt. Expositus ille recta ad Annibalem tendit, & mandata dat, accipit: denique de tota re peragit & definit. Nihil supererat, nisi vt ipse ad Philippum, Philippus in Italiam veniret, & funus res Romanæ essent. Deo aliter visum, vigilat: & in reditu eadem nauis in Romanam classem incidit, sed cui Q. Fuluius præesset. Ille prioris doli & hominum ignarus, quærit solita: & Xenophanes semel mentiendi felix, eodem applicat, *A Senatu venire, ad regem suum ire.* Hæc vultu ac voce constans: iamq; persuaserat, cum ecce vident inter comites, quosdam Punico habitu. & *Qui isti?* clamat Fuluius: *à Græcia non sunt.* Turbantur, fatentur, in vincula dantur Romam mittuntur: omnia consilia & pacta detecta, Roma seruata. *Ex Iust. Lypsii monitis politicis.*

TH. Meum est, inquit Dominus consilium; quod vt manibus, quasi palpare possint homines, plerunque illorum sapientissime excogitata consilia Deus confundit. Audite exempla. *Cõsiliorum humanorum vanitas.*

Anno Christi 1257. duo simul electi diuersis sententiis Imperatores. Alii ad Richardum Cornubiæ Comitem, Iohannis Anglorum regis filium, alii ad Alphonsum Castellæ regem Hispanum suffragia inflectebant, & visus est vterque non tantum magna contentione & ambitione ambire imperium: sed multo id auro velut licitare tanquam empturus: propterea diuersis sententiis adeptus est nomen Augusti vterq; eodem anno: sed conditione dispari. Richardus enim præsens mox imperium à Moguntino, Coloniense & Palatino, quorum suffragia emerat, accepit. In eo ipse confirmaturus, vi potius, quam beneuolentia, dissoluto fœdere Principum ac perturbata pace publica, hostiliter atq; crudeliter persecutus eos, qui à cæteris in electione dissenserant, direptionibus atq; incendiis magna damna dedit. Sed vt violentum nullum est diuturnum: ita cito exhaustus pecunia quam largitionibus immoderatis in emptionem suffragiorum profuderat, ac tandem à suis etiam spretus ac derelictus, desperatione redit in Angliam ad Henricum fratrem, bella cum subditis gerentem: vbi in obsidione oppidi cuiusdam telo traiectus oppetiit. Alphonsus aberat. Ad huuc, Galliæ regis consensu, Biturigibus euentum consultationum Germanicarum expectantem, legatos misit factio aduersa, qui

in Germaniam illum adducerent. Sed dum cunctatur, philosophica quadam seu moderatione, seu potius timiditate; reformidans discordias, quibus flagrabant Germania & Italia: Imperium foris, regnum domi amittit, deiectus de spe consequendi imperium nouis Principum consiliis paterno regno domi exutus à filio Sancio. Reuersus Hispalim Alphonsus mœrore contabuit.

Aliud. Mortuo Eduardo IV. Anglorum rege, relicto filio Eduardo: Richardus frater Eduardi IV. Glocestriensis Dux, filio Eduardi datus à patre tutor, interfectis optimis quibuscunque, cum Rudolpho Shao theologo egit, vt is in concione populum doceret: Eduardum non fuisse ex Richardo Eboracensi Duce natum: sed ex quodam alio, qui matris Cęciliæ ante nuptias notitiam furtim habuisset. At neminem posse dubitare, quin Richardus foret verus Ducis filius isque primogenitus, qui iure regnum patri debitum possidere deberet. Quare illa falsa persuasione stipatus iam armata multa manu inaugurari se fecit tyrannice regem Londini anno 1484. & postea Eboracum profectus, nepotes in carcere necari curauit. Verum postquam biennio obtinuisset tyrannidem, omnibus inuisus, ab Henrico VII. vita pariter & regno exutus est.

EQ. Vel vnius Artabani exemplum, quod recitat Diodorus *lib. 11. pag. 260.* satis superque demonstrat, plane furiosam esse illam hominum principatus & dignitates iniuste affectantium libidinem & insatiabilem æstum. Xerxen ex Græcia turpi fuga redeuntem domique secure regnantem astu circumuenit Artabanus: ope Mithridatis Eunuchi in cubiculum noctu admissus, Regem decumbentem & dormientem obtruncat. Nec minori astu, facinore perpetrato ad Artaxerxem, Xerxis filium properat: Patrem à Dario fratre ipsius natu maiore, spe regni adipiscendi trucidatum nuncians, rebus suis mature prospiciat, ne à fratre regno & vita priuetur suadet: Regnum vt præoccupet, fratris parricidæ scelus parricidio vlciscatur: Regios stipatores ad ferendum auxilium pollicetur. Iuuenis hoc tam tristi nuncio territus & perturbatus, vti videt clarissimi patris in sanguine prouolutum cadauer, fidem dictis adhibet, furore corripitur, fratrem petit, dormientem inuentum, quasi somnum fingeret, interficit. Rebus Artabano sic succedentibus, de Artaxerxe quoque occidendo cum suis filiis capit consilium: Denique gladium in eum stringit, vulnerat, sed non lethaliter. At ille euadens, Artabanum postea insectatur, capit, torturis vna cum filiis discerpit. Hic fuit exitus tanti principis, qui cum in summo honore quiete potuisset viuere, non contentus loco suo & gloria, aliena affectando seipsum vna cum tota domo & stirpe pessundedit.

PH. Vetustissimum est ETEOCLIS exemplum, qui fratri Polynici, vti inter eos conuenerat, regnum quod primo anno tenuerat, cedere noluit,

noluit, maluitque potius ius omne violare: *Si ius*, inquit, *violandum est, regni causa violare pulchrum est, in cæteris pietatem colas. Euripides in Phœnis.* Sed ex hac fœderis iniusta violatione atrox & crudele bellum oritur, in quo tota Cadmi posteritas deleta est: & in mutuam perniciem dominãdi ardore, singulari certamine congressi mutuis vulneribus ceciderũt: Infœlix mater Iocasta extracto ense ex sinu filii, seipsam confodit, septem Duces Græcorum vna cum toto exercitu perierunt, & Thebæ funditus euersæ sunt. Cumque C. Iulius Cæsar hoc ipsum Eteoclis dictum semper in ore haberet, regnique causa & ipse ius violaret, contra omne ius, cum ad ius dicendum in curiam venisset, trucidatus est.

Astus in affectatione regni.

EQ. Astu vsus fuit callide in affectatione regni, Darius, successu tamen prospero. Cum enim è medio sublatis Magis inter Persarum principes conuenisset, vt mane principes in suburbio equis insidentes comparerent, & cuius equus primus hinnitum ederet, oriente Sole, is Rex esset. Darius autem cum domum rediisset, hæc decreta narrat suorum equorum curatori Oebari, & interrogat, an arte rem iuuare possit? Ille vero inquit, se consilium inuenturum esse. Ac noctu in eo loco, in quo Principes mane conuenturi erant, equum Darii ad equam admittit. Mane igitur desiderio equæ primus edidit hinnitum Darii equus. Sed tamen accessit cœleste signum, fulgur & tonitrua sereno cœlo, quod iudicatur esse faustum. Desilientes igitur ex equis omnes Principes Persico more Darium adorant, Regem salutant, & ei fausta precantur.

TH. Sed non eodem successu Lescus Polonus, in consimili regni affectatione; quod sic recensent historici: Dolo occupauerat regnum Poloniæ quidam Lescus nomine, non minus composito, quam eo, quo Darius regnũ Persarum inuenerat. Verum dolo detecto, hic Lescus pro regno mortẽ sibi comparauit. Eius rei narratio digna est quæ recenseatur. Lesco enim primo eius nominis Rege Polonorum sine liberis mortuo: & multis Procerum Principatum ambientibus; placuit, edicto ad certam diem masculorum equorum cursu, qui primus ad metam peruenisset, Princeps & dominus esset totius Poloniæ: fixaque est meta apud Prandiuicum amnem in aperta planicie ad Septentrionalem plagam Cracouiæ. Inter proceres competitores fuit vnus, Lescus nomine: cum stadium vafro consilio stratis clam ferreis in sabulo exagonis siue stylis cæcis, quibus currentium equorum pedes læderentur, impediuisset, ipse obliquo & minime impedito tramite, primus ad metam peruenit. Munierat ipse etiam equi sui calces soleis ferreis, ne offenderet in stylis: si forte currens impetu in eos incideret, cum omnes omnium aliorum equi, de more illius temporis, soleas ferreas nullas haberent. Atq; rei prorsus ignaris, & miraculo attonitis omnibus, Lesco oblatus est prin-

principatus, Verum techna & dolo patefactis, statim conscerptus & necatus fuit.

Et sane si intueamur historias nostri seculi; reperiemus nemini propemodum, qui conatus fuit aliquid extra vocationem, consilia successisse. Fuerunt infelicia bella multorum principum, & pene omnes oppressi sunt mole illarum rerum, quas extra vocationem susceperunt.

EQ. Plures inferemus huiusce generis historias. Defecerant à Galliæ regis fide Genuenses, non ab aliis quam à seipsis concitati, nec ob defectionis studium, sed ob ciuiles discordias, quæ homines vltra quam primo constituissent, traxerunt. Genua enim vrbs non vt multæ aliæ Italiæ vrbes, vni tantum partium generi fuit obnoxia, sed in plures factiones diuisa. Tum autem inter nobiles ac plebeios altercatio accensa est, quæ cum ex priuata contentione in publicas dissensiones conuersa diu efferbuisset, Plebs depressis ac male mulctatis Nobilibus arreptaque reipubl. administratione, Paulum Nouium serici fili tinctorem, infimæ sortis hominem Ducem creauit, qui quidem breuissimum dignitatis suæ fructum sensit. Etenim Galliæ rex (erat is Ludouicus XII.) audita defectione in Italiam propere cum exercitu venit, fusosque vno aut altero leui prælio Genuenses adeo terruit, vt cum bellum vix octo dies sustinuissent, se ipsius arbitrio suaq; omnia permiserint. Paulus Nouius fuga elapsus, dum Pisis Romam nauigaret, à quodam Corso qui eius miles fuerat, deceptus Gallis venditus fuit, regisque mandato capite mulctatus. Raro alium sortiuntur exitum vulgi motus, in quo nihil stabile, nihil mediocre.

PH. Cum Roma vrbs suis olim concuteretur motibus, assidue dimicantibus inter sese Columniis & Vrsinis, quiddam accidit risu magis quam admiratione dignum. Cum enim abessent Pontifices, & horum artificio Imperatores excluderentur extitit quidam Nicolaus inter Ciues Romanos publicus scriba Senatus, vir magnæ apud populum autoritatis, qui fauore & applausu stultæ plebis dementatus, & in stolidissimas spes instaurandæ veteris monarchiæ elatus, cum se commutato nomine Augustum, & glorioso titulo Seuerum & Clementem, libertatis, pacis, iustitiæq; Tribunum, ac sacræ Romanæ Reipub. vindicem illustrem professus, armis occupasset Capitolium, perfecit vt non tantum ciues Romani, sed fere præcipui tunc Italiæ Principes successibus eius capti, causas cognoscentem & ius dicentem cognoscerent, seq; illi vel subiicerent vel adiungerent. Huius amentis & vesanа audacia eo vsque processit, vt & Pontificem reuocaret in vrbem intra præfinitum tempus, intra quod si non reuertisset, futurum vt Pontificatu priuaretur, & Ludouico atque Carolo cæterisq; Germaniæ Principibus ac præcipue Electoribus diem diceret, quo si non comparerent, se aduersus eos tanquam contumaces acturum esse. Magnas omnino turbas dedit. Sed stolido vesanæ

teme-

temeritatis impetu suscepta consilia in eum desierunt finem, vt altero ille anno à factione Pontificia, vrbe, totaque Italia pulsus sit, quod factum est anno Christi millesimo, trecentesimo, quadragesimo octauo.

EQ. Fuerunt etiam haud rari eo vsque audaciæ progressi, vt ad capessenda regna ac Principatus alienas sæpenumero mentirentur facies. Audite mira.

Sub Tiberio Principe Clemens quidam extitit, reuera seruus Agrippæ posthumi, quem nepotem suum ex Iulia Augustus in Planasiam insulam relegauerat: sed fama & fallacia mox ipse Postumus effectus. Iuit enim magno animo, audita morte Augusti, in insulam, vt dominum furtim educeret, & ad Germanicos aut Valios exercitus ferret. Sed dum tardius nauigat, interfectum Agrippam reperit: & huc iam delabitur, vt sese eum ferat. Venit in Etruriam, ignotis locis se abdit, crines barbamque in squalorem promittit: mox per idoneos homines spargitur, viuere Agrippam. primum occultius, vt vetita solent: tum vago rumore apud imperitos aut turbidos, eoque noua cupientes. Iamque in municipiis & coloniis se ostendebat, sed leuiter & obscuro diei, & copiam sui haud plene facturus. Augentur asseclæ, audet Hostiam venire, atque adeo in vrbem, & occultis cætibus celebrabatur. Tiberius non ignarus periculi, ambigebat, vim militarem an fraudem fraudi opponeret: & hæc magis placuit, electique Sallustii Crispi opera duo milites, qui simulata conscientia adineunt, pecuniam & pericula sua offerentes. Mox noctem speculati & solitudinem circa eum, accepta idonea manu, vinctum & ore clauso, in palatium ad Tiberium attraxere. Ibi interrogatus, *Quomodo Agrippa factus esset?* respondisse libere fertur, *Quomodo tu Cæsar*: dolum & illi maternum obiiciens, quo ab Augusto adoptatus esset. Secreto interfectus est, magna inter tormenta constantia, cum neminem consciorum edidisset: nec Tiberius (prudenter in talibus) vltra quæsiuit.

Alienas facies ementitorum exempla.

PH In Syria similis dolus, etsi vix dolus. Demetrius Soter, ille qui Roma obses profugerat, iis imperabat: cum certa nec iniusta de causa, Antiochensibus offensis, bellum iis infert. Ipsi extremorum metu, ad noua remedia confugiunt, & vilem quendam è plebe, Alexandrum salutant, & Antiochi filium faciunt, ac repetere optimo iure paternum Syriæ regnum. Fraus cui non apparebat? sed nouitatis studium (insitum popularibus, & addo orientalibus) siue odium Demetrii effecit, vt crederent, quæ non crederent, & certatim Alexandrum omnes amplexi. Ipse mirabatur nouam suam sortem, & tot comitum militumque agmina: ac vires prope Orientis trahebat: quibus stipatus pugnat primo parum feliciter; mox aliter, & non vincit solum Demetrium, sed cædit. Eo facto pacificus Syriæ possessor, quod solet, in vitia & luxum se effudit: paruis Demetrii liberis, nec ab iis

metu. Sed cum adoleuisset Demetrius Demetrii filius, cum parua manu Cretensium rem aggressus, adiutores reperit, & pari leuitate ad transeuntes, qui à patre defecerant, in his ipsos Antiochenos. Itaque solutum illum, & inter scorta ac mensas iactatum inuadit, superat, trucidat.

Hic finis scenici & imaginarii regis, sed satis tamen diuturni, quique annos nouem & menses decem in imperio alieno fuit.

Alius ab eo, sed tamen Alexander, & in finitima Iudæa, ipse Iudæus genere, adoptauit se in familiam Herodis regis. Occasio erat, quia facie Alexandrum referebat, ab illo extinctum.

Igitur mortuo Herode hic reuixit, & fucum etiam acutioribus faciebat, natura & ingenio vafer, tum ipsa illa similitudine valde genuina, & vel noscentes fallente.

Venit igitur Cretam, & Iudæos illic induxit, sese agnoscere, pecuniam & alia vsui dare: quod idem in Melo insula, omnibus subtractum verum neci Alexandrum, aliumque suppositum credentibus, vulgantibusque.

Ita Puteolos appulit, pari illic Iudæorum credulitate & gaudio: ac mox Romam, grandi comitatu, regia pompa. nam & Iudæi, qui Romæ frequentes, & in his hospites notique Herodis obuiam ire, iurare eum esse, lecticam eius deferre: prorsus vt à regio cultu & fastigio, præter Cæsaris autoritatem, nihil abesset. Et sane Cæsar Augustus moueri quoque cœperat: sed retentabat, quod vetus ille & veterator Herodes non videbatur in re tanta decipi potuisse, & denique vt experimentum caperet, mittit Celadum vnum è libertis suis, qui olim familiariter cum Alexandro & Aristobulo fratre (nam & is seruatus dicebatur) versatus fuerat: Sed quid? impositum ipsi Celado, & ille quasi notor & assertor ad Cæsarem redit. Tamen dubitabat, ipsum Alexandrum vocat, & sagaciter animaduertit manus callosas & duratas opere; item in sermone & moribus non illum principalem Genium & gratiam, quæ solet sic natos comitari, & vel inuidis inscisq; adesse. Tum etiam interrogat, quid factum Aristobulo esset, & cur non ille aduenisset? Causante ipso, Cypri hæsisse, ob pericula maris & itinerum, & ne, si quid durius euenisset, totum Mariamnes genus vna periret. Hæc illo canente, & doctore eius accinente, qui simulata grauitate aderat; Cæsar seductum adolescentem monet & interminatur vera dicere, & proposita impunitate, *Qui esset?* interrogat. Ille vero metu instantium, & splendore illo præsenti territus, vera fatetur, seriem fabulæ denarrat: & à Cæsare ad remum damnatus, vt fidem

dem in vita data non falleret, doctorem eius exuit vita: Reliquis satis supplicii censuit credidisse, & pecunias effudisse. *Ex I. Lipsii monitis politicis.*

Hæc vetera aut longinqua videbuntur: addam haud longe ab æuo aut finibus nostris. Ecce in candida & simplici illa Germania extitit pseudo-Fridericus, tempore Rudolfi Habspurgensis, Imperatoris, qui verum se Fridericum diceret, mortuum ante plures (nempe 22.) annos. Obsidebat tum Rudolfus Colmariam: sed haud vane territus, quod impostor ille in Germania inferiore magnas sibi vires, nobiles, vrbesque adiungeret; Soluta obsidione, Rheno prono descendit, & quasi veneraturus veterem Augustum accessit. Sed eius compos, interrogatum quis, vnde, quare sic esset, igne in oppida Witzlaria combussit. *Ann. 1284.*

Post in eadem Germania, nobilis impostura circa Marchionem Brandeburgensem Woldemarum euenit. Is ante annos triginta & vnum amissus siue mortuus, peregre erat: cum Rudolfus Saxoniæ dux despicit, qua via Ludouicum Bauarum Ludouici Augusti filium, principatu Brandeburgensi pellere posset. Componit fabulam, ipse inquam, eius poeta & actor. nam molitorem quendam secreto habitum, omnibus notis insignibusque arte & astu instructum, ad verum illum Marchionem, producit tandem in scenam: atque ecce populares, desiderio & more plebis accurrunt, se & sua, plerique arces & oppida etiam tradunt. Resistentes partim Saxonis copiis, partim Caroli Bohemi, qui Imperator à quibusdam designatus, ad deditionem coguntur. Ipsi Bauari, & auxiliatores eorum Palatini, varia fortuna certant, & grandi vno prælio vincuntur: capto Rudolfo Palatino Rhenensi, cum septuaginta nouem è nobilitate equestri. Denique triennio toto elusit, aut potius illusit ille molitor: donec captus tandem ignem ipse, infamiam autores eius subierunt. *Ann. 1348.*

EQ. Sed in Flandria factum omnia dicta adæquat aut superat. Fuit Balduinus Octauus, Flandriæ Hannoniæque Comes, & idem grandi ausu progressuque Orientis siue Bizantii Imperator. Dum illic res gerit, in prælio contra Bulgaros cadit: nec ambigua res erat, donec quidam Bernhardus Rainsus, Campania Gallia oriundus, & specie religionis iuxta Valentianas in sylua quadam Anachoreta, donec is, inquam vulgaret fingeretque post annos viginti, reducem & rediuiuum se Balduinum esse. Impulsus à nobilium quibusdam creditur; & ætas, forma, astus atque etiam audacia aderant ad fallendum. Igitur, rebus in Hannonia motis in Flandriam ipsam cum hac fama venit: & rara quadam oris grauitate, com- *Ann. 1225.*

memoratione hominum rerumque priorum, ſtemmatis totius notitia, etiam ſagaces cautoſque inducit. Deſciſcunt & adhærent paſſim, faſtidio etiam, & contemptu fœminei imperii: quod Ioanna id temporis, Balduini filia, rebus præſidebat. Quin ipſa profligata, & propemodum in Querceto oppido intercepta, præſidium & refugium ad regem Ludouicum Octauum Galliæ habent: qui ſubuenit, ſed cum prius à ſenatu Ioannæ examinatus inquiſitusq; planus ille eſſet. Eius enim præſes ſic dixit rogauitque. *Tu quocunque nomine appellandus, ſi te verum Balduinum iactas, cur Orientis imperium deſeruiſti, ad hoc minus properaſti? Cur apud notos atque optime de te meritos duces, mortem ſimulaſti, vitam diſſimulaſti? Quæ commenti cauſa aut merces? An nunquid ii oderant? etiam nunc reſument, ſi verus es Auguſtus. Quid ad nos potiſſimum veniſti, tot luſtra non viſus, niſi vt inter ignotos ignotus falleres. Viginti anni iam ſunt à morte illius quem te dicis: quibus tenebris, & qua cauſa tam curioſe te occuluiſti, ſic vt nec aura famæ de te ſpirauerit? Paſſi multa mala fuimus, & id ob te mortuum: mederi vna voce, vno ſcripto poteras: VIVO: cum non feceris, ego etiamſi viuis, viuum te habebo? Impietas tua non meretur: abi ingrate à patria, cuius caritatem exuiſti; à principatu, cuius curam abiecisti; à ciuibus, quos obliuione ſepeliſti.* Dixerat Quæſitor: at ille, mirum qua confidentia, & ex ipſa fidem præſtruens: *Domi,* inquit, *inclementiores ciues, quam foris hoſtes, reperi. Tu me, Flandria, mater & altrix reiicis, quem Græcia, Macedonia, Thracia aduenam excepit, coluit: ipſa Barbaria, Maieſtatem verita, ſeruauit. At enim, vbi delitui? audite, & caſuum humanorum miſereſcite, ſi quid humani in pectoribus ipſis habetis. Captus prælio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iiſdem in cuſtodia habeor ſatis lenta & remiſſa: vſque eo vt effugium etiam patuerit, & animo iſto ac Deo ducibus me liberarim. Cum ad meos propero vagus & erro, in alios barbaros incido, ignaros fortunæ meæ, & ab iis in Aſiam trahor ac vendor. Heu miſeriam? pudet, ſed vos narrare cogitis: Syri me habēt, & in ergaſtulum ruſticum damnāt. Ego Balduinus, Comes, Imperator, qua manu ſceptra tenui, raſtra tractaui, plures per annos: donec à Germanis mercatorib. caſu tranſeuntibus quibus me aperui, pretio liberer. Ii me domū remiſerūt, vos expellitis? ingrati, immemores veterum beneficiorū, quibus aui veſtri patres, etiā tu atq; ille à me affecti eſtis. En ſeniū & hanc canitiem, quo reſeruati ſumus? poſt tot fluctus ſcopulum reperi, vbi portum putabam: ipſa mea filia, mea Ioanna, patrem non agnoſcit, ne Comitem, cognoſcat.* Hæc & plura opportune differens, magnitudinem ſuam, vel fallaciam tuebatur: vario animorum motu, & pleriſque ad illum inclinatis. Adeo vt nobilium populariumque bona pars ſtatim adhæreſceret, Comitem & Auguſtum ſalutaret: donec re iam in præcipiti, Ioanna ad Ludouicum regem ſupplices legatos mitteret, vt Balduini, auunculi quoque ſui magnam ſanctamque memoriam, ab impuri nebulonis contage tueretur. Suſcipit negotium rex, diem homini dicit: venit ille magno comitatu, ſolitaque fiducia & faſtu. Veſtis erat purpurea, alba in manu virga, barba promiſſa, à qua vulgo peregrinus Longobardus vocabatur, ſiſtitque ſe regi, Peronæ. Ille orditur ſuccinctus nobilitate

& Sena-

& Senatu: *Flandria in fide & clientela mea est, ne mireris, te huc vocatum: quod iure, nō ambitione aut vsurpatione factum. Siue iniuria afficeris, à me vindicandus es; siue afficis, puniri debeas. Vtinam Deus & cælites facerent, vt tu sis ille Balduinus, mihi auunculus, amicina mea pater, nec vno nomine Galliæ meæ illigatus. Vtinam! inquam. Sed fama tot annorum, tam constanti, quid faciam? illa te iugulat. Credere me abnuis, & vnus tot millibus contradicis: sed fidem ex genere humano tollis, si consensui mortalium non vltra credimus. Tamen effare, faueo si quid habes, quo famam redarguas, quo Balduinum te asseras, quo veterem meum cognatum aut potius parentem, à mortuis restituas. Si ille es, breuiter ad hæc respondere, & statim potes. Quæro, tene pater meus Flandriæ Comitem dixerit, iura dederit? quo teste, loco, tempore, ritu? Baltheone te & insigni militari donarit? Qua mulier ex Francica nobilitate, quo conciliante, quo auspice, loco, catu nupserit? Quid hæres? hæc ignorare de se verus Balduinus non potest.* Ita rex: tamen audacia illa velut deprehensa, hærebat, & spatium cogitandi recolligendiq; sui petebat. Inde pro impostore haberi & contemptim dimitti: dimitti tamen, quia sub fide publica venisset. Nec diu post in Burgundia captus, ab equite gentis Chastenaiæ, Ioannæ offertur: quæ conuictum confessumque laqueo strangulauit. Non tamen sine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improba filia in ligno suspensum, tunc & diu postea differebat.

PH. Consimile in Hispania euenit, cum Alphonsus Aragoniæ rex esset, iuuenis & vndecennis, matre gubernante: superuenit qui Alphonsum veterem affirmaret, ante annos viginti & octo ad Fragam cæsum. Pro colore adferebat tædio se rerum humanarum in Asiam & Terram sanctam iuisse, illic bella pro Deo & religione pugnasse, rediisse ad suos culpis expiatis. Cur spernerent, & puero ac mulierculæ potius adhærescerent? Mouerat multos, res turbaturus hauddubie, nisi Cæsar Augustæ captus laqueo gulam fregisset. *Lipsius in Mon. polit.*

TH. Risu isthæc, præuia tamen iusta desuper indignatione, aliquo modo possunt excipi. At quæ de immani ac plusquam barbara regnandi cupiditate quorundam extant, horrescit animus, quoties illorum recordor. Audite rem gestam. Sceptra Imperii Turcici tenebat Baiazites II. rebus gestis clarus, & numerosa prole succinctus, in qua natu minimus Selymus erat. Sex ille fratres habebat, è quo duo primæui suo fato obierunt, tertius paterna vi: duo supererant, ætate & iure imperii ante ipsum, sed imperium tamen animo agitabat, & vt perueniat, patrem impedimento futurum, è medio vult sublatum. Id varie tentauit, & primo colore aliquo pietatis. Mos Turcarum habet, filios principis in certo loco aut oppido claudere, nec finibus iis egredi, nisi permissu aut iussu patris. Id contra spes aut res nouas institutum videtur, & ne militibus aut populo misceantur, captenturue aut captent. At Selymus fines istos audacter migrat, comites & milites colligit, & cum hac manu ad patrem pergit. Miranti, & per legatos etiam expostulanti, *Ecquid sibi*

Barbara regnandi cupiditas.

Anno 1511.

velles? patria leges, patris iussa sperneret? quo fine aut causa? ille refert: *Non prauitate, sed pietate motum facere. & Mahumetis legem esse, tertio quoq; aut quarto anno visere ad parentes: velle se parere & parentis optimi manũ* (ita Turcarũ ẽt sermo habet) *osculari*: Baiaziti haud placitum, iterumq; legatos & asperiora mãdata mittit: quotũ summa, rediret. Ille pergere nihilo sequius, & iam Hadrianopoli appropinquare: nixus, vt putabatur, occulto fauore & gratia Genitzarorum, quos in partes traxerat. Erat in ea ipsa tum vrbe pater, qui fraudes aut vim metuens, & simul vrbi dominę timens Constantinopoli, vbi thesauri & regia gaza erat, illuc concitus pergit. Idem filius, & patrem in vico assequitur, qui Tzurulus appellatur, quid? ad manus osculum? imo ad manus consertionem & suos instruit, & vim parat facere: patre contra, cum eo ventum videt, dirigente. Pugna committitur anceps & cum discrimine, maiore etiam metu Baiazitis; qui haud de nihilo fidem suorum suspectabat, & Deum ac Mahometem alta voce inuocabat, vindices patriæ & imperatoriæ maiestatis. Audiuit ille (non n. iste) & fugit Selymus, vasa & impedimẽta omnia amittit, animum & impietatem retinet: ac Capham cum venisset, copias iterum colligit, & prima hieme in Thraciam rediit. Fiduciam enim Genitzari dabant, qui in vrbe tumultuati, Achmetis (is frater maior erat) imperium aspernabantur, atque adeo legatos eius qui tunc aduenerant, per ignominiam eiecerunt. Occulte ad Selymum etiam missis, vt approperaret: sese cætera exsecuturos, & manu viam facturos ad solium & ad sceptrum. Imperium illud miles temperat, prauo & noxio more: nec alia causa exitii aliquando erit. Sed Achmetes horum non ignarus, cum ipse quoque iuxta Constantinopolin venisset; & militum quidam operam ac fidem obtulissent, adnuit, sed quod momentum inclinationi aliorum facturum erat, aurum præsens, & amplioris stipendii spem, non adiecit. Imo vocem iecit, liberam, sed intempestiuam, *sese vel inuitis illis imperaturum*. Offendit & alienauit: iamq; Selymus ad vrbem venit, tentoria in pratis fixit: cui obuiam factus Corcutes, frater alter, modesti ingenii & sapientiæ ac religionis studiis deditus, vt captus est gentis. Genitzari audito aduenisse, statim coeunt & tumultuantur; decem ẽ suis ad Bassas (Præfectos sic nominant) ablegant, qui postulent. Dominum & Sultanũ Selymum esse. Baiazitẽ vltra non esse, ætatis & virium imbecillum, nec molem imperii sustinentem. Hoc ipsi edicerent, suaderentq; volens faceret, quod vel nolens adigeretur, & cederet, aut cædi ipsi Bassæ expectarent. Sententiam omnium sic ferre. Hęc dicta, & prompti facere erant: ergo timor Bassas incessit, & Baiaziti rem & discrimen exponunt. Generosus animus, & veteris laudis factorumq; conscius, indignari; nihil indultum velle, arma & manus suorum spectare, & implorare. Sed abnuentium: atque ibi primus Bassarum (Vizirium dicunt) Mustafas: *Ergo supremum vale Imperator*, inquit, *nam nos quidem morituri te alloquimur, nescio an moriturum. Hoc animi tui decretum, vltimum nobis iam dicito.*

cit: & minas militares addit. Mouetur ille, & ipsos miseratur, atque infit: *Ergo certum iis, vitam nobis adimere? & huc ventum?* Mustafas: *Huc ventum, quod ad nos attinet: de te, Deus meliora. Sed vt optima, spiculis tamen hastarum* (verba ponimus) *de solio imperatorio scito te detrahendum.* Senex videt necessitatem vltimam esse, & paulisper vocem compressam soluit: *Agite igitur*, inquit, *ad filium ite, nunciate rerum summam illi permitti.* Filius venit, pater excipit, vultu quidem lætus, & thesauros ei atque alia Imperii ei resignat. Tum & solium conscendere iubet, sed recusantem: & subdola modestia, solam pietatem affectumque visendi patris, præferentem. Iterum iubet, propinquo etiam periculo monitus, & minaces militum vultus vocesque audiens aut videns. Admittit filius, sed in sequentem diem. Conueniunt frequentes, equites peditesque, sedet pro tribunali, & imperii iurisque vsurpandi causa, vnum è Genitzaris suspendi laqueo iubet: cæteris ipse facta, benigni simul & fortis dignique maioribus imperii. Cuius primum facinus, relegatio patris Dimotucum: & priusquam perueniret, interitus veneno procuratus. Aiunt medicum eius corruptum id obtulisse, adamante minutatim confracto & cibis immixto: cui tamen pretium operæ mors fuit, & ceruix incisa, cum voce Selymi præuia: Veteri domino infidum, nouo fidum non futurum: Item in alias cædes, & quinque fratrum filii occisi: tum ipse frater Corcutes neruo arcus strangulatus, cum è fuga reprehendi curasset. Supererat Achmetes, primus fratrum, & societate Ægyptiaci etiam Sultani validus: sed falsis Genitzarorum literis elicuit, tanquam fastidientium nouelli & iniqui imperii: prodiret modo arma cum ipso in hunc sociaturis se daret. Prodiit, pugnauit, victus, suffocatus est: & solus iam certusque Selimus Princeps; qui in Bassas & proceres varie item sæuiit, homo cædis totus & sanguinis: idem tamen Fortunæ (non enim Deo) carus, & qui res maximas in imperio suo gessit. Persas vicit & repulit, Sultanum Ægypti sustulit, & amplum id regnum sibi posterisque firmiter subiecit. Nihil etiam priuatim aduersum: & dormire videbatur cœlestis Iustitia, nisi quod in extremo actu se ostendit. & peste correptum extinxit, ipso loco & vico, vbi prima cum patre signa contulisset.

Tædium iure vereor in paribus ausis & euentis: qui tamen duos Mustafas sileam in Turcarum imperio, vt nec id sit à scenicis his ludis immune? Prior fuit, Muratis secundi principatu, Dasmis: Sed qui se Mustafam diceret, Baiazitis primi filium, quem fama & res erat, infelici illo prælio cum Temirlanco perisse, vbi & pater eius captus. At enim post annos viginti duos iste se sufficit, & fraudes ac turbas Murati miscet. quas turbas? tantas, vt Begi, Bassæ & primorum plerique ad eum deficerent, ipsi Christianorum principes fœdus inirent, & Byzantii Impera or. Deniq; per triennium *Anno 1422.*

Mura-

memoratione hominum rerumque priorum, stemmatis totius notitia, etiam sagaces cautosque inducit. Desciscunt & adhærent passim, fastidio etiam, & contemptu fœminei imperii: quod Ioanna id temporis, Balduini filia, rebus præsidebat. Quin ipsa profligata, & propemodum in Querceto oppido intercepta, præsidium & refugium ad regem Ludouicum Octauum Galliæ habent: qui subuenit, sed cum prius à senatu Ioannæ examinatus inquisitusq; planus ille esset. Eius enim præses sic dixit rogauitque. *Tu quocunque nomine appellandus, si te verum Balduinum iactas, cur Orientis imperium deseruisti, ad hoc minus properasti? Cur apud notos atque optime de te meritos duces, mortem simulasti, vitam dissimulasti? Quæ commenti causa aut merces? An nunquid ii oderant? etiam nunc resument, si verus es Augustus. Quid ad nos potissimum venisti, tot lustra non visus, nisi vt inter ignotos ignotus falleres. Viginti anni iam sunt à morte illius quem te dicis: quibus tenebris, & qua causa tam curiose te occuluisti, sic vt nec aura fama de te spirauerit? Passi multa mala fuimus, & id ob te mortuum: mederi vna voce, vno scripto poteras: VIVO: cum non feceris, ego etiamsi viuis, viuum te habebo? Impietas tua non meretur: abi ingrate à patria, cuius caritatem exuisti; à principatu, cuius curam abiecisti; à ciuibus, quos obliuione sepelisti.* Dixerat Quæsitor: at ille, mirum qua confidentia, & ex ipsa fidem præstruens: *Domi,* inquit, *inclementiores ciues, quam foris hostes, reperi. Tu me, Flandria, mater & altrix reiicis, quem Græcia, Macedonia, Thracia aduenam excepit, coluit: ipsa Barbaria, Maiestatem verita, seruauit. At enim, vbi delitui? audite, & casuum humanorum miserescite, si quid humani in pectoribus ipsis habetis. Captus prælio ad Hadrianopolim à Bulgaris, ab iisdem in custodia habeor satis lenta & remissa: vsque eo vt effugium etiam patuerit, & animo isto ac Deo ducibus me liberarim. Cum ad meos propero vagus & erro, in alios barbaros incido, ignaros fortunæ meæ, & ab iis in Asiam trahor ac vendor. Heu miseriam? pudet, sed vos narrare cogitis: Syri me habẽt, & in ergastulum rusticum damnãt. Ego Balduinus, Comes, Imperator, qua manu sceptra tenui, rastra tractaui, plures per annos: donec à Germanis mercatoribus casu transeuntibus quibus me aperui, pretio liberer. Ii me domũ remiserũt, vos expellitis? ingrati, immemores veterum beneficiorũ, quibus aut vestri patres, etiã tu atq; ille à me affecti estis. En senium & hanc canitiem, quo reseruati sumus? post tot fluctus scopulum reperi, vbi portum putabam: ipsa mea filia, mea Ioanna, patrem non agnoscit, ne Comitem, cognoscat.* Hæc & plura opportune differens, magnitudinem suam, vel fallaciam tuebatur: vario animorum motu, & plerisque ad illum inclinatis. Adeo vt nobilium populariumque bona pars statim adhæresceret, Comitem & Augustum salutaret: donec re iam in præcipiti, Ioanna ad Ludouicum regem supplices legatos mitteret, vt Balduini, auunculi quoque sui magnam sanctamque memoriam, ab impuri nebulonis contage tueretur. Suscipit negotium rex, diem homini dicit: venit ille magno comitatu, solitaque fiducia & fastu. Vestis erat purpurea, alba in manu virga, barba promissa, à qua vulgo peregrinus Longobardus vocabatur, sistitque se regi, Peronæ. Ille orditur succinctus nobilitate

& Sena-

& Senatu: *Flandria in fide & clientela mea est, ne mireris, te huc vocatum: quod iure, nō ambitione aut vsurpatione factum. Siue iniuria afficeris, à me vindicandus es; siue afficis, puniri debeas. Vtinam Deus & cælites facerent, vt tu sis ille Balduinus, mihi auunculus, anne ina mea pater, nec vno nomine Galliæ mea ill gatus. Vtinam! inquam. Sed fama tot annorum, tam constanti, quid faciam? illa te iugulat. Credere me abnuis, & vnus tot millibus contradicis: sed fidem ex genere humano tollis, si consensui mortalium non vltra credimus. Tamen effare, faueo si quid habes, quo famam redarguas, quo Balduinum te asseras, quo veterem meum cognatum aut potius parentem, à mortuis restituas. Si ille es, breuiter ad hæc respondere, & statim potes. Quæro, tene pater meus Flandriæ Comitem dixerit, iura dederit? quo teste, loco, tempore, ritu? Baltheone te & insigni militari donarit? Quæ mulier ex Francica nobilitate, quo conciliante, quo auspice, loco, catu nupserit? Quid hæres? hæc ignorare de se verus Balduinus non potest.* Ita rex: tamen audacia illa velut deprehensa, hærebat, & spatium cogitandi recolligendiq; sui petebat. Inde pro impostore haberi & contemptim dimitti: dimitti tamen, quia sub fide publica venisset. Nec diu post in Burgundia captus, ab equite gentis Chastenaiæ, Ioannæ offertur; quæ conuictum confessumque laqueo strangulauit. Non tamen sine plebeculæ rumoribus, quæ patrem ab improba filia in ligno suspensum, tunc & diu postea differebat.

PH. Consimile in Hispania euenit, cum Alphonsus Aragoniæ rex esset, iuuenis & vndecennis, matre gubernante? superuenit qui Alphonsum veterem affirmaret, ante annos viginti & octo ad Fragam cæsum. Pro colore adferebat tædio se rerum humanarum in Asiam & Terram sanctam iuisse, illic bella pro Deo & religione pugnasse, redisse ad suos culpis expiatis. Cur spernerent, & puero ac mulierculæ potius adhærescerent? Mouerat multos, res turbaturus hauddubie, nisi Cæsar Augustæ captus laqueo gulam fregisset. *Lipsius in Mon. polit.*

TH. Risu isthæc, præuia tamen iusta desuper indignatione, aliquo modo possunt excipi. At quæ de immani ac plusquam barbara regnandi cupiditate quorundam extant, horrescit animus, quoties illorum recordor. Audite rem gestam. Sceptra Imperii Turcici tenebat Baiazites II. rebus gestis clarus, & numerosa prole succinctus, in qua natu minimus Selymus erat. Sex ille fratres habebat, è quo duo primæui suo fato obierunt, tertius paterna vi: duo supererant, ætate & iure imperii ante ipsum, sed imperium tamen animo agitabat, & vt perueniat, patrem impedimento futurum, è medio vult sublatum. Id varie tentauit, & primo colore aliquo pietatis. Mos Turcarum habet, filios principis in certo loco aut oppido claudere, nec finibus iis egredi, nisi permissu aut iussu patris. Id contra spes aut res nouas institutum videtur, & ne militibus aut populo misceantur, captenturue aut captent. At Selymus fines istos audacter migrat, comites & milites colligit, & cum hac manu ad patrem pergit. Miranti, & per legatos etiam expostulanti, *Ecquid sibi*

Barbara regnandi cupiditas.

Anno 1511.

vellet? patriæ leges, patris iussa sperneret? quo fine aut causa? ille refert: *Non prauitate, sed pietate motum facere. & Mahumetis legem esse, tertio quoq; aut quarto anno visere ad parentes: velle se parere & parentis optimi manũ* (ita Turcarũ ẽt sermo habet) *osculari*: Baiaziti haud placitum, iterumq; legatos & asperiora mãdata mittit: quorũ summa, rediret. Ille pergere nihilo sequius, & iam Hadrianopoli appropinquare: nixus, vt putabatur, occulto fauore & gratia Genitzarorum, quos in partes traxerat. Erat in ea ipsa tum vrb. pater, qui fraudes aut vim metuens, & simul vrbi dominę timens Constantinopoli, vbi thesauri & regia gaza erat, illuc concitus pergit. Idem filius, & patrem in vico assequitur, qui Tzurulus appellatur; quid? ad manus osculum? imo ad manus consertionem & suos instruit, & vim parat facere: patre contra, cum eo ventum videt, dirigente. Pugna committitur anceps & cum discrimine, maiore etiam metu Baiazitis; qui haud de nihilo fidem suorum suspectabat, & Deum ac Mahometem alta voce inuocabat, vindices patriæ & imperatoriæ maiestatis. Audiuit ille (non n. iste) & fugit Selymus, vasa & impedimẽta omnia amittit, animum & impietatem retinet: ac Capham cum venisset, copias iterum colligit, & prima hieme in Thraciam rediit. Fiduciam enim Genitzari dabant, qui in vrbe tumultuati, Achmetis (is frater maior erat) imperium aspernabantur, atque adeo legatos eius qui tunc aduenerant, per ignominiam eiecerunt. Occulte ad Selymum etiam missis, vt approperaret: sese cætera exsecuturos, & manu viam facturos ad solium & ad sceptrum. Imperium illud miles temperat, prauo & noxio more: nec alia causa exitii aliquando erit Sed Achmetes horum non ignarus, cum ipse quoque iuxta Constantinopolin venisset; & militum quidam operam ac fidem obtulissent, adnuit, sed quod momentum inclinationi aliorum facturum erat, aurum præsens, & amplioris stipendii spem, non adiecit. Imo vocem iecit, liberam, sed intempestiuam, *sese vel inuitis illis imperaturum*. Offendit & alienauit: iamq; Selymus ad vrbem venit, tentoria in pratis fixit: cui obuiam factus Corcutes, frater alter, modesti ingenii & sapientiæ ac religionis studiis deditus, vt captus est gentis. Genitzari audito aduenisse, statim coeunt & tumultuantur; decem ẽ suis ad Bassas (Præfectos sic nominant) ablegant, qui postulent, Dominum & Sultanũ Selymum esse. Baiazitẽ vltra non esse, ætatis & virium imbecillum, nec molem imperii sustinentem. Hoc ipsi edicerent, suaderentq; volens faceret, quod vel nolens adigeretur, & cederet, aut cædi ipsi Bassæ expectarent. Sententiam omnium sic ferre. Hęc dicta, & prompti facere erant: ergo timor Bassas incessit, & Baiaziti rem & discrimen exponunt. Generosus animus, & veteris laudis factorumq; conscius, indignari; nihil indultum velle, arma & manus suorum spectare, & implorare. Sed abnuentium: atque ibi primus Bassarum (Vizirium dicunt) Mustafas: *Ergo supremum vale Imperator*, inquit, *nam nos quidem morituri te alloquimur, nescio an moriturum. Hoc animi sui decretum, vltimum nobis iam dicit:*

erit: & minas militares addit. Mouetur ille, & ipsos miseratur, atque infit: *Ergo certum iis, vitam nobis adimere? & huc ventum?* Mustafas: *Huc ventum, quod ad nos attinet: de te, Deus meliora. Sed vt optima, spiculis tamen hastarum* (verba ponimus) *de solio imperatorio scito te detrahendum.* Senex videt necessitatem vltimam esse, & paulisper vocem compressam soluit: *Agite igitur*, inquit, *ad filium ite, nunciate rerum summam illi permitti.* Filius venit, pater excipit, vultu quidem lætus, & thesauros ei atque alia Imperii ei resignat. Tum & solium conscendere iubet, sed recusantem: & subdola modestia, solam pietatem affectumque visendi patris, præferentem. Iterum iubet, propinquo etiam periculo monitus, & minaces militum vultus vocesque audiens aut videns. Admittit filius, sed in sequentem diem. Conueniunt frequentes, equites peditesque, sedet pro tribunali, & imperii iurisque vsurpandi caussa, vnum è Genitzaris suspendi laqueo iubet: cæteris spe facta, benigni simul & fortis dignique maioribus imperii. Cuius primum facinus, relegatio patris Dimotucum: & priusquam perueniret, interitus veneno procuratus. Aiunt medicum eius corruptum id obtulisse, adamante minutatim confracto & cibis immixto: cui tamen pretium operæ mors fuit, & ceruix incisa, cum voce Selymi praua: Veteri domino infidum, nouo fidum non futurum: Itum in alias cædes, & quinque fratrum filii occisi: tum ipse frater Corcutes neruo arcus strangulatus, cum è fuga reprehendi curasset. Supererat Achmetes, primus fratrum, & societate Ægyptiaci etiam Sultani validus: sed falsis Genitzarorum literis elicuit, tanquam fastidientium nouelli & iniqui imperii: prodiret modo arma cum ipso in hunc sociaturis se daret. Prodiit, pugnauit, victus, suffocatus est: & solus iam certusque Selimus Princeps; qui in Bassas & proceres varie item sæuiit, homo cædis totus & sanguinis: idem tamen Fortunæ (non enim Deo) carus, & qui res maximas in imperio suo gessit. Persas vicit & repulit, Sultanum Ægypti sustulit, & amplum id regnum sibi posterisque similiter subiecit. Nihil etiam priuatim aduersum: & dormire videbatur cœlestis Iustitia, nisi quod in extremo actu se ostendit & peste correptum extinxit, ipso loco & vico, vbi prima cum patre signa contulisset.

Tædium iure vereor in paribus ausis & euentis: qui tamen duos Mustafas sileam in Turcarum imperio, vt nec id sit à scenicis his ludis immune? Prior fuit, Muratis secundi principatu, Dasmis: Sed qui se Mustafam diceret, Baiazitis primi filium, quem fama & res erat, infelici illo prælio cum Temirlanco periisse, vbi & pater eius captus. Atenim post annos viginti duos iste se sufficit, & fraudes ac turbas Murati miscet. quas turbas? tantas, vt Begi, Bassæ & primorum plerique ad eum deficerent, ipsi Christianorum principes fœdus inirent, & Byzantii Imperator. Deniq; per triennium *Anno 1422.*

Mura-

Muratem sic exerceet, vt incertum imperii & vitæ faceret: donec ad Lopadium lacum collatis castris (& Murates ipse aderat) arte quam viribus magis vincitur, & transfugiis paulatim nudatur. Iuuit ad hanc rem commentum callidum legatorum, quos Byzantium vno tempore, ad fœdus & societatem ipse & Murates miserant. Sed Muratis irriti dimissi, illius impetrauerant: cum tamen Murataei, cursim præuenientes audaci astu spargunt, sese voti compotes, & Græcos à se stare, quod creditum sparsumque in vtrisque castris, multos Mustafæ detractos Murati iunxit. Denique fugit ille, sed retrahitur, & Hadrianopoli ad pinnam muri laqueo suspenditur.

Alter Mustafa miri & noui commenti est, sed ab alieno impulsu, & in alterius, vt putabatur, fructum. Ne graue sit, me deducere paullum, quæ faciunt ad grauem illum nobis hostem. Soleimanno, maximo inter Turcarum principes, duæ vxores fuerunt, & ex iis liberi: altera Bosphorana, è qua Mustafas; altera Roxolana; è qua isti quatuor, Mahometes, Selimus, Baiazites, Giangir. Sed omnes hos ætate & gratia apud militem Mustafas anteibat; nec dubium illius imperium, si id expectare quam habere maluisset. Patet sane eum suspectum nimiæ spei interfecit. Iam è quatuor illis Mahometes obierat, & mox item Giangir: duo competitores supererant, è quibus Selymum fata & pater promouebant, Baiazitem mater, mirifice in eum prona. Frustra maritum aliquoties tentauerat, vult fraudem & fortunam. Itaque re cum filio collata, visum illis initium res nouandi per falsum Mustafam facere, ad cuius nomen & gratiam miles facile concurreret; ipsi deinde eo in rem suam vterentur. Reperiunt iuuenem, audacia & facie idoneum, instruunt & dimittunt. Personam sumit & agit, venit in Thraciæ loca, quæ Valachiam & Moldauiam spectant, vbi equitum copia, & qui plerique viuo nuper Mustafæ addicti. Ibi clanculum & quasi timide se ostendit; comites qui aderant, mussitant Mustafam esse; fuga elapsum à patre, & alium ab amicis substitutum, qui interfectus pro ipso esset, incuria, nec serio agnitum aut inspectum. Id argumentum fabulæ erat, ad quam spectan iam agendamque statim concursus. Veniebant & ii qui oculis su s Mustafam interfectum viderant: sed vel falli volebant, vt locus esset si non recipiendi Mustafæ, saltem vindicandi. Iam pœne exercitus erant: Sed sangiacci trepidi rem ad Soleimannum referunt, qui fraudis certus eos acerbe increpat, *Quid ita initiis non obstitissent? vel nunc facerent, aut iram ac pœnam à se expectarent. Mittere se Pertauum Bassam cum validis fidisque copiis; sed melius, gratiusque fore, si ÿ quod neglectum est, sarciant, & ignem nondum validum extinguant.* Sangiacci iis monitis minisque excitati aduigilant, concurrunt; aduentantes reprimunt, manus iam factas dissipant & spargunt, nihil reliqui sibi ad diligentiam faciunt, vt fidem & operam suam Domino probent. Tamen Bassa superuenit; nec res adhuc Mustafæ satis validæ aut constitutæ erant, itaq; à præ-

senti metu fluctuare multi incipiunt, dilabi alii & transfugere, donec desertus miser cum præcipuis ministrorum in manus venit. Viuus trahitur Byzantium, examinatur, nihil celat: cura iam non de illo puniendo (quod statim factum) sed de filio patrem subit. Hocne illum ausum in tam recenti Mustafæ infelici exemplo? dolor non ab impietate solum erat, sed ab impudentia & temeritate ira. Et iam magnum aliquid parabat: sed mater filium non deserit, callida mulier, & mariti sui diu potens. Venit, & rem fatetur, excusat & deprecatur. *Quid enim magni miri*, inquit, *si in fratrem (non enim in te, ne erres) aliquid molitus est, non tam ambitu quam metu impulsus? Leges siue fata nostra gentis sunt, vnũ nõ imperare solũ, sed viuere: & exordium noui principatus est, fraternum parricidium. Quid, inquam, mirum igitur, si fugere triste hoc voluit? si vitam prorogare? Natura impellimur: & te consule. Hic scopus huius conatus fuit, miseratione, si consideras, quam ira dignioris. Tu illam da. cui? filio. cui? & mihi vxori nam certum non superuiuere illi, & in vno duos occides. Quamdiu autem dature? me miseram, instant fata, & in tua senis anima adolescentis illius spirat, & mea.* Mouit intimum senile pectus & concussit mulier: dat veniam, sed ea lege, vt filius se videat, & ipse eam petat. Ergo aduocatur, & à matre quoque excitatur, iam secura, vt tuto veniat. Venit, sed cum in aditu paterni hospitis est (extra vrbem conueniebant, nec temere filii patre viuo in ipsam intrant) ecce milites, qui descendentem ex equo tradere pugionem & gladium iubent. Id in aliis de more fiebat; Sed conscientia stimulante omnia timet, & multus in oculis Mustafæ vterque erat. Mater tamẽ dat animos, quæ de industria ad ianuam expectat, & per fenestram linteo obductam hortatur, intrepide pergat, viam omnem à se præmunitam. Accedit ad manus patris, petit veniam & accipit, monitus magis quam castigatus. Atque vt plenam fidem reconciliationis faceret, potum de more gentis iussit offerri: sed nec hunc sine metu bibit, venenum suspectans, donec pater ex eodem poculo haustu ducto, omni eum cura liberauit.

EQ. Prodeat in theatrum hoc inter alios etiam Persarum rex Artaxerxes; quantum ille calamitatum telam non texuit, quod curas & molestias toto sui imperii tempore non deuorauit? Summo is quidem labore pacatis foris rebus omnib. & constituta tandem vndiq; pace, sperat deinceps tranquillo senio & vita quietiore se finiturũ. At votis euentus minime respondit. Mox enim tota domus regia, dissidiis filiorum inter se de regni successione, viuo adhuc patre, dimicatium ardet, & turbatur creberrimis factionib. Quas compositurus infelix pater Dario primogenito ipse Diadema imponit; ratus se hoc modo causam dissensionis omnẽ amputaturum: sed tãto maiori incendio exinde regia tota flagrauit. Nã Darius ob denegatã Aspasiam vitæ patris insidias struens, vitam vna cũ regno amisit. Detectis n. insidiis, iustas parricidii pœnas dedit. Vitæ hoc finis fuit Dario, at nondũ finis malorũ Artaxerxi. Tres filii reliq. nouas de regno mouẽt turbas, inde nouæ cõspirationes, nouæq; factiones emergũt.

Ochus natu minimus, ingenio maximus, acri tamen & violento, de tollendis fratribus Ariaspe & Arsame capit consilium. Ariaspes ob mansuetudinem, candorem & humanitatem populo charus, rex à Persis flagitabatur. Arsamen iuuenem fortissimum pater obseruabat, vtrumque igitur vt submoueret Ochus: dolo & versutia mitissimum Ariaspen circumuenire; vi fortissimum Arsamen tollere statuit. Regis itaq; cubicularios summisit, qui cæcis suspicionib. de patris maleuolentia Ariaspis animum tentarent, & assidue, tum minas aliquas patris afferrent, easque nouis criminationibus augerent, tum ficta consilia eiusdem de ipso necando inculcarent; donec iuuenis mitiore ingenio præditus, de patris amore, suaque vita desperans, sumpto veneno seipsum conficeret. Quo subato, Ochus subornato Harpate, Arsamen interfici curauit. Pater infelix nullum malorum finem prospiciens, & ob exactam ætatem in mortem præceps, luctu & mœtore extinctus est anno ætatis 94.]

PH. Recitat Cælius hanc historiam ex Iustini *li.* 10. aliquando prolixius. Artaxerxen, inquit, Darium, vt tutius viueret, contra morem Persicum, regem declarasse: At illum, vt nouum paternæ indulgentiæ exemplum, nouo prorsus & inaudito scelere recõpensaret; interficiendi patris consilium cepisse: Et quod omnem excedit admiratione, cõmunicato tã nefario proposito, cũ quinquaginta fratribus, inter tot repertum non esse vnicũ, cui illud improbaretur, vel qui aduersum ire conatus fuisset. Vxorẽ seu concubinã patris Aspasiam, mulierum formosissimã denegatam Dario, præbuisse causam parricidii, vel ipso parricidio sceleſtiorẽ. *Sed euentu frustratũ, tanti sceleris posiẽte pœnã diuino numine, paterna reuerentia vindice, periisse vna cũ vxore & liberis totoq; fratrum coborte, inauspicati parricidii complice, horumq; liberis, vxoribus & tota familia; ne tam abominandi sceleris vllum prorsus vestigium, & ex tam nefaria sobole, vlla progenies superesset.*

TH. Non dissimile crudelitatis & parricidii detestandi exemplũ edidit ob regni cupiditatem Antipater, Cassandri Macedonum regis filius, dũ in propriam matrẽ crudelissime, ob merã suspicionẽ, quod in regni constitutione, mortuo Cassandro, ad minorẽ natu filiũ Alexandrũ visa esset inclinare, sæuiit. Nec liberare illã à mortis periculo potuere tot sanctissimæ obtestationes, tot euidentes criminis purgationes, tot anxii clamores, miserabiles eiulationes, & largiter effusæ per genas lachrymæ; nec moueri ũt tyrãnũ miserrimæ matris ostensa vbera, nec detectus vterus, qui eum gestauerat & in lucẽ produxerat: Ad miserationem omnib. cõmotis, solus filius quauis belua & ipso Phalaride crudelior, immotus constitit in proposito, nec suspirio quidẽ edito vllo, a matre supplicium poposcit: neque quieuit, donec innocentissima, & miserabilis mater crudelissime præ ipsius oculis interficeretur. Adeo hic tantus dominandi furor ipsi naturę vim inferre non dubitat, dummodo suis cupiditatibus satisfaciat.

EQ. Ridi-

EQ. Ridiculũ eſt, quod de Semiramide Sabellicus narrat, quæ Nini regis Aſſyriorum concubina primo, mox coniunx, & tandem ſublato rege regina facta eſt. Ardebat ille, captus Semiramidis forma & lepore. Amor tã vehemẽs fuit, vt regẽ pene ſeruũ mulieris effecerit: Nihil tam magnũ erat, quod illa aut à rege petere, aut petẽti rex denegare auderet. Itaq; cũ aliquando teneri ſe magno cuiuſdã rei deſiderio diceret: & rege quicquid tandẽ id eſſet, proferre iubente: vnius diei imperiũ ſibi concedi poſtulat. Riſit Rex, conceſſit, deniq; edixit, vti omnes ſtatuto die Semiramidi regio ſolio inſidenti dicto obedientes ſint: ſecus qui fecerint, morte plectantur. Vbi dies ille illuxit, mulier regio cultu & diademate ornata in regio ſolio aſſedit; cingitur magno ſtipatorum agmine: fit concurſus ab omnib. exitum breuiſſimi huius Imperii cupidiſſimis animis exſpectantibus. Illa primo res leuiculas tẽtandorum animorũ gratia imperat: mox maiora. Tandẽ, vt ſerio omnes ſibi in omnib. obtemperare videt, ſatellitib. iubet, vt regẽ ipſum adducant: vt vinciant, vincitur: interficiant, interficitur. *Ita Imperium ex diurno diuturnum efficitur.*

TH. Athalia Iudææ Regina, cõiux Iorami, poſt mortẽ mariti cũ audiſſet Ochozian. filium à Iehu interfectum eſſe, omnẽ regium ſanguinem delere cõſtituit vtq; ſola regnaret, nepotes omnes crudelis fœmina, ex mera ambitione furentes, ſuſtulit, vixq; Ioas ex filio nepos Ioſabethæ amitæ ſeruatus pietate, ſuperſtes manſit; & parũ abfuit, vt tota Dauidis ſtirps interiiſſet. Huic plane ſimile eſt, quod de Laodice Cappadociæ Regina refertur, quæ amiſſo viro cum vereretur, ne à filiis adultis regno aliquando pelleretur; quinq; veneno ſuſtulit, ſexto incolumi contra eius voluntatẽ ſeruato: qui poſtea, cum illa populari tumultu, ad eundem plane modum quo Athalia, interiiſſet, in regnum ſucceſſit. Et *Cleopatra* filiis ob regni ſucceſſionem infenſa, alterum occidit, alteri venenum miſcuit; quod tamen ipſa ebibere à filio coacta eſt. *Sabel. libr. 3. capit.* 10.

EQ. Quid ſi in Græciam nouellã (inquit Lipſius *in Mon. Pol.*) & Byzantiũ abeo? ſi ad illos à Conſtantino Imperatores? Fideliter dico, plura ſcelerum ab hac Ambitione exempla, quam in alia Europa tota reperiam. Solennia illa erant, necare, exſecare, excæcare: hæc patres in filios, item matres ipſæ; hæc filii in vtroſque patrabant: Quid patruos, fratres, agnatos dicam? in leui ſuſpicione & minimo metu hæc facta, quaſi per ludum aliquem & iocum. Et vide ingenium ſæuitiæ! certum eſt, non alia re hominem magis abiici, & animo conatuque cadere, quam exſectione illa aut excæcatione. Qui aut virum viro, aut lumen demit: nihil ab eo viri vltra formidet, & in pœnam aut ludibrium modo viuit *Hæc Lipſius.* Cum itaque tanta ſit Ambitionis ac ſuperbiæ dominandi fœditas; proinde remedium quomodo eidem adhiberi poſſit, diſpiciendum.

vitæ genere velle quasi desciscere, in quo & pro dignitate sua, & pro rei familiaris necessitudine ac suppeditatione versatus esset honeste ac copiose, amentis id videri magis quam sani esse hominis, qua in commutatione, vt aliud nihil omnino molesti illud certe inesset, quod incertis certa commutāda essent. Hisque summa cum grauitate explicatis, & illud statim subdidit, ad sententiam confirmandam, Romulum, qui imperium constituisset Romanum, Deo fuisse genitum, Deumq; ipsum infantulo illi astitisse, deorum quoque ope ac beneficiis altum, educatum, ad imperiumq; diuinam ob indolem maturrime euectum. Se vero mortalibus ortum parentibus, eductumq; atq; institutum ab illis viris, quos pater ipse, quiq; adessent cognati probe quidem nossent. Ex omni itaq; parte vitæ mutationem tantam iure sibi verendam esse. Declarauit igitur Numa susceptū ante imperium, & qualis ipse in illo futurus esset administrando, & in mutando vitæ genere, quam multa quoq; sint circunspicienda. Idem hic Numa, Proculo ac Volesо omni studio conantibus eum ad habenas regni capeßēdas perducere, huiusmodi ad eos oratione vsus dicitur: Mihi, inquit, oratores Romani, quem ad regnum inuitatis, longe à Romuli ingenio moribusq; aliud est ingenium, aliaq; institutio: quippe qui cognitionis studiis ipse deditus, pacem colam, pacisq; ipsius ocia, cum ille prælіis assuetus ciues suos & bellicosiores reddiderit, & grauissimos etiam moriens populo Romano hostes reliquerit: vtranq; vt ob causam bellicoso vobis rege opus sit, & ad hostileis comprimendos impetus, & quam populus Romanus ob præliorum felicitatem concepit imperandi spem, bellicoso duce vsus, vt ne frustretur ab ea. Itaq; talibus viris parum ipse imperio idoneus iudicabor, ac tanquam ridiculus iure ab illis habebor, vbi apud eos deorum cultus, humanitatisque ac quietis studia docere annitar, qui imperare finitimis armis contendant: nec illis sacrificulo opus est rege, quibus arma tantum placeant, ac bello partæ diuitiæ. Videtis quanta cum moderatione ac sapientia indicaret illis, quales sub se ciues Romanos futuros esse oporteret.

TH. Ex Friderici Marchionis Brandeburgensis vita cum alia referuntur memoratu digna, tum hoc inprimis, quod cum testamentum conditurus, aduocasset ad se filios quatuor, Iohannem, Fridericum, Albertum & Fridericum alterum, natu maximum Iohannem in hunc ferme modum allocutus sit: Primus ego dignitatem Septemuiralem acquisiui, cum essem Sigismundo Imperatori admodum familiaris. Nunc cum ex hac vita euocer: curæ mihi est, ne decus tantum in familia nostra villescat, Tibi, vt video, quietis & tranquillitatis vnicum studium est, In munere Septemuirali præter sollicitudines & labores assiduos nihil inuenies. Eam ob caussam, si tua voluntate possum, munus hoc testamento concedam Friderico, qui tibi ætate proximus est, & te excitarior, atq; ad labores firmior esse videtur. Cui Iohannes: Existimaui ante hoc tempus chariorem tibi multo Fridericum quam me esse, cum illi sæpius

blandirere, neq; id non ægre ferre potui. Nunc sententiā muto, & te pater amo coloquio, qui mihi ocium, illi negociū suprema voluntate dimittis. Exemplum illustre in patre Friderico non affectus paterni, sed sapientiæ consulentis rebus publicis ac priuatis: In filio Iohanne modestiæ & obedientiæ cedentis iudicio patris de successione citra morositatem aut recusationem.

EQ. Regiminis molestias inter cæteros cum sępenumero degustasset & tantum non deuorasset Pompeius Magnus, atq; aliquando inter alia ex literis Senatus intellexisset, omnia quæ Sylla armis detinuerat, in ipsius potestatem esse tradita populi suffragiis centuriatis, percusso femore dixit, Proh! nūquam finienda pericula! quanto satius erat obscurum nasci, si à militaribus curis nunquam dabitur recedere: nec hac exuto inuidia, licet cum vxore ruri vitam degere? Magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus, sed deponere tutum non est. *Plutarch.* Hinc Rudolphus Cæsar interrogatus, Qui fieret, vt homines eas quas non didicerunt artes omnes recusarent, imperii autem gubernationem oblatam nemo? Non mirum, inquit, stultos enim putant, qui regnare nesciunt: stultum autem nemo sese indicat. *Æneas de dictis Frid. Imp.*

PH. Sed non debet tamen Imperator aut Princeps, qui difficilem regnandi iniuit prouinciam, nisi præuiis prægnantissimis rationib. à Principatu deponi; Referam iniqui huiuscemodi attentamenti historiam, ex ipsis rerum scriptoribus, verbotenus, memoria omnino dignam. Cum in Synodo Moguntina anno 1106. Paschalis II. per suos legatos Henricum IV. Imp. qui ad Concilium prouocaret, vti simoniacū anathematis fulmine percussum, per Principes Electores dignitate priuari curasset, mandatum est Moguntino, Coloniensi & Wormatiensi Episcopis, vt eum adeuntes, Imperialia insignia auferrent iuuito. Cumq; in senioris venissent conspectum Ingelhemiam quo loco palatium instruxit Magnus Carolus, mandata Concilii exponebant, poscentes, vt insignia volens traderet. Illo autem causam requirente tam seueræ in se inauditum prolatæ à concilio sententiæ, obiecisse ei feruntur in conferendis Episcopatibus & Abbatiis simoniam. Tunc Imperator: Dic Moguntine, dic Coloniensis, per nomen æterni Dei, quid à vobis acceperim? Et dixerunt, Nihil. Et Imperator: Gloria Dei in excelsis, quia vel in hac parte fideles inuenti sumus. Certe maxime vestræ dignitates potuissent magnum Cameræ nostræ, si ita quæreretur, quæstum præstitisse. Dominus Wormatiensis nouit, quæstu an gratia interueniente illum receperimus, Nolite patres temerare fidem vestram. Ecce iam senio laboramus, sustinete nobiscum, & nolite in confusionem gloriam nostram terminare. Generalem curiam petimus: si cedendum est, propriis manibus filio coronam trademus. Illis renitentibus, & vim ostendentibus, parumper secedēs, Imperialibus se vestiuit insignibus, & reuersus: Hæc, inquit, Imperialis honoris sunt insignia: hæc mihi præstitit æterni regis pietas & Principum electio. Potens est Deus nos in his conseruare, & manus vestras

Exautoratio iniqua.

vestras ab opere cœpto cohibere, quāuis simus armis & militia vestra destituti. Securi enim de tali violentia, nobis non prospeximus: sed timor Dei vos coerceat, quos pietas nōn reuocat. Quod si neutrum veremini, ecce pi æsentes sumus, non possumus viribus refragari.

Hæsitant pontifices: sed inuicem cohortantes, accepto conamine, Imperatorem inuadunt, coronam capiti detrahunt, & sede detractum omnibus Imperialibus exuunt.

Imperator ab alto ductis suspiriis, sic eos alloquitur: Deus vltionum Dominus videat, & vindicet iniquitatem, quam facitis. Ignominiam sustineo antea inauditam. Sed delicta iuuentutis apud iustum iudicem Deum luo: vos tamen immunes à crimine non eritis: quia iusiurandum præuaricati, iusti vindicis vltionem non effugietis. Non prosperetur honor vester. Sit portio vestra cum eo, qui tradidit Christum.

Illi obturantes aures, abierunt filio eius Henrico V. Imperialia deferētes.

Petebat Imperator pœnitentiam à legatis Romanis, cæterisque Episcopis. Sed illi respondent: absq; generalis synodi decreto se nullam ipsi absolutionē impertiri posse, eamque rem ad Papam pertinere: Romam ipsi proficiscendum esse, vt præsenti Papæ sua humiliatione satisfaciat.

Pollicebatur etiam profanis principibus, sese omnibus, quoscunque læsisset, satisfacturum, rogare veniam, & polliceri emendationem omnium, quæcunque postulassent. Sed nemo vllis precibus locum reliquit: [redacted]

Inuestituræ ius, quod à maioribus acceperat: veluti simoniaca hæresis publice damnatur, & vocatur Henriciana hæresis. Inuestiti ab Henrico deiiciuntur, ac vsq; ad concilii generalis satisfactionem, & ordinationem suspēdūtur.

Legati Romam destinantur, qui oracula [redacted]ibi acciperent, quomodo ad nutum Papæ omnia suscipi gerique conueniret. Cadauera schismaticorum è sepulchris eruuntur, ac proiiciuntur. Vuigberti corpus, quod sex iam annos (Vrspergensis habet quinq;) in Rauennensi Ecclesia humatum in terra iacuerat, sine omni patientia effoditur, & contumeliose tractatur. *Erfordiensis c.86. Chron. Hirsaug. Otho Frising. l.7.c.10. Auentinus lib 5. Annal.*

EQ. Imperator inuictissimus, præter Deum, Electores & Ensem agnoscit neminem.

Deum: quia à cœlesti maiestate imperium Cæsari tradidit. Dei enim gratia Reges regnant, *Prou 8.v.15.* & omnis potestas à Deo, *Rom.13.v.1. Sap.6.v.4.* *Imper. Deū, Electores, & ensem agnoscit.*

Electores: quia Imperatoris creatores, vti vocat Bodinus *1. de Repub. c.10. numero 116.*

Ensem: quia vt Mar. Meier Cancell. Mogunt. *ad Æneam Syluium Card.* scribit, Germanica natio quondam inclyta sua virtute suoque proprio sanguine Romanum imperium coemit.

Hos

Hos auctores, Deum, Electores, & Ensem, quamdiu Cæsares secuti, gloriam & victoriam sunt assecuti. Atq; vt hanc tueantur immunitatem ac prærogatiuam, Germaniæ proceres, ipsorum maxime interest. Quam quidem ad rem Aureæ Bullæ per Carolum IV. promulgatio maximum attulit momentum, eaq; facta fuit anno Christi 1356. Reuersus enim altero ex Italia anno in Germaniam, Carolus conuentum egit Principum celeberrimum & frequentissimum, in vrbe Metensi, in quo re sapienter & multum deliberata ac disputata, cum præcipuis ordinibus Imperii, de contractis in vnum atque digestis in ordinem institutis ac moribus antiquis & recentibus, ad Imperii decus ac maiestatem, & singulorum pertinentibus, condidit Legem Carolinam, Aureę Bullæ nomine notam ac celebrem, comprehendētē leges ritusq; seruandos in Electione Imperatoris, ac consulentem atque cauentem potestati, autoritati ac dignitati ordinum omnium, suo singulis loco pro ratione circumstātiarum. Quod operum eius præcipuū est ac laudatissimum. Fuit enim hactenus pacis publicæ neruus firmissimus. Hac lege nixa erexit sese vicissim vtcunque atque communiuit maiestas Imperii: hæc amputauit coniectionum ac dissensionum occasiones in electione, quarum fructum cum ipse expertus esset, consentaneum est voluisse eum hac constitutione illas amoliri & auertere: hæc singulis ceu metas suas circumdedit, & inter sese Imperatorem & Principes ad eum modū deuinxit, vt in Reipub. patriæ, Imperatoris, vicinorum detrimentum ac perniciem nemini mouere moliriue quicquam impune liceret. Promulgatam hanc & sancitam esse deinceps ferunt Noribergæ.

Aurea Bulla promulgatio.

PH: Imperatorum itaque exauctoratio non in Pontificum, sed in eorum quorum interest, arbitrio, cæteris tamen paribus, sita est. Proindeque iidem quos dixi Germaniæ proceres Wenceslaum illum omnium qui vnquam vixerunt, Imperatorum ignauissimum, iure ac merito, omnino id flagitante communi Imperii salute, imperio exuerunt. Cumque (vt refert Melanthon *in Chron Carionis.* Imperatorem non bello tātum acrem, sed & consilio promptum & circumspectum ac prouidum vtraque prouincia requireret, & de Wenceslao desidia, luxu & voluptatibus obtorpescente spes reliqua nulla esset: Principes Electores rebus laborantibus succurrendum rati, quod necessitas id exigeret, Francoforti Mense Maio, Anni millesimi, quadringentesimi, deliberato consilio rebus communibus præfecerunt Fridericum Ducē Brunsuicensem, natum Magno Iuniore & Catharina filia Woldemari Marchionis Brandeburgensis, postremi ex stirpe Ascania, Principem bellicosum & prudentem, Sed Moguntinus præsul ex concepto quodam erga illum odio cæteris aduersatus, ne arma occupandi Imperii caussa expedire posset, in reditu à comitiis eum ad Frislariam insidiose ac perfidiose circumuentum & oppressum, per Comitem Waldecensem interemit, die quinta Iunii.

Fridericus Brunsuicensis Imp. perfido oppressus.

Fuerunt

Fuerunt in Friderici Comitatu Rodolphus Dux Saxoniæ, & Sigismundus Princeps Anhaltinus, qui pro seipsis & Imperatore acriter pugnarunt. Sed Rodolphus captus est. Sigismundus aliquot inuasoribus sua manu iugulatis euasit.

Hoc atrox & parricidiale scelus Moguntini & in præsentia magnas concitauit turbas, quæ necessarios Principum Electorum congressus atque consultationes aliquandiu remoratæ sunt, & renouauit in irritatis animis memoriam veterum molitionum, quæ ex hoc loco autoribus Episcopis structæ in detrimentum atque perniciem patriæ, subinde aliquid pepererunt mali, perfecitque vt multa in præsulem Moguntinum dira, sed iusta iacerentur conuitia, multa inferrentur subditis illius damna ab Henrico Friderici fratre, & retexerentur serie quadam pene sopita vetustate crimina maiorum. Natum tunc ferunt ac diuulgatum παροιμιακὸν illud: *Moguntia ab antiquo Nequam*, his occasionibus. Repertum enim tradunt ad limen Basilicæ Cathedralis lapidem, cum hac inscriptione: *Verte, & inuenies.* Hunc lapidem noctu à quibusdam inuersum, mane spectantibus altera parte illud Moguntiæ Encomion exhibuisse. Sed antiquius multo esse, docent repetita monumenta historiarum. *Hæc Me'anth. in Chron. Carionis.*

EQ. Nolo παροιμιακὸν Moguntiacum exaggitare, nec enim ibi mihi seritur, neque metitur. Recordor interim tristioris fortunæ nuncij, quod in Hispania, Roderico vltimo Gothorum rege, apparuit. Palatium Toleti erat, sed clausum, & validis vectibus ferroque munitum. Fama tenebat, reseratum id excidio Hispaniæ futurum: quod Rodericus videre, & thesauros occuli ratus, feras perfringendas curauit. Thesauri nulli, cæterum arca reperta, & in ea linteum: in quo insolentes hominum facies vestesque depictæ, atque ipsi militari habitu atque impetu grassantes. Verba Latina inscripta, *A tali ea gente exitium Hispaniam manere.* Quid plura? fides factis facta: Iulianus Comes, cuius filiam rex stuprauerat, ex Africa hostes inducit, regem occidit, patriam perdit. *Ex. I. Lipsij monitis politicis.*

TH. Nimis late vagamur. Superbiam & ambitionem Discursus noster calcabat, quæ quidem vt plane sopirentur, optandum sane, at sperandum nunquam. Remedium tamen aliquid huic vanitati præscribit Leo serm. 7. de Epipha. *Non vult*, inquit, *Dominus, vt ad ludicra infantia & imperfecta primordia redeamus, sed aliquid, quod etiam annos graues decet. inde sumendum est: velox commotionum transitus, citus ad pacem recursus, nulla sit memoria offensionis, nulla cupiditas dignitatis, amor socia dilectionis, æqualitas naturalis.*

PH. Nihil profecto est, quod æque supercilium cogat nos ponere, quam crebra nostri cogitatio, hoc est, mortalitatis, & humanæ conditionis consideratio. Cogitet mihi serio, quisquis altum spirat, quis ipse sit, quibusque superbiat rebus; repetat memoria originem suam, & quibus principiis editus in *Fragilitatis humanæ consideratio.*

 lucem;

lucem: nunquid *nudus in nuda humo abiectus, ad vagitus statim, & ploratum?* Plane: *vt nullum animalium aliud pronius ad lacrymas, & has protinus vitæ principio.* Natus igitur, misere *iacet manibus, pedibusque deuinctus, flens animal cæteris imperaturum: & à suppliciis vitam auspicatur, vnam tantum ob causam, quia natum. Heu dementiam, ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos!* Hinc Salomon: opulentissimus iuxta ac sapientissimus: *Et ego,* inquit, *natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram: & primam vocem similem omnibus emisi plorans. In inuolumentis nutritus sum, & curis magnis. Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam; & similes exitus.* Sap. 7. Et habebunt ex his initiis Principes, vnde supercilium sumant? *Nam etsi cæteris hominibus dignitate antecellant, eandem tamen cum cæteris habent nascendi, & moriendi conditionem.*

Asserit, monetque inclytus Philosophus Seneca: *Scito omnem conditionem,* inquit, *versabilem esse, & quicquid in vllum incurrit, posse in te quoque incurrere.* Adeoque:

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisque senectus.

EQ. Audite Iohannem Lauterbach, egregie hac de re canentem:

Si mihi sint vires, & prædia magna, quid inde?
Auri si species, argenti massa, quid inde?
Si mihi sint nati de regis stirpe, quid inde?
Longus seruorum mihi seruiat ordo, quid inde?
Si rota fortunæ me tollat ad astra, quid inde?
Ac felix annos regnauero mille, quid inde?
Tam cito prætereunt hæc omnia, quid? nihil inde:
Seruiat ergo Deo quisquis, quoniam satis inde.

PH. Egregie etiam Seneca fluxam illam humanarum rerum conditionem eleganti facta collatione adumbrat. Leo, inquit, fortis est, sunt & leones, formosus est, & pauones, velox est, & equus, corpus viret, & arbores, habet impetum ac motum voluntarium, & bestiæ & vermes habet vocem, sed quanto clariorem, canes, acutiorem aquilæ, grauiorem tauri, dulciorem & nobiliorem lusciniæ.

EQ. Fragilitatis humanæ, singulæ horæ exhibent documenta. Hinc eleganter:

Vidi ego mane rosam nasci cum lumine solis,
Et vidi rursum sole cadente mori.

PH. Euidens etiam humanæ fragilitatis commonefactio est, quod homo constat ex cinere. Vnde enim quæso cinis exortus? Ex arboribus opinor. Cæterum quemadmodum hæ quousque surculis frondentibus in sylua ni-

rent & vigent, ab hortulanis cultu quotidiano & moderata feruntur stercoratione, nullos autem ferentes fructus, sed à naturali stirpis bonitate degenerantes, in ignem iniiciuntur, cremantur, & in cinerem rediguntur, ita homines quousque suis abundant fructibus, è puro fidei fonte redundantibus, augusta Spiritus sancti gratia fouentur, aluntur, recreantur, quando vero post peccatum innato deprauatę voluntatis vitio in feritatem maiorem incipiunt degenerare, & labruscas ferre, securi cœlestis zelotypias ad radicem vitæ humanæ posita, è sede dignitatis mundanæ deturbati, & in profundam abiecti, in cinerem reuertuntur. Sicut item arbores in sylua enatas vel in horto manibus hominum satas, iudicij si non artificialis, saltem naturalis facilitate exornati discernimus, ratione fructus, quantitatis & speciei, pronunciantes: hanc esse frugiferam, illam infelicem, hanc proceram, illam patulam, vnam esse fagum, quercum, alteram pyrum, prunum, aliam pomum, cerasum, nonnullam amygdalum, tiliam; sed demolitarum, igni iniectarum, & mixte combustarum cineres, neutiquam distinguere, nec accurate diiudicare nouimus. Non dissimiliter homines in frondifera mundi sylua vernantes discernuntur; distincte enim in vetustiore œconomiæ nemore vndiquaque oculos circumagentes, hunc doctum, illum indoctum, mechanicam exercentem; hunc verbi diuini fidelem ministrum, illum deuotum & sedulum auditorem; hunc Imperatorem, regem, principem, comitem, nobilem, consulem, senatorem, illum subditum, vel sub grauissimo tyrannorum onere suspirantem, vel sub clementissimis regum fascibus velut in amplissimo licentiæ campo luxuriantem, in florentissima mundi sylua, apertis distinguimus nominibus. Licet vero talis & tanta personarum in vitæ societate turgentium aut gementium discretio, consuetudine solita & inolita sit recepta, cuncta tamen post mortem distinctio tollitur & euanescit: omnis enim, amisso flore & vigore, faciei color disparuit, cuncta vbique æqualia, similis in diuite & paupere inopia. Quandiu quidem mendax & commentitia vitæ fabula peragitur, suam quisque personam agit, fabula peracta eandem quisque faciem resumit cineris & pulueris quæ fuerat & vnde sumptus erat.

TH. Ambrosius in Hexamer. Nulla, inquit, distinctio inter cadauera mortuorum est, nisi forte, quia grauius fœtent diuitum corpora, distenta luxuria. Et de fragilitate inquit Augustinus *serm* 1. *de verbis Domini*. Fragiliores sumus vase vitreo, quia etsi casus vitro timeatur, non tamen senectus aut febris.

EQ. Princeps optimus piæ & laudatissimæ memoriæ, Christianus III. Danorum & Noruegianorum rex, in quodam suo morbo dixit: Nominant nos Reges inuictos. Quam vero simus inuicti, ostendit vel leuis febricula, vel etiam vnius dentis dolor, quem depellere, in omni facultate nostra minime situm est.

PH. In Hispania tria hæc demus. Henricus I. puer sceptrum ceperat, anno Christi 1217. nec diu tenuit, post biennium miro casu, & vere casu, sublatus. Nam dum Palentiæ, in area domus, cum æqualibus ludit, tegulæ lapsæ ictu repente caput comminutum: & ex vulnere, vndecimo post die obiit. Ioannes itidem primus, anno Christi 1390. in flore rerum & ætatis (annum trigesimum tertium agebat) dum equum iuueniliter calcaribus incitat, & ad cursum admittit, cum eo labente lapsus, inibi, extinctus est. Magis tragicum est de Petro (anno Christi 1369.) qui cum aliquandiu sæuiret, & multa procerum cæde regnasset, Henricus frater arma in eum cepit; & auxilia è Gallia etiam conduxit. Pugnatum acriter; quam odiis pertinacibus, exitus docuit. nam victus Petrus, cum in conspectum Henrici captus adductus esset, iste pugione faciem eius percutit, atque alter dum vindicare parat, fœde colluctati, vterque ad terram prosternitur. Sed aliis quoque suppetiantibus Henricus superior, fratrem multis vulneribus conficit, & regnum capit. *Ex I. Lipsij monitis polit.*

EQ. Proditum est, olim Ægyptium Regem Sesostrin vehi solitum aureo curru, qui à quatuor Regibus domitis trahebatur. Cum autem vnus ex illis Regibus sæpe respiciens rotam intueretur, interrogat Sesostris, cur toties respiciat? Intuens, inquit, rotæ volubilitatem, in qua cito ea, quæ summa fuerant, fiunt ima: Cogito de nostra fortuna. Hac admonitione motus Sesostris factus est modestior, & Reges liberauit.

PH. De P. Ventidio refert Sabellicus, quod fortuna eum luserit & luserit ad derisum vsque mortalium, & vitæ huius ludibrium. Is puer bis ductus in Triumpho est, & quidem matris sinu, ante Imperatoris currum, vt refert Gellius. Post cum adoleuisset, ægre sibi victum quæsiuit, eumque satis sordide inuenit; comparandis nimirum, & tergendis mulis & vehiculis, quæ Magistratibus prouincias sortitis mercede præberet. Ex hoc tam sordido Ventidio, Fortuna, prouidentia Dei verius dixerim, primum Cæsaris internuncium, mox tribunum etiam plebis, tandem vrbis prætorem fecit. Sed interfecto Cæsare, & manum retrahente Fortuna, hostis Pop. Rom. cum Antonio iudicatus est. At non multo post coniunctis partibus, non pristinam modo dignitatem recuperauit; sed & Pontificatum & exin consulatum adeptus est. Quam rem tam intoleranter tulit populus Romanus, qui Ventidium Bassum meminerat, curandis & fricandis mulis victitasse, vt vulgo viis vrbis versiculi præscriberentur:

Concurrite omnes augures: aruspices:
Portentum inusitatum conflatum est recens:
Nam mulos qui fricabat; consul factus est.

Ad eundem plane modum Eunapius Ablabium *pilum & lusum fortunæ nominat:* Propterea quod humili genere ortum, fortuna ad summam dignitatem

tem

tem Prætorio præfecti, sub Constantino M. euexit: & ad eam sustulit dignitatem (quod testatur Volaterranus) vt vna cum Constantio filio Imperij Rector ab Imperatore relictus fuerit; sed mox deiectum, in Bithyniam vsque exulare fortuna coegit. Quo missi ab Imperatore percussores non pauci, literas honorarias ad pedes eius prouoluti, primo exhibent: quibus perlectis, omnique metu solutus; purpuram magno fastu in literis oblatam poposcit. At illi, nihil se amplius in mandatis habere professi, pro foribus stare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt. Intromissi, virumque adorti: *pro stola purpurea, necem illi purpuream obtulerunt, frustratim dissecto in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur.*

TH. Willigisus Episcopus Moguntinensis, qui obiit Anno 1011. filius fuit cuiusdam artificis plaustrarij; ex quo rota illa est in insignibus Moguntinorum. Primum autem fuit pœnitentiarius Cæsaris, &c. & ne propter suam dignitatem incideret in superbiam: in conclaue suum pinxit insignia paterna, Rotam, & hæc adscripsit verba: Wiligise, Wiligise, quis fueris, non obliuiscere.

EQ. Gelimer Wandalorum Rex in Africa, cum per Bellisarium Iustiniani præfectum victus esset, & cum vxore, familiaque ad Imper. Constantinopolim duceretur, pleno ore semper risit. Quærenti autem, cur doloribus circumseptus, risum ederet; respondit, se ridere fortunæ humanæ vicissitudinem; illud identidem vsurpans: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.*

TH. Olympias, Philippi Macedonis vxor, mater Alexandri Magni, cum filium insepultum iacuisse inaudisset, à graui & amaro gemitu in hæc verba prorupit: *O fili, tu eam in numerum deorum referri voluerи; & id perficere summo studio conatus sis, nunc carere debes, quæ sunt mortalium omnium communia, Terra & Sepultura?* Magna nempe metamorphosis; Alexander viuus ambiebat diuinos honores: defuncto nec vltimus illi obtigit honos, quem quiuis homo persoluit homini, quamlibet humili. Narrant enim historici, Alexandri corpus multis diebus insepultum iacuisse, ob graues procerum concertationes de successione principatus.

EQ. Adeo furibunda illa sublunarium operum metamorphosis inclementer grassatur, vt non contenta Heroum pectora vitæ priuasse vsuris, defuncta etiam Magnatum cadauera honore & memoria spoliare non vereatur.

TH. Fuerunt inter hos ipsos Duces Alexandri statim post eius mortem ingentia bella, dum quilibet solus Monarchia se potiturum esse cogitat.

Prima deliberatio post mortem Alexandri hæc fuit, vt frater Alexandri, Arideus, Rex esset, & vt expectaretur hæres ex Roxane, coniuge Alexandri. Et quia Perdiccæ summa fuit autoritas, hic præcipuus totius Imperij gubernator erat, quia in Arideo erat mentis error. Sperans igitur Perdiccas, se im-

perio potiturum esse, coniugium petiuit Cleopatræ, sororis Alexandri, & Ptolemæo Ægyptum eripere conatus est. Id initium fœderum & bellorum inter Duces fuit. Ibi enim Ptolemæus & Antipater primum fœdus inter sese fecerunt. Cum igitur Perdiccas exercitum in Ægyptum duxisset, & ad Memphin vsque accessisset, cum infeliciter pugnasset, à suis equitibus interfectus est. Nam & antea in odio erat propter crudelitatem, & Ptolemæus propter iustitiam & beneficentiam diligebatur. Ita Perdiccas, qui primus inter Duces bellum mouit, primus interfectus est. Adiunxerat sibi Antipater Craterum, cui dedit filiam, nomine Philam, cuius fuit excellens virtus. Sic enim de ea scribit Diodorus: Hæc mulier virtute excelluit, seditiones in castris sedauit, sororibus & filiabus pauperum militum dotes dedit, falso accusatos homines liberauit periculis. Sæpe & consiliis eius in gubernatione pater vsus est.

EQ. Insignes cumprimis metamorphoses in tribus hisce, Alexandro, Attila & Tamerlane, sese exhibuerunt, quod ex paternis regnis angustis progressi magnos exercitus duxerunt, & magna parte orbis terrarum potiti sunt, quam tamen non diu tenuerunt. Et cum essent mortui, regna varie dilacerata sunt, iuxta dictum: *Summisque negatum est Stare diu.* Ac ostendunt hæc exempla, non solis humanis consiliis & viribus parari & teneri imperia: sed verum esse Danielis vocem: *Deus transfert & stabilit regna.*

TH. Non abs re igitur Tiberius Imperium offerentibus, ægre admodum & quasi coactus recepit, querens miseram & onerosam sibi iniungi seruitutem: verum accepit tandem; sed hactenus, vt quandoque deponeret: verba ipsius (referente Tranquillo) hæc sunt: *Dum veniam ad id tempus, quo vobis æquum possit videri, date vos aliquam senectuti meæ requiem.*

EQ. Vnicum adiungam mirandæ metamorphosis exemplum; deinde hunc discursum finiam: Anno 1500. Ludouicus Sfortia, ex fusco colore & insigni calliditate iam inde ab adolescentia Maurus cognominatus, qui transferendi in se Ducatus cupiditate nepotem Ioannem-Galeacium Sforciam Ducem tutelæ suæ creditum veneno sustulit, post breuem minimeque tranquillum dominatum, à Gallis, quos ipse paucos ante annos, cum sceleris in nepotem facilius parandi causa, tum Ferdinandi Alfonsique regum Neapolitanorum metu ac odio in Italiam euocauerat, & principatu & libertate priuatus; memorabilique vltionis diuinæ exemplo eosdem vltores quos adiutores, expertus, vitæ reliquum decennio terminatum, in Gallia Locensi in turri captiuus transegit. Capt⁹ autem hoc modo fuit (erit enim operæ pretium tam insignem casum paulo fusius referre) Erant Nouariæ cum eo aliquot Heluetiorum millia. Hi, partim quod pecuniæ quibus stipendia statim persolueret, ipsi non suppeterent, partim à Gallorum Ducibus Ioanne Iacobo Triuultio & Tramollia, popularium suorum Gallicis in castris militantium opera corrupti, deserendi ipsius consilium inierunt: qui cum nec precibus,

cibus, nec lacrymis, nec infinitis promissis illorum animos eatenus saltem flectere posset, vt in tutum locum perducerent; Heluetij peditis amictu, sui si non agnosceretur, seruandi gratia (quod solum ab illis impetrare potuit) fortunam tentaturus se discedentibus miscuit: Sed illis ordine per Gallicum exercitum incedentibus, siue eorum quibus hæc cura mandata erat, diligenti inuestigatione, siue à quibusdam proditus, cognitus & statim captus est vsque adeo miserando spectaculo, vt vel hostibus ipsis lacrymas expresserit. Fuit etiam miserabilis ipsius breui postea Lugdunensem in vrbem vbi tunc Galliæ rex erat, introductio, meridie scilicet, prænunciatoque aduentu, vnde factum est vt infinita multitudo ad tantæ paulo ante amplitudinis Principem, quique tum in tantam miseriam corruisset, visendum accurreret. Lugduno post biduum, vt ad regis conspectum, quemadmodum summopere cupiebat, admitteretur, minime consequutus, in eam de qua supra, turrim perductus fuit. Nempe is cui summam prudentiæ laudem tribuerunt omnes: is inquam, qui non diu ante, secundo successu elatus, Fortunæ se filium iactitarat.

* * *

APHO-



APHORISMVS XV.

GLORIA PRINCIPIS EST PIETAS IN REGIMINE; *cætera omnia fluxa sunt.*

15 SVPER omnia præclara, quæ regnum habet, pietatis cultusq; diuini corona regem exornat. Diuitiæ namq; euanescunt, vulgi fauor & aura transit. Sola vitæ Deo placentis gloria immortalibus seculis coextenditur, & trans obliuionis tenebras collocat possidentes.

Ὑπὲρ πάντα τῆς βασιλείας τὰ ἔνδοξα, τῆς εὐσεβείας τὸ στέμμα τὸν βασιλέα κοσμεῖ. ὁ γὰρ πλοῦτος ἀπέρχεται, καὶ ἡ δόξα μετέρχεται. τὸ δὲ κλέος τῆς ἐνθέου πολιτείας, ἀθανάτοις αἰῶσι συμπαρεκτείνεται, καὶ λήθης ἐπέκεινα, τοὺς ἔχοντας ἵστησι.

15 *PRAE omnibus, quæ regiæ celsitati insunt gloriosa, pietatis corona regē exornat. Opulentia enim abit, & gloria transit. Laus vero illa, quæ proficiscitur à ratione vitæ, ad Dei nutū composita, in sempiterna ætatum secula extenditur, & lōge supra obliuionis iniurias suos extollit possessores, vt nullo vnquam tempore inobscurari queant.*

DISCVRSVS.

EQ. Pietatis coronam, Agapetus Principi suo præfert, in eaq; sitam esse veram Principis gloriam testatur. Non abs re itaque me facturum existimo, si veræ illius Gloriæ, cuius caput corona diuersicoloribus ornata gemmis insigniter coruscat, mox in ipso Discursus nostri vestibulo præfigam effigiem, quæ quidem talis esto:

Gloriæ effigies vna cum corona gemmis insignita.

Caput reuinctum serto ex gemmis pretiosissimis contexto; crines auro distincti, multæ catenæ aureæ collo micant, mamillis nudis elegantissimis & vultu pulcherrimo, vt ad se quosuis pelliciat. Velantur pudibunda propter honestatem: facem ardentem manu sinistra gerit, iuxta Silij illud: Arripuit traxitque virum fax mentis honestæ. Vexillum dextra tenet, loco trophæorum. Pedibus habet calcaria, quod stimulet corda mortalia & quasi perurat. Stat petroso colle, munito vepribus & spinis hirsutissimis; quas circumfluit profundissimus amnis, quod non nisi summis ærumnis & afflictionibus acquiratur. Crocodilum ad pedes positum habet, quod naturam & ingenium croco-

crocodili præ se ferat. Vt enim ille facile intumescit, deinde lacrymis fictitiis decipit hominem, ita illa quoque inflat, & tumidos facit, fumoq; veluti quodam ac specie inani decipit. Hactenus ipsa effigies.

Cæterum, quænam sint gemmæ illæ pretiosæ in corona tam insigniter emicantes, nunc porro dicam. Ac principio quidem corona est ipsa Pietas; in hac vero quatuor fulgent lapides pretiosi. Primus lapis est *Carbunculus*: cuius fulgor est tantus, vt nec nocte vincatur, lucet enim in tenebris adeo, vt flammas ad oculos vibret: Tum proiectus in ignem velut inter mortuos carbones extinguitur: sed aqua perfusus exardescit. Adhæc resistit simulacris ac sculpturis. Quinetiam venenis ac toxicis est inimica, *Gem. lib. de metall. cap.* 12. Hic Carbunculus est *fides*: cuius splendor est tantus, vt nec in tenebris hæreticorum ac persecutionum extinguatur, *Matth.* 16. Cæterum fides quasi in ignem proiicitur, quando fidelis in peccatum mortale prolabitur, quia peccatum vt flamma vrit, *Esa.* 66. At carbunculus aqua perfunditur & reuiuiscit, quando fidelis ad pœnitentiam reuertitur, & Euangelij rore irrigatur, *Esa.* 44. Porro fides idolomaniam horret, & venenis est inimica, eaque pellit. *Os.* 13. *Marc.* 16. *Gemmæ in corona pietatis quæ.*

Secundus lapis est *Sapphirus*, quæ gemma duritie magna, cæruleo & cœlesti colore prædita castitatem conseruat, ac cor corroborat, inque bonis confirmat: timorem expellit; vulnera sanat; integra membra præseruat; audacem ac victorem facit, *Gem. lib. de metall. cap.* 13. Qui *Sapphirus* est *Spes*: quæ cœlestia intuetur; castitatem in fide tuetur; animum confortat; metum eiicit; morbis medetur; Christianum vegetat; fortem efficit; nec confundit. *Ebr.* 11. *Rom.* 5.

Tertius lapis est *Smaragdus*, quæ gemma viridis coloris, eiusq; lucidi; cuius tantus est nitor, vt nec in sole aliquo modo obumbretur; ipsius etiam corpus si extensum fuerit ac politum, speculi instar, imaginem reddit; tum collo suspensus morbum caducum sanat. Castum quoq; hunc lapidem nominant, quoniam in coitu frangi creditur. *Gem. de metall. c.* 21. *Scalig. Exer.* 33. *sect.* 2. Smaragdus hic *Castitas* est; quæ nullis illecebris aut titillatione obtegitur: quæ est veluti speculum, in quo Deus cernitur, qua homo indutus omnis generis morbos pellit, *Matth.* 5.

Quartus lapis est *Rubinus*, qui per tenebras in speciem scintillæ alicuius micat, *Scalig. Exerc.* 218. Est etiam gemma rubea. Qui Rubinus est *Charitas*, quam proximo debemus. Liceat hæc in miserorum tenebris ac calamitatibus: scintillas, quæ charitatis opera, effundat; semperque rubeat ardeatque, *Matth.* 5. *Iohan.* 13.

TH. Scriptura comparat Pium arbori, ad aquæ riuum satæ, fructum suum suo ferenti tempore, foliis non deciduis, omniaque facienti prospere, *Psalm.* 1. Ego (inquit Basilius *in Psal.* 1.) pietatis exercitationem, scalæ à Iacob visæ recte comparauerim: cuius pars terram, pars vero cœlum attingebat.

EQ. Non minus etiam comparari potest pietas cum fluuio è voluptatis loco egredienti, *Genes.* 2. Estque fluuij huius ortus, siue scaturigo, *Cor.* Hunc autem fluuium moueat atque promoueat fides, vt ebulliat scaturiatque, *Rom.* 10. Diuiditur autem fluuius iste in quatuor flumina. Primum flumen manat ad Deum: & dicitur *Sanctitas*, Leuit. 11. Secundum flumen fluit ad pium ipsum, & vocatur *Humilitas*, 1. Pet. 5. Tertium flumen pergit ad pij amicum, & appellatur *Charitas*, Ioh. 13. Quartum flumen currit ad pij inimicum, & nominatur *Placabilitas* Matth. 5. Cæterum effectus seu fructus huius fontis est, quod ad omnia est vtilis. Producit namque bona, quibus Iehoua illum ex gratia auxit, *corporalia, spiritualia, temporalia, perpetua.*

PH. O quam insignes pietatis pedissequæ! De iustitia alioqui dicimus, quod in sese omnes contineat virtutes. Ecquid vero aliud est Pietas, quam ipsa iustitia, proindeque iucunde admodum reciprocantur.

TH. Ille bene agit (inquit Greg. *in moral.*) quæ pia sunt, qui scit prius seruare quæ iusta sunt: vt collatus in proximos riuus misericordiæ, de iustitiæ fonte ducatur. En ipsius pietatis fontem & scaturiginem! Atque quidem est perfecta pietas, (inquit Cass. *lib.* 4. *Epist.*) quæ antequam flectatur precibus, nouit considerare fatigatos.

Pietatis fructus. EQ. Hominem locupletat pietas, nobilitat pietas, commendat pietas: quandoquidem pius vnice spectat Deum, accurate obseruat seipsum, prompte iuuat proximum.

Ecquis vbiq; viuido diuinæ benedictionis rore madefit largiter? Pius. Quis verissimis Iehouæ promissis adhæret firmiter? Pius. Quis in prosperis non tumet? Pius. Quis in asperis non timet? Pius. Pius Deo amicus est: Pius sibiipsi fidus est: Pius proximo acceptus est: Pius cœlesti agmini socius est. Hem pie! quid deest? Altissimus est supra: Potentissimus est infra: Ditissimus est circa: Clementissimus est intra. Hem pie! quid deest? Flores in luce: gaudes in cruce: iubilas in morte: triumphas in mundi fine. O pietas! tu ad omnia vtilis: tu germinas in nostro curriculo: in nostro tabernaculo. Vno verbo, pietas ad omnia est vtilis, vitæque præsentis ac futuræ habet promissiones. Consilia enim sua qui ad Deum refert omnibusq; in rebus ipsum ducem sequitur, is gratuita à propitio Iehoua adipiscitur præmia.

TH. O clementissima pietas, (inquit Greg. in quadam Epist.) quæ non sua definit largiri beneficia, non solum vbi nullum inuenit meritum, sed plurimum etiam, vbi totum inuenit contrarium. Sed nunc Piorum hominum breues dicemus historias.

Piorum exempla. Noe octauus iustitiæ præco, quia inter incredulos, cultum Dei constantissime semper in honore & reuerentia habuit. Cæteris in magno illo diluuio pereuntibus, ipse solus cum sua familia & reliquis animantibus, quæ erant in arca mirabiliter euasit.

Loth etiam inter scelератos homines cultum Dei non neglexit; ideoq; ex incendio Sodomorum liberatus. Iacob Patriarcha & Isaac eius genitor, ob egregiam amborum in Deum pietatem, alter ex impendente gladio ereptus est, alter vero diuitiis, & familia multa onustus, domum reuersus, fratris bona hæreditauit.

Ioseph filius Iacob, propter memorabilem ipsius in Deum pietatem, diuina donatus sapientia, Ægyptiorum gubernacula suscepit, inuidamq; fraternitatem pie ac modestissime tolerauit, & sustentare non est aspernatus.

Nonne Moses, Dauid, Elias, Samuel, propter summam ipsorum in Deum pietatem insignes euaserunt & celebres? Nam Moses pugnat contra Ægyptios, & demergit capita draconis in aquis. Samuel vocatur ad Propheticum officium, Dauid vngitur in regem, Elias præ nimio pietatis zelo rapitur in cœlum. Aminadab. Beniamita tantæ erat pietatis, vt scribitur 1. *Reg. cap.* 7. vt arcam Domini hospitio receperit, eiusque filius sit consecratus: vt curam arcæ Domini gereret.

Iosuæ constans pietas admodum in sacris literis prædicatur; & de eodem Iosephus: Decrepitus, inquit, accitis oppidatim honoratioribus, & cum senatu magistratibus, cum ex plebe, quotquot erat commodum, vbi vidit omnes adesse: primum Dei beneficia in memoriam illis reuocat plurima. per quæ ex rebus afflictis in tantas opes tantamque gloriam peruenerant. hortatur deinde vt dent operam, vt Deum in posterum æque habeant propitium, cum sciant eius beneuolentiam non aliis retineri posse quam pietatis artibus Suum enim fuisse, vt priusquam decederet, illos officij commonefaceret. postremo rogauit vt hanc admonitionem boni consulerent, essentque eius perpetuo memores. post hanc concionem naturæ debitum exoluit, anno vitæ centesimo decimo: quorū quadraginta sub Mose magistro minister ipsius exegit, & post eius obitum viginti quinq; Reipubl. præfuit, vir incomparabili tum prudentia tum eloquentia, ad hęc in re imperatoria fortis & impiger, nec minus in pace bonus & vtilis, denique in quauis virtute eximius.

Et Iosiam regem piissimum idem Iosephus commendans; Ipse, inquit indole optima, & ad virtutem natus, Dauidé Rege exemplari & regula totius vitæ sibi proposito, quam primum enim duodecimum annum ætatis attigit, egregium edidit pietatis ac iustitiæ specimen. Autor. n. fuit populo, vt abiectis erroribus, & relicta de falso creditis Diis persuasione, cōferrent se ad cultum patrij numinis. Et retractatis maiorum suorum institutis, quicquid peccatum esset corrigebat, tam prudenter adhibitis remediis, q̄ si esset ætate maturissima. quę vero decenter se habere inuenit, immota seruauit, & imitatus est. Hęc autem faciebat tum per innatam sapientiam, tum etiam seniorum monitis & consiliis. Sequendo. n. legum ductum in ordinanda republica & cultu diuini numinis abertare non potuit, à quib. recedētes priores aliquot Reges seipsos

perdiderant. Itaq; obeundo tam vrbem quam regionem totam, lucos externis diis dedicatos excidebat, & aras eorum diruebat, & donaria, quæ eis à maioribus consecrata fuerant, per ludibrium detrahebat, atq; ita populum à vana opinatione ad verum Dei cultum conuertit & consueta holocautomata cæteraq; sacrificia super altare obtulit. Constituit etiam certos magistratus & morum censores, qui priuata quoq; negotia sic disponerent, vt in omnibus non minorem iustitiæ quam vitæ ipsius rationem haberent. dimissis deinde per totam suam ditionem nunciis, iussit vt, quicunq; vellent, conferrent aurum & argentum in reparationem templi, idq; suo quisq; arbitratu, vt nemo grauaretur: Templum igitur ab auo & patre violatum purgauit, laceratum redintegrauit: quadrigas Solis in eius vestibulo incendit: ganea lateribus adiuncta euertit, statuas cremauit, signa è solidis metallis fregit, haruspices & diuinatores morte puniit: sacrificia sanguine humano facta aboleuit, templum deæ Sidoniæ structum olim à Salomone, complanauit: aram Ieroboami Bethelensem dituit, & ossa sacerdotum tam mortuorum, quam viuentium super eam cremauit, & cineres dissipauit. Tribus præterea Manassæ, Efraimi, Simeonis vetere doctrina imbuit: libros Mosis repertos diuulgauit, & in publicum retulit. Pascha celebrauit tanta magnificentia, quanta à Samuelis temporibus non fuerat celebratum. Hoc vnum stulte egit, quod Nechao regi Ægyptio bene monenti, bellum intulit: cum quo Benhadadæ auxiliis pugnans infeliciter, sagitta percussus, & ex eo vulnere obiit, omnium piorum luctu immenso, assertor enim fuit moris maiorum, & sinceræ religionis acerrimus.

EQ. Nihil est, vnde facilius amorem sui apud populum concitet Princeps, quam per pietatem. Nam cæteræ virtutes admirationis tantummodo multum, pietas vero etiam amoris meretur plurimum.

PH. Affectum beneuolentiamque pietatem conciliare, vidit inprimis Seuerus Imperat. cuius hoc extremum extremi temporis quo naturæ concessit, elogium fuisse ferunt: *Turbatam Rempublic. vbiq; accepi, pacatam etiam Britannis relinquo: Senex & pedibus æger firmum imperium Antoninis meis relinquens, si boni erunt: imbecillum, si mali.* Bene sentiebat Imper. prudentiss. Imperium haud diuturnum ei fore, qui virtutem relinquens, ad impietatem & deterrima vitia prolaberetur: *fortuna* enim *vt plurimum cum moribus immutatur,* vt Salustius inquit.

EQ. Iure certe mirantur omnes singularem Menandri Regis Bactrię pietatem, qua sic suis vbique præluxerat, vt eo vita functo Ciuitates concertarint, quæ omnium esset quæ præ cæteris ipsum funeraret. Tanti fuerunt apud subditos optimi ac pij regis manes.

TH. D. Thomas in opusculo quodam de regimine Principum (*opusc. 20. lib. 1. c. 9.*) quod Regi Cypri inscripsit, efficacibus argumentis probat maiora

multo

multo præstantioraq; præmia bonis regibus ac principibus, quam hominibus vulgo constituta esse. Nam si præmium virtuti debitum est, maiori maior debetur remuneratio. Minor aūt & præstantior ea est, qua iuuante, cum possit male facere, non facit: & in tanta peccandi licentia, tot occasionib. & libidinū flammis, nec capitur illecebris, nec cupiditatibus ardet vel consumitur. *Pietatis præmia.*

E Q. Pij etiam in præsentissimis vitæ periculis præsenti & intrepido sunt animo, & per gratiam Dei consilium ex tempore capiunt, de amoliendo à se & ab aliis periculo. Quemadmodum lilia & flores suaueolentes tum maxime spargunt suam fragrantiam, cum vento agitantur: & quemadmodum thus tum maiorem diffundit odorem, cum est in ignem iniectum, ita piorum virtus, præsentia animi & promptitudo consilij, maxime in rebus aduersis elucescit & apparet. Et illi ipsi pij, etiam cum de vita periclitantur, non dubitant tamen vsurpare libertatem suam, secundum vocationem suam. Tyranni enim sunt in manu Dei, quos ipse etiam feruente tyrannide ita efficaciter mouere potest, vt ab iis qui Deo curæ sunt, furorem continere cogantur. *Pij in periculis intrepidi.*

Ita Danielis virtus in subito periculo apparet: quod pendenter sistit, instituto colloquio cū Ariocho, & impetrata à Rege, executionis dilatione. Idem in discrimine versans, non tamen oblitus est libertatis suæ: sed animose de consilio & edicto regis sciscitatur: & causam tantæ festinationis requirit: imo non obscure regis præproperam iracundiam & sæuitiam reprehendit, inquiens: Quare sententia ista festinat à Rege? Ita vero flexit Deus Ariochum & Nebucadnezarem: illum quidem, ne in Danielem & socios sæuiret: hunc vero, vt qui paulo ante furere visus est, mox Danielem ad se admitteret: & iustum tempus cognoscendi somnij petentem patienter audiret, & illæsum à se dimitteret. Hinc vere dictum est à Poeta:

Lædere qui tentat veræ pietatis alumnos,
Ingentem stuppa verberat ille rogum.
Stuppa iniecta rogo sese consumit: at ignis
Maiorem stuppa vim moriente capit.

E Q. Neque tamen pietas nuda ac sola, sine prudentia, prodest ad ciuilem administrationem; proinde non requiro illam nudam & ociosam, sed quæ sit amicta industriæ prudentiæque veste: Nunquam enim magis regnat improbitas, quam sub Rege magis probo & facili, quam prouido & prudente. Patet causa: quia præualent tum adulatores, blaterones, mimi; cinœdi, ambrones, deniq; deterrimi quique, à quibus inscio aut falso principe, venum exponuntur officia, siue ciuilia, seu Ecclesiastica; imo ærarium ipsum in longe maximam subditorum captionem perditum itur; vnde sequuntur non tam prædæ, quam laniatus per noua vectigalia & tributa, quæ fiscum per eiusmodi ambrones exinanitum explere debent. Multis id probari posset exemplis, sed illustrioribus contentus ero. *Pietas sine prudentia parum prodest.*

Galba Romanus Imperator, non in pessimis habitus est, quippe qui multa dedit initio præsertim Imperij, egregij Principis documenta: seruis tamen suis & libertis *adeo se abutendum permisit & tradidit, vt vix sibi ipsi constaret, modo acerbior, parciorque, modo remissior ac negligentior quam conueniret Principi electo ac illius etatu*, &c.

Sed & Gallia sese offert: quam nullis temporibus ita commotam, & afflictam fuisse, atque regnante Carolo cognomento Simplici, scriptum nobis post alios reliquit Ioannes Bodinus.

Itidem Henrico II. regnante (qui ad pietatem, & naturæ bonitatem multis retro sæculis sui similem habuit neminem) status eiusdem regni Gallicani pene euersus fuit. Vt enim erat omni bonitate affluens, ita nemini cuiquam quidquam petenti abnuebat: quo factum est, vt ingenti parentis pecunia exhausta, beneficia Ecclesiastica, atque magistratus, vel indignissimis venderentur: tributa quoque solito grauiora, imo maiora quam vnquam ante à condito regno Gallicano: & tamen constat morientem (facta maximarum prouinciarum iactura) ordinum Quæstorium obstrictum reliquisse in quadraginta duobus: vt loquimur, millionibus. Sane, si pietas, & innata bonitas huius Principis seueritati prudentiæq; coniuncta fuisset, dubio procul hi abusus non irrepsissent, neq; facile quodlibet quisq; ab illo elicuisset. Quis enim nescius est, prudentiæ proprium esse rerum personarumq; circumstantias solerter examinare, oportunitates percallere, omnia deniq; ratione atq; consilio peragere? Hac igitur virtute ciuili qui præditus non erit, archimandritam potius, vel anachoretam, quam Principem agat. Etenim *ille qui in vna Dei cognitione* (ait vere Nicephorus) *omnes cogitationes ponit, huic montes, & spelunca conueniunt: at qui cum Virtute, & Pietate ciuilem etiam viuendi rationem edidicit, & notitiam sibi comparauit rerum variarum, ille vero populum ad optima ducere idoneus est.*

Pietas Principis sit continua. TH. Requiritur tamen etiam, vt illa Principis Pietas constans sit & perpetua, non temporaria, qualis quorundam, quorum *initia meliora sunt, sed finis inclinat*. idque humanæ mentis proh dolor, infirmitate, *quæ cum potentiam sibi ministram habet, difficile sibi moderatur, quasique frenos imponit cupiditatibus.*

EQ. Nescio ingenitorum fiat vitio, an humanæ mentis imbecillitate, vt plerumque in principatu exerant se vitia, quæ priuata in vita occultabantur. *Initia Magistratuum* (ait ille) *fere meliora sunt, sed finis inclinat.* Vnde sequitur vna cum moribus, Imperij inclinatio & auersio. Hinc Tacitus: *Illud clarum testatumq; exemplis est, quod homines fœlicitatem assequantur pietate, benignitate in alios, & bona de se opinione; iidem, cum adepti quæ voluerant, ad iniurias & impotentiam in imperiis dilabuntur, fit meritissimo, vt vna cum imperantium mutatione, ipsi subditi se & affectus mutent.* Tac. lib. 10 annal.

Clarum in Nerone exemplum est, qui initio imperij, hoc est primis quinque annis, adeo laudabilis & inculpatæ vitæ fuit, vt plerique, & in his Traia-

nus Imper. dixerit *omnes etiam optimos Principes longe à primo quinquennio Neronis abesse*; & tamen quibus & quantis postea flagitiis coopertus fuerit, nemo non nescit.

PH. In coniuratione, quæ Neroni detecta fuit, modisq; crudelissimis ab ipso vindicata, nihil grauius auribus ipsius accidisse, scribit Tacitus *lib.* 15. quam quod à Sutrio Flauio tribuno audiuit: qui interrogatus, quibus de caussis à fide Neroni data desciuisset: *Inpensissime amabam te*, inquit, *nec quisquam tibi fidelior militum fuit. dum amari meruisti: odisse cœpi, postquam parricida matris & vxoris, auriga, histrio & incendiarius extitisti.* Voluit innuere Tribunus, hominibus ingenitum & naturale esse, Principes suos diligere, dum probitatem præ se ferunt: sed cœptis sæuitiis & gliscente sæuitia, odio ipsos habere.

EQ. Antoninus Caracalla adeo leni fuit animo in prima iuuenta, vt si quem ad supplicium duci videret, oculos in aliam partem, manantibus lacrymis auerteret. Is postea mortuo patre, immanis factus, sine causa *Antoninum Getam* fratrem, item Senatores pei multosque alios, crudeliter interemit.

PH. Mirantibus quibusdam Zenonis Imperatoris ingenium, è mansueto sæuum factum esse, *non mutauit* (inquit Leontius) *naturam, sed in rebus secundis improbitatem declarauit.*

EQ. Anastasius Zenonis successor, adeo ante Imperium virtute præstabat, vt in Circo totius populi acclamationem hanc audierit: *Sicut vixisti, ita etiam impera, domine*; at postea ita auersus est ab omni virtute, vt solutissimam vitam ageret, omnia raperet, magistratus venderet, delinquentibus denique non sine Reipub. damno ignosceret.

Denique de Tryphone Iosephus 13. *Antiqu. c.* 12. *Adeptus iam concupitam potestatem, non amplius, dissimulare prauum ingenium valuit, quod priuatus tegere conatus est, quo magis animos hominum sibi conciliaret. quamprimum enim Rex declaratus est, absque persona Tryphonem agere cœpit.*

TH. Dictum est paulo ante à nobis, pietatem conciliare Principi apud subditos insignem sui amorem. Atque id in confesso est, & experimentis satis constat. Sed enim è conuerso, qui Deo rebellis, adeoque impius est; is subditos quoque rebellare in se sentit, omnino iuxta terribilem illam sententiam, quam Salomon cum auertisset mentem à Domino, à Propheta audiuit: *Quia habuisti hoc apud te, & non custodiuisti pactum meum & præcepta mea, quæ mandaui tibi: disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo*, 3. Reg. 11. *Impietatis pœna.*

EQ. Quam tetra & execranda res sit Princeps talis, quales fuerunt Caligula, Nero & similes, contaminati parricidiis & omni genere turpitudinis, qui inter homines, non vt Icones Dei, sed vt furiæ Diabolicæ versati sunt, & totam rerum naturam suis sceleribus polluerunt, verbis explicari satis non potest. Certe C. Caligulæ apud Rom. impietas, cæteraque eius deterrima vitia causam ei necis præbuerunt.

Et Vitellij sæuitia summaq; simul impietas, hostes eo adegit, vt minutissimis ictibus excarnificatum atq; confectum vnco in Tyberim traherent.

Addo Capaneum Hipponi filium ad portam Electræ: Is, vt natura arrogans & temerarius, in Iouem blasphemans, iurabat se Deo inuito subuersurum Thebas, & in cineres redacturum. Sed contigit vt cum è scalis lapidum mole deiectus esset, rursumq; conscendere conaretur, ictu fulminis detrusus est, & misere excarnificatus. Hæc Æschilus & Euripides fusissime describunt: docentque impietatem in Deum nunquam remanere inultam: nihilque de Deo æterno sentiendum vel dicendum, nisi cum tremore ac reuerentia: Ad quod etiam pertinet historia Salmonei Æoli filij regis Elidis: qui contempto Ioue, se Deum proponebat adorandum: imitantemque fulmina fictitia, vero fulmine è curru deturbatus periit. Et possem sexcenta huiusmodi monstra recensere, sed abrumpo filum.

Impij instabiles & timidi.

TH. Quemadmodum pij, vt paulo ante à nobis dictum est, etiam in summis angustiis intrepido sunt animo, sibiq; vbiuis constant. Sic e conuerso Impij semper & in omnibus sunt instaliles. Hinc Chytræus *in Syrac. cap. 33.* Vt in Euripo, inquit, aquę fluunt & refluunt: ita impiorum cogitationes de Deo, & cupiditates & actiones instabiles sunt, & varie vertuntur: dum varia & fallacia consilia & præsidia quærunt, quibus sese muniant.

C. Caligula bruto Dei contemptu insignis, omnes deos ludibrio habuit. Idem tamen ad minima tonitrua & fulgura conniuere, caput obuoluere: ad maiora vero proripere se è strato, & sub lectum se condere consueuerat. Vnde id obsecro, nisi quod conscientia, sonora eius voce, quem deridebat, territa, mentem commotam vastabat. Atque hunc quidem Diuinitati illudentem pœna non deseruit. Nam à Cassio Chærea & Corn. Sabino, tribunis prætoriæ cohortis confossus est, ac sero tandem intellexit, se Deum non esse. Dion scribit, nonnullos eius mortui carnem degustasse; forte vt experirentur, an Deorum caro iucundi saporis esset.

EQ. Ad extremum hoc addo, Impios plerumq; valde esse suspicaces. Solent namque ex suis ipsorum moribus æstimare bonos: & iis criminibus quę in seipsis reperiunt, ipsos innocentes per mendacium aspergere & conspurcare: atque hinc fit, vt cum ex suo ingenio alios æstiment, vndiq; sibi metuant. Exemplum exhibet nobis Laban. Is cum post longam expostulationem cum genero suo Iacobo fœdus tandem faceret, mire erat verbosus in vrgenda fœderis obseruatione; idque ideo, partim quia generum ex se metiebatur: partim quia conscientia malefactorum præteritorum premebatur.

Sed de hac re infra Aphorismo LVIII. vberius.

APHORISMVS XVI.

PRINCEPS NEC IPSE SIT AVARVS, nec auaris vsurariisque patrocinium præstet; sic namque nec diues pauperem expilabit, nec diuiti pauper inuidebit.

16 VEhementer mihi videtur absurdissimum esse, quòd diuites & pauperes homines ex dissimilibus rebus detrimentum simile patiuntur. Illi nãque à copia rerum perrumpuntur, hi vero fame pereunt. Item illi occupãt vltimos mundi terminos, hi non habẽt vbi callosa pedum vestigia sistant. Vt igitur vtraq; pars sanitatis fiant compotes, auferendo & diminuẽdo istos regere oportet. atque ad æqualitatẽ inæqualitas trãsferẽda est.

Σφόδρα μοι δοκεῖ ἀτοπώτατον εἶναι, ὅτι πλούσιοι καὶ πένητες ἄνθρωποι, ἐξ ἀνομοίων πραγμάτων βλάβην πάσχουσιν ὁμοίαν. οἱ μὲν γὰρ, ὑπὸ τοῦ κόρου διαῤῥήγνυνται. οἱ δὲ ὑπὸ τοῦ λιμοῦ διαφθείρονται. καὶ οἱ μὲν κατέχουσι τοῦ κόσμου τὰ πέρατα. οἱ δὲ οὐκ ἔχουσι ποῦ στῆσαι τὰ πέλματα. ἵνα τοίνυν ἄμφω τῆς ὑγείας τύχωσιν, ἀφαιρέσει καὶ προσθέσει τούτους θεραπευτέον. καὶ πρὸς ἰσότητα τὴν ἀνισότητα μετενεκτέον.

16 *ABsurdissimum mihi esse videtur, quod & diuites & pauperes ex dissimilibus facinoribus similia patiantur detrimenta. Illi enim satietate disrumpuntur, hi autem fame pereunt. Et illi quidem mundi fines occupant: his vero etiam deest, vbi pedum vestigium ponant. Vt ergo vtriq; sanitatem consequantur, subductione & additione eis medicina est afferenda, & ad æqualitatem inæqualitas reuocanda.*

DISCVRSVS.

TH. Viro bono, ac præsertim principi, perpetuus hic debet esse scopus, omnes, quoad licet, consilio & ope fideliter in retinendis suis bonis adiuuare. Et quos rerum difficultate & penuria premi viderit, eorum necessitatibus communicare, inopiamque subleuare.

EQ. In contractibus cumprimis nulla captione vafre irretiri, neque illecebris verborum, tanquam hamo, inescari simpliciores, nec expilari egeni ab opulentioribus debent. Artes enim omnes, quibus proximorum possessiones, aut pecuniæ ad nos deriuantur, vbi à sinceritate dilectionis, aut fallendi, aut quouis modo nocendi cupiditatem obliquant, pro furtis habendæ sunt; licet humanum iudicium fallant, & in cogitationem non veniant.

PH. In quibusdam sane, quorum vacillat conscientia, neque pecuniæ modus est, neque cupiditatum; quos nulla vnquam præda improbe parta, nec furtis dolisque res quæsita satiat, sed illis auget potius, & inflammat habendi desiderium.

TH. Hoc loco auream illam Tyberii Cæsaris apud Suetonium *cap. 32.* captabimus sententiam, quippe quæ ad hunc Aphorismum commode quadrat. Ea vero est: *Boni Pastoris est tondere pecus, non deglubere.*

Auaritia & exactionum vitia. Etsi vero Tyberius postea defecit, & se alia peccatorum fuligine coinquinauit; hanc tamen sententiam Principe dignam protulit.

Habetq; isthæc sententia suum etiam fundamentum in sacro Codice, *Esa. 33. v. 1. Ier. 17. v. 11. Amos. 5. v. 11. Mich. 3. v. 2. 7. v. 3.*

Deus enim Magistratum, qui subditorum opes exhaurit atq; exinanit, reprehendit & vituperat, eumq; Tyrannum esse affirmat, *1. Sam. 8. v. 10.*

Quidquod ista Magistratuum sæuitia & auaritia, subditorum animos abalienat disiungitq;. Constat id exemplo Roboami, *1. Reg. 12.* Tyranni Tryzi, cuius meminit Ælianus *lib. 14. c. 22.*

Debent enim reges & Principes subditorum esse nutritii, *Esa. 49.* Ergo illis facultates quando eripiunt, inique omnino agunt. Hinc recte Artaxerxes Xerxis filius dicere solitus est, *Regalius est addere quam adimere*, sentiens, Principe dignius, hominem & opes eorum quibus imperat, exaugere, quam minuere. Et Ptolomæus, *Regalius esse* dicebat, *ditare quam ditescere.*

Supradictam Tiberii sententiam aliis verbis Alexander ille Macedonum rex, cognomento Magnus, proferens, inquit: *Olitorem odi, qui radicitus excidit herbas, & arbores ab ima stirpe reuellit.* Qua tyrannidis arguit eos, qui longe plus vectigalium, quam subditorum fortunæ queunt ferre, solent à subditis inclementer torquere.

Vt enim arbores frugiferæ, quarum radices euulserunt agricolæ, nullos poterunt amplius producere fructus: sic crescere non possunt populi, qui diuitum pascua vocantur, quorum oppressorum facultates tyranni funditus exhauserunt, atq; abstulerunt.

Exemplo sunt miserabiles Christianorum populi, quos in suam potestatem redegit Turca, quos expoliat & funestat ita, vt omnis recuperandarum virium spes sit ablata.

Exem-

Exemplo etiam sunt Israelitæ, quos misere spoliauit Saul 1. *Sam. octauo, versicul.* 10.

EQ. Inexhaustum est apud quosdam congerendi atque habendi desiderium. Multi causa cupiditatis terrenæ, etiam ipsam fidem abnegauerunt. Cupiditate Cain primus legitur ædificasse ciuitatem, *Gen.* 4. Cupiditate pastores Loth & Abraham iurgia excitauerunt, *Gen.* 13. Cupiditate Esau vendidit primogenituræ suæ dignitatem, *Gen.* 25. Cupiditate Balaam corruptus volebat maledicere populo Dei, *Num.* 13. Cupiditate seductus Achior, anathema de Hiericho sumpsit, & periit ipse, vxor illius, totaque soboles lapidibus interempta. *Iosue* 1. Cupiditate perierunt filii Phinees, & Samuelis, *1. Regnm* 4. *&* 8. Cupiditate Saul interfectus est, 1. *Regum* 31. Cupiditate Nabal mortuus est, 1. *Reg.* 25. Cupiditate Achab iussit interfici *Naboth.* 3. *Reg.* 21. Cupiditate Giezi, accepit lepram Nahaman. Cupiditate senes Chanaan interfecti sunt *Dan. vlt.* Denique (vt semel dicamus,) Cupiditate Christus venditus est, & crucifixus. Nunquam satiari potest cupiditas. *Auaritia detestatio.*

TH Quorum animus semel occupauit auaritia, hos adeo inquietos reddit, vt ne noctu quidem in cubilibus suis quiescere possint. *Cogitant* (inquit Mich. cap. 2.) *iniquitatem & operantur malum in cubilibus suis, vt luce matutina perficiant.* Et Psal. 39. *Conturbatur frustra; thesaurizat, & ignorat cui congreget bona.*

EQ. Auarorũ mos est, eorũ inprimis qui sunt in potestate, vt quæ per vim rapere nõ possunt, per sycophantiam & calumniam ad se trahant. *Væ autem vobis qui deglubitis pauperem, & deficere facitis egenos terræ,* Amos 8. cap. Imo: *Væ cogitantibus iniquitatem,* inquit Michas *capit.* 2. vbi non tantum opera auarorum, sed & cogitationes, quæ alias in iudicium humanum non veniunt, accusat & arguit.

TH. Væ (inquit Esaias cap. 5.) *qui coniungitis domum ad domum & agrum agro copulatis, vsq; dum nullus locus superfit, & habitatis soli. In auribus meis sunt hæc Domini exercituum: nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes & pulchræ abſq; habitatore.* Cogitent hæc omnes auari, & inprimis magnates, qui in cubilibus suis anxie se fatigant, & in hoc incumbunt, vt vel leuissimo iuris prætextu, pauperum & ditiorum bona ad se trahant, quia potens est manus earum.

Sed sciant illi, esse Dominum ipsis multo potentiorem, qui sicut *Psal.* 10. dicitur, conteret brachium peccatoris & maligni; & potentes potenter punientur, *Sap.* 6.

PH. Sunt montes aurei (vt refert S. Hieron.) quos adire propter gryphos & dracones, & immensorum corporum monstra, hominibus curæ est, vt ostendatur nobis, quales custodes habeat auaritia.

TH. Religio Christiana hortatur ad contemptum rerum humanarum, quæ

ſolum petendæ ac habendæ ſunt in vſu, æternæ vero in deſiderio. *Væ*, inquit Eſa.cap.5 *qui coniungitis domum domo, & agrum agro copulatis.* Et Baruch 3. *Argentum theſaurizant & aurum in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorū.* Et Chriſtus in Euangelio: *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Renunciat, (inquit Auguſt.epiſt.89.) non actu, (quod male volebat Pelagius,) ſed affectu; talis eſt, qui non amat, non in illis confidit; non propter illa ſuperbit, paratus etiam ea dimittere potius quam Deum offendere.

PH. Qui quærit locupletari, inquit Sapiens Eccl.27. *auertit oculum*, videlicet à mandatis Dei, iudicans oportere vndecunque etiam ex malo acquirere. Et: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, etiam in apoſtaſiam à fide*, 1.Timoth.6. Et: *Nihil eſt iniquius quam amare pecuniam, hic enim & animam ſuam venalem habet*, Eccl.10.

TH. Amor rerum terrenarum, ait D. Auguſt. *viſcus eſt ſpiritualium pennarum.* Et: *Homines*, (inquit D. Ambroſius) *mundi cupiditate poſſeſſi, emergendi non habēt facultatem. Et ideo non poſſunt meritum regni cæleſtis adipiſci. Beatus* ergo (vt inquit D. Bernhardus Epiſt.108.) *qui poſt illa non abiit quæ poſſeſſa onerant, amata inquinant, amiſſa cruciant.*

EQ. Quid, quod auaritia eorum qui præſunt, ſæpenumero exitio ciuitati extitit. Per eam namq; ad rapinam ac violentiam ciues inducuntur, quo nihil deterius eſſe poteſt. Tuetur enim quiſque rem ſuam familiarem, tametſi exigua ſit: nec minoris facit tenuem rem pauper, quam opulentiſſimus quiſque ampliſſimam. Et ſi certamen aliquod inter inopem diuitemque oriatur: ille, etſi iniuriam accipit, tamen (quia potentior eſt) facere videtur, inuidiamque plurimorum contrahit.

Auaritia fructus infelix.

Quinetiam plerique theſauri, quos principes illegitime corraſerunt, tranſeunt in hæredes prodigos inutiliterq; perdētes. eſt enim ſatis vulgatum, quod de male quæſitis non gaudet tertius hæres.

TH. Iuſto Dei iudicio ſolet euenire, vt iniuſte ac turpiter patris paruo quidem curriculo quiſque fruatur, eaque vel nunquam in filios ac poſteros tranſeant. de quo magnum illud & graue in promptu eſt teſtimonium Amos: *Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis. Vineas amantiſſimas plantabitis, & non bibetis vinum earum.*

EQ. Imo vero etiam quæ legitime parta ſunt, ſæpenumero culpa ac temeritate ſucceſſorum dilabuntur, Sic Rex Dauides magno quidem ſtudio, at legitimo, auri argentique theſaurum deponebat, adeo vt nulli regi tantus antehac fuerit: quandoquidem pluſquam centies & vigeſies auri milies collegerat. At regni ſucceſſor Salomon congeſtum theſaurum (præter ſumtus templi) liberaliſſime impendit ædificiis ſplendidiſſimis, vrbanis & ruſticis, æſtiualib. & hyemalibus, viridariis, piſcinis, equis, curribus, cantoribus & cantrici-

tricibus, luxui & voluptatibus, adeo vt thesauro paterno deficiente, subditorum plurimi, ob exactionum magnitudinem à filio desciscerent.

Multo ergo citius ea quæ male parta sunt, pessum eunt. Sic Imperator Tiberius grauissima tributorum & onerum impositione thesaurum sexagies septies millies & vltra corrasit: quæ omnia successor Caligula intra vertentis anni curriculum pessime dilapidauit. Id vero inde etiam inter alia accidit. Princeps nouitius præcipue iuuenis tanti thesauri possessione, variis inuoluitur meditationibus, quæ vt infinitæ, sic inquietæ sunt. Qui itaque in thesauris nimium confidit, plerunque se immiscet negotiis, quæ supra vires sunt: pacem odit: vicinorum amicitiam floccipendit: mouet bella, quæ neque vtilia, neque necessaria, imo sibi & subditis plurimum nocent.

PH. Diuites cum omnia habeant, vnum illis deest, scilicet, qui verum dicat. Si enim in clientelam felicis hominis potentumque perueneris, aut veritas aut amicitia perdenda est. *Seneca in Epist.*

TH. Monitoris & veritatis professores ipsis minime desunt, sed obturatæ sunt plerumque & quasi collo obductæ ipsorum aures. Extat certe apud Esaiam *cap.* 44. grauissima desuper commonefactio: *Væ pastoribus Israel, qui pascunt semetipsos: oues autem dispergunt, neque pascunt.* Quinetiam si uera Domini expostulatio cum populo ob iniustitiam, imposturas, fraudes in modio, bilance, ponderibus, mendacia in contractibus, &c. extat Mich. 6. *Adhuc ignis*, inquit Dominus, *in domo impii thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Numquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa, in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.* Pondera. Mensura. Modii.
Ac sane optandum esset, varios istos modos, quibus homines iniqui cum proximi sui detrimento ditescere satagũt obliteratos esse. Sed cum in ea tempora inciderimus, de quibus Saluator noster *Matth.* 24. vaticinatus est, futurũ vt iniquitas abundet, & charitas refrigescat, quid sani sperandum? Hinc etiamnum hodie querelæ audiuntur passim de modio duplici, maiore in accipiendis, & macilento in expendendis frumentis vsitato, de dolosa statera, duplici ponderi mendaciis, periuriis & fraudibus.

EQ. Fures sunt qui pondera & mensuras falsas habent. *Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis.* Deut. 20. *Non habebitis in sacculo diuersa pondera, maius & minus: Non erit in domo tua modius maior, & minor. Abominatur enim Dominus qui facit ista.* Deut. 25. *Statera dolosa abominatio est apud Deum: & pondus æquum voluntas eius.* 11. Prouerb. 11.

Itemq; Psal. 61. *Mendaces filij hominum in stateris.* Et Exod. 16. *Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius.* Ibid. c. 5. *Quando vendes quippiam ciui tuo, aut emes ab eo, non contristes fratrem tuum.*

PH. Fur & is habendus est, qui proximum grauat vsuris ac fœnore. *Qui*

coacervat diuitias vsuris & fœnore, in pauperes congregat eas. Substantia festina minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Qui cum fure participat, odit animam suam. Prou 13. & 28.

EQ. Fur etiam est dicendus, qui terminos agrorum proximi suo mouet loco. *Ne attingas paruulorum terminos; & agrum pupillorum ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te & causam illorum.* Prouer. 23. Deuter. 19.

Atque hæc quidem inconuenientia ac damnosa Reipublicæ vt sopiantur, grauibusq; desuper constitutis mulctis seuerissime prohibeantur, principis interest. Cæterum quum hucusque Auaritiam eaque, quæ exinde damnose emanant, insectati fuerimus, omnibusque adeo diris deuouerimus; agedum, ipsam quoque Auaritiæ effigiem contemplabimur; cuius quidem hæc esto effigies: Vili stat vestitu & peplo caput vinctum, quod auari vix dignentur honestam comparare vestem. Defodit pala foueam dextra, & sinistra crumenam habet magnam, quam cupit defodere, sicut auari solent facere. Stat cistula nummaria prope pedes, cui catenæ iniectæ sunt aureæ, & cyathi deaurati, item Argenti. Quæ bona congerit sua auiditate auaritia. Nudipes est, quod non dignantur auari calceos conficere, ne Thesauro quid desit. De hac Palingenius:

Auaritiæ effigies.

Nodus Auaritiæ non te constringat ab ipsa
Heu fuge, nam certe nulla est hac maior Erynnis
Hanc memorant Acheronte satam, per tristia Ditis
Regna truces agitare faces centumque colubris.
Colla veneficiis gestare minacia: fauces
Humano nunquam expleri potuere cruore,
Semper biant, aliosque tenent, aliosque requirunt
Ore cibos: nulli parcit, nec templa Deorum
Dedecorare timet, malum & insatiabile monstrum.
Nascuntur variæ hinc pestes, discordia, cædes,
Proditio, rixa, fraudes, iactura pudoris,
Contemptus diuum, periuria, iurgia, bellum
Atque aliæ plures, quam dici carmine possint.

Sub toruo vultu videt propter timorem, quo veretur ne gaza auferatur, & maximas curas, vt patet in Euclione Plautino.

Cæterum Filiæ auaritiæ sunt, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, violentia, immisericordia, inhumanitas, cordis durities. Mare terminos habet, leges antiquas nox non egreditur, sola auaritia nullum circumscribit tempus & terminum nescit.

PH. Ba-

PH. Baptista Mantuanus multo elegantius, Auaritiam in quodam depingit carmine; quod recitabo, vos attendite.

Vix ea finieram, cum formidabilis IRA
Castra sequens, aderat stygiis noua bellua signis,
Ingenti comitata manu: mendacia testis
Vultibus & trepida dubia sub imagine fraudes,
Ignotisque dolis sub vestibus agmen agebat.
In medio stipata graui, Regina, tumultu,
Tollebat nigra vmbrosam fuligine frontem.
Auri sacra fames hac est, rerumque cupido
Improba, diuitias amor infinitus habendi,
Hac nummi sitis ardescens, immensa vorago,
Tartareis immissa vadis imitata rapaces
Vnguibus Harpyias, armataque grandibus ora
Dentibus in gyrum, quales quantosque Elephantis
Æthiopes Indive ferunt, sinuantur in orbes,
Et nodos in se rediens coma densa figurat,
Tempora nec velat, sed agit suspensa tumorem
Vndique surgentem, nudaque recedit ab aure.
Nec solum vigiles obeunt hirsuta rotundo
Tempora circuitu, verum sub vertice cano
In ceruice micant oculi ceu florea serta,
Effigies veteri vultusque simillimus Argo.
Sed magis introrsum scrobibus subducta cauatis
Lumina discedunt, setosaque prominet atri
Sylua supercilij, macies squalorque per omne
Corpus, iners dicas monstrum & vix ossibus harens
Sed geminis, quotiens opus est ita nititur alis,
Vt credas ferri Boream Zephyrumque per auras,
Pracipitemve Notum. Lucri si nuncia fama
Surgat, vt acceptus nares odor imbuit auri,
Eleuat ingentes alas & lumine fixo
Visa petens, quicquid falcatis vnguibus auffert,
Stulta suos nunquam venturum seruat in vsus.
Sacra Deum, sanctas leges praclaraque gesta,
Scriptores rerum egregios, celebresque poetas,
Qui procerum laudes chartis & nomina mandant,
Et quicquid non auget opes, auersa repellit:
Sola iuuant qua lucra ferunt, sint catera quanquam
Laudibus & pretio dignissima, catera sordent.

Sicut

Sicut Hyperboreis rutilans in vallibus aurum
Gryphes amant auidique tenent vigilesque tuentur.
Vnde nec vtilitas opera pretiumve laboris,
Sed metus & clades oritur: sic pectus anhelum
Peruigilis monstri, grauiore cupidinis æstu
Feruet. opes cumulans quas olim prodigus hæres
Dissipet & pingues ferat in conuiuia mensas.
Palla sinu lato ex humeris decurrit ad imos
Lapsa pedes, manicæ velant extrema capaces
Brachia, quas vbi vult curuos demittit in vngues
Vtitur his, quotiens opus est vel fingere mores,
Vel gestu simulare fidem, vel fallere quenquam,
Seu furtum celare, manus leuis apta rapinæ.
Perfida mens, nullisque potens mansuescere dictis,
Indignas dignasque preces surda accipit aure.
Vt proiecta bouis detracto grandia tergo
Viscera, perspiciens oculis vel nare sagaci,
Vultur edax, auido curuusque famelicus ore,
Conuolat ad resoluta graui conuiuia tabe:
Sic ad opes aurumque cito sitis ista volatu
Fertur, & ad nudum spolians fragmenta, breuesque
Relliquias studiosa legit gremioque recondit.
Nec contenta bonis Diuum quæ munere tellus
Protulit, in partem scelerum vocat astra Deosque,
Exercetque preces magicas & consulit aras,
Infernosque vocans manes, altaria circum
Nocturnasque adhibet vestes, tetroque vapore
Orgia perlustrat, ducensque in puluere circum
Murmurat; & variis distinguit signa figuris,
Extaque Tyrrheno ritu seruata requirit
Thesauros. Quæ terra tegit liuentia plumbi
Pondera, & argenti globulos viuentis & æra
Artifici mendax vertit medicamine in aurum.
Falsaque cum veris iungens, cum Doride Bacchum,
Cum gemmis fragiles hyalos, cum Palladis imbre
Miscet Aristæi succos & cerea mella,
Mentitusque nouas, fuco errorem faciente,
Confectis senio deludit mercibus omne
Turpiter emporium, lucrique libidine feruet.
Et totos hac arte dies consumit & annos.

Vtique dies tristi, sic nox abit, anxia, monstro,
Nullaque pax vitio, rodentibus intima curis,
Pectore nulla quies. Post turpia lucra diurna
Fraudis, & exlegem quæstum, si lumina somnus
Occupat, & duro furatur membra labori:
Pictus imaginibus formisque fugacibus astat
Morpheus, & variis fingit noua vultibus ora,
Vanaque sopitos ludunt insomnia sensus.
Nam rerum tenues vmbras, simulacraq; seruans,
Lubricus liquidis vt fluxibus ambulat humor,
Et nunc summa petens, repetit nunc ima, relapsus
Antra cauernosi capitis rigat, itque reditque
Nunc iter obliquum sinuans, nunc tramite recto
Fertur, & ipse sibi redit obuius, aut agit arcum,
In dextram læuamque cadens, vt pellit & vrget
Fumus, & ingressi caua spiramenta vapores:
Sic rerum species variis concursibus, vt sors
Obtulit, aut vsus, vel vis incognita cœli,
Spirituumve potens industria nocte silenti
Diuerso ostentant diuersos ordine casus.
Quæ simulachra magis vigilans exercet in vnum
Nocte reuertuntur, verisque simillima formant.
Ostentantur opes cupido, quia tempore lucis
Cogit opum species, & iter quod luce frequentant,
In tenebris repetunt & noto calle recurrunt,
Cœcaque præteritas imitantur somnia curas.
Illa per obscuros capitum delapsa meatus,
Ad vigilem subeunt animum, casusque figuris
Mobilibus formant, sopitaque corda iacentum
Sollicitant, nec vana minus quam vera fatigant.
Interea circum vittas, & anhela frequentes
Ora volant curæ, moxque vt sopor euolat, intrant,
Mordacique secant iterum præcordia rostro.
Monstrum igitur si quando quies blandita soporem
Reddidit, aut auro insudat, sublatave furto
Semina frugiferæ Cereris, vel inania plangit
Horrea, vel dura decussos grandine fructus,
Effusamve fretis mercem deprensave furta,
Atque iterum tractat sub nocte negotia lucis,
Totaque sub curis it vita simillima morti.

Hac animum turpi maculans & corpora labe,
Quærere cœlesti precium pro munere iussit,
Vanaq; composito mendacia fingere vultu,
Quando grauem sacro morbum Naamanus in amne
Abluit, & puerum spoliis onerauit & auro.
Hac Priami natum, cum longa pepercerat ira
Martis, & à Patria procul obsidione latentem
Traicio, iuuenem innocuum, mucrone peremit.
Ah scelus! ah dirum facinus, multoque piandum
Sanguine! primæua imberbem sub flore iuuentæ
Ignarumque doli puerum, nil tale verentem,
Perfidus obtruncat: placidum rosei decus oris,
Et regale caput simplex sine crimine pectus,
Et natas ad sceptra manus, veniamque precantes,
Vulnerat immitis repetito sæpius ictu.
Prætereo concisa sui qui corpora nati
Diis epulanda dedit, quique auro vendidit vrbem
Quique suum superans hostem, superatus ab auro,
Exanimum Phrygio versatum puluere corpus,
Misit ad extremos ignes patriumque sepulchrum.
Vt genus infrænum Nasamon, qui versus in Austros
Incolit Isiaco contermina rura Canopo,
Naufragiis victum quærens gaudere procellis
Turbinibusq; solet, fusasque per æquora merces
Colligit, & nautas ad Punica littora pulsos,
Auxilium simulans, violat. sic improbus auri
Raptor in aduersis si quenquam viderit angi
Casibus exultat: fictoque astutior ore,
Dum promittit opem, spoliat, prædamque reportans
Celat & exuuias occulto congerit antro.

Hactenus Mantuanus. Annon autem iure liceat mihi exclamare?
O scelus, ô rabies, & habendi insana cupido!
O miseranda lues totum diffusa per orbem.

EQ. Addam ego ad Auaritiæ effigiem, vt fiat conspicatior tres illas Harpyias, quarum nomina enumerantur: *Aello, Ocypete & Celæno.* Aello quasi ἕλων ἄλλο, id est alienum tollens: Ocypete, id est, citius auferens: Celænum, Græce nigrum, quod Harpyiæ aliena celeriter in nigro, hoc est, clanculum auferant. Omnes plumatæ, volantes & virgines: virgines ideo, quod omnis rapina sit sterilis & arida: plumatæ, quia quicquid rapina acquirunt, furtim plu-

Harpyiæ tres.

plumis celant: volantes, quod ii qui furantur, celeriter fugam arripiunt.

Aiunt autem, Harpyias Phineo regi Pœoniæ (hodie Pannoniæ) fœneratori cæco (quia omnis auarus cæcus) cibum & substantiam asportasse. Habuit enim Phineus filias duas, quæ ceu Harpyiæ illius bona omnia adeo dilapidabant, vt victi eius misericordia amici, filias è ciuitate eiecerint, bonaque dispersa in vnum cumularint, & Thracensis cuiusdam custodiæ mandarint. Hæc Fulgentius de rebus naturalibus.

PHIL. Enumerasti paulo ante aliquot Auaritiæ filias; atque has quidem Iohannes Ludouicus Viualdus, *in tract. de veritate contritionis*, aliquanto recenset fusius. Auaritia, inquit, generat sceleratas filias septem, quæ animam peccatricem seducere conantur, quarum prima dicitur obduratio cordis contra misericordiam, quæ fit omittendo eleemosynam, hæc filia ab Isidoro vocatur Inhumanitas. Secunda dicitur inquietudo. hæc ingerit homini solicitudinem & curas superfluas, quam innuit Ecclesiastes *cap. 5.* dum inquit: *Auarus non implebitur pecunia.* Et Iuuenalis: *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Tertia dicitur Violentia; hæc fit nocendo alicui palam vel occulte. hæc filia ab Isidoro vocatur Rapacitas. Hinc Gregorius lib. 15 moral. *Si tanta pœna mulctatur, qui non dedisse sua conuincitur, qua pœna feriendus est, qui redarguitur aliena abstulisse.* Cui congruit illud Augustini in libro de verbis Domini: *Si cum Diabolo ardet, qui nudum non vestiuit, vbi putas arsurus est qui expoliauit?* Quarta filia auaritiæ vocatur Periurium. nam auarus vt possit lucrari, excedit in sermone, & aliquando vtitur periurio, quod sæpe euenit inter ementes & vendentes. Hinc Chrysostomus: Nemo est qui frequenter iurat, quin aliquando non peieret. Quinta dicitur Fallacia, quæ fit per verba decipientis in occulto, de qua Augustinus in libr. de diffinitionibus: *Fallacia*, inquit, *est, per quam motibus deceptoriis veritas palliata, vel odium alterius vel proprium commodum intendit.* Sexta dicitur Fraus, quæ est deceptio perfecta, hæc fit in præsentia illius qui decipitur. Hinc Seneca in prouerbiis: *Fraus est accipere quod non possis reddere. Repelli se homines facilius quam decipi ferunt.* Septima dicitur Proditio, quæ est idem quod deceptio, quæ fit in absentia decepti. Cæterum rei auarorum summa est;

Omnis in hoc studio nobis consumitur ætas,
Hoc agimus, magnas vt cumulemus opes.
Quas si cum fuimus per fasque nefasque secuti,
Tunc nobis magno vita dolore perit.

EQ. Verba vix inueniunt Scriptores, quibus auarorum exprimant

 faciem,

faciem, mores, gestus, idque propter diuersa auarorum ingenia. Ioan. Iouianus Pontanus genus illorum quoddam vocat astrictos, tenaces, aridos, atque attenuatos; eosque in vtendis pecuniis nimis effractos ac minutos, atque etiam concisos, & vt ita dixerim, exangues, quorum exoleta semper vestis, mensa tenuissima & sordida, supellex exilis, eaque carie exesa, aut si quid forte in domo splendidiusculum fuerit, ab vsu ipso sepositum, demum domestici omnes sumptus, perquam tenues atque emendicati & minutissimarum rerum importuna diligentia & cura.

Auarorum conditio.

Hos etiam seipsos accusantes videas apud Comicos, quod seque geniumque comparcendo defraudent. Eorum quam ridicula vita sit, quam etiam misera, Euclio ille Plautinus docet, qui aquam plorat cum lauat, effundere qui vnguium præsegmina à tonstrina domum referat.

Auaritia sordida & spurca.

Sequitur deterrimum, inquit Pontanus, auaritiæ genus, quod partiri plures in species, atque, vt Cicero vocat, formas, possumus: neque enim auari omnes pari atque eodem modo, sed alii magis, alii vero minus eius squalore, illuuie ac fœditate contaminantur atque inquinati sunt. Quo de genere sunt lenones, aleatores. Item qui fœnerant, qui pyraticam exercent, qui latrocinia, sicas, quique sordidis ac turpibus quæstibus dediti sunt: qui etiam lucri gratia flagitiosa sectantur, seque probris obiectant. His addendi, qui pro quæstu etiam tenui, maxima quæque pericula adeunt, quique summa perfidia & infamia, in quos benefici esse deberent, in illos vim aut fraudem exercent. Quorum quidem omnium ea institutio est, idque consilium, vt dum quærant, dum in domum inferant, nihil sordidum ac turpe defugiant, nec pro exiguo quidem lucello, ab infamia iter detorqueant: Sed cupiditate habendi, comparandarumque diuitiarum, ac rei ampliandæ ardore nimio incensi præcipitesque cuncta vndique corradunt, non parcunt illiberalibus, non abstinent sordidis: quippe quibus nullus amicitiæ, nullus religionis, nullus honesti, nullus denique famæ cultus aut respectus est. Lucro, qualecunque sit, illud cuncta post habentes. Itaque & vnde, atque à quibus minime licet, & supra quam opus est, & quam decet, quacunque ratione capiunt. Quid, capiunt? tolerabilius hoc esset: furantur, depeculantur, compilant, intercipiunt, auferunt, extorquent dolo, vi, fraude, malis artibus, omnique impuritatis ac flagitii genere. Siquidem ipsorum sunt compilationes, furta, latrocinia, violentiæ, rapinæ, falsæ obsignationes, iniqua iudicia, fraudes, fœnerationes, mercenaria, parricidia, venena, quibus effectum est, vt auaritia & habeatur, & sit vitiorum omnium caput & fomes, quippe cum ad omne flagitii genus viam aperiat.

PH. Audite etiam Baptistam Fulgosum desuper, *in suis exemplis lib.9.cap.4.* De auaritia, inquit, iam tandem scribamus, quæ fomentum auiditatis est, atque vrgens ad omne scelus calcar: ab animis enim, in quos semel ingressa est, amicitiam honorisque desiderium pellit, ac nunquam inde egreditur. Quin potius cum annis crescit, & quamuis senio subeunte corporibus vires decrescant, habendi cupiditas tempore ipso augetur: & quo minus ad viuendum spacii superest, tanto plus struendis intenta opibus, timidius necessaria promit. Itaq; quicunque auaritia captus laborat, cum neminem amet, à nullo etiam amatur: & cum omnia auro postponat, quanto plus auri possidet, tanto plus quærendo inhiat: veluti Hydropicus, qui bibendo semper magis sitit, & si totum aqua perfusum plenumque corpus habeat. Quæ res efficit, vt non sine ratione omnium Italorum consensu in idem conuenientium nomen, (auaritiæ enim comes semper est miseria,) auaros omnes miseros esse dicamus.

EQ. Non miseri duntaxat sunt auari, verum etiam pessimi. Si namque auaritia ad alia conferatur vitia passim gliscentia, facile comperiemus, auaritia nullum esse detestabilius. Inuidia quidem, vt ait Petrarcha, lib. 6. Epist. famil. mæsta sæpe, attamen otiosa est. Auaritia vero & tristis est & occupata. Superbia dum se aliquid magnum putat, falsa licet opinione delectatur. Auaritia vero semper se famelicam & egenam sentit, neq; fallitur. Verissimum enim est poeticum illud: *Semper auarus eget.*

PH Recte itaque atque admodum concinne Diogenes eos, qui immensas opes cumularent, μεγαλοπτώχους, id est, magnificos pauperes appellare solitus est.

EQ. Cætera mala dilui facile, expiariq; possunt, & sæpe quem vidimus primis adolescentiæ annis libidinosum, lubricum, ganeonem, iracundum, superbum reliquaque huiusmodi vitia consectantem, eundem ipsum prouectiorem ætatem sobrie, caste, continenter, modeste, integreq; ducentem obstupescimus, in eoq; probamus optimum illud Satyricumque præceptum *Breue sit, quod turpiter audes.* At vero qui possit extorta dimittere, aut ablata restituere, pœnitere præteriti quæstus, saluberrima confessionis medicina conscientiam abstergere, fidem temeratam diruptamque iustitiam resarcire, vel neminem comperies, ita aurum tenaciter hæret radicibus, fibrisque ipsis conglutinatum introrsus cordibus hominum. *Auaritia annis non deficit.*

PH. Liceat igitur nobis cum Ia. Philomuso poeta ita in aurum auriue cupiditatem inuehente conclamare:

Aurum destructor vitæ, princepsq; malorum,
O quam difficiles nectis vbiq; dolos!

O vtinam natum nunquam mortalibus esses,
Dulcia suppeditas quæ nocumenta viris?
Te propter pugnæ fiunt, & bella mouentur,
Ad prædam & cædes corpora nostra trahis.
Tu facis, ingratus patrem quod filius odit,
Inter & agnatos iurgia sæpe moues.
Prosternis gentes, & totum destruis orbem.
Nulla fides hominis te duce stare potest.
Fœdera tu regum, tu falsos iungis amicos,
Imperio seruit & genus omne tuo.
Scrutamur montes, atque intima viscera terræ,
Nec tutum poteris subtus habere locum.
Felix ille tamen, modico qui viuit in agro,
Vincula nam mortis hunc leuiora manent.
Et linquit post se nullas in funere lites,
Dat mentem superis, ossaq; condit humo.

EQ. Referam historiam ridiculam de auaro somniante thesaurum, quam bellus quidam poeta sic descripsit:

Irus, inexpleta ducente cupidine, quidam
Optabat magnas, semper inanis, opes.
Si quid forte manu tenuit, vel in ore, ciborum,
Alter erat votis ingenioq; Midas.
Esuriebat opes, Gangemq; fluenta sitiuit:
Aurum Tantaleo semper in ore fuit,
Sic, vt & insomnes totas sæpissime noctes
Duceret: an non est hoc furiale malum?
Huic aliquando tulit Morpheus infantia verum
Somnia, regales ceu reperiret opes:
Iubilat, exultat, lætatur, & vndiq; quærit
Ligna, quibus ponat signa notanda loco:
Namq; videt nudum se non abscondere posse,
Et cogi vestes vasaq; ferre domi.
At cum nulla videt nec ligna nec obuia saxa
Stercoribus propriis ponere signa parat.
Nec mora, delusus fœdauit stercore lectum
Proq; auro cupida tangit oleta manu.
Somnia sic cæca ludunt fallentia nocte
Vt vel iurares, verius esse nihil.

TH. Multa etiam vigilantes quandoque somniant thesauros, qui quidem melius

melius honori ac famæ ſuæ conſulerent, ſi theſauris iſtis non ita temere ac malitioſe inhiarent. Hiſtoriam de Herode (recentia enim ſunt odioſa) audite, quam his verbis recẽſet Ioſephus: Herodes multum pecuniarum domi foriſque profundens, audito quod Hyrcanus qui ante eum regnauit, recluſo Dauidis ſepulcro tria millia talentorum argenti extuliſſet, ſupereſſeque multo plura quæ poſſint quantumuis magnis ſumptibus ſufficere, multo tempore animum habuit idem aggredi. Tunc vero noctu apertum ſepulchrum ingreditur, cum prius accurate cauiſſet ne hoc reſciret populus, aſſumptis tantum amicorum fidiſſimis. Depoſitas tamen pecunias non inuenit ſicut Hyrcanus, ſed mundi pretioſi & aureorum ornamentorum vim magnam inde ſuſtulit. his inuitatus ad diligentius ſcrutandum, interius proceſſit, vſque ad conditoria corporum Salomonis ac Dauidis: vbi duos ſatellites amiſit, erumpente (vt fertur) ex adytis flamma contra progreſſos temere, quo caſu territus exiuit, & tactus religione ad expiandum ſe in aditu ſepulchri monumentum è candido marmore condidit ſumptuoſiſſimis impendiis.

Monumenta mortuorum non ſpolianda.

Auaritiæ ſugillatio.

EQ. Eiuſmodi auaritiæ ſugillatio extat apud Cœlium *lib.12.cap.37.* his verbis. Semiramidem Orientis Reginam, & mulierum omnium, quarum ex hiſtoria ad nos perlata eſt notitia, longe celeberrimam (quanquam cum Cyro præcipue admiratus Alexander fertur, quod in illis & magnitudo animi, & rerum claritas plurima emicuiſſet) legimus cum ſibi iam magnum monumentum, in quo perfuncti humanis reconderetur, ſtrueret, inſcriptionem eiuſmodi exculpendam curaſſet: Quicunq; ex Regibus pecuniæ inopiam ſenſerit, conditorio recluſo, ſumat inde, quicquid viſum fuerit: Id cum pellegiſſet Darius, vt qui auri foret auidior: ſepulchrum iuſſit recludi: Sed in eo pecuniam quidem inuenit nullam. In eas autem incidit literas:

Εἰ μὴ κακὸς ἦσθ' ἀνὴρ καὶ χρημάτων ἄπληστος, οὐκ ἂν νεκρῶν θήκας ἐκίνεις; quod eſt ni malus vir fores, & pecunia prorſus inexplebilis, non vtiq; mortuorum loculos moueres.

PH. Quid non mortalia cogis Pectora, auaritiæ ſtimulis agitata maligne? Marcus Craſſus plurimis virtutibus ornatus erat, quas omnes ſolius auaritiæ ſordibus obſcurauit. Fuit inquit Hippolytus à Collibus, in *conſiliario*, nobiliſſimus, fuit eloquẽtiſſimus, fuit iuriſconſultiſſimus, fuit Pontifex Maximus, fuit ditiſſimus Quiritum poſt Syllam. At omnes has virtutes & fortunæ bona auaritiæ ſordes obſcurarunt. Cui etiam hoc natura inſitum fuit, vt in aliis cognoſceret, quod in ſeipſo ignorabat. Nam cum ipſe auariſſimus eſſet, grauiter tamen maledictis ac probris auaros omnes inſectabatur, quaſi cunctos homines ſui ſimiles odio haberet, ſibiq; ſoli liceret auaro eſſe.

Marci Craſſi virtutes deſœdata.

EQ. Maximilianus I. Imper. licet ob penuriam rei pecuniariæ magnas res proſpe-

Maximiliani I. arca-

prospere inchoatas deserere coactus fuerit, tamen incredibilem thesaurum reliquit: Quatuor enim arcas Argentinæ, quatuor Vlmæ, quatuor Augustæ Vindelic. & quatuor Noribergæ habuit, in his thesauri conseruabantur relicti à Friderico 3. Alberto Duce Burgund. Cuspian. teste Hedion. *in Chron.* Sic multi, vt est in prouerbio, clausis thesauris incubant & quidem thesaurum possident, sed vti non norunt.

Auaritia Nicephori Phoca. Fuit in Nicephoro Phoca auaritia inexplebilis, adeo vt nullas extorquendæ à subditis pecuniæ, & quæstus conficiendi occasiones prætermitteret, & fame grassante etiam insultaret egentibus, frumenti precio plus æquo adaucto. Sed dum prætextu bellorum deglubit & expilat subditos, & numismata, diminuta vsitati ponderis parte, attenuat, incurrit in odium ciuium, cuius occasione à Iohanne Cimisce, quem antea offenderat, trucidatus est in cubili: Cōsilium cædis & operam adiuuante Theophania coniuge, vt Imperium, quod Nicephorus in fratrem Leonem transferre decreuerat, redderet filiis ex priore marito natis.

EQ. Nimirum Principum indigentia grauium exactionum & tributorum est seminarium. Atque vt locustę spicas, sic malus princeps rempublicam detondet. Quanquam etiam humi interdum huic immerguntur malo. Audite rem gestam. *Mauritii auaritia.* Cum Caganus cepisset duodecim millia Romanorum militum, ostenderetque posse redimi captiuos, & pro singulis vnum aureum peteret; negauit Mauritius seu auaritia, vt scribitur, seu pertinacia, se redempturum esse captiuos. Iratus igitur Caganus omnes trucidari iussit. Horum interitus cum magnum dolorem multis afferret, ortæ sunt in reliquis exercitibus seditiones, præsertim quia & Petrus frater Mauricii dux stipendia indigne pendebat, & in tantum odium venit Mauricius, vt in die natali Christi ingrediens in templum pene lapidibus obrutus sit. Nec tantum beneuolentiam populi in aduersa fortuna amisit, sed etiam virtus languefacta est, & multi errores consiliorum secuti sunt, sicut dicitur: Æger animus semper errat. Philippicum Ducem, cui nupta erat Mauritii soror, inclusit in carcerem, falso suspicans eum regnum appetere. Germanus, cui nupta erat soror vxoris Mauritii, cum eum prehensurus esset, fugit in templum: filius Theodosius, cui Germani filia nupta erat, cæsus est fustibus, quia pater suspicabatur, cum adiuuare consilia soceri contra ipsum.

TH. Effecit auaritia, vt Visbuc rex Gothorum fuerit in summum omnium adductus odium: & habitus etiam à filiis contemptui, adeo vt etiam à duce Domaldro, vt ait Vpsalensis, combustus sit. Nam prætextu inopiæ regiæ coronæ, nunc mutuo, nunc dono, nunc minis omnium ciuium bona rapuit, *Pet. Greg. Tholos. lib. 8. de repub. cap. 8.*

PH. Recte igitur Alcamenes Teleori filius, cuidā pcōtāti, quo pacto qs optime regnū seruare posset. Si lucrū, inqr, nō magnifecerit. Lōge lateq; dissētiēs

à vulgo

à vulgo principum, qui non alia magis ratione principatum constabilire student, quam attenuandis ciuium suisque augendis opibus: quum iustitia & æquitas maxime reddant diuturnum imperium. *Plut. in Lacon.*

EQ. Extant passim grauissimæ commonefactiones nō tantum de tributis & exactionibus, sed etiam de vero diuitiarum vsu, quas cum non attendunt Magnates, in grauissimas sæpenumero incidunt difficultates.

TH. Verus diuitiarum vsus in misericordia erga pauperes situs est. Hinc egregie Iacobus Billius in Anthologia sacra:

Tum furit horribilis pardus, tigrisq́, leoq́,
Cum cauea inclusos arcta repente tenet.
Sic etiam nunquam furit aurum immanius, arca
Quam cum illud dominus claudere parcus amat.
Quid facies igitur, ne te fera vulneret ista,
Quæ quo plus clausa est, plus feritatis habet?
Solue feram, pascens, quos aspera vexat egestas,
Protinus hac mitis redditur arte fera.

EQ. Per. Rauisius, Diuitiç, inquit accumulantur diuitibus, nec est qui respiciat pauperem & mendicum. Elisæus vasa vacua implebat, & deficientibus oleum dedit. Hodie vero contemnuntur vasa vacua, & plena superimplentur: ligna in syluas, & aquæ in maria deferuntur, arenti terræ aqua subtrahitur, & flumina quæ non indigent, irrigantur. *Diuitiarū vsus & abusus.*

TH. Non minoris est criminis (inquit Ambrosius in quodam serm.) habenti tollere, quam cum possis & habes, indigentibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum, quod tu includis: miserorum redemptio & absolutio pecunia, quam tu in terra fodis: tantorum scias te inuadere bona, quantis possis præstare, & nolis. Non sunt bona hominis quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorum.

EQ. Horrendum est, quod recitat Natalis Comes in sua historia: In Suetia, inquit, cum magna exorta esset annonæ penuria, Richberger vir opulentus & diues, sed ingenio crudeli & auaro, qui nihil sanctum aut admirabile præter opulentiam existimabat, quoquo modo illa compararetur, propter suam auaritiam mirandum, ac semper memorabile exemplum posteris reliquit, cum per illud pateat, neminem auarum non esse Dei aduersarium, & hostem. Plurimum enim dissentit à natura, & à diuinis institutis, suarum facultatum nimis esse tenacem, cum viri boni non possessores simpliciter, sed villici DEI reipsa sint.

Hic cum magnam haberet copiam frumenti, atque res illuc esset redacta, vt necessario ab illo emendum esset, cœpit non vendere nisi magno precio. Inops ciuis multis filiis grauatus, vix collecto dimidio precii, rogat concedi

frumentum, reliquam partem precii breui se daturum, pollicetur. Proponit periculum familiæ suæ ex inedia: vanæ fiunt preces: missus est seruus in horreum paulo post alia de causa, patefacta porta, visi sunt bini boues nigri vesci frumento: rem defert ad dominum, moritur nuntius, alius spectatum missus, refert, sues etiam accessisse, ac moritur.

Accedit Dominus ipse damni magnitudine territus, non audet portam aperire, sed spectat per rimas: visis multis animalibus varii generis vescentibus: ita furore corripitur, vt necessario coniectus sit in vincula.

Sed hæc de diuitiarum abusu obiter. A vero quod antea diximus, indignũ omnino est viro Principe, tenaces vsq; adeo habere manus, vt non tantum nulla exhibeant prompta beneficia, sed etiam quouis modo illiberali pecunias aucupentur.

TH. Ex horum numero fuit Vespasian. Imperator, is Legatis illi aliquãdo renunciantibus, decretam illi publice non mediocris impensæ statuam, iussit vt eam continuo poneret; & vacuam ostendens manum: Ecce, inquit, parata ensis, significans, vt eam pecuniam quam in statuam decreuissent impendere mortuo, viuo darent in manum.

PH. Philippus Scherbius *in 2. parte Comment. in polit. Arist.* Cum deliberatum conclusumq; esset, vt Gerstmarius præceptor Rudolphi Imperatoris, in locum Episcopi Vratislauiensis eligeretur, deq; eo Imperatoris etiam matri cõstaret, illa lucrum ex futura propediem isthac electione captans, ipsum adiit, creaberis, inquiens, Episcopus Vratislauiensis. Ille cum honeste se excusasset, (quanquam sibi de electione ista certo constaret) indignum se esse tanto beneficio, & ineptum id functionis administrare. Imperatrix quæ pecuniam sitiebat, certe, ait, Episcopus fies, & quo pignore mecũ certabis? deponam tecum 3000. ducatorum. Quam pecuniam postea, illo Episcopo facto, callidissimo hoc consilio lucrata est.

EQ. Sunt hæc illiberalia, vti non minus illorum minus prompta beneficia, quæ etsi quandoq; exhibeant, sic tamen exhibent, vt ex illorum manibus extorqueri potius quam exhiberi videantur. De qua tenacitate scite admodum Seneca, *2. de benef.* 8. Ne Principi quidem inquit, satis decorum est, donare ignominiæ causa, (id est, *ignominia iniecta accipienti.*) Ab Antigono Cynicus petiit talentum, respondit, plus esse, quam quod Cynicus petere deberet repulsus petit denarium, respondit, minus esse, quam quod regem deceret dare. Turpissima est eiusmodi cauillatio. Inuenit quomodo neutrum daret: in denario regem, in talento Cynicum respexit: cum posset ei denarium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam rex, vt sit aliquid maius, quam quod Cynicus accipiat.

Et ibi-

Et ibidē Seneca, Tiberius Cæsar, inquit rogatus à nepote M. Ælio prætore vt æri alieno succurreret, edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores conuocare. Cum edita essent, scripsit nepoti, iussisse se, pecuniam solui. Adiecta contumeliosa admonitione effecit, vt nepos nec æs alienum haberet, nec beneficium. Liberauit illum à creditoribus, sibi non obligauit. Aliquid Tiberius secutus est, puto. Noluit plures esse, qui idem rogaturi concurrerent. Aliquot post. a qui idem rogarent, inuenti sunt, quos omnes iussit reddere æris alieni causas: & ita certas æris summas dedit, nō est illud liberalitas, censura est.

PH. Insigne Epitaphium in obitum auarorum conscripsit Iac. Lectius, hoc quod sequitur carmine:

Aspicis vt caso gaudet vicinia porco?
Aspicis vt choreis atria tota crepant?
Hic botulos, alius vesicam sperat inanem,
Et parat hic flammas, & parat alter aquas.
Tum consanguineis lata materna puella
Munera lumbellos auriculasq; ferunt.
Vngue alius lardoq; alius donatur opimo,
Hic femoris partem rettulit, ille gula.
Publica non aliter frustra properantis auari
Nascitur, audito funere lætitia.
Illum rura manent, manet hunc vrbana supellex,
Atq; alios alius depopulat loculos.
Hic primis aliquid ceris tulit, ille secundis,
Et venit in varias præda petita manus.
Inuisusq; miser cunctis dum vita manebat,
Communi moriens vtilitate placet.

Extat etiam elegans Ausonii Epigramma, in quo Diogenem Cynicum inducit apud inferos illudentē Crœso, paritatēq; pauperis & diuitis demonstrat:

Effigiem rex Crœse tuam ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit, vtq; procul solito maiore cachinno
Concussus dixit, Quid tibi diuitiæ
Nunc prosunt, Regum rex ô ditissime, cum sis
Sic vt ego solus me quoq; pauperior?
Nam quacunque habui, mecum fero, cum nihil ipse
Ex tantis tecum Crœse feras opibus.

EQ. Sed sunt interim etiam quidam in petendis à Principe beneficiis atmodum importuni. Cuius rei succurrit mihi iam in mentem lepida *Petitorum importunitas.*

 equi-

equidem, nec minus vtilis historia de Cytharœdo quodã Timotheo. Agebat is apud Archelaum, sed quum spe aliquanto parcius ab eo donaretur, non desinebat illum lacessere; quin succinens quandoque commation illud: σὺ δὲ τὸν γηγίνεταν ἄργυρον αἰνεῖς, id est, *tu autem terræ filium argentum laudas*; intendebat in Archelaum. At is festiuiter: σὺ δ᾽ αἰτεῖς, id est, *tu autem petis*.

Philippus quoque auarum nactus Medicum, & indesinẽter efflagitantem, pars est in corpore, qua collo adnectitur pectus, eadem græca voce κλεὶς id est, clauis, forte à quodam conuulneratus eo loci fuerat Philippus curabaturque, vt assolet: Qui eo fungebatur munere, cum expleri muneribus nõ videretur, insusurrauit imperator. λάμβανε ὅσα βούλει· τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις. Cape, inquit, quantumlibet, quando clauem habes.

TH. Addam & ego huiusce generis aliquid lepidum. Hadriano sophistæ miserat quidam pisces in disco argenteo: at ille delectatus vasculo non remisit, tantum ei qui miserat, respondit, Bene facis quod etiam pisces: quasi discus esset dono missus, pisces tantum nouitatis gratia additi.

Huic fere consimile est, quod euenisse Coloniæ narrat Erasmus *in Apophtheg.* Is cum esset apud Coloniam Agrippinam, senatus honoris gratia misit vinum in cantharis testaceis, nec eos repeti mos est. Id admiratus, rogauit causam. Responsum est, olim vinum solere mitti cantharis argenteis hoc honoris cum esset habitum cuidam ex eorum numero, qui magnam nobilitatis partem existimant rapto viuere, postridie mane profectus est cum argenteis cantharis. Re comperta misit ad illum Senatus, qui cantharos reposceret. At ille, vltro, inquit, dono dedistis, & ego gratias egi. Hoc casu admoniti mutarunt consuetudinem.

PH. Tu nos ambos pungis; te quoq; leuiter pungam. Nosti carmen:

Non senium, nec hyems, si sit spes vlla lucelli,
Sacrifico in templis esse molesta solet.

Vnde quidam:

Vtilitas facit esse deos, qua nempe remota
Templa ruent, nec erunt aræ, nec Iuppiter vllus.

TH. Omittamus isthæc, ne in bilem transeant; & quæ porro de diuitiarum vero vsu, dicenda nobis restant, persequamur. Xenophon loquatur. Non eos, inquit, qui pecunias plurimas possident, & custodiunt plurimas, felicissimos duco: sed qui parere quamplurimas iuste potest, & plurimis præclare vti, hunc ego felicissimum arbitror, atq; etiam ipsas eius pecunias. *Xenophon lib. 8. de Instit. Cyri.*

PH. Au-

PH. Audite etiam Senecam, *in libro de beata vita contra auaros*: Diuitiæ apud sapientem virum in seruitute sunt, apud stultum in imperio.

EQ. De diuitiarũ acquisitione laudabiliter admodum Solon *Diuitias*, inquit, *habere quidem cupio, per iniuriam vero consequi nolim, subsequitur enim mox supplicium.* Et inter L. Metelli felicitatis argumenta id recensetur; pecuniam magnam bono modo inuenisse. *Diuitiarũ spretores magnanimi*

TH. Summopere admodum commendantur passim apud autores, qui diuitiarum magnitudinem susque deque ferentes magnanimitatem & constantiam præ se tulerunt eximiam. Inter hos numeratur M. Curius dentatus. Is Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapa torreret: malo, inquit hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus imperare. Quum intercuersæ pecuniæ argueretur, cadum ligneum, quo vti ad sacrificia consueuerat, in medium protulit iurauitque se nihil amplius de præda hostili in domum suam conuertisse.

Simile propemodum narratur de Phocione Atheniensi. Hic cum à Rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: Hic ille, si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri: nolo meis impensis illorum ali, augerique luxuriam.

Pomponius Atticus cum augere possessiones suas posset, tantum tamen abfuit à cupiditate pecuniæ, vt nulla in re vsus sit ea, nisi in deprecandis amicorum aut periculis aut incommodis.

PH. Non possum, quin & ego pauca quædam de odioso illo auaritiæ vitio discursui nostro annectam. Frontem apertam ac liberalem, mentem hilarem, gestus amabiles, atque vt verbo dicam, omnia ingenua quæcunque hominem decent & condecorant, ii præferunt, qui in potiori rerum fastigio constituti, Iustitia & æquitate ab vtroque latere assistrice peculiis rerumque affluentia ita vtuntur, vt iisdem non abutantur. Quum econtra auaritiæ cæno immersi, frontem rugosam, atque euersam mentem tristem, gestus horridos, atque vt identidem verbo dicam, omnia sordida atque illiberalia, obliquo intuitu præferant. μικρόκοσμον, id est, paruum illum mundum (hominem) non mundant, sed admodum dedecorant, dehonestant deturpant. Hinc apposite D. Bernhardus in quodam sermone: Diuitiarum, (inquit) amor insatiabilis longe amplius torquet animam, quam refrigeret vsu sui, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris inuenitur. *Auarorum monstrosa ingenia.*

TH. Auarus hic ardet (inquit Hieronymus) æstu concupiscentiæ, ac multiplici cura custodiæ, & postmodum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem

 videt,

videt, timet raptorem, si inferiorem, suspicatur furem. Infelix tanta patitur, quanta pati timet. Et: Sicut bestia fiet saeua, more leonum, more pardorum, more vrsorum, qui dum includuntur coercenturq; in tenebris, erigunt animos, acuuntq; iras: Itidem & diuitiae dum includuntur & refodiuntur, acrius rugiunt, quam leones, perturbantque omnia. Quod si eas è tenebris eduxeris, & in egenorũ ventres dissemines, ex feris bestiis fient oues, q̃ fuerant insidiosae duces, pro scopulo fient portus, pro naufragio trãquillitas, *Homil. 5. de auaritia.*

PH. Quaenam (inquit Augustinus *de verb. Domini,*) est ista auiditas concupiscentiae, cum ipsae beluae habeant modum. Tunc enim rapiunt, quando esuriunt, parcunt vero praedae, cum senserint satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum Semper rapit, & nunquam satiatur, nec Deum timet, nec hominem reueretur, nec patri parcit, nec matrem cognoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat. Viduam opprimit, pupillum inuadit, liberos in seruitium reuocat, testimonium falsum profert. Res mortui occupantur, qua & qui faciunt non moriuntur? Quae est illa animarum insania? amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere coelum.

EQ. Quemadmodum (inquit Stobaeus *Serm. 90.*) is qui bonum habet equum, imperitus autem est equitãdi, eo nequaquam delectatur. Sic homines praediuites colligunt quidem opes, horum autem vsum cum nesciant, non voluptatem vllam ex his capiunt.

TH. Quod sine miserabili gemitu (inquit Bern. *super Cant.*) dicẽdum nõ est; Christi opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, haec omnia in fornace auaritiae conflant, & praefigunt in acquisitione turpis quaestus & pretium vniuersitatis suis marsupiis includere festinant: hoc sane à Iuda Iscariote differentes, quod ille horum omne emolumentum denariorum numero cõpensauit, isti voraciori ingluuie lucrorũ infinitas exigũt pecunias.

PH. Exemplum vnum aut alterum annectam. Antigonus in extorquendis pecuniis acer erat ac rigidus. Cuidam itaque dicenti: An non talis fuit Alexander? Merito, inquit, nam ille metebat Asiam, ego culmos lego. Sentiens, opulentissimã Asiam prius ab illo spoliatã, sibi à spoliatis corradẽdũ quod possit.

Nero (teste Suetonio) nũquã cuiquã officiũ delegauit, nisi hoc adiiceret: Scis qbus mihi est opus; hoc agamus, ne qs qd habeat. vox pdone q̃ principe dignior.

Admodũ rapacis ingenii specimen edidit Constãs tertius, Phocae Imperatoris ex Cõstantio Imperatore, maiore natu filio nepos; Is n. ex Graecia ad vrbem Romã profectus, omnib. sacris profanisq; locis spoliatis, quinq; diebus ea in vrbe mansit, tantum statuarũ ac reliquorũ ornamentorum inde abstulit, quantũ antea ex magno numero omnes barbari, qui vrbẽ Romã diripuerãt, non abstulerũt. Adeoq; acerbe populos imperio parẽtes, atq; nõ in postremis Siculos, grauib. tributis pressit, vt multi filios vendere cogerentur. Adeo à primis principib. degenerauit, qui nõ solũ ornare studebant vrbẽ Romam, verũ

etiam

etiam victui necessaria populo atq; insuper pecuniam large præbebant. Cæterũ cum in Sicilia à militib. suis interfectus esset: Saraceni, qui per id tẽpus in Sicilia Panormũ vrbem occuparãt, in Aphricã omnes Constantis rapinas deuexerunt. Cui id contigit, ꝙ plerumq; auaris solet, vt opum quas rapinis cõgesserunt, hi possessores fiant, quos minime arbitrabantur: ac penes raptorem auarumque infamia ac crimen maneat, cum alii recto Dei iudicio, rapinarum commodo ac voluptate perfruantur.

EQ. Monstrũ hoc auaritiæ visendum ponit in rheda, Bernhardus: Auaritia (inquit) rotis vehitur quatuor vitiorũ, quę sunt *pusillanimitas, inhumanitas, contemptus Dei, mortis obliuio.* Porro iumẽta trahẽtia, *tenacitas & rapacitas,* & his vnus auriga ambobus præsidet, *habendi ardor.* Sola quidem auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta est seruitore. *Bern. super Cantica. serm. 39.* *Auaritiæ rheda.*

PH. Heu quam inhumanus rigidus & intractabilis seruitor. Latini seruitorem hunc proprio suo ipsius, nomine appellant Vsuram, Hebræi vero magis proprie vocant eum *Nesech.* id est, Morsum, quod continenter hominem mordeat, vsq; adeo vt mortem sæpenumero etiam immaturam acceleret.

TH. Similis est (inquit Chrys. super Matt.) pecunia vsurarii, morsui aspidis. Percussus enim ab aspide quasi delectatus vadit in somnum, & per suauitatem soporis moritur, quia tunc venenũ latenter per omnia mẽbra decurrit. Sic qui sub vsura accepit, sub tempore quasi beneficium sentit, sed vsura per omnes uas facultates decurrit, & totum conuertit in debitum. Et Chrysostomus, Cholerici, (inquit) qui purgari nolunt sub tempus, collecta indies maiore bile, postea grauiter discruciantur. Sic qui sinunt fœnus accrescere, cum adest dies, grauiter è capite laborant. *Chrysost. in Moral.*

EQ. Ego vobis, quod in aliis quoq; à me factum meministis, egregium hũc Seruitorem, Vsuram, penicillo depingam: Vsura sedet ad mensam, induta pallio, cui adpicta est annuli nota, qualem Iudæi circumferunt: ꝙ hic populus mirum in modum fœneretur. item pallium significat, quod conentur multi defendere vsuram ceu rem honestam. Vnde non immerito cingitur pallio. numerat multam pecuniam, & multas crumenas, ære tumentes abaco habet, dein cyathos auratos & argenteos, quos vsura conquisiuit. *Vsura effigies.*

PH. ἰυδαίμων ὁ μηδὲν ὀφείλων, id est, *felix qui nihil debet.* sententia Græcorũ est, & vera equidem. Quid enim calamitosius, quam toties erubescere, toties perfricare faciem, fugitare, latitare, mentiri, dissimulare. nunc supplicem agere, nunc flagitare: palam appellari, vitari, notari digito; breuiter, nunquam tui iuris esse Quadrat huc sententia illa Germanorum rhytmica: O Gott das ist ein schwere Pein Nichts haben vnd vil schuldig seyn.

TH. Plato vetat (inquit Chrys. in Moral.) aquam à vicinis petere nisi prius domi foderis vsq; ad terram, quam ceramitidem vocant, reperisq; non spem esse venæ. Ita prius excutiendum vt parsimonia aliave via tibi suppedites, priusquam à mensariis pecuniam mutuam sumas. *PH.* Re-

PH. Recte quidem ex Platone mones, quid vero, si absque pecuniæ mutuatione vsuaria res suas gerere aliquis nequeat.

TH. Deus desuper creditoribus, quid fieri ab ipsis velit, normam in verbo suo præscripsit, Exodi 22. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes.* Et Deut. 23. *Non fœnerabεris fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque vsura id quo indiget commodabis.*

EQ. Leges politicæ omnes ad societatem hominum tuendam ex natura sacratæ, autoritate diuina firmatæ, & humanitate communi productæ sunt. Talis etiam est lex de vsuris existimanda, quæ prohibentur erga contribules, erga pauperes & afflictos ne premantur, neue exhauriantur, quemadmodum diuersis Hebraicis vocabulis, quibus Mosis. *Exod.22.vers.25.* vtitur, quorum alterum ab irruendo, onerando & exigendo, alterum à mordendo & rodendo, more serpentum, ducitur, omnis molestia, omnis inclementia, omnis exactio iniqua serio vocatur. Et hanc legem sæpius inculcatam voluit Deus, vt *Leuit.25.36.37.Deut.23.v.19.* ne quis impune facultatibus proximi insidiaturum se confidat, quocunque id fiat æquitatis prætextu: & simpliciter vsuram sacris literis interdictam esse, confirmant verba Psalm. 15. v. 5. Ezech. 18. v. 17.

PH. At interim tamen, vigore illius Mandati diuini, non omnis in vniuersum vsura prohibetur. Conceditur enim in allegato dicto. *Deu.23.* vsurarum vsurpatio erga alienum siue extraneum.

TH. Agitur ibi de septem gentibus Cananææ funditus extirpandis. Namque cui merito nocere desideras, cui iure inferuntur arma, huic legitime indicuntur vsuræ: quem bello non potes facile vincere, de hoc cito te potes centesima vindicare: ab hoc vsuram exige, quam non sit crimen occidere, sine ferro dimicat, qui vsuram flagitat, sine gladio & de hoste vlscifcitur, qui fuit vsurarius & exactor inimici. Ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vsuræ, ait recte Ambrosius *lib. de Tobia, Tomo 4. cap. 15.*

EQ. Alii aliter, nec minus tamen vere explicant. nimirum, Dominum ipsum ablaturum à gentilibus, diuitias ac facultates, & in Israelitas deriuaturũ; hoc namque modo ipse Deus Dominus solet fœnerari, transferendo bona ac facultates ab vno ad alium: deiiciendo potentes de sede, & eleuando humiles, mira metamorphosis. Quid quod etiam in cibo ac potu Dominus mirifice sæpenumero fœneratur. Erat in aula Nebucadnezaris regis, Daniel vna cum sociis. Vescebantur illi iusculis tenuibus, potabantur nuda aqua, quam alioqui non nutrice communiter statuunt Medici. Cæteri vero officiis regiis destinati pueri, vescebantur cibis laudissimis, bibebant vinum dilutissimum, vestitabant delicatissime; Daniel tamen vna cum sociis, venustate ac pulchritudine, totaque adeo corporis constitutione longe eos præcellebat;

Trans-

Transtulit nimirum Dominus lautissimorum illorum ciborum, itemque vini dilutissimi vim & efficaciam in offulas illas pertenues, aquamq; nutritiuæ alioquin efficaciæ expertem; Atque hoc modo ab antiquo solet fœnerari Dominus, & adhuc hodie, nemine sano reclamante, fœneratur. Sed hæc suo loco.

Cæterum quantopere Vsuræ vitium ipsa Germaniæ viscera nunc plane exinde morbida peruaserit, res ipsa loquitur. Et conqueritur desuper Althamer in Commen. in Cornel. Tacitum. Vsuram (inquit) veteres Germani non agitarunt, minime auari, fraudulenti, ac subdoli: sed simplices, sua sorte contenti, vt pote apud quos plus boni mores valebant, quam alibi bonæ leges. Vide vero, quantum à Germanis moribus degenerauimus: quid, quæso, nunc est fœnore vsitatius: cui non studium fraudandi proximum? prædandi alienum? circumueniendi vicinum? adeo omnium mentes auaritia obsedit, fraus nusquam non regnat. Nostri mercatores quibusuis vulturibus rapaciores, omnium maximi fœneratores atque vsurarii, à misera plebecula mercantur suas merces vili aliquoties precio, quas vrgente necessitate duplo redimere coguntur, isti expilant omnem Germaniam, ad horum imposturam conniuent Magnates quidam, quia sunt, inquit Hebræus vates, illorum socii. *Vsura Germanorum.*

Imitatur hos sacrificum & religiosulorum phalanx, homines diuis adiurati, & ipsis Druidibus superstitiosiores. Quid multis? Harpyiis omnia patent: exactionum, fraudum nullus finis. Faxit Deus, vt in pristinum statum temperantiæ, sinceritatis, modestiæ, rectitudinis restituatur aliquando Germania. *Hactenus Althamer.*

PH. Nouit mundus, inquit Matthias Paris *in Historia Anglica*, quod vsura detestabilis habetur in vtroque Testamento, & à Deo prohibetur: nunc domini Papæ mercatores vel scambiatores, obmurmurantibus Iudæis, palam Londini fœnerantur, viris Ecclesiasticis & maxime religiosis diuersa machinantur grauamina, cogentes quos grauat egestas mentiri, & signa sua scriptis mendacibus appendere: quod est idololatrare, & veritati, quæ Deus est, abrenunciare. Verbi gratia, mutuo accipio marcas per annum pro centum libris, cogor conficere scriptum & signare, in quo confiteor me centum libras mutuo in fine anni soluendas recepisse. Et si forte sortem pecuniæ infra mensem vel dies pauciores acquisitam vsurario Papali soluere volueris, non recipiet, nisi integraliter centum libras. Quæ conditio grauior est, quam Iudæorum, quia quandocunq; sortem Iudæo attuleris, recipiet benigne, cum tanto lucro, quod tempori tanto se commensurat. *Vsura Ecclesiasticorũ*

TH. In tertia opusculi Tripartiti, *in 2 conciliorum Tomo, c. 5.* extant hæc verba: Multi vsurarii ad hoc inducunt debitores, quod faciant sibi literas dari, & recognoscere eos cum iuramento, quod tantum sibi debent de sorte, quod

falsum est, quo faciant sibi vsuram in sortem computari. Et officiales multi, licet sciant istam fraudem, sigillant tales literas propter lucrum sigilli. Et expediret multum, contra fraudes istas, quæ multum sunt multiplicatæ, remedia inueniri.

EQ. Alphonsus rex, iustitiæ & æquitatis amator ardentissimus, audiens, illicito lucro hominibus insidias à fœneratoribus strui, fœnus nihil aliud sibi quam animæ funus videri dixit. Damnauit autem vniuersam fœnerandi rationem, quæ plane est contra naturæ regulam, cum ex nihilo nihil gignatur, *Panor. lib. 3 de Alphonsi rebus gest.*

TH. Verbo dicam vsurarii & fœneratores vocantur fures rapacesqui enim vsuram accipit, rapinam facit, *canon. si quis vsuram. 14. quæst. 4.* & non minus tenetur ad restitutionem vsurarius, quam fur, *cap. cum tu. de vsur.* & ideo in iure canonico post titulum de furtis, immediate agitur de vsuris, quia vsura est species furti: & à Lucano vsura vorax appellata fuit:

Vsurarii fures.

Hinc vsura vorax, auidumque in tempore fœnus.

Quod summus Pontifex imitatus est *in c. 1. de vsur. in 6.* vbi inquit: *Vsurarum voraginem, quæ animas deuorat, & facultates exhaurit, &c.* Connumerauit etiam fœneratores inter fures, Men. *de arbit. iud. lib. 2. casu* 398. *n.* 4 *&* 10. Et idem fecit M. Cato in principio operis sui *de re rustica*, dum ait: *Maiores nostri sic habuerunt, & ita in legibus posuerunt: furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli; quanto peiorem ciuem existimarint fœneratorem, quam furem, hinc licet æstimare.* Cuius legis meminit etiam Alexander ab Alex *lib. 1. c. 7. genial. dier.* Et Cato senex (vt Cicero *in fine libri 2. Offic.* testatur) cum interrogaretur, quid maxime in re familiari expediret? bene pascere: quid tertium? bene vestire: quid quartum? arare; & cum ille, qui quæsierat, dixisset: quid fœnerari? tum Cato: quid hominem, inquit, occidere? ex qua re inter pessima flagitia fœnus Catonem posuisse constat. Vsurarumq; prauitatem non cadere in bonum virum, cũ sit turpis quæstus, inquiunt post Aristotelem Theologi; & contra vsurarios inuehit Alex. *consi. 49. paucis vtar. vol. 4.* & Bald. *cons* 449 *ius naturale. vol. 3.*

PH. Straccha *in tractat. de mercatorib par. 1. n. 36.* Tria, inquit, potissimum sunt genera illorum hominum, qui aliena bona auferunt: vnum eorum, qui vi abripiunt, vt sunt piratæ, publici latrones: alterum eorum, qui dolo & fraude aliena contrectant, quos fures appellamus: tertium idq; pessimum eorum est, qui sub prætextu beneficii conferendi sanguinem sensim eliciunt, & vitam subtrahunt, quales sunt fœneratores, qui sub adumbrato auxilii colore, dum suam pecuniam egentibus erogant, illis viscera vsuris præripiunt; quod Ciceronem quoque optime animaduertisse videtur, dum *lib. 1. offic.* scriptum reliquit: *Cum autem, inquit, duobus modis, id est, aut vi, aut fraude, fiat iniuria, fraus quasi vulpecula, vis leonis videtur, vtrumque alienissimum ab homine, sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiæ nulla capitalior est, quam eorum, qui cum, cum maxi-*

maxime fallunt, id agunt, vt viri boni esse videantur. Hactenus Cicero. Et *in cap. quid dicam. 14. quaest. 4.* dicitur, non minus esse crudelem, qui pauperem trucidat fœnore, quam qui diuiti aliquid rapit.

EQ. Verba quidem & autores crepari atque allegari audio. Sed quotusquisq; est, qui debito tempore moneat, neruose contundat, constanter abigat. Interim dissimulati isti fures, non solum subditis perniciosissimi sunt, sed reipublicæ etiam calamitosi, dum eorum fraudibus vectigalia diminuuntur, maximo publicæ rei incommodo: cum enim realis mercatura exercetur, ex mercium importatione, exportatione, venditione, cõmutatione, & consumptione tributa soluuntur. Verum cum mercatores ob incommoda & pericula, quæ mercaturam concomitantur, illam deserunt, & ad vsuras sese conuertunt, impie tempus ipsum ac pecuniæ vsum vendentes, & ex sterili moneta vberrimos fructus trahentes, Principis damno ac subditorum paupertate ditescunt, & hoc modo mercatura contemnitur, agricultura negligitur, artes delitescunt nobiles, aut patrimonium dissipant, aut in pecuniam conuertunt, vt illam sub vsuris spe maioris commodi dent mutuam: hinc vectigalia minuuntur, ærarium euanescit, & vrbes deformantur tanto ciuium incommodo, vt sæpius res nouas moliri coacti fuerint.

PH. Proinde princeps, cuius lex est salus populi, quam maxime prouidere debet, ne subditorum bona à fœneratoribus exhauriantur. Expedit enim illi subditos habere locupletes, non modo ad Reip. tranquillitatem conseruandam, sed ad publicam etiam commoditatem augendam, cum ex singulorum bonis tributa, & sic ærarium conflетur, & tanto magis augeatur, quanto ditiores subditi fiunt. Expedit etiam, vt fortunæ priuatorum apud multos sint, & non à paucis fœneratorib. occupentur, vt quando opus fuerit, omnib. mẽbris suum robur in vnum conflantibus, possit Reip. corpus validissime consistere, iniuriam propulsare, & seipsum tueri, alioquin etiam si infima membra deficiant, facile concidet: homo enim, quamuis robustissimus, inutilis redditur, si aut manus debiles, aut pedes infirmos habeat.

TH. Odiosum atq; infame vsurarum exercitium vbi tantopere inualuit, vt subditorum bona à paucis fœneratoribus occupentur, ipsiq; ad extremam redigantur inopiam, nec spes vlla emergendi propter continuas illas absumptiones restat, dici non potest, quanta afferatur Reip. clades. Inopia siquidem non tantum inediam parit ac famem qua nihil acerbius, sed & propter insitũ vnicuique egestatis pudorem, qui plerisque paupertate ipsa durior, est, in furorem tandem transit, atque exinde pernicies & pestis, quæ ab isto pudore profecta est, familias sæpius atq; ciuitates funditus euertit. Quibus morbis vt occurri posse, metu maioris mali q̃ sit a sæpius æquatio bonorũ ab antiquiorib. Athenis omnes fœneratorũ tabulæ publico decreto fuerũ concrematæ.

Lycurgus eos è tota Sparta exterminauit. Cato à fœneratoribus totam Siciliam oppressam liberauit; Et Lucullus vniuersam Asiam. Diocletianus Imperator infames fœneratores pronunciauit. Et Alexander III. summus Pontifex illos sacra communione, Christiana sepultura & oblationibus indignos iudicauit, *c. qui in omnibus de vsur.* De iure quoque Venetorum similiter prohibentur vsuræ, & vsurarii puniuntur per multas leges, & præsertim per leges in m gn s comitiis latas anno 1254. 10. Iunii, & anno 1478. 11. Martii, & extant literæ Ducales, ex quibus intelligere cuiuis promptum est, quantopere Respub. ista fœnus abhorruerit. Sic autem literæ istæ sonant: Andreas Vendraminus, Dei gratia, Dux Venetiarum, &c. nobilibus & sapientibus viris, Benedicto Triuisano, de suo mand. Potestati & Capitaneo Taruisii, & successoribus suis, salutem & dilectionis affectum: Deliberauimus die 9. Februarii nuper præteriti scribere omnibus rectoribus nostris, & cum nostro collegio committere, & delegare, quod de vsuris & pretiis excessiuis tam bladorum quam aliarum rerum, contractibusque illicitis & ementitiis diligenter inquirere deberent, & procedere per omnes vias & modos publice proclamari faciendo singulis quibuscunque mensibus semel die mercati, ad se præsentandum omnes tam mares, quam fœminæ, qui de vsuris enormibus, pretiis illicitis, & emenditis contractibus grauarentur, administrando omnibus contra quoscunque ius summarium & expeditum, nulla ratione habita al cuius scripti, chirographi, instrumenti, & cuiuscunque alterius chartæ & documenti, aut literarum nostri dominii in fraudem impetratarum, sola rei veritate inspecta. Nam ideo rem istam delegandam curauimus, vt non ad auditores sententiarum, sed ad Nos delegantes, si quis appellare voluerit, deuoluantur. Hucusque literarum tenor.

Vsurarum prohibitio apud Venetos, publico edicto.

PH. Sane Solon, Lycurgus, Plato, Aristoteles, decemuiri legum ferendarum, aliique sapientissimi legum latores ac Philosophi, interdum, necessitate ita cogente, nempe vt locupletes ad subleuandam tenuium inopiam inuitarent, vnciarum vsuram permiserunt; verum hæc non nisi longissima hominis vita, id est, anno centesimo sortem æquauit: qui vero grauiorem vsuram pactus esset, quadruplum ex lege XII. tabularum restituere cogebatur. Eadem lex Duilia rogatione reuocata est, anno ab vrbe condita 396. ac decimo post anno fœnus vnciarum ad semiunciarum cogi placuit, vt non nisi anno ducentesimo sortem exæquaret, atque id etiam anno sequenti penitus sublatum est, Genucia rogatione, propter continuas tenuium seditiones. Nam vt minimum fœnerari per leges liceat, sensim ad summum prouchimur. Tutius est igitur, vsurarum non modo radices, sed etiam fibras omnes amputare, neque id reipublicæ, nec corporibus vllis aut collegiis vlla vtilitatis aut pietatis specie permittere.

TH. Si quis non diuinis commonefactionibus,ille nec humanis legibus ac monitionibus mouetur. Proinde si cui animæ simul & corporis salus curæ est, ille continue hoc *Psalmi 14.* effatum ruminetur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui pecuniam suam non vendidit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.*

EQ. Romani olim in vsurarum concessionibus,pro temporum conditione ac reipublicæ statu,variarunt.Obseruamus autem apud antiquos scriptores,Vsurarum alias maximas,alias minimas,nonnullas medias. Atq; inter has quidem centesima vsura dicta fuit maxima,in qua ex centum partibus 12. singulis annis pendebantur,vel singulis mensibus vna pars, ita vt intra centum menses æqualis esset præstatio vsurarum sorti,& ob id centesima dicta, vel etiam quia centesimus nummus pro fœnore statueretur; centum enim nummi sortis parerent singulos nummos menstruos, ἑκατοστὴ vocatur à Plutarcho *in Lucullo.* Demosthenes δραχμιαῖον & drachmalem vocauit, *in oratione* κατὰ ναύπας. est enim Drachma centesima pars Minæ, Vnde centesimo mense Drachma in Minam euadit; Græci enim à Drachma vsuras denominarunt, vti Romani ab Assibus,& nos hodie à Denariis.

Apud antiquos scriptores maiorem vsuram centesima non obseruamus, & supremam eam ponit Iustin *l. eos 26. §. super vsurarum, vers. in traiectitiis.* quam in traiectitiis tantum contractibus permittit. Ita enim centesimæ vsuræ graues visæ sunt antiquis, vt eas, nisi in certis permiserint negotiis, idque potissimum ratione periculi, quod in se creditor suscipiebat transuectionis mercium vel pecuniarum; nam aliter prohibitæ, *ex l. nihil interest, l. 4 D. de naut. fœno.* *Vsurarum apud Romanos variatio.*

Sciendum autem est, antiquos consueuisse singulis mensibus vsuras exigere,& rationes cum debitoribus inire, quod Horat. testatum reliquit li. 1. Serm. Satyra tertia:

Odisti & fugis vt Rissonem debitor aris,
Qui nisi quum tristes misero venere Kalendæ,
Mercedem, aut nummos vnde extricauit amaras
Porrecto iugulo historias captiuus vt audit.

Etenim Kalendæ dicuntur singuli dies primi mensium, vnde Kalendarium appellatus liber rationum earum quæ ad fœnus pertinebant, & in quo nomina debitorum scribebantur, vt docent Iurisconsulti ex *l. penul. de rebus cred. in P. & l. nepoti, l. 6 de fundo instr. cto.*

Solebant proinde Kalendarum diem execrari debitores, ex Plutarcho *in libro, non esse fœnerandum*, vbi ita scribit: *Kalendarum aut Neomenia recordaberis, qui dies etsi sacratissimi existant, nefandi tamen & execrandi ab vsurariis redduntur.*

Cæterum cum Romanos ab assibus vsuram denominasse dixerim, sciendum vlterius, id totum, quod assis nomine effertur, in partes 12. seu vncias di-

uidi posse, quarum nomina sunt propria, ab vncia, & semiuncia vsque ad assem. Vncia est duodecima pars assis. Sextans duæ vnciæ, quæ faciunt sextam partem assis. Quadrans tres vnciæ, quia quarta pars assis, quia quater tria faciunt duodecim. Triens, quatuor vnciæ, quia tertia pars assis. Quincunx est quinta pars assis, id est, quinque vnciæ. Semis, sex vnciæ scilicet media pars assis. Septunx septem vnciæ, Bes octo, Dodrans, nouem, Dextans decem, Deunx vndecim, As duodecim. Vncialis itaque vsura erit, quando vna pars centesimæ, vncia scilicet ex 12. soluitur tantum, vt si pro centum denariis vnus vsuræ nomine annuatim soluatur, ita vt ad æquandam sortem centum annis opus sit. Quo pacto Cornelius Tacitus *lib.6. Annal.* scribit, lege 12. tab. cautum, ne quis amplius vnciario fœnore vsuram exerceret. Sextantes dicuntur vsuræ dum sexta pars centesimæ penditur annuatim, seu duæ vnciæ centesimæ, & hac æquatur sors intra 50. annos. Quadrantes vsuræ, quando tres partes, vel vnciæ centesimæ soluuntur & æquant sortem intra 33. annos, & menses quatuor, id est, menses 400. Trientales, quando quatuor vnciæ, id est, quarta pars centesimæ præstatur annuatim, & sors æquatur 25. annis. Quincunces, vsuræ habent quintam partem, centesimæ, id est, quinque vncias, & æquant sortem 20. annis. Semisses dicuntur vsuræ, dum sexta pars centesimæ soluitur, id est, sex vnciæ, æquatque sortem 16. annis, & 8. mensibus; Et hæc vsuræ species quoque *in l. fin. de fisca vsu. libro decimo Cod.* dicta fuit media centesima. Vsuræ Septunces, quando septem vnciæ vel partes centesimæ penduntur & æquant sortem annis 14 & mens. 4. Besses, quando octo vnciæ, seu partes centesimæ soluuntur, quæ æquant sortem 12. annis & mensibus 6. Hanc etiam vsuram Suidas ἐπόγδοον τόκον appellauit, quasi dixeris octauam vsuram. Dodrantes, vel Dodrantales vsuræ, dum nouem vnciæ, vel partes centesimæ soluuntur, quæ æquant sortem vndecim annis, & mens. 3. Dextantes, dum decem partes centesimæ, siue vnciæ soluuntur, æquantque sortem annis decem. Deunces, quum vndecim partes centesimæ, seu vnciæ soluuntur, quæ æquant sortem centum nouem mensibus, id est, annis nouem, & mense vno. Assis dicitur, quum centesima soluitur, quæ (vt dictum est) æquat sortem centum mensibus, id est, annis octo, mens. 4. Quæ omnia ex legum fontibus hauriuntur. *De his vide Marcelli Donati Dilucidationes in Iulium Capitolinum, vbi tractat de Antonino Pio.*

PH. Variationum, ratione vsuræ, extat mentio passim in historiis. Lucullus aboleuit in Asia vsuras nimis magnas: statim postea quando iste discessit ex prouincia, lex Luculli iterum violatur. Venit Cicero, & iterum instituit legem de centesimis. Iterum est violata tempore belli ciuilis. Iulius postea victor rursus aboleuit vsuras & constituit centesimas.

Vsura eso-res.

EQ. Omnium rectissime fecit Ægis rex, de quo ita Plutarchus: Agesilaus (inquit,) quum Ægidi persuasisset, vt debitorem fœnerantiumque

nomina

nomina tabulæque vna comburerentur: apportatæ sunt in forum Clarium, ac coaceruatæ supposito igni, dum concremarentur. Abeuntibus ergo fœnerantibus ac diuitibus cum tristitia, Agesilaus illorum calamitates irridens, nunquam se ignem puriorem vidisse iactabat. *Plut. in Lac. apoph.*

PH. Laudabiliter etiam fecit Pomponius Atticus, de quo extat *in tract. de viris illustribus*, quod sæpe suis opibus, cum Athenis adolescēs viueret, Atheniensium inopiam publicam leuauit. Cum enim versuram facere publice necesse esset, neque eius conditionem æquam haberent: semper se interposuit, atque ita, vt neque vsuram vnquam ab iis acceperit, neque longius quàm dictum esset, eos debere passus sit. Quod vtrunque erat iis salutare. nam neque indulgendo inueterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis vsuris crescere. Et de eodem hæc ibidem verba extant: Pecuniam sine fœnore, sineque vlla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem, gratumque cognosci: simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum.

TH. Deus vsurarum osores vocat viros iustos. *Vir*, (inquit Ezech. 18.) *si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, &c. & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit. per vim nihil rapuerit: ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, &c. hic iustus est, vita viuet.* Econuerso in vsurarios grauiter ita inuehitur Ezech. 22. *Vsuram & abundantiam accepisti, & auare proximos tuos calumniaberis: Ecce complosi manus meas super auaritiam tuam, quam fecisti, & super sanguinem, qui effusus est in medio tui.*

EQ. De infaustis vsurarum partubus paulo ante, à me dictum est. Nunc allegabo exempla. Romæ crebras seditiones plebis accidisse legimus ob sæuitiā fœneratorum & caritatem annonæ. Eiusmodi in Gallia motus sępe coorti sunt. Nam regnantibus Philippo Augusto, Ludouico, cui Diuo cognomen fuit, Iohanne & sæpe alias: cum Iudæi & Itali mensis publice positis fœnus in Gallia exercerent, & plebem vsuris obruerent, ideo regno pulsi sunt.

Cumq; Gallia Romano imperio subiecta esset, Galli ob continuationem tributorum sæuitiam fœneris & superbiam præsidentium, rebellionem sæpe faciebant. Paupertas namq; quæ certissima est vsurarum pedissequa ad res nouas moliendas impellit. Nec vera mihi videtur Galbæ Cæsaris sententia, qui dicere solebat, nullos hominum metuēdos esse, quam qui de solo victu cogitarent. Verius Lycurgus: qui pauperem, & sine laribus, longe magis in Republica timendum esse iudicabat, quam diuitem & insolentem. Et Silius Poeta ait: *Seditiones ob vsuras.*

Est deforme malum, & sceleri procliuis egestas.

TH. Vero veriora hæc esse expertus fuit olim Ægidius maioris Galliæ partis

tis præses, serius tamen, suoq; adeo cum detrimento. Recitabo integram historiam: est enim prudentiæ vel versutiæ potius politicæ, quam Guimandus caute admodum vsurpauit, digna quæ sciatur. Historia hæc est: Childerico IV. Franco Galliæ regi, Guimandus, nobilis Eques Gallus, prudentia insignis & manu strenuus, intimus amicitiæ & consiliorum erat. Rex aliquandiu luxui & voluptatibus deditus, vt libidines expleret, ingentia & iniqua tributa populo indicere coactus est. Id grauiter tulere Franco Galli, qui tum aspero & duro ingenio erant (vt inquit historiæ scriptor,) itaque regem capere & in custodiam tradere, iuuenes vero & prauos consiliarios, quos secum habebat, ab ipsius latere & consuetudine arcere statuunt. Id vbi Childericus comperit, sciscitatur ex Guimando, quid facto opus sit. Ille suadet, vt fuga sibi consulat: & iræ Francorum & tempori cedat: se interea dum ipse abesset, placaturum animos & curaturum, vt ab exilio reuocetur. Tum annulo in duas partes fracto, alteram partem regi tradens, Rex Childerice, inquit, cum alteram huius annuli partem, quam mihi ipse asseruo, ad te mittam: eo tu indicio & signo cognosce, tutum tibi reditum in regnum patere. Childericus igitur ad Thuringiæ regem perfugit. Eo absente Franco Galli Ægidium maioris Galliæ partis præsidem (quam etiam tum Romani tenebant) Regem sibi præficiunt. Is Guimandum, cuius ea tempestate prudentia inclyta & celebris erat, arcessitum ad se inter amicos accipit, & in consilium adhibet. Guimãdum verum animum dissimulando, apud Romanum præsidem nouem annorum spatio ita dextre se gessit, vt fidei tamen beneuolentiæq; in Childericum nunquam oblitus sit: Nam inter cætera quæ huic nouo regi persuasit, admonuit: Gallorum ingenia non nisi sæuo & duro imperio posse subigi: proinde videret, ne ditescerent: illos inopiam moderatius quam abundantiam laturos: quippe Gallos bonis intemperanter abuti, & lasciuire otio, vbi effuse affluant opes, & rebellionem mouere cõsueuisse. Tam callido consilii commẽto (cuius exitum talem expectabat qualis accidit) Romanum præsidem facile adduxit, vt ingentibus tributis & oneribus nouis Gallos grauaret: & potentiam in superbiam ac sæuitiam verteret. Itaque Franco Galli (consilio & occulta factione ipsius Guimandi) Childericum regem suum communi consensu reuocarunt: cui alteram annuli partem, quam ipse sibi asseruarat, Guimandus remisit. Regi redeunti Nobiles Galli Franciq; cum obuiam gratulatum Barium vsq; processissent, eum honorificentissime exceperunt. Ipse vero sublatis tributis ac vectigalibus nouis, ex eo sapienter & moderate se gessit: ac ex Sardanapalo & delitiis effœminato Rege, egregius ac strenuus Princeps factus, è Romanorũ seruitute Galliam (cuius illi maiorem partem occupabant) vindicauit in libertatem: & regni Franco Gallici fines longe lateq; propagauit. Quare vel ex hac vna historia satis liquet, siue Machiauelli præceptum, siue ei compar consi-

lium Guimandi, ficut Ægidio exitiosum fuit: ita semper fœdum inceptu, fœdum exitu fore. *Anti-Machiauellus lib.3.pag.796.*

PH. Sperandum minime est, inopia obedientiores & mansuetiores redditum iri plebem, ac quantumlibet grauia onera æquius faciliusque laturum. Homo namq; in rerum angustias redactus, nullum non mouet lapidem, vt animo & accensis longa egestate cupiditatibus satisfaciat.

Hæc causa, inopia videlicet, Othonem ad imperium rapiendum instigauit. Neque enim dissimulabat (inquit Suetonius,) nisi Principem se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Quæ vox probe notanda, præfert enim ideam huius deprauati seculi.

EQ. Formidanda omnino est inopum famelicorum multitudo. Dura namque sunt consilia eorum qui pro pane quærendo consultant. Et, quod Lucanus Poeta vere ait: *Nescit plebs ieiuna timere.* Exempla extant passim; murmurant desuper omnes fere subditi, & cladem futuram denunciant. Sed modernis iisque domesticis, vtpote odiosis, omissis, recensebo vetera. Octauius, qui in maxima frumenti caritate, (cum populus Romanus inedia premeretur, infestante Sexto Pompeio, Magni Pompeij filio, vniuersum mare & plebis tumultus vndique surgeret,) occurrit, compluribus rixantibus, paucis satellitibus stipatus, & rationem querelæ à multitudine exposcebat; turpiter primo irrisus omnibus contemptui fuit. Deinde cum minabundis verbis plebem compellare pergeret: iactis in eum telis repulsus est, nonnullis etiam ex commilitionibus cæsis. Cui Antonius cum multis militibus subuenit, & ab imminenti periculo liberauit, eumque intra domestica penetralia trepidum redegit. Neque ante plebi reconciliatus est Octauius: quam pulso ex Sicilia Sexto Pompeio, tanta frumenti copia exuperauerit, vt nullum murmur super inopia oriretur.

Appius quoque Clodius cum imperaret: & propter sterilitates arctior annona esset; in medio foro à turba detentus est, & conuitiis clamoribusque infestatus: fragminibusque etiam panis appetitus: adeo vt paulatim non nisi per posticum euadere potuerit. Sed verba moderna murmurantium premo. Interim hoc dico: Vtinam tandem vsurariorum Protectores & Aduocati saperent, ne sero tandem cum damno & ignominia pœniteant.

PH. Non minus periculosa est in re militari, commeatuum difficultas, quam intra muros. Sic milites Iuliani Cæsaris consumptis frugibus extremam famem timentes, illum probris incessebant, Græculum ac fallacem vocantes, & specie sapientiæ stolidum: à quibus quidem in eum insultantibus vix euadere potuit.

TH. Non seditiones tantum (quod ciuitates quædam Germaniæ publico sentiunt incommodo) ex vsurariorum patrociniis pullulare, sed peculiares etiam alias pœnas diuinas exinde subsequi, prudentiores sicite obseruant.

Sterilitatem ex vsuris plerunque & crudelitate in pauperes nasci, recte senti Iac. Billius in Anthologia sacra, vbi egregie sic canit:

Quod tepeant hyemes æstiuaque tempora rursum
Algida sint. fruges terra neget que suas.
Desine mirari. stultasque explode querelas!
Hoc etenim læsi postulat ira Dei.
Nam quia iam nobis sunt ferrea pectora, reddit
Cælum etiam nobis durius ære Deus.
Et quia iam nummos gignunt per fœnora nummi,
Ante ferax tellus desinit esse ferax.

Cæterum omnibus illis sputilinctoribus, qui quouis modo ac ratione palliare atque defendere actus vsurarios nituntur, illud Augustini *ad Maced.* insusurro. *Hoc certe alienum non est, quod iure possidetur. Hoc autem iure possidetur, quod iuste: & hoc iuste, quod bene. Omne igitur quod male possidetur, alienum est, male autem possidet, qui male vtitur.* Et habeat quilibet cumprimis ratione suæ conscientiæ.

PH. Liceat tamen mihi paulisper, non serio tamen, pro vsurariorum actibus loqui. Vbi nulla lex, ibi nulla est præuaricatio. Atqui actus vsurarij nominatim atque in specie in scriptura non damnantur. Etsi enim in genere damnantur vsuræ, non tamen definitur, quid sint vsuræ, sed in ambiguo relinquitur, quid prohibeatur, quid damnetur. Ergo, &c.

Vsura nominatim in S. scriptura prohibetur.

TH. Quid vero hoc aliud est, quam dicere, scripturam hominibus illudere, perhibentem, quod nemo intelligat quid sit, & permittentem Magistratibus istud definire, iubentem denique ex consuetudinibus discere, quid prohibeatur: vnde sequitur, si consuetudines permittant exercere, vel maximas vsuras, ex eo illas esse licitas, si vetent, tum demum esse illicitas, lege diuina tanquam Regula plumbea sese vtrobique ad istiusmodi consuetudines accommodante: quod quam recte dici possit de prohibitionibus diuinis, non est obscurum. Iudæi certe semper inde vsque à lata lege ista sciuerunt manifestissime, quid prohiberetur, & sciunt etiam nunc, idque didicerunt non ex aliquibus nouis definitionibus subsequentium Magistratuum, quæ nullæ fuerunt apud ipsos, nec vllæ extant in sacris literis, sed ex ipsius legis perspicua sententia.

PH. Verba legis diuinæ *Deut.* 23. etiam paulo ante à nobis allegata sunt: *Non fœnerаberis fratri tuo Nesech siue fœnore cibi, nec Nesech siue fœnore pecuniæ: fœnerаberis autem peregrino.* Quæ verba hoc videntur velle, vt quod attinet ad cibum manifestum sit, legem diuinam nequaquam velle, vt negociator merces tantidem vendat, quanti eas ipse emit, sed permittere, quod & postulat æquitas, vt compensationem laboris accipiat petendo mediocri lucro. Ex eoque consequitur, Deum itidem neque pecuniam velle sic dari mutuo, vt non recipiatur nisi quantum datum sit, sed concedere, vt æqua compensatio petatur vltra sortem pro officio mutuationis, quæ nisi concedatur in pecunia, prohibenda

Vsura cibariorum.

quoque

quoq; est in venditione mercis, vt neq; cibus pluris vendatur, quam constitit: quod q[illegible]um sit iniquum, est igitur idem pariter iniquum etiam in mutuatione pe[illegible]uniæ.

TH. Summa quæstionis est, an quemadmodum merces recte pluris venduntur, quam sunt emptæ, sic etiam recte plus pecuniæ possit recipi, quam datum est mutuo? Respondeo.

1. Mercator non immerito lucratur: laborauit enim, & dignus est operarius mercede sua. Mercibus autem aduectis nec dum venditis, nondum lucratus est, nec h[illegible]bet aliud, vnde lucrum petat pro labore. Potest igitur & recte pluris eas vendere, quam ipse emit, vt ex eo compensationem laboris quærat & accipiat. Sed vbi venditis mercibus lucratus est, certe iam accepit laboris sui compensationem. Quod si autem pecuniam mutuo dedit, & plus repetit, quam dedit, pro eo lucro nihil omnino laboris ipse suscipit: est igitur id certe quidem iniquum. Nam 2. *Thess.* 3. scriptum extat: *Qui non laborat, non manducet.* Quomodo possit ergo Deus videri certa lege tam manifestam iniquitatem probare & præcipere?

2. Recte dicitur, in contractibus seruandam esse æqualitatem. Sed isthæc certe est naturalis æqualitas, si Mercator, quantum dat mercium, tantum accipit pecuniæ. Nam si plus pecuniæ petit, & minus dat mercium, peccat vtiq; contra æqualitatem, nemine dubitante. Valent enim tantundem merx & pecunia in æstimatione fori vsitata. Sic est & hæc æqualitas, si, quantum dat pecuniæ mutuum, tantum recipit. Nam si plus repetit, quam dedit, peccat profecto hic quoq; contra æqualitatem eadem, qua illic, ratione.

3. Si mercium valor aliquandiu maneat idem, & Mercator ea, quæ vendidit, cogitet redimere, non volet certe nec tenebitur plus reddere pecuniæ, quam ipse antea acceperat. Valor autem pecuniæ semper manet idem: qua ergo conscientia possit plus nummorum repetere fœnerator, quam dedit? Et quis recte dixerit, Deum certa lege iubere tales negotiationes, vt, quemadmodum pro labore in comportandis mercibus exantlato Mercator iustam compensationem accipit, ita fœnerator pro solo officio mutuationis, vbi nihil ipse laboris sustinet, par cum mercatore lucrum capiat, imo sæpe maius etiam, vel saltem certius?

Sequitur ergo, non hanc esse legis sententiam, quod quemadmodum recte pluris venduntur merces, quam sunt emptæ; sic quoque recte plus recipiatur pecuniæ, quam datum est mutuo: sed hoc potius istam legem velle, quod manifesta ipsius litera ostendit, nimirum: *Non fœneraberis fratri tuo fœnore cibi,* non, inquam, vendes cibum pluris, quam vulgo venditur, sed sic, vt merx vendita & pecunia accepta in vulgari æstimatione fori tantundem valeant: quod est dictum contra auaros in caritate annonæ contendentes sua vendere nimio, itemq; contra eos, qui licitatori post pluscul[illegible] temporis pretium soluturo carius omnia vendunt,

quam soluenti mox numerata pecunia: quibus aucupiis Deus ista lege voluit occurrere, sic scilicet prospiciens Iudæis, ne talibus contractibus exhaurirentur, aut ne quid in negotiationib. ciuilibus ab ipsis inter se præter æquum committeretur. *Nec iam fœneraberis fratri tuo fœnore pecuniæ*, non inquam plus repetes, quam pecunia data vulgo valet, sed sic mutuum dabis, vt tantundem sit hoc quod das, & hoc quod recipis. *Fœneraberis autem peregrino* carius scilicet vendes post moram soluturo, plusculum quoque recipies, quam dedisti mutuum.

Sic plana est sententia: nec definit Deus, quantum Iudæi petere debeant à peregrino, siue in venditione mercium, siue in mutuatione pecuniæ, multumne vel modicum, supra quam fas sit petere, sed id permittit arbitrio contrahentium, prospiciens nimirum, non esse in potestate solius venditoris aut creditoris accipere pro mercibus aut in fœnore, quantum libeat, sed esse aliquam potestatem etiam emptoris & debitoris ad sic transigendum, ne teneatur dare immodicum. Quod vero istud tantum valeat in foro politico, non etiam in conscientia coram Deo, docent minæ Propheticæ simpliciter omne fœnus prohibentes.

Et sic quidem ista de comparatione inter se mercium & pecuniæ, quæ lex eodem commate complectitur, & idem de vtroque constituit simili ratione, ne scilicet fœnori dentur: vnde nondum probari potuit, acceptionem fœnoris esse licitam in conscientia.

EQ. Quid conscientia? An existimas, magnam haberi conscientiæ rationem, vbi subest lucrum, & ex lucro voluptas ac delectatio. Audi desuper respondentem Simonidem. Simonides (teste Plutarcho) iis qui auaritiam ei obiiciebant, respondit: aliis se voluptatibus ob senectutem orbum, ab vna ætatem suam foueri quæstuaria.

Vsura an licita. PH. At licitum tamen esse vsurarum exercitium, ipsa natura suadere videtur, ipsa quinetiam monet consuetudo iuxta atq; necessitas; Terra namq; veluti grauissima debitrix, pro singulis granis aliquoties reddidit centena, & nihil vsquam in hominum vita tam sacrum aut profanum est, vnde non aliquid lucelli extundatur.

EQ. Aliena misces; nihil enim tam à natura abhorret, quam vt pecunia pecuniam pariat, quod prisci damnant, Ethnici moderantur, & sanctorum pontificum decreta detestantur, modisque omnibus insectantur, licet vero eo indomita habendi rabies processerit, vt nihil sit ab vsura immune, à quo non speretur lucrum, nec modus nec finis sit exactionis, sed miseri ad medullas exugantur; factum tamen neutiquam celebrandum; exinde enim fames tenuibus accrescit, & diuitum quasi prædonum vesana alitur luxuries.

PH. Quod si nulla omnino pecunia in vsuram est elocanda, tunc viduæ, pupilli, senes, pauperes, breui necessariis vitæ destituentur præsidiis, & plane exhausti

exhausti ad mendicitatem redigentur, id quod foret iniquissimum. Neque enim negotiationes exercere didicerunt; sed neq; pecuniam aliter quam fœnori elocare possunt.

EQ. In eiusmodi casibus cum non fiat morsus nec aggrauatio pauperis, nec proximi charitas violetur, vsuram non esse damnatam censent nonnulli, verum ex professo curam huius vlceris non attingimus. At Deo iuxta verbum iudicante patefactum, conscientia certa esse nequit, si absque manifesto Dei verbo sibi talem fingat differentiam, vbi generales obstrepunt sententiæ. *Chem. de paupert. p. 192.*

PH. At ciuilis societas carere non potest vsuris. Sunt igitur licitæ.

EQ. Perinde est, ac si argutaret: Mundus in via mandatorum ambulare non potest. Ergo peccare non est illicitum.

PH. Quid vero ad illam Constantini, quæ extat de Vsuris, constitutionem respondes? Constitutio hæc est: *Pro auro & pro argento, & veste, facto chirographo, licitas solui & promitti vsuras iussimus.* In qua constitutione non simpliciter permittit, aut cuiusq; creditoris arbitrio relinquit, sed diserte iubet, vsuras accipere.

EQ. Hæc Imperatoris iussio nihil aliud innuit, nisi ipsum prohibuisse grauius malum, iussisse minus, eo sensu, quo Magistratus, prospiciens, aleatorum petulantiam non posse prorsus cohiberi, iubet, imo certis pœnis cogit non nisi vno die in hebdomade ludere, nec nisi sex aureis ad summum iubet, inquam, non quod statuat, istud esse bonum opus, quod simpliciter velit ab omnibus fieri sub pœna capitali, quasi non liceat omnem lusum potius prætermittere, vel ludere nummis paucioribus, sed eo fine, ne ludatur sæpius aut grandiore pecunia, cohercens scilicet malum, non præcipiens bonum, ideoque iubens minus malum, vt auertat maius. *An Constantinus mandet accipi vsuras.*

Sic iussit Constantinus licitas vsuras accipere, non quod id vellet fieri ab omnibus sub periculo damnationis, quasi non liceat etiam gratis mutuum dare quibusuis, sed ne peteretur grandius fœnus, non, inquam, præcepit bonum, sed prohibuit facere maius malum, & iussit facere minus, quod videret, naturam peccato deprauatam non posse plane cohiberi, vt prorsus omne malum facere omitteret. Iussit igitur minus, quod etiã facere tenẽtur omnes ij, qui nolunt sæpe impediri, nolunt cohiberi, vt prorsus prætermittant, facere malum: quorum istud propositum [faciendi minus] malum, quod nequaquam Deo placeat, omnes sani vident. Qui vero voluerunt gratis mutuum dare etiam opulentioribus, illi profecto non sunt prohibiti lege Constantini gratis dare, vt neq; etiam nunc ea lege quisquam prohibetur absq; vsuris licitis mutuo dare argentum, aurum & vestes: prohiberetur autem certe, si Constantini iussio obligaret omnes ad obedientiam, quemadmodum leges morales, quæ præcipiunt facere bonum. Deus ipse iussit Iudæos accipere fœ-

nus à peregrinis. Etenim vox *Fœneraberis* ex vsu linguæ sanctæ posita, modo Imperandi, non minus atque in lege Constantini vox *iußimus*, Iussit autem non vt bonum opus, quod vellet ab omnibus fieri sub periculo amittendæ salutis: licebat enim certe opus istud omittere, licebat non facere, licebat etiam bona conscientia gratis mutuum dare peregrinis: quis autem recte dixerit, licuisse prætermittere ea, qua vere bona opera erant, & in lege decem præceptorum præscripta? sed impediendo malo maiore permisit fieri minus malum. Quum vero tantum valeat in conscientia facere bonum, sequitur non valere, si fiat malum vel minimum, quamuis id Imperator, imo Deus ipse permittat.

PH. Annon vero eo ipso debitor grauissime peccat, qui cum sciat, fœneratorem non posse bona conscientia vsuras accipere, tamen eas promittit & largitur; eoque adeo dat occasionem præsentissimo creditoris exitio?

PH. Peccat sane interdum debitor in promittendo fœnore. Si vero prorsus opus habeat pecunia, nec eam potest gratis mutuo accipere, ideoq; promittit vsuras, non magis peccat, quam si viator, ne trucidetur, pro redimenda vita latroni promittit pecuniam, quam videt ipsum pessima conscientia accepturum certissimo salutis suæ periculo. Mallet enim gratis dimitti; quod cum non potest obtinere, promittit & numerat pretium redemptionis, & recte, Deoque gratias agit, quod euasit incolumis. Cæterum vt tandem absque ambagibus negotium hoc vsurarium finiamus; summa quæstionis in eo consistit: An liceat vltra sortem erogatæ pecuniæ accipere pensiones. Ad hanc quæstionem requiro responsionem categoricam.

TH. Huic quæstini non meis, sed alienis verbis respondebo. Circumfertur de hac ipsa quæstione *Consilium theologicum* (ita inscriptum) ad instantiam Illustris & Magnifici Dn. Georgij Horwathi autore D. Ægidio Hunnio p. m. Theologo illo magno & ad magna nato. Verba autem istius responsi, præmissis præmittendis, hæc sunt: Petitur à me, vt excutiam quæstionem de vsura, liceatne vltra sortem erogatæ pecuniæ accipere aliquod interesse, vti vocant, siue pensionem, siue reditum, si quocunque alio nomine designetur, & si licet, quo numero pensio illa terminata esse debeat, id est, quantum ex centum, (verbi grana) postulare fas sit.

Principio autem personæ, quibus datur pecunia, in triplici deprehenduntur esse differentia:

An vltra sortem accipere pensiones liceat.

I. Sunt pauperes, qui omnino nihil possident. His non elocatur pecunia in censum, nec datur mutuum, cum constet, reddere illos nullo modo posse. Itaque quod datur eis, gratis datur & eleemosyna datur. Qui si mutuum sibi dari peterent, facerent id dolo, seu animo fallendi, cum sciant non posse se restituere.

II. Sunt

II. Sunt alij, qui ad sui sustentationem indigent pecuniarum mutuatione. Hi non omnino nihil possident, vnde reddant: nec tamen sunt ex ditioribus. Atque hi, si mutuentur ab æqualis fortunæ hominibus: secus fuerit de eo mutuo iudicandum, quam si ab aliquo diuite. Diues sic dabit indigenti mutuum, vt nihil vltra sortem postulet, iuxta præceptum Christi *Luc.* 6. At tenuioris fortunæ homo (cui quod habet, ad vitæ sustentationem necessarium est,) si cui pecuniam suam elocat: requirit æquitas, vt alter qui ab eo mutuum accepit, hunc creditorem suum indemnem præstet, & damnum, quod ex mutuo gratuito euenturum erat, aliquo fructu compenset. Ita namque tenetur ille prodesse tibi ne officiat suis, quorum ei potior habenda est ratio, iuxta illud Apostoli: qui suorum curam non gerit, est infideli deterior & fidem abnegauit, 1. *Tim.* 5. Hanc vsuram (vocabulo Vsuræ improprie sumto) nominant Iurisconsulti compensatoriam, & in verbo Dei, lege naturæ caritatis regula, dictoq; Christi Matth. 7. *Quæcunque volueritis vt faciant vobis homines, sic & vos facite illis.* quin & Imperatorum legibus fundatam esse demonstrant. Præter duo hæc genera est:

III. Eorum, qui diuites sunt, & quibus suæ possessiones ad vitæ sustentationem sufficiunt, vel etiam plus possident, quam ad necessarios vsus eis sit opus. Interim quia circa commercia, aut res alias gerendas occupantur, opus eis interdum est, ad rem faciendam, ad emptionem bonorum, ad negotiationem, mutuatione pecuniæ.

His quippe diuitibus non necesse est, vt gratis des mutuo: nec sententia Christi de mutuo ad hos refertur, sed spectat medij ordinis homines, qui sunt exilioris fortunæ, & ab opulentioribus mutuo sumunt. Existimo autem in hac quæstione esse quoq; respiciendum ad circumstantiam summæ, quæ elocatur: similiter & temporis. Etenim, si cui elocem pecuniæ summam exiliorem, verbi gratia decem aut viginti florenos, & quidem ad exiguum tempus, puta ad mensem vnum aut alterum: nolim ego quicquam vltra sortem vel petere, vel accipere. Quanquam hic circumstantia elocantis personę consideranda venit. Fieri namque potest, vt indigentior aliquis elocet decem aut viginti florenos, cui hæc summa respectu tenuis suæ conditionis tanta est, quanta (secundum proportionem Geometricam) ditiori alicui floreni centum vel etiam mille. In tali casu pauperiori cōcessum est, suos florenos decem (quippe qui bona pars sunt substantiæ ipsius) elocare ē in mutuo, cum stipulatione census seu pensionis aut reditus. Porro si cui petēti elocem pecuniam in summa grauiori, velut florenos centū, ducentos, mille, &c. & quidē ad temporis spacium bene longū, ad aliquot annos: quęritur an mutuū illud omnimodo gratuitū esse debeat? Sane qui à me illos siue centū sine mille florenos mutuo sumit, potest iis intra cōuentionis tēpus luculentū suū parare cōmodū. Possem & ego iis rē facere, & opes meas augere, nisi dedissē alteri. Hic sancit lex.

citlex naturæ, suadet æquitas, monet Christiana charitas, vrget regula Christi, quin & gratitudinis referendæ ratio flagitat, alter vt mihi creditori suo, imo benefactori, cuius ille pecuniis rem familiarem auget, in compensationem non tam collocati beneficij, quam neglecti commodi mei aliquod interesse pendat. Alias ego benefacerem proximo, cum detrimento eorum, quorum potiorem haberi rationem & Deus & natura iubet; vt ex Apostoli dicto 1. *Tim.* 5. est ostensum. Ac idem Apostolus alibi declarat, neminem astringi ad talem benefaciendi rationem, quæ nobis damno sit, nec cogi nos ita benefacere aliis, vt nobis sit afflictio. Prodesse teneor proximo meo; prodesse iubeor & meis quos mihi natura copulauit arctius. Vt igitur sunt diuersi gradus charitatis, ita meis plus debeo quam alienis. Sic commodare debeo alienis, ne defraudem meos: Sic vicissim prospicere meis, ne negligam alienos. Omnia hæc debent esse temperata, quam temperaturam præstat charitas. Itaque tales contractus in mutuo, si charitati Christianæ conformes sint (ita vt erogatione meæ pecuniæ non lædatur, sed potius iuuetur proximus, quantumuis ille gratitudinis & æquitatis respectu hinc aliquid mihi dependat) verbo Dei contrarij nequaquam sunt, in quo non nisi ea prohibetur Vsura, quæ nocet proximo, idque non per accidens, ex negligentia proximi, qui rem facere poterat, si sedulus fuisset, sed quæ per se damnosa est, & cum detrimento proximi coniuncta.

Cæterum alia species contractus est, quando centum florenis ego emo quinque florenos annui reditus. Hic quia centum florenorum sors ilico in venditorem transfertur, ita vt quamdiu reditus annuus exsoluitur, nunquam ego sortem repetere ausim: manifestum est, nisi & sorte ipsa perpetuo carere velim & omni etiam fructu priuari: requirere æquitatem, vt ille mihi annuam pensionem præstet. Alias quia dominium meorum centum florenorum à me transiit, & in alterum est translatum, contractus ille (si dematur etiam annuæ pensionis conditio) iam non dicendus contractus, sed mera donatio, quandoquidem & capitalis summa in meo amplius dominio & potestate non est, sed proximi atque insuper nulli vnquam reditus inde forent expectandi. Proinde quod hunc contractum (qui non in mutuo, sed in emptione annuorum redituum consistit) attinet, palam est, niti illum verbo Dei, & (quæ contractus hosce moderatur) charitatis regula.

Alterum membrum propositæ quæstionis erat, quantum ex singulis centenis sumere fas sit? Hanc quæstionem haud puto indigere operosa explicatione: quandoquidem Christiani Imperatores (qui singulas circumstantias exactissime ponderarunt, & hoc vnice dederunt operam, vt neutra pars prægrauaretur, sed æquabili lance disponerentur ista) sanxerunt, vt de centenis non plures, quam quinq; sumerentur: Idq; non vnius aut alterius mensis interuallo, sed integri anni spacio. *Hactenus verba D. Hunnij.*

Cæterum

Cæterum, si vos quoque de vsuris licitis scitu digna habetis, ea in medium proponere haud grauamini.

EQ. De vsuris maritimis memini me aliquando legere, quod cursus ordinarius vsurarum maritimarum se extendit ad vsuras centesimas. *tex. in l. eos, ibi glos. & scribentes. C. de vsur.* hoc est, vt centesimo mense sorti coæquentur. Quia veteres non in annos, sed in menses fænerari solebant, & tempus soluendæ vsuræ erat Kalendis *l. lecta ff. si cer. pet. l. tutor, §. Lucius Titius, ff. de vsur.* Et per consequens, 12. florenos de centum, creditoribus mercaturam exercentibus recipere permissum est, *per tex in d. l. eos, & explicat legaliter Alciat. in c. 13. lib. 2. parergon, & cap. 15. lib. parergon 6. cap. 3 lib. 3 dispunct.* *Vsura maritima.*

Quinetiam vsuræ maritimæ ob periculum maris creditori largius stipulari permittuntur, ita tamen ne vltra duplum stipulatio excedat, in quo duplo sors facit simplum. pulchre explicat Hotomannus *per l. penul. C. de vsur. cap. 9. lib. 1. de vsur 16.*

PH. Imperator Iustinianus non tantum constituit modum & quantitatem in pecunia traiectitia (siue vsura nautica) vt nimirum creditor, quocunque modo creditor, quocunque modo in rem naualem pecuniam collocauerit, priu legium habeat ante omnes creditores, etiam tempore priores hypothecas habentes. *l. qui in nauem. & l. interdum. ibi gl. & Bart. cum seq.* Simulque vsuras centesimas, eo quod illorum pecunia variis periculis maris subiiciatur, stipulari & petere possit. *l. 1 l. 3 ff. de naut. fænor. l. 1. & l. vlt. C. eod.*

Sed etiam aliis mercatoribus & negociatoribus honeste emendo & vendendo lucrum sua pecunia quærentibus permisit ad bessem centesimas vsuras stipulari, hoc est, vt in anno, de centum, octo recipere possint. *Vsura mercatorum.*

Porro communiter aliis hominibus non negociantibus, ne vsu sua pecunia frustra careant, concessum est, semissem vel dimidiam partem centesimæ vsurarum, hoc est, in anno sex de centum lucrari.

Illustribus autem statuta est lex recipiendi trientem in vsuras, hoc est, de centum, quatuor in anno.

EQ. Hodie tamen generatim ad quinq; annuatim redactæ sunt. Vsuras etiam centesimas ex fructibus creditorem accipere posse, videtur probari ex *l. si ea lege, l. oleo quidem, C. de vsur.* vbi habetur: *quibuscunq; fructibus mutuo datis incerti pretii ratio additamenta vsurarum eiusdem materiæ suasit admitti.* Ex quibus legibus per se clarum est, quando fructus loco vsurarum recipiuntur, quod tunc ad modum vsurarum, qui est in pecunia constituta, non respiciatur; licet fructus in vicem vsuratum cedere, Vlpianus *in l. is cui, §. quæri poterit. ff. vt in possess. legat.* vsuras vicem fructuum obtinere, respondit idem Vlpianus *in l. vsura, ff. de vsur.* *Vsura fructuum.*

Item si quis eius pecuniam, cuius tutelam administrauit clam in vsus suos conuertit, vel pecunia quæ ad magistratum pertinet, vsus fuerit, tenetur maxi- *Vsura de pecunia pupellorum aut magistratus.*

 mas

mas vsuras, h.e. centesimas præstare, *tex. in l. qui fine, ff de negot. gest. l. non existimo ibi Accurs. ff. de adminiſtr. tut. & copiose Hotoman. in c 3. de vsur. & d. c. 9.*

Quinetiam si ab vno socio communis domus est refecta, potest sumptus intra quatuor menses cum vsuris centesimis repetere. *l. 4. Cod. de ædif. priuat. & l. quod duo, § idem respondit, ff pro soc.* Et si recusauerit sumptus refundere, amittit partem suam. *d. §. idem respondit.*

TH. Finiam hunc nostrum de vsuris Christianorum inter sese, discursum verbis Parthenii illius litigiosi (Tractatus est, ita inscriptus,) qui de infatis v-surariorum negotiis, *l. 1. c. 13. n. 30.* sic scribit: Quamuis mundus hodie non sustineatur neq; regatur absq; commerciis & vsuris, cum charitas proximi refrigverit, & dilectio mortua sit. *Nou. Leon 35. Coler. de process. exec. p. 1. c. 10. n. 68. Nic. Reusn. decis. 7. n. 56. Pet. Heig. p. 2. q. 1. n. 155.* Ferrar: *in for. lib. act. hypoth. n. 1.* vbi ait, nimiā clericorū multitudinē. & nimiā vsurariorū prohibitionē statū destruere. Attamē litigiosū hoc seculū nimis affl- ctim iisdem exulceratur, ita vt maxima pars litiū in pūcto mutui mutuo se scabat: nec vllę leges ad hāc beluā profligādā sufficiāt, vti Sal. *ad Car.* vocat, imo furto & homicidio grauius crimē *Ambr. in l. de Tob c. 15.* cū fœnus sit animi funus, *teste Alphonso apud Panor. l. 3 de dict. & fact. Alphon 6.34* & seditionum discordiarūq; creberrima causa. *Ta 6. annal.* Experimur enim vsurarios hodie tam frequētes, indiscretos, & intolerabiles, vt in exigēdis vsuris nō detur Christianis (si Christiani) ab Hebræis vlla distinctio, quin & virtuti & solertiæ adscribant, idq; nō minus in Germania, quā vnquā in Italia & Gallia. Germania inquam, cuius maiores ante aliquot secula tam sanctam coluerunt innocentiam, vt Tacitus scribat *de mor. Germ. c 8.* fœnus agitare, & in vsuras extendere, Germanis ignotum prorsus. Christ. Oh... *disc. iur pol c. 2. n. 30 & 33.* vbi addit, nec ipsos clericos fratresq; mendicantes, hodieq; multos prædicātes ab vsuris nō abstinere. At vsuræ citius currunt quam Heraclitus, quæ si non iusto tempore exsoluantur, lites mouentur, & palliantur vsuræ titulis damni emergentis, & lucri cessantis, cum sortem sæpissime excedant, & miseros litigatores exsugant, non minus atq; Iudæi, quorum expulsiones merito probamus, ne Christianis lites illicitas mouere, & ipsorum sanguinem exsugere possint. *Marquar. tr. de Iuda c. 12. n. 11. Damb. in pr. crim. c. 82. n. ... Couar. 3. resol. c. 1. n. 8. Gail. 2. obs 5. n. vlt. Iob. Bonif. tr. de furt. §. fraudul. n. 19 Mol... tr. de vsur. n. 581.* vbi principes cum Iudæis colludētes vocat socios furum. Est enim regale principum, Iudæos recipere. *Th. Mich. tr. de iurisd. concl.* 48 Sed, proh dolor, expellendo Iudæos, retinemus eorundē lanceam, den Juden Spieß, quo multos litigatores, etiā nobiles, multi institores auarissimi, nisi re deplorantur, exenterant, trucidant. Tollendum ex ciuitate est illud vrbibus vetus ... malum. *Fac. 6 Annal.* quod fidem & probitatem, cæterasq; artes bonas subuertit, & pro his superbiam, crudelitatem, Deum negligere, omnia, venalia habere edocet *Salust. in Catil p. 10. Schonborn. lib. 3. pol. c. 12. de compesc. fœnerat.* ... serunt, & metere nunquā desinunt fœneratores, cocta, cruda deuorant, ...

quam fatum, quibus siue sterile siue fertile sit solum, menstruos fert census, sol annuos, wochen vnd Jahr-zinsen. Horū tabulas comburebat Agis Ath. Dux. *Al. ab Alex. l. 1. gen. Dier. 7.* Gallia manus amputatione plectebat. *Cuiac. 7 obs. 13.* Hactenus Parthenius litigiosus.

EQ. Video te etiam incumbere libris iuridicis. Id vero non omnimodo cum Theologis videtur conuenire; & prospiciendum tibi caute, ne falcem tuam mittas in alienam messem.

TH. Non est hæc messis aliena, sed omnino meæ professioni conueniens, vndecunq; eos qui de vsuris scripserunt, conquirere, atque ex autorum collatione, quid de ea statuendum, scrutari; Itaq; non verebor, ex eodem Parthenio litigioso plura allegare, eaque cūprimis, in quibus mōstrat, quodnā prauitatib. illis vsurariis sit adhibendū remediū. Sic aūt *l. 2. c. 11. n. 22.* vlterius scribit:

Vsurarum remedium est, constans & seuera disciplina, atq; in vnū alterumue grauis animaduersio, quæ cæteros deterreat, nec occasionē litigandi præbeat. *Schonborn. l. 3 Polit. cap. 12.* durius est remediū quod Cato fœneratores omnes Sardinia expulit. *Liu. lib. 32. Antimach. lib. 3 com. theor. 35.* nec minus durum est remedium, quod nonnulli ICtorū tradunt, vsurarios criminaliter puniendos esse. *Maran. pag. 6. spec. aur. n. 112. Molin. de vsur. n. 156. Berch. de vsuris c. 5. n. 9.* Media igitur huius remedii via est eligenda, vt vsuræ excessiuæ, immensæ & immoderatę Iudæo, Christianę Monath/wochentliche oder Tagzinse à pio magistratu seuerissime prohibeantur, & annuę ad tolerabilē modū reuocētur, *Æmil. Ferret. con. 73. num. 20. Amed. Pont inter dec. Ant. Tessau 57. vers. sit itaq. Ant. Quetta cons. 54. n. 9. gl. ad inst. iur. can. Lancel. l. 4. de vsur. §. Iudæi verb. immod.* Quod si quinq; in centum promittātur, eiusmodi vsuræ ferri, nec auferri possent. *l. eos 27. de vsur.* Reichsabschied *p. 1. in reform* guter Pollicey zu Augspurg *an 1530. p. 232. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 10. n. 17. Fride. p. 2. de mand c 73 n. 3 Vasq. l. 3. qq. illust. c. 60. num. 22.* Ruland. *part. 4. de commiss. lib. 6. c. 6. n. 13.* vbi aliquot præiudicia refert. *Vsurarum remedium.*

Omniū optimū esset remedium, vt Principes in suis prouinciis aut certū vsuræ modū instituerēt, & vltra recipiētes, atq; exinde litigātes acrius castigarēt, vti Rex Danię 6. in centū subditis Holsatię permisit, idq;, de anno in annū, seu mercatu in mercatū, von dem einen vmbschlag in den andern. *Guic. in Belgio. V Vesenbe in par. c. de vsur, Ruland. d. part. 4. l. 6. c. 6. n. 23.* Aut potius ædes publicas erigerēt, quibus indigētes pecuniā datis pignorib. recipere possent, vti Patauii mons pietatis an. 491. in Batauia der Lombardt/& alibi alia loca, ita lites plurimę prçcauerētur. *Vide institutionē Montiū pietatis apud Bern. Schardon. l. 2. hist. pat. clas. 5. Virg. de Bocat. tr. de manut. poss. c. 8. n. 160. Iob Bap. Lupa vsur. p. 3. n. 8. Ben. Boni. de cens. art. 5. Pet. Surd. cons. 82. l. 2. Arnol. Ferron. ad consi. Burdig. l. 2. tit. 8. §. 20. in f.*

Hæc de remediis litium vsurariarum, quibus accedit Edictum Principum Christianorum & Rerumpublicarum, ne Iudæi omnium maximi fœneratores in ditionib. suis ferātur, sed auferantur. *Alex. de Neuo cons. 100, Roland. à Valle,*

conf.55.n.16.lib.2.Cache dec. Ped.137. Damhud. in pr.crim.cap.28.n.76.Couar 3. resol. c.1.n.8.Gail.2.obs.5.n.vlt.Bonif.tr.de furt.§.fraudulosa,n.39.Soar.lit.l.n.194. Molin *tr de vsur.n.*581. vbi Principes cum Iudæis colludétes vocat infideles & socios furum, *Marquar.de Susan.tr.de Iud c.11.n.11.Pet.Soyz.dec. Litu.5.n. 220. Marcl. qq. pr.2.* Vtinam reliqui omnes, qui fœnerando iudaizant, & iudaizando fœnerant, Republica expellerétur, minus malorũ, minus querelarũ, min⁹ litigiorũ esset.

Nec imperii cõstitutiones An.1544.*tit.20.§.* von Jüden/hunc vsuræ Iudaismum simpliciter probant, sed propter aliquid boni, wegen deß Reichs Anlagen vnd Hülffen/quãuis lucri odor sit bonus è re qualibet: Nõ tamé permittendũ est malũ, vt aliquid boni eueniat. Iudæi feruntur propter lucrum, Christiani confratres expelluntur propter lucrum, quæ dissimilitudo? Ratione indigentium & pauperũ toleratur consuetudo, quæ alias minime toleranda esset. *Colcr.de proc.exec.part.1.c.10 n.64* Hactenus Parthenius litigiosus.

EQ. Caueat sibi Parthenius, ne crabrones illos Iudaicos, quibus litem videtur imcédere, irritet, eamq; quæ aliorum est, litem faciat suam. Sunt enim non pauci Iurisperiti (seu mauis, Iurisperditi,) qui pro illorum Iudæorum vsuris non secus ac pro aris & focis depugnant.

De Vsuris Iudaicis. *TH.* Hi tamen more Iudaico non sunt circumcisi; vere tamen cum Iuda illo Ischariota dici merentur *viri excisi.* Quippe Ischarioth idem est quod vir excisus; quorum perditio eo erit intolerabilior ac sæuior, quam circumcisorum, quod hi ex innata quadam & cõgenita prauitate miseros Christianos diuexant illi vero ex affectata quadam Satanica ἐπιχαιρεκακίᾳ, & quandoq; etiam insana vindictæ libidine, Iudæis dextram porrigunt, deploratamq; illorum malitiam strenue promouét; quæ quidem nondum satis deplorata demũ illis erit in altero seculo, vbi in continua æternitate illorum audietur cum fremitu & indignatione, ploratus & stridor dentium. Sicut enim sanguis Abelis clamauit è terra aduersus Cainum, sic lacrymæ pauperum, præsertim infantium, quos cumprimis isthæc diuexatio tangit, aduersus istos, aurisugas clamabit, & dire eosdem coram iustissimo Dei iudicio accusabit.

PH. Hem, tu admodum debaccharis. Parce aliquantulum, forsitan non tanta est Iudæorum malitia, quanta vulgo existimatur.

TH. Vah! adhuc dubitas de eorum malitia? quam omnium miserorũ suspiria & lacrymæ continenter accusant. Nosti veram illam sententiam: *E malis moribus ortæ sunt bonæ leges.* Si de malis Iudæorum moribus non constaret, tot leges atque constitutiones ad retundendam illorum malitiam non fuissent latæ. At fortasse modernos Iudæos non eo, quo ipsorum maiores fuerunt, ingenio peruerso ac malitioso esse autumas, quum admodum sint obsequiosi. Ego vero instanter dico: Quo magis sese submittunt, suaque offerunt obsequia, eo magis cauendi, inseruiendique illa præcipitando subdola declinanda. Malus enim, vt est in prouerbio, vbi se bonum simulat

tunc

tunc est pessimus. Estque in fronte pietas, in recessu hæresis. Nullæque sunt occultiores insidiæ, quam hæ quæ latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine, quod grauiter Laertius Diogenes, *de vitis & moribus Philosophorum* inculcat. Multorum namque (vt Seneca ad Lucilium epist. 42. ait) quæ imbecillia sunt, latent vitia, instrumenta illis explicandæ nequitiæ desunt: Sic tuto serpens etiam pestifera tractatur, dum riget frigore; non desunt tunc illi venena, sed torpent. Et: Nunquam bona fide vitia mansuescunt. Tygres & leones nunquam feritatem exuunt, aliquando submittunt, & cum minime expectaueris, exasperantur, mox & toruitas mitigatur, *Seneca ad Lucil. Epist. 87.*

EQ. Absit à quoquam Christiano, vt Iudæorum improbitates euidentissimas tueri velle præsumat. Dicam ex infinitis aliquas, initio ab ipsis vsuris facto; in quibus exigendis, mirum quantas expilandi tenuioris præsertim fortunæ homunculos comminiscantur technas, Donaria vna cum vsuris deposcunt ex coacta conuentione à debitoribus extraordinaria iniquissima; in pecuniæ mutuatione adulterina obtrudunt debitoribus monetas, easque in summo valore ac pretio, neque tamen his satiati, cogunt insuper eos qui mutuum ab illis accipiunt, plus inserere chirographo, quam commodato acceperunt. Vbi vel maxime exceptionem non numeratæ pecuniæ locum habere par esset. 2. Margaritas spurias, clinodias fallaces, fucosas & obsoletas merces magno incautis atq; indiscretis insufflant pretio. 3. Furibus, nebulonibus & prostibulis promptum præbent hospitium, & si quæ furtiue aliis surripuerunt, vili ab ipsis (vah impune) coemunt pretio, proindeque occasionem & ansam furandi præbent ipsi furciferi omnibus bonis damnosam, eoque minime tolerandam, quippe per quam, filii filiiæque familias pariter atque seruitores & pedissequæ parentibus ac Dominis Dominabusque suis clam ac furtiue quiduis auferendi, istiusmodi durante impunitate, turpissime alliciuntur. 4. Chirographa, quantumuis à debitore exsoluta pecunia, non nisi iussi restituunt, fit enim haud raro vt debitor, postquam pecuniam, qua Iudæo fuit obstrictus, illi restituit, non amplius de chirographo sit sollicitus, sed per solutionem ipso facto chirographum esse annullatū (id quod etiam res est) candide sentit. At enim sæpius compertum est, Iudæos, impostores illos nefarios huiusmodi chirographa, data opera reponere, nec sane viuo debitore quicquam vlterius ab illo deposcere; at post mortem debitoris chirographa demum ac denuo promunt, solutionem apud hæredes defuncti, imo etiam haud raro apud ipsum viuentem, ipso Iudæo mortuo, ipsius hæredes perfide vrgent ac deposcunt. Hinc illæ æris alieni obstrictiones, quæ post mortē demum virorū alioqui industriorum innotescunt, de quibus ne per somnium quidem quisquam vspiam cogitasset, hinc hæreditatum expilationes, hinc hæredum gemitus &

 suspi-

ſuſpiria, ne quid durius dicam, quando defraudationes illas coram cernere coguntur, neque tamen per viam iuris obſiſtere iniuriis illis poſſunt. 5. Monetas quinetiam partim adulterant, partim adulteratas, ex alienis territoriis, omnino contra conſtitutiones Imperii monetarias, conuehunt, eaſque in magno pretio incautis obtrudunt. 6. Minorennes, qui ſub patria adhuc ſunt poteſtate, vel ſub tutorum & curatorum tutela, adeoque ſui non ſunt iuris, nefarie ad ſe alliciunt, opem atque operam ſuam illis deferunt; demum aut cum vnum aut alterum illis mutuo dant, ſubitam deinde ſolutionem vrgent, ſub interminatione, parentibus aut curatoribus ni ſatisfaciant, ſeſe denunciaturos; ibi tum conſtricti miſeri & incauti quiduis potius ſpondent, quam vt id denunciari parentibus aut tutoribus patiantur. Iubentur ergo chirographa omnino ad ipſorum impoſtorum libitum ac præſcriptum ſcribere, ſubſcribere, & obſignare, inſerta conteſtatione, ſed à Iudæo decem, viginti, triginta, &c. (cum tamen vix vnum aut alterum) aureos ſimul & ſemel in bene numerata pecunia ac iuſta moneta mutuo accepiſſe, addita ſponſione, ſe dictos aureos intra menſem, ſemeſtre, &c. Iudæo cum ſumma gratiarum actione reſtituturos. Elapſo deinde definito ſolutionis die ac tempore, indeſinenter denuo vrgent aut ſolutionem aut nouum chirographum. Iteratur rurſus chirographum, inſcribuntur plures aurei, atque vt ad iterandum chirographum ſint promptiores, denuo vnum aut alterum aureum mutuo ſe illis daturos offerunt, lætantur viſa pecunia incauti illi mutuarii, inſcribuntur denuo aurei aliquot; quo fit, vt per iterationes illas clandeſtinas intra annum aut biennium parua ſumma excreſcat in ſummam grandem. In primis vero nouis eiſque locupletibus ſeſe ſtudioſe inſinuant coniugibus, quippe quos norunt primis coniugii annis incautius rem agere domeſticam, adeoque facile eos ad dilapidandum ac profundendum allici, & quiduis illis poſſe obtrudi. Vt iam nil dicam de opificibus, mercenariis, mercatoribus, nobilibus præterea pariter atq; ignobilibus perſonis, quos mirifice ad ſe trahere atque ineſcare callent, contractibus ſimulatis pactis legis commiſſotiæ, pactis tum ipſo iure nullis, tum vetitis, in emptionibus & venditionibus, commutationibus, chirographis, hypothecis, &c. 7. Et quod maximum nefas eſt, pecuniam ipſi a locupletibus quibuſdam tam Eccleſiaſticis quam politicis, at malis, imo peſſimis Chriſtianis, mutuo accipiunt, atq; ipſo Chriſtianorum ære Chriſtianorum æs abſumunt, imo ipſorum medullam & ſanguinem exugunt; quominus etiam iſtiuſmodi Pſeudochriſtianis condolendũ eſt, ſicubi, quod haud raro euenit, illis nates pro pecunia oſtentant per viam furtiuam, quam Panquerot dicunt: qualis enim eſt coitus, talis exinde pronaſcitur fœtura pecunias ſuas in penſione æqua ac iuſta nolunt mutuo dare Chriſtianis; Diabolo potius, quam fratri eiuſdemque religionis aſſeclæ, nulla honeſtatis, nulla inopiæ confratris ratione habita maluerint concredere,

modo

modo is (Diabolus) amplius aliquid in pensione se depensurum spondeat.

Verbo dicam: Nulla est flagitii nota, quæ non Iudæorum inusta sit vitæ, vsque adeo, vt prorsus viuere videantur in Christianorum perniciem, homines immani acerbaque natura, furore atque amentia incensi, quique à primis incunabulis omne suum studium cogitationemque eo dirigunt, vt tanquam harpyiæ in aliorum fortunas inuolent, quam ad rem consequendam, omnia fraude & dolo malo agunt, eo impudentiæ progressi, vt illos in summa nequitia non solum libido, verum etiam ipsius nequitiæ fama, ciuiumque indignissima querela oblectet. Immanissimumque adeo ac fœdissimum hoc monstrum, bustum reipubl. & tanquam serpens è latibulis in aliorum perniciem repens, semper poscens, semper rapiens ad omnem nequitiam, scelus atque facinus proiectum nefariisque criminibus coopertum, magnam sibi ex omni scelerum vitiorumque audacia turpitudinem atq; infamiam sciens volensque contrahit, multa in deos hominesque impie committens.

PH. Gaudent Iudæi quibusdam immunitatibus e benigna quorundam principum concessione, præsertim quoad fœnerandi exercitia. Hinc Cassius Iureconsultus *cons.* 89 *num* 28. Hebræi, inquit, tolerantiam habere fœnerandi intelliguntur, quando cum pecunia realiter soluta hoc faciunt, non cũ instrumentis confessionis, vel rebus datis locis pecuniæ. *Idem sentit. Alex. cons.* 180. *n.* 7. *in fin.*

TH. Sed huiusmodi principes grauiter arguit Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, in Tractatu de reformatione Romanæ Ecclesiæ, quem Concilio Coustantiensi (Trithemio attestante) obtulit: Principes (inquit) Christiani Iudæis propter vilem quæstum non fauent, eos scilicet inter suos subditos morari permittendo, sed vel Christianis seruiendo, agros colendo, vel alias mechanice laborando, & non vsuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo.

PH. Quid hoc vsurarum negotium ad Episcopos aliosve Ecclesiasticos. Politicorum est desuper statuere ac diffinire.

TH. Allegabo igitur tibi, siquidem ita vis, aliquot magni nominis politicos, meæ sententiæ asseclas. Quod Princeps siue Imperator fœnoris exercitium concedere non possit, asserit Ant. de Prato veteri, *inter cons.* Alex. *cons.* 49. *n.* 6. *libr.* 4. Apostillat. ad Alexand. contra Alexand. *ad consil.* 1. *lib.* 2. *numer.* 2. *in verb. nihil,* vbi ait, *Sicut magistratus tenetur, Iudæos & gentiles & quoscunque subditos, ab homicidiis, blasphemiis, & aliis delictis arcere, ita ab vsuris & aliis illicitis exactionibus.* Iul. Clar. *recept. sentent. lib* 5. §. *vsura num.* 7. vbi post Alexand. de Neuo *cons.* 00 *& cons.* 101 asserit, hanc esse communem Canonist. & Theolog. opinionem. & dicit, se dolere malitiam doctorum Christianorũ, qui consuluerunt, contra tã apertam veritatẽ. Et subdit rationẽ esse, quia

quia nullus offerat mercedem, qui petat consilium, vt Iudæi non possint fœnerari: Nec quenquam reperiri, qui munera Principibus offerat, vt Iudæos expellant. Veritatem a. istã non dare præmia terrena, sed æterna. Marquart. de Susann. *in tract. de Iudæ. part. 1. cap. 1. num. 11.* vbi late examinat, & dicit hanc opinionem esse magis piam. Didac. Couarru. *variar. resolut. libr. 3 cap. 1. num. 8.* vbi ait, sententiam contrariorum esse falsam. Iacob. Menoch. *de præsumpt. lib. 2. præsumpt. 10. num. 46.* vbi recensitis opinionibus contrariis dicit hanc veram & retinendam esse. Idem *de arbitr. iud. quæst. lib. 1. quæ. 7. num. 7. & lib. 2. cent. 4. cas. 398. per tot.* vbi valde in fœneratores & vsurarios inuehitur, Theodor. Pett. *conclus. crimin. 292.* Castrens. *cons. 20. num. 4. part. 2.* Hieron. Schurff. *cons. 50. n. 13. cent. 2.*

Quinetiam non licere Iudæis vsuras exercere, tradit Curtius iun. *in l. ciuis qui in prouincia. num. 5 ff. si cert. petat.* vbi affirmat, hanc esse communem opinionem, Alexand. de Neuo *consil. 100* Iul. Clar. *lib. 5. sent. § vsura. vers. hac autem conclusio.* Sed & leges exclamant, ipsos Iudæos ad vsuras extortas restituendas esse cogendos, *cap. post mirabilem de vsuris*, cum alioquin exploratum sit, eos breui tempore Christianorum exhaurire facultates, vt inquit summus Pontifex *cap quanto amplius, de vsuris.* quo magis illi excusationem minime merentur, qui non tantum Iudæos palã ac scienter fœnerantes retinent ac fouent, maximo Christianorum scandalo; Sed etiam ex illorum vsuris ditari gaudẽt, quos tamen expellere ob vsuras debebant; etsi enim longi temporis consuetudo ac continuatio prætenditur, illa tamen, vt peccati nutritiua à peccato minime excusat, quod grauiter inculcat Alexand. de Neuo *cons. 103 numer 13.*

I nunc & Politicorum super actibus vsurariis exposce sententias.

EQ. Æquum sane esset, vt Iudæi tanquam mancipia, ad labores manuarios, eosque vel maxime sordidos, vt cæteris subditis hoc casu parceretur, atq; vt iuxta leges Christianorum omnino viuerent, cogeretur. Verum enimuero omnino hoc inuertitur. Iudæi namque non tantum constitutiones Imperatorias impune transgrediuntur, dum pro suo ipsorum arbitrio contractibus vsurariis & iniquis in Christianorum fortunas inuolant, sed etiam in turpi ac desidioso otio illorum succum & sanguinem exedunt, adeoque ex illorum sudore laute victitant, cum interim Christianorum liberi fame & siti conficiantur, omnino fere, ac si alio fine Iudæi non foueantur, quam vt Christianorum sudore acquisita illi absumant, quo quid iniquum magis sit, non video. Vt enim inique ageret paterfamilias, si famulos & mancipia sua otio torpere, pergræcari, cutemque curare, è contra vero liberos inedia consumi, calamitosamque adeo vitam agere permitteret, genuinosque hæredes substantia portion busque debitis defraudaret: Pari omnino ratione magistratus, qui patres patriæ dici gaudent, iniquitatis, imo crudelitatis notam

tam

tam non effugiunt, si subditorum suorum tanquam filiorum familias substantias, Iudæorum, vti mancipiorum proteruæ licentiæ, in sui suorumque perniciem animæ pariter atq; corporis exponi patiuntur.

Verum enimuero si quis statum sublunarem luscis etiam intueatur, non est, quod tantopere desuper miretur. Concurrunt namque in hac orbis inferioris Sphæra tres Aspectus, iique singuli singulis perniciosi. I. Intempestiua magistratuum conniuentia. II. Secura subditorum vecordia, dum cæco quodam coaceruandarum diuitiarum furore, in quo tamen vt plurimum decipiuntur, passim apud Iudæos pecuniam mutuo accipiunt, quæ tamen tandem, imo breui temporis spatio, in sui aliorumque certissimam redundat perniciem, dum nulla dilectionis proximi, nulla iuris & honestatis, nulla timoris Domini habita ratione, merces alter alteri in pretio plus æquo obtrudunt, quo fit vt vtrinque ad extremam redigantur inopiam. III. Virulenta Iudæorum peruicacia, dum ex innata quadam, & congenita vsuque pariter acquisita ἀφ-αιρέσει, nihil magis student, quam vt nobis, quos vt mundi καθάρματα quotidie exsecrantur, malum atq; interitum struant, nostramque inopiam promoueant, adeoque nobis mancipatis ipsi dominium in nos obtineant, nosque ad ipsorum gratiam atque arbitrium viuere cogamur.

TH. Non heri primum infausti illi aspectus visi sunt, sed inueterata quadam coadunatione coaluerunt, vt agriuscule, frigidiusculo hoc præsertim æuo diuellamur. Audiamus desuper Iohannem Pfefferkorn/ qui & ipse Iudæus fuit, qui post suam ad fidem Christianam cõuersionem luculenter & Comice rem totã ita describit, vt ouum ouo non tam sit simile, quam sui temporis Iudæorũ ingenia ingeniis Iudæorum hoc æuo. Sic autem *in lib. de Iudaica confessione.* Iudæus, inquit, vbi mane primum domo sua egredi vult, aspicit postem ostii sui. In eo facta est fissura caua ad altitudinẽ ferme hominis, quæ obtecta & obclusa est ferro: In qua asseruantur oratiunculæ quædam scriptæ in pergameno. In medio ferri huius paruula sunt foramia, quæ si per ea egrediatur orationum vis in conspectu Dei, super his manum suam quisque extendit ac ea palpat & quasi demulcet. Imponit capiti suo orationum libellos. Tum demum egreditur ad quæstum. Audite quo vultu, quo animo veluti prædo latrocinatorque, qui post dumum aut sepem & talia se abscondit latetque, in insidiis expectans, donec quem spoliare possit, inueniat, sic Iudæus ecce circuit omni studio in dolum, & percurrit fora, vicos, portus, angiportus, porticus, templa, tabernas etiam perscrutatur, vix ædes priuatæ securæ ab eo sunt, vt comparet aliquem cui nectat dolos, quemque fraude circumueniat, quasi canis inodora & vaga ambitu per frumenta & herbam qualiam vestigans, aut auceps auiculis per sepes ter centum flagella statuens inuiscata.

Quod si forte quem pecuniæ indigum Iudæi deprehendant, (olfaciunt quippe acrius cane aut vulture) qui tamen illos auersetur, aspernetur q; commercia eorum (quales probi Christiani multi sunt) instar famelicæ vulpis ad asturias se conuertunt. Vbi ea aues videt, ad quas pertingere, cum appetat, nequit, deiicit se in dorsum mortuam assimulans, tum (vt fit) descendunt super imitatum cadauer volucres deceptæ, quę tali pastu viuunt. Illa cum opportunum tempus agnoscit, improuisam aliquam rapit & vorat. Sic & Iudæus machinatur dolos quibus ad se alliciat Christianum. Interrogat à longe quid rerum & negotiis agat Christianus ille. Si acceperit mercatorem esse, applicat se Iudæus ei, præstinat, emit mercis aliquid ab eo. Re dissimulata redit post aliquot dies plus minusve quindecim aut 20. dicens, gaudeo ob bonum mercatum, ex eo quod à vobis emptum habui, lucrum feci satis amplum, sit tibi (quisquis ille est quo cum agit Iudæus) inquit, occasio lucrandi forte obueniat (neque enim occurrunt quotidie) trecentos & supra aureos commodabo si cupias, vt vili emas quod carius vendere possis, occasione humanitatis & felicitatis tuæ motus (quæ & mihi commodo sint) etiam ad annum dimidium gratuito. Post hanc pollicitationem ne subesse dolus aduertatur, iterum temporis quid intercidere sinit & labi. Interea si necessaria fuerit Christiano forte pecunia, cogitat apud se: *Vtere pollicitatione Iudæi, cum vsuram nullam ex te sit pacturus aut exacturus.* Accedit Iudæum per nuncium, petit ab eo pecuniam mutuam; cui rei Iudæus promptus est & facilis ad pollicendum præstandamque pollicito fidem. Exacto anno dimidio euenit, quod & sæpe, (& naturam quidem hominis & ingenium industriamque Iudæus ante considerarat, quas res fortuna plurimum comitatur) vt Christianus ille merces suas ex commodo distrahere nequeat & fidem Iudæo creditori suo seruare. Vbi id Iudæus rescinerit, serio & cum conuitio exigit pecuniam, minatur etiam se vocaturum eum in ius ni reddat, dispudet Christianū debitorem esse Iudæi, atque id inter suos aliquando efferendum prodendumque fore, eo fortunarum ventum esse, vt cum eo hominum genere fœneretur. Conuenit igitur inter eos ad soluendum sub vsura debitum in diem constitutum. Tum vti incipit Iudæo Christianus, Iudæus autem ipsum velut nexum habet. Constituit diem & terminum solutionis, quem scit ei minime commodum vt seruet aut possibilem, inde pro voluntate sua cogit, & versat Christianum. Vbi iterum tempus soluendi aduenit, nec Christianus soluit debitum & vsuras, iterum Iudæus (honesta videtur postulare) exigit quod sibi debetur, tum nouo pacto fœnori & fœnus imponitur quasi sors esset, constituitur iterum dies quem Christianus seruare nequit, hæc non semel, sed ita gradatim bis, ter, quater fiunt, sicque tandem misellus iste Iudæo addictus & eius velut captiuus efficitur, vix vnquam fieri potest, vt vel magnus homo

homo sic irretitus fœnore & vsuris aliquando se liberet, quanta quotque videmus eiusce rei quotidi na exempla? Eo modo probi & simplices homines misere fortunas suas amittunt. Quamobrem auisatos (vt dicitur) & admonitos oportet esse Christianos, vt caueant sibi à probis istis exteriore specie Iudæis, qui sine vsura pecuniam mutuam se daturos offerunt, lupum quippe in corde gerunt; Ac etiam à Christianis qui tales tanquam probos Iudæos laudant, attollunt, & ad eos homines mittunt dicentes etiam proximis suis, *Ille probus & bonus Iudæus est, sine vsura mutuum dat, quod vix faceret Christianus.* Nam hi haud dubie cum Iudæis participant, & ab illis munera accipiunt in miseram subuersionem simplicium, qui tandem his dolis subiguntur. Hanc vnam accepistis Iudæorum malignam industriam ad alliciendos & decipiendos miseros Christianos.

Est & alia fraus, habent Iudæi sæpe decora pretiosaque ornamenta auri & gemmarum, & huiusmodi quæ vulgo clenodia vocant, ostendunt ea diuitum filiis aut filiabus, quos talia oblectant. Docent eos vt orent parentes suos pro eis talia emere, posse emi vili, scire se id ingenii ac animi inesse parentibus eorum, vt bono mercatu libenter emant, vtpote pecuniatum parci. Dicunt, ecce minoris quam 20. aureis hoc clenodium vendere nolo, si dederitis mihi sex insciis parentibus vestris (inducite illos vt emant hoc vobis) ego illos tanto minore pretio vendam, vt eo modo vos id consequamini, quod si etiam præsentes pecuniæ vobis fortasse non sunt, credam in statutum diem. Talibus pellecta sicq; instructa improspectior ætas instat apud parentes, vt hæc emant. Fit emptio de promissione filiorumfamilias, tacet Iudæus, nec ab eis exigit quicquam intra annum & supra, quo peracto tempore monet eos Iudæus vt meminerint promissæ pecuniæ non quasi præsentem exigens solutionem & pecuniam extorquere nolens, sed qui computare & rationes facere velit, eo animo vt fœnoris fœnus fiat. Nullæ ibi tamen sunt pecuniæ, vnde promptæ mox soluatur debitum. Ille serio petit numerari quod sibi debetur, minatur etiam apud parentes horum se desuper conquesturum. Illi ê diuerso metu parentum obsecrant vt taceat. Nouum iterum faciunt contractum, atque iterum & iterum, quomodo & superiore casu diximus. Vbi iam iuniores isti adoleuerunt, superstitibus adhuc parentibus & summa debiti satis excreuit, vocat eos ad se, adhibet quos nouit idoneos sibi, in qua re Iudæi astuti sunt, coram iis coguntur confiteri debitum & agnoscere, sic tamen vt parentes eius rei nescii sint, in tali statu manet & conquiescit negotium, quousque illi à parentibus collocentur nuptiis, eisq;, vt fit, summa pecuniaria aliqua, vnde sibi quæstum faciant, assignetur, tum quicquid eius quis acceperit, ex obligatione & cõfessione Iudæo numeratur, ac eius iuri cedit, obligatur adhuc huiuscemodi homo Iudæo ex fœnore in summa-

ma alia, cuius differtur exactio & solutio vsque ad mortem parentum, donec suscipiatur hæreditas à liberis, quorum bona per hanc inductionem & fraudem vsurariam olim multo labore & sudore duce ac parce victum quæritando conquisita, extraneus tum Iudæus possidebit.

Sed præter has fraudes aliasque innumeras taceo quantum rerum furtiuarum, raptarum, sacræ sint siue prophanæ, vili (vt in talibus fieri solet:) Iudæi coemant, magno vendituri precio. Vel & ipsimet furantur, & eam rē iusta sibi emptione obuenisse dicunt, aut pro summa aliqua pecuniæ pignori obligatam, quibus similibusque magno damno sunt Christianis.

Quousque hæc tandem patiemini ò rectores Reipublicæ Christianæ (cum venia tam libere loquor, cogit veritas comperta me efferre, exprimit dolor hæc verba & commiseratio nunc mihi Christianorum, in quorum cætum sacerrimum indignum me gratia & misericordia Dei, qua salui efficimur, induxit ac recepit sinu benigno, quæ det oro iugiter, vt in ea religione recte & cum fide verser) commoueat obsecro vestrum talis tantaque Iudæorum nequissima fraus, communem animis vestris vtilitatem proponite, expellite, eiicite hos nequam homines dominiis, imperiis & finibus vestris, damnosiores sunt prædonibus publicis & viarum insidiatoribus, in quos omnes vociferantur, vt extermineutur quo magis in istos? *Hactenus Iohannes* Pfefferkorn.

EQ. His omnino consonant, quæ extāt in eiusdem Pfefferkorn libro, quem *Hostiu Iudæorum* inscripsit, bis quæ sequuntur verbis: Quanquam (inquit) in mundo multæ ac variæ sectæ, hæreses, & (si ita licet dicere) fides sint, & inueniantur, nulla tamen inter omnes furacior, perniciosior, fraudulentior & damnosior est populo Christiano, quam immundorum & execrabilium Iudæorum, qui dies noctesque cogitant præ omnibus aliis nationibus summa cura & studio, totoque nisu meditantur, quomodo vim & potestatem Christianorum eradicare & stirpitus delere possint. Quando autem id eis possibile non est, alia moliuntur via. Vsuras & cæteras tractant fraudes, quibus sub comis & benigne cohabitationis verborum, rituum & vultus obtentu id efficere sperant, potest tamen eorum astus animaduerti quidem, sed non peræque à quouis, me igitur paucis cum fauore patienter audite oro. Scitis Iudæos pecuniam dare mutuam pignore prastito, quod multo melius pecunia est, quam super eo mutuam dant: vnde si quis forte Christianus ad obligandum pignus, Iudæum accesserit, ille quamuis plane animaduertat, eum necessitate vrgeri ad mutuum accipiendum, interrogat tamen bonis verbis, quid petat, illo respondente, en pignus habeo, tantum mutui (nominat summam) mihi dari oro, tum sumit Iudæus rem pignori obligandam, aspicit, versat iterum & iterum, dicit tandem, eo pignore mihi cautum satis non est pro mutuo ꝙ postulas, tantum non concedam. Abit à pignore

quasi

quasi nihil mutuaturus, terretur Christianus pecuniæ indignus, dicit ad Iudæum, quantum ergo mutui dabis? tum denuo Iudæus pignus versat, aspicit cum omni diligentia, vbi diu peruidit, nominat exiguam summam. Exempli causa, sit aureus Renensis monetæ principum electorum, sub vsura in singulos 6. albos monetæ Colon. nunc currentis, vnius Hallens. per quamuis hebdomadam, ita pro aureo præstabitur vsura 8. Hallensium pro tempore vnius hebdomadæ, vt vsus & consuetudo est in Luitio contra Coloniam Agrippinensem. Et quamuis Christiano ampliori pecunia opus sit, accipit tamen in primis eum aureum ea spe, id pignus breui se luiturum & liberaturum, labente tempore in dies magis magisq; pauperascit Christianus (scio equidem certo, eum qui cum Iudæis negotia huiusmodi habet, & iis obnoxius fit, vix vnquam in meliorem frugem posse euadere) nec redimere pignus potest, sperat autem meliora. Interea labitur annus, & Christiano pignus, multo melius pecunia credita non liberante, pignus ipsum pro exigua summa obligatum Iudæo cedit, nec illud anno peracto reddit debitori pignoris olim domino. Si autem venerit is debitor (ponamus casum) vltimo anni die & computauerit cum Iudæo, super aureo vno inueniet, excreuisse vsuram in albos Colonienses 34. & 8. Hallenses, verum non habet vnde soluat; soluat fœnus. Orat Iudæum, vt credat ei vsuram cum sorte sub onere consueto & fœnore non nimio, ne distrahatur & amittatur pignus. Respondet Iudæus, faciam id libens, sed necesse est, vt plura afferas pignora, quod & facit Christianus, atque ita aureus cum vsura in obligatione manet. cum habeat debitor, vt ante, melioris conditionis & fortunæ spem, quæ tamen non obuenit, quin potius, vt dixi, homo iste quo magis Iudæo obnoxius fit, & cum eo agit, eo minus ab eo se excutere potest. Atq; ita alius finitur annus. Redit Christianus, nouum cum Iudæo facit calculum, tum inueniet tam pro sorte, quam vsura debere se aureos duos, albos 46. Hall. 8. Nec tum etiam Christianus summam eam soluere potest. Obsecrat, vt ante, Iudæum vt principale debitum cum vsura diutius credat, & ille quidem facturum se id dicit, si tamen plura pignora constituantur, quod facere cogitur Christianus, nisi enim id faceret, pignora huiusmodi Iudæus venalia palam circumferret per vicos ciuitatis distrahenda, quæ res Christiano ipsi apud notos & conciues dedecori non modico futura esset. Affert ergo tandem per semet Christianus, ad Iudæum clanculum supellectilem suam omnem & quicquid habet domi, atque obligat obstringitque Iudæo, ita vt pro aureo vno quem mutuum dedit, ad æstimationem, centum aureorum & supra pignora habeat, crescentibus ad postremum vsuris & vsurarum vsuris, miser ille vbi reliquum nihil est quod pignori obliget, cogitur præ pudore & inopia, relicta patria & suis omnibus in summa egestate & penuria miseram trahere animam, aut deterius quid admittere, vt sæpe euenisse scimus. *Et in eodem libro*: Aliud, inquit, audiamus facinus, quo ditantur hi scelestiss.

stissimi Iudæi, quod palam dico, vt sibi caveat quisque ab eorum falsitatibus, neq; in quauis re fidem illis habeat. In locis nonnullis super literis redditaum & pensionum, super chirographis pessimo abusu & permissu pecuniam dant mutuam sub vsura; vbi apud se literas & scripturas has habent, ingenio suo cũ nil aliud nisi dolos machinentur, corrumpunt, & falsificant sigilla, imitantur & (vt vulgo aiunt) contrafaciunt manus aliorum, addunt, detrahunt, mutant quodlibet, nouas faciunt, quæ nunquam eis datæ obligationes, fraudant modis omnibus maximi ipsi, qui vsquam inuenti sunt falsarii; quod sæpe compertum est: quam ob causam Illustrissimus Princeps Maximilianus Imperator (quem honoris causa nomino) multis locis ditionis suæ in Austria, Styria, & Karinthia, Iudæos expulit, vltimo supplicio affecit, huiusmodi falsitate agnita, quæ in res & corpora iure & merito vindicanda erat. Ex his quas attuli rationibus, luce clarius cuique, modo aliquid intelligentiæ habeat, videre est, quantum Christiana potentia fraudibus Iudæorum debilitetur, quando aperta vi nil possunt. Euenit quoque interdum, vt inter Iudæum & Christianum pignoris seu quantitatis mutui aut temporis, aut huiuscemodi gratia cõtrouersia in iudicio fit, & deficientibus probationibus Iudæo iuramentum suo ritu faciendum deferatur, vnde res ipsa, quam inuitissime amissam velit Christianus, abiuretur & alienetur; facilis tum est ad iurandum Iudæus, nunquam refert iuramentum, iurat, quamuis sibi conscius sit, falsum iurare se, nec vllos periurii vltores metuit Deos, quod si forte interdum iurare renuat Iudæus, nullius iustitiæ, & veritatis contemplatione id facit, sed ob metum, ne si falsum iurauisse conuinci possit, per dominos suos mulctetur. In iuramentis itaque Iudæis nulla fides, nulla religio est: quare nec ex eorum quoque iuramento iudicium dandum aduersus Christianum videtur, cum & illud certi iuris canonici & ciuilis sit, Iudæum Iudæo testem etiam iuratum aduersus Christianum in iudicio non admitti: suo igitur iuramento sine teste credendum non erit.

TH. Scripsit isthæc omnia Pfefferkorn ex praxi; quippe qui dum adhuc in Iudaismo vixit, eiusmodi technas ipsusmet vsurpauit. Cæterum ad eundem ferme modum autor Germanicus neotericus de subdolis illis Iudæorum insimulationibus, decipulis, vaframentis cæterisque ad hanc rem vsurpari solitis malitiis scripsit, an proprio edoctus incommodo, an ex aliorum relatione certior factus, me fugit. Vt vt sit, vera omnino scripsit. Audite, annuite: Iudæus, inquit, quilibet tres habet modos agendi cum Christianis subdolos atque nefarios. Primo enim induit pellem vulpinam, callide inquirit de singulorum facultatibus, atq; vbi animaduertit hominẽ improuidum, eumque opulentũ, mox sese apud ipsum insinuat, opem atque operam suam in pecuniarum mutuatione sponte illi offert, atque hanc vel illam mercaturam, sibi maxime futuram

turam proficuam scilicet exerceat, multis verborum lenociniis suadet atque allicit; hinc sæpe fit, vt multi relicta vocatione diu nitus ipsis demandata, Iudæorum omnino ad arbitrium cum summa sui infamia atq; dedecore sese regi patiantur, commerciisque quorum nullam prorsus habent cognitionem, adeoque in præsentissimam ipsorum perniciem tendentibus, temerario sese immergant. Hinc vbi iam immersum in voraginem eiusmodi Christianum Iudæus detrusit iamque emergere, pedemq; retrahere Christianus amplius non potest, tum vero lupinam Iudæus induit, quia namq; Christianus mutuo sibi datam à Iudæo pecuniam non tantum non restituere illa vice, qua promisit, potest, sed alia insuper pecunia opus habet, cogitur supplex fieri Iudæo, rogatq; quantis potest precibus Iudæum, ne deserere ipsum nunc velit, Iudæus rem susque deque versat, modo spondet, modo sponsionem reuocat, illumq; subinde inter spem & metum detinet. Tandem suam erga illum beneficentiā multis deprædicat, monstrat pecuniæ quandam portionem, sed eandem priuato suo damno ab aliis itidē mutuo accepisse dictitat, proinde donario quopiam vt ipsum beet Christianus, efflagitat, aliter enim se illi non mutuaturum. Assentitur Christianus. Poscuntur tabellæ, scribitur chirographum, exempli gratia, continēs trecētos aureos, prout ipse Iudæus dictat, siquidem de verbo ad verbum longeque accuratius, quam si quis orationem Dominicam dictat, formulas chirographorum recitare atque dictare norunt. Scripto chirographo depromit pecuniam, numerat, & vbi iam ad ducentos aureos peruentum est, manum retrahit, vlterius numerare renuit: Instat Christianus precibus; flectitur Iudæus (ô malum!) vnum aut alterum adhuc depromit: vlterius instat precando Christianus aliquot adhuc, eosq; plerunque leuioris ponderis ac monetæ in tabulam proiicit, nihil se vlterius daturum recipit, si non adlubescat isthæc mutuatio, pecuniam restituat, restituturumque sese chirographum. Quid faceret Christianus: obstrictus est, angitur à creditoribus, Rhodius illi desultandus obuersatur. Tacite gemit. Dedit chirographum continens trecentos aureos, numerati sunt illi vix ducenti & decem, debet tamen vigore dati chirographi intra duos menses restituere trecentos, cum sufficienti pensione. Proh infandum! Duo illi ad solutionem destinati dies breuis temporis, imo dierum curriculo decurrunt. Instat Iudæus, minatur carcerem, ni soluat, ne tamen omnino inhumanus videatur; Crocodili induit pellem & ingenium. Etsi inquit pecunia illa, quam mutuo tibi dedi: iam maxime opus habeam, teque vigore chirographi tui, ad solutionem, si adigerem, nemo mihi vitio vertere posset; attamen vt de mea in te benignitate atque beneuolētia tibi cōstet, en spōdeo tibi, me ad solutionē te nō tantopere adactu-rū, modo fideiussores, qui pro te spōdeant, cōpares. (Ecce non contentus etiā alios bonos viros in has tricas deducere conatur.) Prædicat Christianus (sed

cum

cum gemitu) beneuolentiam Iudæi, rogat amicos, vt pro se velint fideiubere. Impetrat; fideiubetur: nec tamen cessat Iudæus affligere Christianum, neq; hoc solum, sed etiam apud quosuis illum defert, quod non sit soluendo, proinde fideiussoribus negotium facessit, illi vicissim debitori principali, quippe quod officium suum nemini debeat esse damnosum. Hoc modo debitor principalis cum damno vendere & distrahere res suas, vt Iudæi libidini satisfiat, cogitur. Vt iam non dicam de discordia, quæ hoc modo inter amicos, qui pro se inuicem fideiusserunt, atque ad instantias Iudæorum importunas seipsos inuicem pungunt atque confligunt, aut etiam fideiussionem præstare renuunt, seritur. Atque hic est processus Iudæorum ordinarius, quo successiue induti pelle vulpina, lupina, & crocodilina incautos Christianos adoriuntur, inescant, irretiunt, expilant, trucidant, & tantum non deuorant. Ad quem etiam processum progeniem suam viperinam à primis incunabilis assuefaciunt, conducto ipsis ad proterua huiusmodi artificia, peculiari vsibusq; edocto Institutore ac Magistro, qui rationē & modum fallendi, & quomodo ad praxin accommodandus, ad oculum demonstrat. Atq; vt prauorum parentum filii pessimi ad addiscendum seq; afficiendum sint promptiores, parentes certam pecuniæ summam illis præbent, & quicquid exinde his prauis artificiis acquirunt, id tanquam filiorum peculium deprædicant, neque minimum illis ex illo peculio adimunt. O malorum coruorum oua pessima. Hactenus scriptor Germanicus.

PH. Sed existimant Iudęi, vigore diuini mandati, *Deut.* 23. eos iure ab extraneis, vsuras capere.

TH. Loquitur ibi Moses de Iudęis in terra Chanaan, quatenus sese vnice submittebant legi Mosaicæ. Quid vero id ad Iudæos hodiernos, qui subsunt Imperio Romano. Sunt ergo Iudęi duorum generum. Prioris generis sunt illi eorumq; posteri, quos Moyses ex Ægypto in terram Chanaan eduxit, quibus etiam leges ac mandata dedit, ad eorumq; obseruationem vsque ad aduentum Messiæ eos adstrinxit. Atq; hi sunt Iudæi Mosis siue Mosaici. Secundi vero generis: non sunt Iudæi Mosaici, sed Cæsaris siue Cæsarei, iique primum tempore Pontii Pilati innotescere cœperunt. Id quod ex proprio ipsorum ore & professione liquet. Cum enim Pilatus tempore passionis Christi pro tribunali ipsos interrogaret, num ipsorum regem Iesum, qui Messias vulgo nuncupetur, crucifigere deberet; illi vnanimi voce responderunt: Nullum alium agnoscimus neque habemus regem præterquam Cæsarem. Quia ergo spontanea voluntate immunitatibus atq; libertatibus Mosaicis sese abdicarunt, imperioq; Cæsareo sese submiserunt; proinde etiam iuxta leges & constitutiones Cæsareas tamquam ipsius subditi viuere, iisque parere necesse illis fuit, eoq; minus illis facta fuit iniuria, quod posteaquam dehinc illis submittere se detrectarēt, turbasque subinde mouerent, per vim cruentasq; clades vrbiumque ac poli-

tiarum

tiarum euersiones ad obsequium compulsi atque adacti fuerunt. Ex his quos iam dixi Iudæis refractarius superstites sunt Iudæi hodierni, quos sordes potius ac fæces dixerim, quos etiam neq; Moses agnoscit, neque ipsi è conuerso Mosen. quippe cuius mandatis ne ad minimum quidem conformes sese exhibēt. Quod si igitur lege ac libertatib. Mosaicis gaudere atq; vti frui cupiunt, necesse est, vt remeent in terrā Chanaan, trāseant ad castra Mosaica, ibique iuxta præscriptū illius viuant. Liberū tunc illis erit tantisper ab exteris vsuras accipere quoad lubet, atque exteri ferent. Quandiu vero subsunt Imperio Rom. vti nunc subsunt, tamdiu etiam, vt iuxta leges Imperatorias viuāt, par est, adeoq; nullo omnino iuris prætextu vsuras vt exerceant ipsis committendum est.

PH. Quid vero, si Iudæi exhibeant super concessionibus vsurarum priuilegia principum.

TH. Priuilegia non sunt nutritiua prauitatis, nec credendum, principem quenquam in concessione priuilegiorum hoc voluisse, vt suis ipsorum subditis sint damnosa; proindeq; talia priuilegia stricte sunt interpretanda. Et habeo ego ex mea parte, grauissima antiquitatis, sacrarum literarum, diuorumq; patrum & aliorum testimonia, adeoq; sententiæ meæ patronos & antiquiores & neotericos omni exceptione maiores infinitos; quorum dictamine linguam meam dicturiente sic pronuncio: Intolerabile malum vsura est, vnde & vsurarius pro latrone legali habetur *secundum Ioan. Andr. & Dd. in Reg. peccatum*, diciturq; rapinam facere. *c. si quis vsuram* 14. *q.* 4. imprimis vero ab ipso omniū rerū opifice septimo præcepto decalogi prohibitū. *Non furtum facies*, præcipit *Iehoua*, sub quo nomine omnē omnino illicitam rei alienæ contrectationem, adeoq; nostrā hanc vsuram inhibuit, *iuxta illud B. Augustini, in libr. qu. super Exod.* 22. cuius etiā verba referūt 14. *q.* 5. *can. pœnale.* Non enim, inquit, rapinā permisit qui furtum prohibuit, sed à parte totum intelligere voluit, quicquid illicite rerū proximi aufertur. Hinc est quod vsurariū illud lucrū ita sub pœna æternæ infelicitatis restitutioni subiacet, sicut res furto & rapina sublata, *cap. cum tu. de vsuris.* cōprobauit hoc idē ille qui supra summus rerū creator apud Ezech. *c.* 18. in hęc verba: *Vir iustus, qui ad vsurā non accommodauerit, vita viuet* Et rursus *c.* 22. *Ad vsuram aūt dans, & amplius accipiens nō viuet, nec habitabit in tabernaculo tuo, nec requiescet in monte sancto tuo, Domine*, inquit Regius Propheta Dauid, in Spiritu sancto, *Ps.* 14. Testatur hoc idē Saluator noster Iesus Christus. *Lu.* 6. cum diuino sui oris Elogio nos ita docuit, *Mutuū date, nihil inde sperātes*, quo crimē vsurę sub præcepto & mortalis culpæ reatu prohibitū esse sancta profitetur Ecclesia, *iuxta cap. cōsuluit. c. quia in omnib. & c. super eo. de vsuris.* Huic accedit vniuersale ac perpetuum Dei præceptū, quod nō didicimus, accepimus, legimus, verū à natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quod nō docti, sed facti, nō instituti, sed imbuti sumus, nimirū, vt, *Quod nobis nō volumus fieri, alteri ne faciamus.* Ast vsurarius nō velit sibi aliquid subtrahi, quod tamē ipse facit proximo, dū vsuris supprimit, dū contra Iustitię

fundamentum, minus dat, plus vt recipiat. *D. Thom. 2.2. quæst. 78 artic. 1. & 2.* dum denique contra ipsissimam naturam pecuniæ infœcundę partum tribuit, *D. Basilius in homil in fame & siccitate habita.* Itaq; cum nefandum hoc vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina, immo & ius ipsum naturale detestetur; nemo hoc vt adstruere ausit, cauto est. Non enim debet permittere inferior, quod vetat superior, id est, ipse Deus, *cap. cum inferior. de maiorit. & obed. l. nam & magistratus ff. de arbitr.*

Accedit his, quod non licet consentire in actum ex sua natura malum, etiamsi bonus finis eidem proponatur, cum quia iuxta Apostolum non sunt facienda mala vt eueniant bona, quod late & satis docte prosequitur *Ioan. And. in regula peccatum. in mercur.* Tum etiam quia intentio & finis boni non iust ficat actum ex sua natura malum, *ex Magistro, cum communi in 2 sententiarum. distinctione quadragesima.* Exercitium autem vsurarum vtiq; ex se malum sit, quippe quod repugnet iuri naturali, diuino & humano. Ergo in exercitium vsurarum consentire Princeps minime debet.

Neque etiam cuiquam patrocinari debet inueterata illa fœnerantiũ multitudo & consuetudo, quæ pessima potius corruptela & crudelis bestia diceretur, deuorant animas & facultates, *iuxta capit. 1. de vsuris.* Licet enim inquam, consuetudo dubium actum interpretetur, eum licitum esse dictitans, *vt docet Bart. & Iason in l. singularia. ff. si certum petatur,* tamē cōtra expressũ ius diuinũ nihil inducere potest. *c. fin. de consuetud. sext. & ibi Bal. in l. eos §. 1. in verb. consuetudo. C. de vsuris.* Accedit, quod vsura rapina sit, *14 q. 4. c. si quis vsuram,* dicaturq; extactio nequissima, consuetudo autem seu lex honesta & iusta esse debeat. *d. 4. c. erit autem lex.* Itaque cùm & ipsa consuetudo vsuram minus inducere valeat, quæ tamen vim legis habet, immo & ipsam legem tollit, *iuxta l. 1. 2. & 3 C. quæ sit longa consuetudo. & l. de quibus. ff. de legibus.* Ergo nec Princeps, qui similiter lex animata dicitur, *l. 1. ff. de constitut. principum.* eoque magis dum ius ciuile authenticarum, quod permittebat aliquibus in casibus vsuras propter publicam vtilitatem, adhoc vt homines pecuniis indigẽtes conseruationi vitæ suæ alimentis aliisque suis necessitatibus consulere ac prouidere possint, iam de iure Canonico correctum sit, vti communis testatur Dd. schola in auth. *nulli cred. vnde sumpta est authentica ad hæc. C. de vsuris.* Plane ergo nemini licere debet Iudæis permittere, vt in eorum territorio fœnerentur, cum nullo Iure fieri possit, nulla dispensatione, nulla principum licentia, nulla etiam immemoriali consuetudine, vt quod iure diuino, Euangelico, seu naturæ inductum fuerit, vel partim violetur aut tollatur.

P.H. Vnum ex Iurisconsultis vobis oppono, magnum illum Iasonem, *in repet. l. 1. C. de summa Trin & fide Cathol.* asserentem, posse Iudæis permitti [illegible] rum exercitium; motus autem fuit post alios ibidem relatos ob publicam [illegible] vtilitatem tum necessitatem, nisi enim, inquit, Iudæis permittere [illegible],

necesse

necesse esset vel Christianos fœnerari, ne egētes omni auxilio destituti ad furta, latrocinia & id genus alia prorumperent. Constat insuper, regimen humanum à diuino deriuari. Quemadmodum igitur Deus aliqua mala in vniuerso permittit fieri, nimirū ne eis sublatis maiora bona tollātur, vel etiā peiora mala sequantur. Pari ratione recte etiam in regimine humano qui præsunt, aliqua mala tolerant, ne maiora bona impediantur, vel peiora mala incurrātur, vt optime annotauit *Caie. in S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 11.* hoc modo permittuntur meretrices & lupanaria apud Christianos, nō tam ad fornicationem inducendam, quam ad euitandā promiscuā luxuriem in Republica, fœdissimamq; coniunctionem *iuxta illud August. in l. 2. de ord. à D. Th. 2. 2. q. 10. art. 11. & communiter in praxi receptum.* aufer meretrices è rebus humanis, & turbaueris omnia libidinibus, & tamē meretrices esse, & eas nos accedere mortale peccatum est, *iuxta c. meretrices. 32 q 4.* sic etiam Ecclesia concedit Iudæis festiuitates suas, sicut hactenus ipsi & patres eorum per longa colētes tempora tenuere, liberam celebrandi obseruādique licentiam, non quod ea fieri approbet, cum sint abolita per legislatorem noui Testamēti, scil. Saluatorem nostrum, sed quia inde hoc bonum prouenit, quod testimonium fidei habeamus, ab hostibus, & quasi in figura ab illis repræsentet quod credimus, *vt inquit D. Th. 2. 2. q 10. art. 11.* Hoc modo contingit, & videmus sæpenumero in bene constituta Republica aliquem actum, quantumuis legi naturali & diuinæ contrarium, non statim puniri, nec tamen id accidit ratione consuetudinis alicuius excusantis à pœna, sed quia Reipubl. interfit, ob morum prauitatem, hunc vel illum actum dissimulatione quadam permittere, & aliqua etiam illicita non punire, idque ob maius malum euitandum, quod insigniter cōprobrat *c. duo mala 13. dist. & Arist. lib. 5. Eth. c. 3.* Sic Loth vir iustus offerendo filias abusui impiorum & ita materiā minoris mali, non induxit impios aut filias ad stuprum, hoc enim illi non licuisset, secundum *Caiet. 2. 2. q. 78 art. 4.* Sic etiam Iudas obtulit fratribus materiam minoris mali, nempe venditionem Ioseph, vt euitaret maius, occisionem nimirum illius. Sic etiam Christiani Principes permittendo Iudæos fœnerari, hos neq; mutuantes, neq; illos recipientes ad vsuram, adeoq; materiam ad minus malum inducunt, sed minoris mali, omnium nimirum necessitatibus offerunt, eoque magis, cum de animabus Iudæorum & eorum salute nihil ad nos, *d. c. gaudemus*, nec quo ad eorum animas se impedit Ecclesia, sed solum quo ad restitutionem vsurarum, *vt in c. post miserabilem. & c. quanto. de vsuris.*

TH. Si non mihi nota esset ingenuitas tua, existimarem te pretio à Iudæis esse conductum ad tuendos illorum actus fœneratitios. Interim ne nimis sub prætextu exercitationis, te huic discursui tuo inuoluas. Qui enim dicunt impio, iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus; qui vero arguunt eum, laudabuntur, & super eos veniet benedictio, *Prouerb. 24.* Et: Væ his, qui consuunt puluillos sub omni cubito, & faciunt ceruicalia sub ca-

 pite

pite vniuersæ ætatis, *Ezech.13.* Vide ne in numero illorum reputeris, qui talia faciunt, ne de te illud dici possit: *Ipse ædificabat parietem, illi autem linebant eum.* Noli confirmare Iudæorum proteruam audaciam. Optandum esset, hoc genus hominum (quos Christi hostes acerrimos & Sarracenis perfidiores vocat Oldradus *cons.51.*) nunquam vel Christianorum limina attigisse, neque enim nobis fideles futuros, qui Deo nostro infidi exstiterunt, existimare debemus.

Cæterum quæ pro Iudæorum vsuris in speciem protulisti, sunt meræ principiorum repetitiones, verbi gratia, quod obtendis, quemadmodum permittantur meretrices & lupanaria apud Christianos ad euitandam promiscuam luxuriem, sic etiam permitti Iudæis vsuram ad euitandum periculum furtorum & latrociniorum. Perinde facis atque is qui sordido panno faciem abstergit. Non enim defendi potest meretricum & lupanarium toleratio, nec quisquam vere Christianus approbat. Vniuersalis namque illa inhibitio quæ extat in lege Domini, meretricem & scortatorem in populo Dei non tolerandos, *Deut.23.* quin potius fugiendam meretricem, *Prouerb.23.* omnes ligat, scortatoresque & adulteros regnum Dei non possessuros Paulus disertis verbis pronunciat: proinde vt, qui non possit continere, is nubat, melius quippe esse, nubere quam vri, serio & cum æternæ damnationis comminatione hortatur, *1. Cor.7.* cumque lupanarium toleratio redoleat quadantenus prohibitionem coniugii, quæ Dæmoniorum doctrina est, *1.Tim.4.* non video rationem vrgentem, quæ lupanaribus patrocinetur. Vbi enim salus animarum vertitur, ibi nulla dispensatio locum habet, & vbi Deus non dispensat, neque nos dispensare debemus. Quod ad Lothum attinet, quem pro exemplo allegas, qui filias in stuprum Sodomitis obtulit, potest quidem illud diligenter expensis circumstantiis aliquo modo excusari, in tantum, at non in totum. Erant hospites tum diuino, tum gentium iure inuiolabiles. Ideo sancte eos defendendos censuit. Deinde quia vidit, conciuium suorum incredibilem furorem non posse restringi, nisi vel traditis hospitibus, vel alia ratione tolerabiliore ipsorum nefario desiderio satisfiat; mauult eis filias suas concedere stuprandas, libidine inconcessa quidem, sed tamen naturali, quam vt abominando scelere Sodomitico, præter naturam, violarentur viri. Et erat consilium hoc Lothi extemporaneum, cum ad placandum furorem Sodomitarum rectius & melius tum quidem non suppeteret. Ita potius perpeti voluit malum quoddam leuius, cuius ignominia ad ipsummet redundaret, quam vt concederet designari quippiam in viros præter naturam, quos hospitio ipse exceperat. Sed quid hoc ad materiam vsurarũ. Non erat penes Lothũ, prohibere furorem Sodomitarũ, ideoq; ex duobus malis elegit minus malum. At longe alia est ratio magistratuum, quippe qui, si modo volunt, possunt inhibere & vsuras & lupanaria, idque citra vllum maioris mali periculum.

Quod

Quod porro infers, superuacaneæ rei dare operam eos, qui Iudæos arcere velint à peccato vsuræ, cumque de animabus Iudæorum & eorum salute, eo quod fratres nostri non sint, nihil ad nos, proinde vsuras illis permittendas, atq; adeo de peccato in peccatum ruant, committendum. Quid audio: Hac ratione nullum tam enorme erit flagitium, quod non impune ipsi committere ausint, ex ea ratione, quia de salute Iudæorum nihil ad nos. Non est hæc vox hominis Christiani, quippe qui ex mandato Christi etiam inimicos diligere, eorumq; salutem impēdio promouere debet, sed est vox ἐπιχαιρεκάκου, qui ex interitu hominum saginatur, ac mirifice gaudet. Sed neq; hoc tibi largior, superuacuæ rei dare operam illos, qui Iudæos à peccato vsuræ arcere velint. Inhibitionibus sane meris verbalibus, non minus quam apud alios homines delinquentes, ne tantillum quidem quispiam obtinuerit; at vero inhibitionibus realibus, quæ fiunt externa vi & mulctis per ordinarium magistratum, omnem ludi operam, id vero pernego.

EQ. Satius ergo videtur eos plane eiici, sic enim magno malo subleuaremur, prout etiam ex locis pluribus expulsi sunt, ad quos nullus ipsis vnquam patet regressus. Laudandi hac in parte sunt Veneti. Etsi enim Iudæi Venetiis quoq; interdum commorentur ob publica negotia, & ob antiquam ac peculiarem illius inclytæ vrbis libertatem, ex quibusdam tamen Venetorum ciuitatibus fuerunt expulsi, & præsertim ex Taruisina vrbe, in cuius platea in marmore incisum legitur Decretum reipublicæ, quod anno 1509. fuerunt eiecti, prout etiam Feltria fuerunt exterminati, tempore beati Bernardini Feltrensis, eorum acerrimi persecutoris: & cuius industria in variis locis ad pauperum commodum fuerūt erecti montes pietatis. Et ex lege Senatus Respublica Veneta, anno 1496. 26. Martii illis in pœnam præcepit, vt piretum crocei coloris gestent.

PH. Animaduerti ego, Iudæos Francofurti singulos in palliis, insignitos esse giluis ex panno circulis; alibi in thorace iuxta cor gerunt; quid circulis illis denotetur, adhuc dum me latet; nec vllibi memini me eius legere interpretationem, præterquam apud Baptistam Guarinum Poetam insignem, qui in Epigrammate quodam ad Cæcilianum, cur nimirum gerant literam, O, sic ratiocinatur.


Cur ferat Hebræus totalem in pectore circum,
A multis quæri Cæciliane solet.
Addictum æternis vt se cruciatibus esse
Cogitet; hæc secum signa doloris habet.
Aut quia pro nihilo numeris apponimus illam,
Inter mortales se sciat esse nihil.
Aut quod Iudæos plantamus fœnore nummi.
Maior ab hac numerus nam solet esse nota.

TH. Dicam breuibus. Debent omnino Principes in tolerandis Iudæis saluberrimæ illius constitutionis Caroli V. diuæ memoriæ Imperatoris editæ Anno Domini 1548. in Comitiis Augustanis, sedulo memores esse, vbi c. 20. de Iudæis & eorum vsuris, in hunc modum statuitur: *Ne Iudæi plebem inopem egentemque supra quam quisq; æstimare possit, grauent, & ad pleraq; facinora occasionem præbeant, quisquis item Magistratus, sub quo Iudæi habitant, necessariamq; æquamq; prouisionem faciat, ordinationem formamq; salutarem constituat, ne sui aliorumque subditi per Iudæos eorumq; impias & execrabiles vsuras miserè grauentur & perdantur. Et ea in re æqualis ordinatio inter extraneos pariter & incolas seruetur.*

EQ. Vt tandem huic nostro discursui receptui canamus, sic sentio. Vsura, lucratoria præsertim illa, peccatum est grande ac damnabile, proindeq; in republica minime ferenda, sed plane auerruncanda. Quod si tamen, sic poscente rerum statu, toleranda foret, tum Christianis potius, minime vero Iudæis illis perfidis concedenda. Ratio hæc est. Christianus fœnerator pecuniam quã per fœnus conquisiuit, impendit in liberos, masculos præsertim, ablegat eos in alienas prouincias, in Academias, in bellum, in aulas Magnatũ; quin & ipsi filii post parentum mortem pecuniam illam fœneratitiam impendunt & expendunt, (modo sint ingenuæ ac bonæ indolis,) vt aliquid addiscant, mores gentium atq; instituta populorum, videant cognoscant, sese passim apud Magnates insinuent, & si quæ sunt, quibus homo politicus eminere honeste studet; hinc adeo postmodum fieri sæpenumero compertum est, vt huiusmodi parentum quãtumuis rapacissimorum, filii, rerum omnimodarum cognitione ac scientia, experimentorumq; farragine probe instructi, accedẽte Magnatum benigna quam contraxerunt, familiaritate, σὺν θεῷ, toti alicui communitati, imo toti sæpenumero prouinciæ, intercessione, sermone, prudẽtia, experimento bellico, & quibus non? gratum exhibere officium, summisque adeo angustiis ac difficultatibus eximere possint; quibus insuper accedit, in naturis præsertim benignis, vt quo parentes illorũ fuerunt illiberaliores, eo deinceps filii sese, erga pauperes præsertim, sese exhibeant liberaliotes, innuente etiam ipso Salomone: *Qui coaceruat*, inquit, *diuitias vsuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas.* Prou. 28. v. 8. Interim semper hoc addo: Non sunt facienda mala, vt eueniant bona, & absit à me, vt vllatenus vsuras approbem, loquor, quod ipsi nostis, conditionaliter.

Cæterum idem quod iam dixi, à Iudæis vsurariis è conuerso minime est expectandum aut sperandum; qui potius, quo plures ex vsurariis actibus congerunt opes, eo plures in prauitate vsuraria, idq; in intentatam omnino Christianorũ perniciem, educant atq; enutriunt rapaces lupos, in eo lupis deteriores, quod dum lupi, etsi non animum, pilos tamen mutant, illi nec pilos nec animum. Illos ergo μακρὰν χαίρειν, longum valere & in pice requiescere iubebimus. Plaudite.

APHO-



APHORISMVS XVII.

PRINCIPEM LITERATVM ESSE, AVT *literatorum saltem consiliis vti, omnino expedit.*

17 NOSTRIS temporibus ostensum est prosperæ vitæ tempus, quod prædixit quidam ex veteribus futurum, cũ vel philosophi regnabunt, vel reges philosophabuntur. nam tũ philosophando digni habiti regno estis, tum vero regnando à philosophia non desciuistis. Si enim amare sapientiam, efficit philosophiam: principium autem sapientiæ Dei est timor, quem in pectoribus vestris iugiter habetis: clarum quam verum sit quod à me dicitur.

Ἐφ' ἡμῖν ἀνεδείχθη τῆς εὐζωΐας ὁ χρόνος, ὃ προεῖπέ τις τῶν παλαιῶν ἔσεσθαι, ὅταν ἢ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν, ἢ βασιλεῖς φιλοσοφήσωσι. καὶ γὰρ φιλοσοφοῦντες, ἠξιώθητε βασιλείας. καὶ βασιλεύσαντες, οὐκ ἀπέστητε φιλοσοφίας. εἰ γὰρ τὸ φιλεῖν σοφίαν ποιεῖ φιλοσοφίαν, ἀρχὴ δὲ σοφίας ὁ τοῦ θεοῦ φόβος, ὃν ἐν τοῖς στέρνοις ὑμῶν διαπαντὸς ἔχετε, εὔδηλον ὡς ἀληθὲς τὸ παρ' ἐμοῦ λεγόμενον.

17 *IN vobis re ipsa est præstitum & effulsit illud felicis vitæ tempus, quod fore ex veteribus quidam prædixit, quum aut philosophi regnaturi essent, vel reges philosophaturi. Etenim quum sapientiæ effectis dediti, regno digni estis iudicati: & regno suscepto, ab hoc studio non desciuistis. Sic enim* τὸ φιλεῖν σοφίαν, *id est, amor sapientiæ, Philosophiam constituit, initium autem seu etiam caput & principatus sapientiæ est. Dei timor, quẽ vestris præcordiis conceptum geritis; manifesta euadit veritas eius, quod à me dictum fuit.*

DISCVRSVS.

PH. Hic Aphorismus desumptus est ex insigni illa Platonis, Philosophorum sapientissimi sententia, quam inter alios allegat Cicero *1. Epist. ad Q. fratrẽ.* his.

his verbis *Princeps ingenij & doctrina Plato tum denique beatas Respub.putauit, si aut docti aut sapientes homines eam regere cœpissent, aut qui regerent, omne animi studium in doctrina & sapientia collocassent.* Scite id quidem à Platone dictum, sed minus recte à vulgo intellectum: quum Philosophiæ nomine non solum humanarũ scientiarum artiumque cognitionem intelligat Plato; sed veram insuper sapientiam, cuius caput est Dei cognitio, & cuius opus (vt præclare inquit Seneca) vnum est; de diuinis scilicet, humanisque rebus verum intelligere atq; ad Deum omnia insolidum referre.

EQ. Plura fortasse dicis, quam ipse Plato sensit. Cum enim fuerit Ethnicus, adeoq; à vera Dei cognitione excors, non videtur sub vocabulo *Sapientes* tantundem, vt tu infers, intellexisse.

PH. Imo vero hanc fuisse Platonis mentem, monstrabo aperte ex ipso Platone, nimirũ *li.1. de legib.* vbi veridice plane asserit, Rempub. sine ope Numinis diuini gubernari non posse: quippe, inquit, sicut bestiæ animantesq; rationis expertes, sui curã habere nequeunt, neq; per seipsæ regere se possunt, sed ad illas moderandas, hominis directione opus est: ita homines ad felicitatem dirigi non possunt, nisi Deus moderetur & quasi manuducat. Quid quod non Plato tantum, sed reliqui etiam Ethnici, quamuis fidei lumine orbi, hoc ipsum intellexisse atq; approbasse videntur, dum templorum suorum ianuis, *sapientiam,* tanquam Diuam quandam appingebant, elogio hoc ei inscripto, *Vsus me genuit, peperit memoria.* Edocti nimirum vsu atq, experientia, quod

Rerumpublicarum moderator Deus.

Stare diu nescit, quod non fulcitur ab alto.

TH. Toto itaque animo & castissimis inuocanda est precibus æterna illa Sapientia: *quia tu* (inquit Cassio. 7. var. Epist 34.) *qui corda nostra regis, etiam quid dicamus sentire, concedis. Si enim* (inquit Syracides cap. 39. v. 8.) *ô Domine volueris, spiritu intelligentiæ replebis illum, & tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ tuæ & diriges consilium eius & disciplinam.*

EQ. Est omnino, vt dicis suntque adeo submittenda consilia humana diuinis. Cumque cogitationes mortalium, vt sapiens loquitur, timidæ sint, & incertæ prouidentiæ nostræ. *Sap 9.* proinde Deus, qui dat consilia magnifica & recta, vt Seneca loquitur, in omnibus negociis ac difficultatibus est exorandus. Num vero idipsum etiam senserit Plato cæterique Ethnici, ego animo aliquantulum hærebam.

PH. Subiungam igitur in probationis meæ supplementum vnum adhuc è gentilitate testimonium, quod extat apud Herodotum. Is namque de Cambyse Persarum rege refert, quod filio ad Astyagem proficiscenti hæc quæ ipse Herodotus refert verba inculcauerit: *Hoc vnum,* inquit, *præcipue commendo, idq, tanquam pretiosum thesaurum à patre donatum in tua memoria perpetuo recondito, Dei esto amicus; in eundem pius, nihilq, aggrediaris nisi diuino Numine implorato. Imbecilla enim est, & hebes mortalium natura: nihil autem Dei sapientiam latet, omnia & sententia ei cedunt, quibus illa præsto est.*

TH. Re-

TH. Relinquamus commonefactiones Ethnicorum, vt plurimum frigidas ac friuolas,& neruosas illas piorum attendamus. *Dic*(inquit Augustinus de verbo Dom. in Matth. ser. 8. in fi.) *à te tibi lumen non esse,& clama quod scriptū est. Lumine tuo Domine illuminabis tenebras meas: a me enim non nisi tenebræ; Tu autem lumen fugans tenebras, illuminans me, non a me mihi lumen existens, sed lumen non participans, nisi in te.*

E D. Gregorius de pastor. cura. p. 2. cap. 5. *Moses*, inquit, *crebro tabernaculum intrat,& exit,& qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negociis vrgetur; intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat, qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca, Dominum consuluit: exemplum procul dubio Rectoribus præbens, vt cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem quasi ad tabernaculum redeant,& velut coram testamenti arca Dominum consulant*,&c. Quæ quidem verba & commonefactiones viris principibus probe sunt attendenda.

EQ. Hæc plana sunt, apud Christianos præsertim. Omnino n. quemadmodū gubernator nauis, quāuis in gubernatione expertus & prudēs sit, vt vela explicet opportune,& clauū bene dirigat ad portū: tamen nisi vētus faueat, nunquā assequitur, ꝙ animo concepit. Ita Princeps tametsi alioqui prudens & sagax sit, tamen non nisi spirante è supernis vento rem gerere feliciter potest. Verum anne literatum esse oporteat Principem, id vero paulisper discutiamus. *Princeps an debeat esse literatus.*

PH. Sane Ludouicus XI. Carolum filium omnium bonarum artium rudem esse voluit *ne esset* (vt aiebat) *in consiliis capiendis refractior, & tenacior sui sensus.* Et hercle hoc est assecutus. Nam illum iam Regem, duo tresve homunculi,& ii ex vilissimis, huc illuc pro suo arbitrio circumegerunt, cum magna subditorum indignatione,& damno. Ita amplissimi regni Rex, sine literarum præsidio ad aliorum nutum regnum administrare coactus est: quod tolerandum vtique fuisset, nisi Curiam suam mille fraudibus,& captionibus, ignauia,& inscitia impleuisset. Sed heu miseriam! Etiam hodierno æuo (quod de suo queritur Cominæus) sic complures instituuntur, quasi ad ludum, & iocum facti esse videantur. *In omni enim & cultu, & sermone nihil moderate, prudenterque faciunt: literarum nullam cognitionem habent: viris bonis atq; peritis, non patet vllus ad eos aditus: de negotiis aut suis, aut populi, non cognoscunt ipsi; sed in familiares omnia reuciunt, qui per hanc illorum ignauiam atque socordiam suas facultates insigniter amplificant, & hoc fere solum agunt. Si quis est aliquando, qui forte tanquam ex veterno expergefactus, animum rebus gerendis adiiciat, hoc sero admodū fit, amissis propemodum occasionibus. Certum enim est eos, qui in vlla re vnquam excelluerunt, mature puerilibus annis ad eam rem accessisse. Totum hoc consistit primum in beneficio Dei proxime in educatione.* Hæc Cominæus.

EQ. Interim vtplurimum admodum sibi sapere insipientes isti videntur, cumq; nulla rerum debita polleant discretione, nihil nisi quod ipsorum mo-

r.bus conuenit rectum putant. Experimentis id satis constat testanturq; ii qui cum ipsis conuersantur ac de rebus conferunt; quum econtra, ii qui multiuaga rerum cognitione sunt imbuti, scite ac discrete de rebus iudicent. Exempli gratia: sunt quædam honesta, sunt quędam turpia apud exteros, quæ apud nos honesta aut turpia non sunt; & viceuersa. In Epaminondæ magni illius Græcorum Ducis virtutibus commemoratur, saltasse eum commode scienterq; tibiis cantasse. At si quis apud nos vir grauis saltaret, atq; ad tibias cantaret, leuitatis notam vix effugeret. Sic Cimoni, Atheniensium summo viro turpe non fuit, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cum ciues eius eodem vterentur instituto. at id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia olim ducebatur adolescentulis quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam fuit nobilis vidua, quæ non ad scenam iret mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari. In scenam vero prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentib. fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur.

PH. Vrbane Bias philosophus de ἀμύσοις huiusmodi dicere solitus fuit. Quemadmodū cum proci Penelopes congressum habere nequirent eius, se ancillis immiscebant: ita qui nulla literarum cognitione sunt imbuti, rerum arduarum deliberationibus non adhibentur, aut vt maxime, re ita poscente, adhibeantur: illorum tamen discursus tanquam ieiuni atq; insulsi susque deq; feruntur; quum econtra, literarum scientia, vt Cassiodorus, 12. *Var.* inquit, ornet homines & tacitos & loquentes: tacitos, quoniam mores purgat; loquentes, quia verborum gratiam subministrat.

Regiorum filiorum apud Persas institutio.

EQ. Iure ergo laudandi *Persæ*, qui à prima statim ætate, quæ disciplinarum capax est, Regum suorum vitam optime instituunt adhibitis præter literariū magistros, quatuor viris optimis: quorum primus est prudentissimus, qui Dei cultum docet: alter iustissimus, identidem commonefaciens; vt in omni vita Rex veritatem atq; æquitatem custodiat: tertius temperantissimus, vetans, ne voluptatib. seruiat, sed liber viuat vti Regem decet, omnium indecentium cupiditatum ardore restincto: quartus deniq; fortissimus, qui fortia, & egregia clarissimorum virorum facta commemorat. Digna sane imitatione hæc Persarum Regia educatio. Sane, non sum nescius, heroicas præsertim ac generosas mentes ad propriam cuiusq; naturæ virtutem vltro prouocari. Neminem enim excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida, inquit Seneca. Verū enimuero nisi doctrinæ quodam vapore irrigentur, tantum abest, vt quidquā honesti producant, quin quidquid in illis erit natiuæ virtutis, vel in ipsis incunabulis, statim extinguatur, vel sensim euanescat. Quemadmodum enim,

Fertilis aßiduo si non renouetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager:

ita

ita prorsus humanus animus, nisi liberalibus studiis excolatur, nimium quantum senticosus redditur; adeo vt nullas aut certe exiguas laturus sit optimæ Virtutis fruges. Quare haud immerito saniores semper iudicarunt, Principẽ ineunte mox pueritia, tradendum Præceptoribus erudiendum. Nam vt antiquus etiam ille doctor Quintil. lib. 12. c. 12. inquit, *tametsi Virtus impetus quosdã à natura sumat, tamen perficienda doctrina est.* ——— Vt enim *aspectus à circumfuso aere lumen accipit, sic animus à disciplinis liberalibus*, inquit Diog. Laertius. Et Cassiodorus: Doctrina & eruditio literarũ. (inquit 10. var. Epi 3.) *naturã laudabilẽ reddit ornatam. Ibi prudens inuenit, vnde sapientior fiat: ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: inde Princeps accipit, quemadmodum subditos sub æqualitate disponat.*

PH. Satius est fieri mendicum inquit Erasmus *in Apophth.* quam indoctũ, quod ille tantum pecuniis egeat, hic humanitate. Hinc Aristippus interrogatus, quomodo docti ab indoctis differrent, quomodo, inquit, equi domiti ab indomitis. Quemadmodum enim equus indomitus ad omnem vsum incõmodus est, ob inscitiam ac ferociam, ita qui suis rapitur affectib. quos sola domat Philosophia, ad omnem vitæ consuetudinem inutilis est. Idem rogatus, qua re differret sapiens ab indocto? Mitte, inquit, ambos nudos ad homines ignotos, & videbis. Significauit sapientem secum in pectore circumferre, quo se commendet quibuslibet. Proinde si doctum & indoctum pariter nudos, mittas in regionem peregrinam, vbi ambo sint æque ignoti, sapiens proferens opes suas, protinus & rẽ & amicos inueniet. Nudus alter pro insano ridebitur.

EQ. Sciuit & vidit hoc Philippus ille rex Macedonum, quem constat *Alexandrum* filium sæpius hortatum, vt auscultaret Aristoteli, cui traditus erat instituendus, daretq; operam philosophiæ: *Ne*, inquit, *multa cõmittas quæ me fecisse nunc pœnitet.* Perspexit egregius Princeps, neminem philosophiæ & bonarum artium expertem, regno idoneum esse; nec puduit fateri, se multa per errorem fecisse perperam, quod à teneris vnguiculis philosophiæ, & humanitatis præceptis non fuisset imbutus. Nam qui experimentis discunt administrare regnum, licet ingenio fœlicissimo nati sint, tamen & sero, & magno Reip. malo tandẽ euadunt boni Reges. At q; honestis studiis, & Philosophiæ præceptis præmuniti accedũt si adsit mẽs integra, vix poterũt ab honesto deflectere.

Hinc illa Alexandri Magni vox laudatissima ad præceptorẽ Aristotelem, *Malle se doctrina, quam Imperii magnitudine ceteris antestare.* quippe sentiebat vir vere magnus, doctrinam etiam atque etiam ad mores, & iudicii vim valere, iuxta illud Comicum: Διπλῶν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα:
Vir litteratus duplo acutius videt.

PH. Vt igitur Præceptoribus peritis ac probis tener principis animus cõmittatur, cautio est. Probis inquã; nulla enim, inquit Boeth. *de disc schol.* res discipulo tam perniciosa est; quam vita Magistri cõtumeliosa. Et cogitare debet principis præceptor, dum principem instituit, rempublicam se pariter insti- *Præceptores principum.*

 tuendam

tuendam sumpsisse; in qua quidem institutione principis omnimodo obseruabit ingenium; cordatum interim sese cum iusta grauitate in omnibus geret, autoritatemq; suam sublimi submissione præferet atque tuebitur. Hinc Theodosius Imperator, cum quondam ingressus scholam, vidisset Arsenium præceptorem stantem, *Arcadiumque* auditorem sedentem, indignatus est quod magisterij gradum parum decore seruasset, cum stans ipse doceret; *Arcadius* vero filius sedens addisceret. At vero cum *Arsenius* se excusaret, diceretq; haud decere sedentem se docere Imperatorem, indignatione ille cōmotus, abstulit ei Imperatoris insigne, sedereque in throno *Arsenium* compulit, filium vero detecto capite auditorem profiteri, illud inculcans, tunc prolem suam vere fore Imperio dignam, si cum scientia, æque imbuta fuerit pietate.

Idem Theodosius (vt refert Nicephorus *li. 12. c. 23.*) cū filios suos huic Arsenio in disciplinam tradidisset, sempiterna memoria dignum, & vere imperiale illud verbum prolocutus est: *Si tales se prabituri essent, vt mores vitamque suam ad disciplinam. & leges Dei componerent, propensum se fore, vt iis Imperium in manus tradat ad ciuium, & subditorum commodum, & vtilitatem accommodatum. Sin minus, conducibilius iis esse, vt sic priuati vitam agerent, quam doctrina nulla cum periculo imperarent.*

EQ. Digna mehercle Imperatore vox. Nouerat hauddubie prudentissimus Imperator non tam ab experimentis infallibilibus, quam etiam ex omnium temporum historiis, quantum afferat momenti ad res omnes decenter in Imperio gerendas, morum literarumque institutio, atque exinde enata Eruditio, quæ cum tersa & polita est, mirum quantum conciliet in animis audientium gratiam atque admirationem.

PH. De Carolo V. P. Iouius: Maxime, inquit Carolum V. Imper. quondam pœnituit, quod non paruisset præceptori *Hadriano* Latinæ linguæ cognitionem commendanti, impenseque dolebat, quod *Geuterio* à Latinis dehortanti morem gessisset; Et cum Genuam forte aduenisset, ibique elegantissima oratione à quodam Rhetore exceptus esset, in huiusmodi vocem cum gemitu erupit: *Vtinam at que ter vtinam monitis Hadriani paruissem, iam non interprete, nec alias opus haberem.*

Latinarum dictionum expreßiones ridicula. *TH.* Satius est omnino tacere, & vicaria vti dicendi opera, quam præsumptuosa quadam eruditionis opinione, derisui seipsum audientibus propinare. Ridicula admodum fuit Suenonis illius in Noruegia vox, quam in templo, rugitu plane asinino eboauit: Deus regē suum *mulum* protegat, pro *famulum*, teste Saxone Grammatico, *lib. 11. & 12.* Et Bauarus quidam presbyter in ea lingua Latinæ baptizauit puerū, *In nomine patria, filia & spiritua sancta.* De quo postea Episcopi, Bonifacius Moguntinus, & Virgilius Salæburgensis acriter contenderunt, teste Auentino *lib. 3. annal.* Et: Audiui (inquit Conradus Heresbachius I C.) monachum declamantem in Ecclesia, qui Noua,

Noua, inquiebat, iam reperta est lingua, quæ vocatur Græca. Ab hac sedulo cauendum. Hæc est, quæ parit omnes istas hæreses. Ea lingua proditus liber in manibus passim habetur, & vocatur nouum testamentum. Plenus hic liber rubetis & viperis. Tandem subiicit; aliam iam oriri linguam, quam vocant Hebræam. Hanc qui discunt, efficiuntur Iudæi. *Hæc ille.*

EQ. Asini isti bipedes è suggestu atq; altari in molas erant extrudendi; quippe qui ministerio Ecclesiastico valde sunt dedecori, plusque apud auditores destruunt quam ædificant. Suntq; isti similes Asino illi importune rugienti in arca Nohæ, de quo hic extat Apologus scitu omnino dignus. Cum Asinus in arcam Nohæ vna cum cæteris animantibus assumptus, concionantem in arca Noham, rugitu suo subinde interturbaret, ira commotus Noha, non posthac inquit, inter animantia deges, sed in pœnam importuni tui rugitus, quo concionanti mihi subinde fuisti molestus, quamprimum diluuii aquæ desierint, in molam te detrudam, quod & factum esse testatur Apologus, & ipse loquũtur molæ. *Asinus in arca Noha.*

TH. Notate verba, signate mentem. Scimus quem velis, P.B. Respondeat qui volet; intelligentibus hæc dicta sunto.

EQ. Noli quæso interrumpere meum sermonem, ne & ipse extrudaris. Sed hæc pace tua, non enim id serio. Cæterum eadem in viris principibus non æque militat ratio. Huic namq; sat est, si mediocri sit imbutus eruditione; commodius sane est, si solide doctus sit Princeps, quam si leuiter aut mediocriter; quod si vero contemplationibus ita sese vellet immergere, vt à cura publica, animum plane omnemq; cogitationem vellet abstrahere, præter officium omnino faceret, sic igitur à Principe colenda literarum studia, vt necessarium tempus agendis rebus non subtrahatur. Neque enim principem hic contemplationi rerum deditum, & solitarium fingimus: sed ita doctum, vt eruditione sua commodius reip. consulat. Aliud priuati hominis fert conditio, atq; otium, aliud principis, aut magistratus: ille si totos dies legendo, meditando, conferendo, disserendoue conterat, magnificat, hic quid necessarium lectionis, aut meditationis causa intempestiue agat, aut prætermittat, summopere reprehendatur, ac si in sententia persistat, à publico remoueatur munere. Videndum, inquit Seneca 1. *Epist.* 2. ne lectio multorum autorum & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum & instabile. Ideoque 2. *Epist.* 15. monet: Non semper imminẽdum libro aut pugillaribus, dandum aliquod internallum animo. *Idem Seneca.* *Principis studiorum internalla.*

TH. Peccauit hac in re insigniter Michael Duca filius Bizantii Imperator, qui docente Michaele Psello, ita totum se literis dedit, vt gubernatio rerum penes alios esset, & turpiter Imperium dehonestaretur. Ego sane cum viro clarissimo I. Lipsio, Traianum aliquem malim doctum leuiter, sed vigilantem; serium, quam Principem otiosum, & in literis deliciantem. Quãquam

 istum

istum malim equidem, quam omni literarum inscitia laborárem. *Nam varia & multiplex eruditio fere semper retrahet Principem* (teste Cominæo) *a prauis, & nefandis consiliis. Et quo quisque magis quid se deceat intelligit, eo vehementius ipsum neglecti pudet officii: & etiamsi non omnino sibi temperet à maleficio, tamen ne plane modum excedat, cauet. Huc etiam accedit metus diuini Numinis. Quanta enim sit peccati magnitudo, & quantopere Deus offendatur flagitiis, docti non paulo melius, quam homines imperiti cognoscunt. Qui sunt igitur inerudui Principes, quantum sit munus, quod acceperunt à Deo, non intelligunt, & ipsorum familiares, ne malam gratiam sibi concilient, dissimulant: & vt ex omnibus forte sit vnus, qui fideliter admoneat, is tamen sua sententia nullos habet approbatores, ac fere fit, vt ridiculus habeatur.* Præclare & vere omnia prudentissimus Cominæus.

PH. Antonius Panormita dicere fuit solitus, nunquam se de re familiari nimis fuisse solicitum, vti enim patribusfamilias diligentissimis, Liuio, Salustio, Cicerone, Plauto, Virgilio. Quidni ergo Principes huiusmodi Auctorum lectioni incumbant?

Theodosii studiorum commendatio.

EQ. Nemo id prohibet. Id tantum dico, quum, vt omnium rerum, attestante Seneca *Epist.* 107. sic literarum quoque intemperantia laboretur; proinde, vt modus in discendo teneatur, cautio est. Commendat Sozomenus Theodosium iuniorem à studiis ipsius & re literaria admodum summopere; sed interim gubernationis, qua laudabiliter vna semper perfunctus fuit, studiose meminit: *Fertur etiam*, inquit, *te interdiu rem militarem, & corpus exercere, & causas subiectorum rite tractare, tum de iisdem exquisite disceptando, tum quæ æqua sunt decidendo, tum denique, quæ priuatim ac publice agenda, ratione & consilio ponderando. Noctu autem in libros incumbere, atque in illis perlegendis candelabrum tibi suppetere fama est, tali artificio constructum, vt oleum sua sponte infundat; adeo vt is nemo ex aulicis, ob labores, quos tu capis, quicquam subire molestiæ, & contra somnum pugnando naturæ vim inferre cogatur. Porro autem tam multiplici cognitione te imbutum audio, vt lapidum naturas, vires radicum, & medendi facultatem, non minus, quam Solomo, aut sapientissimus Dauid tenere, imo Solomonem virtute antecellere existimeris, &c.* Hactenus Sozomenus.

TH. Huius Theodosii secundi studiis & hoc merito accensetur, quod sua manu libros noui Testamenti descripsit, quorum etiam partem aliquam quotidie legit. Vnde non ab alio excellentiæ aut honoris titulo Theodosium hunc compellat Sozomenus, quam quod Imperatorem literatissimum eum vocat.

Alphonsum etiam Hispaniæ & Neapolis regem gloriatum esse refert Panormitanus, se sacra Biblia quater & decies ordine perlegisse, adiunctis etiam Nicolai Lyræ Postillis & Burgensis additionibus.

EQ. Scipio Africanus Xenophontem sic adamasse fertur, vt nunquam eum de manibus poneret, sed in castris etiam, interque tubarum classica, & armorum sonitus legeret.

Alexander Magnus, cum in Asiam profectus esset, Philisthi historiam sumpsit, quam deinde expeditionum suarum comitem habuit: non contẽtus Homeri Iliade, quam alioqui cum pugione coniunctam dormiens sub puluino collocatam habere solebat.

Sigismundum Imp. Arriani historia apprime delectatum fuisse scribunt, sed & Alphonsum Arragoniæ Regem in Q. Curtii scriptis diligenter volutatum, annalium scriptores prodiderunt. Denique Carolum V. Thucydidis lectioni, & Philippi Cominæi commentariis operam impendisse asserunt, qui eius res gestas litteris consignarunt. Ecquis vero eorum institutum, non maximopere laudet, & cæteris omnibus Principibus imitandum iudicet? presertim, cum non infructuosam illis fuisse eiusmodi lectionem ex heroicis illorum, pace, belloq; gestis liquido constet.

TH. Alexander Seuerus Imperator laudatissimus in maxima rerum trepidatione, quoties impressiones faciendæ essent, peritos historiæ homines prius consulebat, quam rem gereret: ratus nimirum Imperator prudentissimus, eos de rebus bene præclareque gerendis recte iudicare posse, qui omnium hominum mores, & consilia, etiam res male beneque actas, cognitione atque memoria comprehendissent. Ac ipse quidem *Alexander* post actus publicos, seu bellicos, seu ciuiles, lectioni græcæ operam maiorem dabat, *De Republica* libros Platonis legens: Latina cum legeret, non alia magis legebat, quam *de Officiis* Ciceronis, & *de Repub.* legebatq; vitam Alexandri Magni, quem præcipue imitatus est. *Historiarũ cognitio principibus necessaria.*

PH. Quæ igitur vnquam (inquit Iouianus Pontanus *lib. 5. de obed. cap. 6.*) rerum scriptoribus haberi potest satis magna gratia, cum eorum opera & cura effectum sit, vt humanum genus excoleretur moribus, institutis, disciplinis. Nam nisi mandata essent monumentis tot seculorum acta, & cogitationes suas excellentes viri ad posteros transmisissent libris, quænam quæso esset hominum vita in tanta obscuritate & rerum ignorantia? nulla cognitione veri, minimaque præteritarum rerum memoria, eaque anili & fabulosa? Pessime omnino cum ciuitatibus & gentibus actum esset. *Magnas* itaque (inquit Diodorus Siculus) *merito gratias rerum Scriptoribus homines debent, qui suo labore plurimum vitæ mortalium profuere. Ostendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis sit appetendum, quidue fugiendum. Nam qui multa experimenta rerum, variis cum laboribus, periculisque procul ipsi ab omni discrimine positi, gesta legimus, nos admonent maxime quid conferat ad degendam vitam. Cognitio igitur ex aliorum, tum secundis, tum aduersis rebus percepta doctrinam habet omnium periculorum expertem. Pulchrum est enim ex aliorum erratis in melius instituere vitã nostrã; & nõ tam quid*

alii

alii egerint quærere, sed quid optime actum sit nobis proponere ad imitandum. Seniorum consilia quos longa ætas prudentiores effecit, laudantur: at hos tanto antecellit historia, quanto plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporum, quam hominis ætas. Itaque ad vitæ institutionem vtilissima Historia censenda est. Nec tamen omnis historia: sed quæ, vt probe notat I. Lipsius *in not. ad 1. li. Polit.* tres habeat notas has: Veritatem, Explanationem, Iudicium: id est, quæ legitima historia est, & perfecta. Nec enim talem ego vnquam censuero, cui trium horum aliquod deest. Verum, adeat ad eum qui volet, latius hæc diducentem, & super optimis Historicis opinantem. Inter Græcos melioris notæ scriptores merito ponit Thucydidem, Polybium, Plutarchum, Xenophontem, quibus addo Dionem propter crebras eius orationes, iisq; salubria inspersa monita: inter Latinos maxime Q. Curtium & Cæsaris Commentaria Principi commendantur. At è recentioribus, etiam atq; etiam Philippi Cominæi scripta, omnium certe, nedum Principum manibus terenda.

Historiarũ delectus.

EQ. De Friderico Duce Saxoniç Electore refertur, adeo historiarum studiũ curæ habuisse vt Epitomen omnium historiarum, in qua series esset omnium temporum, & Monarchiarum, componi sibi curarit: quam postea ita in conspectu habuit, vt in grauissimis deliberationibus, sæpe inde exempla recitaret. Nec raro dixit, se non tantum voluptatis causa historias legere; sed sumere inde de multis rebus documenta: & cognitionem earum necessariam esse, non modo Gubernatoribus, sed etiam cæteris hominibus omnibus.

Et de Philippo principe Palatino Electore, Philippus Melanthon in præfatione Chronici sui: Sępe, inquit, audiui narrare Capnionem, cum apud Philippum principem Palatinum Electorem essent Dalburgius Episcopus Vangionum, Rudolphus Agricola & ipse, & nõ solum in familiaribus colloquiis, sed etiam in deliberationibus de Repub. sæpe narrarent insignia exempla vel Persica, vel Græca, vel Romana, mirifice accensum esse Principem studio cognoscendæ historiæ, sed dixisse, se animadnertere, distinctione temporum, gentium & Imperiorum opus esse, eamq; ob causam petiuisse, vt sibi ex tota antiquitate, quantum nota esset, ex Ebræis fontibus, & ex Græcis ac Latinis Scriptoribus ordine contexerent Monarchias, vt mente complecti tempora mundi, & seriem maximarum mutationum posset. Nulli tunc extabant scripti lingua Germanica libri de veteribus Imperiis. Nec Latina præter Iustini confusaneam Epitomen, quæ tamen distinctione temporum caret, habebantur. Erat ocium tunc illis doctis viris, & hoc labore delectabantur. Ordine igitur ex Ebręis, Græcis & Latinis monumentis Monarchias recensent, & maxime digna memoria suo loco adhibita tẽporum & gentium distinctione inserunt. Legit auidissime id scriptum Princeps ingeniosus, seq; lætari dicebat, diuinitus conseruatam esse tẽporum seriem, & rerum præcipuarũ memoriam.

Agnos-

Agnoſcere etiam ſe Princeps Palatinus dicebat teſtimonia præſentiæ Dei in conſtitutione Monarchiarum, quia ſolis humanis viribus conſtitui & retineri non potuerint, & eo diuinitus conſtitutæ ſint, vt eſſent cuſtodes humanę ſocietatis, coniungerent multas gentes, reſtituerent leges, iudicia, pacem, vt docere homines de Deo poſſent. Sæpe igitur repetebat Danielis verba: Deus imperia transfert, & ſtabilit. In mutationibus etiam & Tyrannorum pœnis dicebat conſpici iudicium Dei, & moneri totum genus humanum illuſtribus exemplis, vt agnoſcat Deum, ſciat ordinaſſe eum & velle iuſta, & violantibus ipſius ordinem vere iraſci. *Hactenus Melanthon.*

Laudatiſſime etiam olim Franciſcus I. Valeſius rex Gallorum fautor ille humanarum literarum munificentiſſimus, inſtituit, vt ſemper ad menſam Regibus poſt tergum pręſto adſtent Philoſophi, hiſtorici, aliique docti & periti rerum viri, qui ad omnigena propoſita & quæſtiones interrogati, reſpondere, & pulcherrima inter epulas exempla, hiſtorias, apophthegmata & alia, ne ſine fructu & doctrina abeat tempus & ſympoſium, coram regibus recenſeant. Nouerat nimirum rex prudentiſſimus, quod Saluſtius inquit: *Magno vſui eſſe memoriam rerum geſtarum.* Etenim, *vt adſpectus à circumfuſo aere lumen accipit, ſic animus ab hiſtoriarum, diſciplinarumque liberalium cognitione.* Nam quorum mentes variis rerum euentibus illuſtratæ ſunt, quidni perſpicaciores ſint iis, quorum vita quietis, & vmbratilibus ſtudiis traducta fuit? Enimuero, qui cæteris eruditione, & ſapientia præſtant; aperte fatentur ſuæ ſe prudentiæ, & ſolertiæ fiduciam, non tam ab mutis, quod aiunt, magiſtris, quam à viuis, id eſt, rerum experientia accepiſſe.

PH. Scientiam per doctrinam atq; reminiſcentiam acquiri Plato docet, dum ratio quæ alas amiſit, ſi ſe conuertat ad mentem, reminiſcendo, ſtatim abiectas alas aſſumit. Sic iucunda rerum vtrobiuis geſtarum conſideratione ſimul ac recordatione, laudatiſſimi hi Principes, lecta atque audita ad vſum & experientiam tranſtulerunt, omnino iuxta inſignem illam, quam ex Chryſippo Plutarchus allegat, commonefactionem: *Oportet,* inquit, *quod eſt ex vſu, ex iis, quæ confinia ſunt, & ſimilem habent ſpeciem, colligere. Nam quemadmodum idem Pharmacum ad vnum morbum fugandum efficax, dum vim illius diſcunt medici, ad omnes finitimos illud transferunt, & accommodant: ſic ſententia communis, quæ vim ſuam in plura poteſt extendere, non eſt mox deſpicienda, ſed dum vni negotio proprie congruit, ad ſimilia nihilominus traducenda eſt, & proxime cognata. Eſtque in hac occupatione exercenda maxime iuuentus, vt conſueſcat pro ingenij ſui acrimonia ad id quod eſt commune, ex proprio traducere, idq; compluribus experiri exemplis, ita vt in promptu illi fiat, celerrime huius exercitij præſtare documenta.*

Rationis ala quomodo reparentur.

EQ. Hiſtoriæ (inquit Liuius lib. 1.) *omnis exempli documenta in illuſtri poſita dant intueri: inde tibi, tuæque Reipubl. quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Quo adſpectu vere Caſſiodorus ſcribit, *Totius prudentiæ compendium*

Hiſtoriarum praxis & vſus.

 pendium

pendium in literis contineri: Ibi enim prudens inuenit, vnde sapientior fiat; ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur; inde Princeps accipit, quomodo subditos sub aequalitate componat. Vt praeclare dixerit Dionysius: Ἱστορίαν ἀρχὴν φρονήσεως καὶ σοφίας. *Historiam prudentiae, & sapientiae esse initium.*

At omnino interim vsum exercitationemq; desiderant excerpta ex historiis prudentiae monumenta. Aliter, quis non cum Anaxippo indignetur:

Vah nunquid fingi potest portentosius illo,
Qui sophos in triuiis inflato mugit ab ore,
Rebus at in mediis stupet, ac velut inscius haeret?

PH. Acies quidem ingenij eruditione acuitur, & expolitur; at vis agendi, multis experimentis, rerumque tractatione.

Hinc Philopomenes prudenter dicebat: *Doctrinam debere ad facta tendere; non otij, aut inutilis loquacitatis causa vsurpari.* Plutarch.

Et scitum est Pauli Æmilij apophthegma: Is cum per loca praerupta irrupisset in Macedoniam, vidissetque instructam hostium aciem, exhortante Nasica, vt protinus inuaderet hostem: *Facerem,* inquit, *si tuae essem aetatis: verum multarum experientia rerum prohibet, ne ex itinere statim cum instructa acie congrediar.* Neque enim magni momenti est eruditio, sine vsus experientiaeque adminiculo. Quin, imo eruditio sine experientia (vt ex vero scribit eruditissimus quidam Theologus) aliquando plus officit, quam prodest: è contrario expertus aliquanto plus efficit, quam sapiens sine experientia.

EQ. Hoc nomine Suetonius Caesarem Augustum insigniter commendat, quod non vt plerique alij per amoena historiarum, dicis tantum, & temporis fallendi gratia, versatus fuerit, sed magno cum fructu *sectabatur praecepta, & exempla, publice vel priuatim salubria, eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum, Prouinciarumque Rectores, aut ad Vrbis magistratus plerumq; mittebat: prout quique monitione indigerent.*

Atque ante eum L. Lucullus, vix dum adolescentiam egressus, tantum breui tempore prudentiae, libris historicis hausit, vt cum peregrinus & rudis esset rei militaris, non solum in Asiam, cui permultos annos admirabili quadam laude praefuit, à Senatu missus sit, verumetiam bellum Mithridaticum, cui datus erat Imperator, foeliciter confecerit: adeo *vt non modo opinionem vicerit omnium, quae de virtute eius erat, sed etiam gloriam superiorum.*

TH. Audite desuper Principis nostrae tempestatis non ineruditi prudentissimam commonefactionem, qua filium suum regni successorem admonebat: *Debes,* inquit, *voluptatem capere lectione, & cognitione rerum honestarum: verum cum duplici cautione hac: Vt inprimis non nisi tempus illud impertias studiis, quod à negotiis ciuilibus superest: tum deinde, vt studiis minus incumbas, quo simplicem, ac nudam rerum cognitionem percipias, sed vt idoneum te reddas muneri tuo exsequendo,*

reno-

reuocans ea in praxim, & vsum, quæ iam ante lectione didiceris. Nec quemadmodum Astrologi, qui hoc fine modo student, vt stellarum motus, cursusque qui sit, cupidi, curiosique cognoscant. Et post pauca: *Amplius hæc cognitio historiarum edocebit te, qua ratione sermocinari debeas cum Legatis Principum, quaque cum iis communices, etiam de negotiis ad eorum Respubl. pertinentibus. Cæterum præ aliis antiquis historiis, maxime proponenda tibi sunt Iulij Cæsaris Commentaria: tum propter styli elegantiam, suauitatemque; tum propter materiæ dignitatem. Etenim istius sententiæ semper fui, vt cæteris omnibus ethnicis Imperatoribus, maximisque militum Tribunis Cæsarem prætulerim, velut familiam ducentem in scientia, reique militaris experientia.* Hactenus ille; cuius exemplo, vt & *Augusti Cæsaris, M. Antonini, Basilij Magni, Constantini VIII. Emanuelis Palæologi.* (qui omnes non prius migrare è vita sustinuerunt, quam hæredi futuro Breuiarium quoddam ciuilis doctrinæ relinquerent) cæteri vtinam Principes filiis suis insigniores quasdam politicas theses, & cui imperio præsunt, proprias, scriptis mandarent; longe quidem essent, qui in spem Imperij aluntur, & prudentiores, & instructiores ad capessendam postea Imperij molem. Quod monitum, tanquam arcanum Imperij, Principes notent.

EQ. Quanta omnium cum congratulatione, deinceps Principum huiusmodi filij haud degeneres suscipiunt gubernationem? quam amœna & iucunda est illorum recordatio? Recentia non allegabo exempla, ne auribus aliquid dare velle videar, sed vetera.

Pomponium Atticum ab huiusce modi indole, quantopere commendat Cornelius Nepos? Erat, inquit, in puero, præter docilitatem ingenij, summa suauitas oris ac vocis, vt non solum celeriter acciperet quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re, in pueritia, nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo. Græce loquebatur, vt Athenis natus videretur. Tanta autem suauitas erat sermonis latini, vt appareret, in eo natiuum quendam leporem esse, non ascitum. Idem poemata pronunciabat & græce & latine, sic vt supra nihil posset. Habebat auunculum Qu. Cæcilium, equitem Romanum familiarem L. Luculli, diuitem, difficillima natura, cuius sic asperitatem veritus est, vt, quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit beneuolentiam. quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens, testamento adoptauit eum, hæredemque fecit ex dodrante, ex qua hæreditate accepit circiter centies L.L.S. In Republ. ita versatus est, vt semper optimarum partium & esset, & existimaretur. Neque tamen se ciuilibus fluctibus committeret, quod non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quam qui maritimis iactarentur, &c. Hæc Cornelius Nepos.

Pomponij Attici commendatio.

Attici vita laudatur. Attici etiam illius, ab Æmilio probo tantopere commendati, audite indolem, mores, mortem. Nunquam (inquit Æmilius Probus,) sine aliqua lectione apud eum cœnatum est: vt non minus animo, quam ventre conuiuæ delectarentur. Namq; eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent.

Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam ciuis. Nam cum esset pecuniosius, nemo illo minus fuit emax: minus ædificator. Neque tamen non imprimis bene habitauit, omnibusq; optimis rebus vsus est. Nam domũ habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab auunculo hæreditate relictam: cuius amœnitas non ædificio, sed sylua constabat. ipsum enim tectum antiquitus constitutum, plus salis, quam sumtus habebat: in quo nihil commutauit, nisi si quid vetustate coactus est. Vsus est familia, si vtilitate iudicandum est, optima: si forma, vix mediocri. namque in ea erant pueri literatissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij, vt ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non vtrumq; horum pulchre facere posset. pari modo artifices cæteri, quos cultus domesticus desiderat, apprime boni. neq; tamen horum quemquam, nisi domi natum, domiq; factum habuit: quod est signum non solum continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere quod à plurimis videas, continentis debet duci: & potius diligentia, quam precio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiem non affluentem affectabat, supellex modica, non multa, vt in neutram partem conspici posset. Cumque illi aliquando magna opum ac pecuniarum facta esset accessio, nihil tamen de quotidiano cultu mutauit, nihil de vitę consuetudine, tantaque vsus est moderatione, vt neque splendidius quam antea, se gesserit, neque affluentius quam instituerat, vixerit, parique adeo fastigio steterit in vtraque fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neque in Italia, præter Ardeatinum & Nomentanum, rusticum prædium: omnisque eius pecuniæ redditus constabat in Epiroticis, & vrbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum vsum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque eius comitas, non sine seueritate erat, neque grauitas sine facilitate: vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, quam amarent. Quicquid rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis, sed leuis arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, vt non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunquam suscepti negotij eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius, quo fiebat, vt multorum equitum Rom. negotia procuraret. Ex quo iudicari poterat, non inertia, sed iudicio, fugisse Reipub. procurationem. Humanitatis vero nullum afferre maius testimonium possum, quam quod adolescens,

lescens idem seni Syllę fuerit iucundissimus, senex adolescenti, M. Bruto: cum æqualibus autem suis, Q. Hortensio & M. Cicerone ita vixerit, vt iudicari difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus, quanquam eum præcipue dilexit Cicero, vt ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut familiarior.

De pietate autem Attici quid plura commemorem, cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, cum esset septem & sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, quam prope, æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam vnquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, vt, quos amare deberet, irasci eis nefas duceret. neque id fecit natura solum, quanquam omnes ei paremus, sed etiam doctrina. nam & Principum Philosophorum ita percepta habuit præcepta, vt iis ad vitam agendam, non ad ostentationem vteretur. Moris etiam maiorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator.

Attigit quoque poeticen, ne eius expers esset suauitatis. Namq; versibus qui honore, rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita, vt sub singulorum imaginibus facta, Magistratusque eorum non amplius quaternis quinisque versibus descripserit. quod vix credendum sit. tantas res tam breuiter posse comprehendi.

Cumque esset contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affinitatem tamen peruenit Imperatoris diui Iulij filij, cum iam ante familiaritatem eius esset consecutus nulla alia re, quam elegantia vitæ, qua cæteros ceperat Principes ciuitatis dignitate pari, fortuna humiliore.

Cum ab Vrbe abesset Cæsar, nunquam ad suorum quemquam literas misit, quin Attico mitteret, quid ageret, inprimis, quid legeret, quibusque in locis, & quamdiu esset moraturus: sed etiam cum esset in Vrbe, & propter suas infinitas occupationes, minus sæpe, quam vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temere intercesserit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret: modo aliquam ei quæstionem poeticam proponeret, interdum iocans eius verbosiores eliceret Epistolas. Ex quo accidit, cum ædis Iouis Feretrij, in Capitolio ab Romulo constitutæ, vetustate, atque incuria detecta, prolaberetur, vt Attici ammonitu, Cæsar eam reficiendam curaret. Neq; vero ab M. Antonio minus absens literis colebatur: adeo, vt accurate ille ex vltimis terris quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantę sit sapientiæ, eorum retinere vsum, beneuolentiamque, inter quos maximarum rerum non solum æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantum fuit incidere necesse, inter Cæsarem, atque Antonium, cum se vterque Principem non solum vrbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cum VII. & LXX. annos complesset, atque ad extremam

senectutem non minus dignitate, quam gratia, fortunaque creuisset (multas enim hæreditates nulla alia re, quam bonitate est consecutus) tantaque prosperitate vsus est valetudinis, vt annos triginta medicina non indiguisset: Nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserunt. nam putarunt esse tenesmon: cui remedia celeria, faciliaque proponebantur. In hoc cum tres menses sine vllis doloribus, præterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset: subito tanta vis morbi in vnum intestinum prorupit, vt extremo tempore, per lumbos fistula putris eruperit. Atque hoc prius, quam ei accideret, postquam indies dolores accrescere, febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi iussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumque Pecudæum. hos vt venisse vidit: in cubitum nixus, quantam, inquit, curam, diligentiamq; in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, vt spero, satisfeci, nihilque reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, vt egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. namque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, vt auxerim dolores sine spe salutis. Quare à vobis peto primum, vt consilium probetis meum: deinde ne frustra dehortando conemini. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atque vultus, vt non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, cum quidem Agrippa eum flens, atque osculans, oraret atque obsecraret, ne id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelararet: & quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi, suisque reseruaret: preces eius taciturna sua obstinatione compressit. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit, leuiorque morbus esse cœpit. tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, decessit. Elatus est in lecticula, vt ipse præscripserat, sine vlla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est iuxta viam Appium ad quintum lapidem in monumento Q. Cæcilij, auunculi sui. *Hactenus Æmilius Probus.*

PH. Gratissima sunt istiusmodi apud posteros encomia; eoque magis elaborandum ipsis, vt maiorum suorum vestigiis laudabiliter insistant; adeoque non destruxisse, sed superstruxisse, quæ maiores ipsorum liberaliter statuerunt, fierique à successoribus iusserunt, incusari merito possint. Et sane, qui heroico & generoso præditi sunt animo, deuote maiorum statuta exequuntur; qui vero sequiori, demisso ac seruili sunt ingenio, illi quidem maiores suos summopere deprædicant, suis interim ipsi victitantes deprauatis moribus.

EQ. Fuit, fuit olim, in erudita Antiquitate, Generosorum huiusmodi ingeniorum magna feracitas, optimique adeo Reges, Principes ac Magnates, doctos

doctos ac sapientes quosque viros in summis habuerunt delitiis. Atque vt omittam Romanos (qui doctissimorum quorumq; virorum consensu mortales omnes virtute, gloria, atq; animi præstantia excelluerunt) nonne veteres illi Principes & Reges eruditissimis viris delectati sunt, & cum illis etiam summa beneuolentia ac amicitia coniunctissime victitarunt. Eosdem enim adhibebant in consiliis maximarum rerum: illis auscultabant: illos obseruabant, verebanturque. Imperatores Romanos consulto prætereo, qui doctissimi pene omnes extitere: & eruditos quosque gloria, dignitate ac muneribus affecerunt: tametsi priorem Africanum neutiquam silentio prætereundum esse duco: qui Quinti Ennij Poetæ statuam in sepulchro suo collocari iussit: Vt posteri norint quanti fecerit tertiæ terrarum orbis partis Victor Poetam illum: qui primus apud Latinos heroicum carmen scripsit: & gesta Romani populi celebrauit. *Doctorum virorum amantes Principes.*

Crœsus Lydorum Rex opulentissimus, cum studio ciuilis sapientiæ flagraret: & cerneret barbaras illas nationes, quibus imperabat, Viris clarissimis omnino carere: excitatus Anacharsis fama ad eum Athenas vnum ex familiaribus suis misit: qui illum ad se accerseret: aurumque ei dono afferret. Ad quem ille eius modi epistolam scripsit: Anacharsis Crœso bene agere. *Veni in Græciam, Lydorum Rex, vt mores, instituta, disciplinas, perdiscerem. Auro non egeo: Si doctior meliorque ad Scythas rediero, sed quia beneuolentiam tuam mirifice amplector, ad te quam primum ire pergam. Vale.*

III. Dionysius quoque Syracusanus quamuis ad sæuitiam natus videretur: tamen disciplina Aristippi Cyrenaici summopere delectatus est: eo præcipue, quod vir ille & facetus esset: & loco ac tempori inseruire optime nosset: iocisque ac salibus abundaret; quod quidem vel ex hoc cerni licet. Tres forma liberali & ætate integra ancillas Dionysius ei adducit: vt ex illis vnam, quam vellet, acciperet: tunc Aristippus tres simul abduxit, asserens, Paridem neutiquam impune tulisse, quod vnam Deam duabus prætulerit: quo quidem lepore ac ioco voti compos factus est, & integrum munus accepit. Fuit hoc etiam Dionysio gratum & periucundum. Nam cum ab eo pecuniam aliquando rogaret Aristippus, tum facete Dionysius, docuisti (inquit) sapientem pecunia non egere. At ille, Da, inquit, postea de his disseremus. Cum vero dedisset: Videsne (ait) me pecunia non egere. Et cum Tyrannus his rebus delectaretur, eundem summis honoribus ac muneribus quotidie afficiebat.

Metrodorus Sceptius, vir in dicendo periucundus & variis disciplinis ornatus, Mithridati maximo regi tanta beneuolentia coniunctus fuit, vt vulgo regis pater appellaretur. Platonis etiam memoriam adeo veneratus est hic Rex, vt illius statuam in Academia erexerit eiusmodi titulo inscriptam: *Mithridates Rhodobati filius Musis Platonis imaginem dicauit; Silamonis opus.*

Quod

Quot doctissimos viros dilexit Alexander? Omitto Aristotelem: cui ab ineunte ætate à patre Philippo in disciplinam traditus extitit. Eiusque Alexandri M. porro regia instar Academiæ nituit frequentia Philosophorum, & quocunque profectus est, cohortes doctissimorum hominum secum duxit. Inprimis vero dilexit Onesicritum: quem in militia secum habuit: & res à se gestas ab eo literis mandari voluit. Anaxarchum vero maiorem in modum obseruauit: & cum Clitum per temulentiam peremisset: factique eum vehementer adeo pœniteret: vt expulsis è cubiculo arbitris amicisq; omnibus, iam de consciscenda sibi morte ageret: solum hunc Philosophum veritus est: qui in penetralia prorumpens, nullo familiarium id audente, exclamauit: Hiccine est Alexander ille, quem vniuersus orbis admiratur ac metuit? at ipse nunc seruilem in modum miserabiliter eiulans hominum ignominiam legesque formidat. An ignotas Iouem ita regibus statuisse, vt quicquid agerent, æquum iustum quod esset? Deo optimo bene volente, temerarij militis petulantiam & temulentam verborum licentiam vltus es. Scient omnes te regem esse, neutiquam maledictis ac probris incessendum. Pugnent in hostes milites tui ferro: non autem in te linguæ procacitate. his & similibus rationibus ac verbis vsus Anaxarchus, regis animum mærore affectum leniit: mentisq; compotem reddidit: & à præcipiti consilio reuocauit. Quanti quoque Diogenem Cynicum fecerit: Vel ex hoc intelligere possimus, Serio enim dicebat; Diogenes esse vellem, nisi Alexander essem: quasi se vnum omnibus mortalibus praeferret, Diogenem autem secundum faceret. Tanto etiam studio Homeri Iliadem amauit: vt eam rei militaris viaticum appellaret: & eandem dormiens sub puluino cum pugione teneret: Pares item gratias Aristoteli magistro, & Philippo patri se debere dicebat, vt qui ab hoc viuendi causam, ab illo autem bene viuendi rationem accepisset. Qua quidem sententia facile intelligere possumus, quanti Alexander fecerit sapientiæ studium morumque, quin documenta & contemplationē etiam diuinarum humanarumque rerum: pro qua quidem non minus ambitiosus fuit, quam pro imperio totius orbis terrarum. Nam cum accepisset Aristotelem vulgasse occultiora quædam: illum per epistolam his verbis obiurgauit: quod speculatiuas edidisti disciplinas: id nequaquam mihi acceptum est, nec mehercle recte egisti. Eam enim rem, qua cæteris præstabam, iam omnibus dedisti esse communem: malueram equidem singulari disciplina, quam ingenti potentia cæteros anteire. Admiratus est etiam Xenocratis ingenium: cui quinquaginta talenta dono misit, certior factus, illum præ angustia rei familiaris vix operam studiis sapientiæ nauare posse.

Dinocratis in compellando Alexandrum Magnum audacia.

EQ. Audite mihi Dinocratis in compellando rege audaciam, regisque (Alexandri Magni) in admittendo Dinocrate promptam facilitatem. Dinocrates architectus maxime nobilis, cum aditum ad Alexandrum impetrare

poe

per purpuratos, ac familiares eius minime etiam multum post tempus posset, iudicaretque ab illis sese irrisum iri, consilium, ac simul etiam auxilium à seipso petiit. Cumque esset ipse procero admodum statu, nec quadratis tantum membris, verum forma ac dignitate corporis totius insignis, atque aspectu ipso præcipue gratus, nactus opportunitatem, quo die Alexander populo dabat audientiam, præsidebatque iuri dicundo, nudatis membris, oleoque perun̄cto corpore, ac populea fronde coronato capite, læuo humero leonis pelle amicto, dextra ipse clauam gestans, ad tribunal prodiit: qua nouitate permotus Alexander, iussit aditum illi ad se dari, percunctantique quinam esset, aut quid eo habitu sibi vellet, respondit Dinocrates, quæsisse eo se habitu ad illum aditum atque audientiam: esse autem architectum, ac genere Macedonem, afferre autem se multas quidem & egregias cogitationes Alexandri magnanimitate dignas: in iisque de monte Atho in virilis statuæ formam redigendo, eo quidem artificio, ac positu, vti læua manu vrbis maxime capacis amplitudinem contineret ac mœnia, dextra vero pateram, qua fluuiorum omnium, qui eo è monte defluerent, decursus exciperet. Quibus auditis Alexander ingenio hominis ac sermone delectatus, cum admiraretur etiam iuuenta, secum illum esse voluit, vtque in Ægyptum sequeretur statuit. Cumq; Alexandriam ædificaturus esset, Dinocratis cõsilio & opera vsus est in ea ædificanda. Per hanc itaque maxime accommodatam viam, Dinocrates aditum sibi ad Alexandrum comperiit, cum alia se ratione inuenturum eam prorsus diffideret, vt vix quicquam existat prudentiæ ipsi imperuium.

TH. Et nos inquit Iouianus Pontanus *de obed. lib. 5. cap. 6 fol. mihi* 84. apud Principes viros magnam sæpe habuimus audientiam, vt nonnunquam spectante instructo exercitu auditi fuerimus. Licet in hoc gloriari, quod cum aliquando in hostis manum incidissemus, honorati & donati ab illo dimissi sumus. Sed hæc obiter. Interim vt cœptum de beneuolentia Magnatum, qui olim vixerunt, prosequatur sermonem, votum nostrum est.

PH. Attendite igitur. Archelaus Macedonum rex Euripidem Tragicum tanta beneuolentia complexus est: vt eidem consilia omnia crederet: & sæpenumero cum ad cœnam vocaret, quam quidem in multam noctem, delectatus Poetæ suaui sermone, protrahebat. Qua ex re accidit: vt cum illius æmuli atque obtrectatores liuore & inuidia exarsissent: redeuntem aliquando illum nocte intempesta à Regis conuiuio, insidiis exceperint; ferocissimisque canibus lacerandum præbuerint. Cuius interdum adeo moleste tulit Archelaus; vt suprema illius non modo magno funeris sumptu prosecutus fuerit: Verum etiam crinem tonsus, regiam faciem deformauerit: animique mœrorem corporis squalore cunctis indicauerit: nec ante pristinum habitum recipere voluerit: quam interempti Poetæ manibus inimicorum sanguine parentasset.

Doctos etiam viros complures honore ac muneribus affecit Artauasdes Armeniorum Rex celeberrimus, & vsq; adeo illorum ope Græci. literis eruditus euasit, vt Tragœdias scripserit, orationes plurimas ediderit. & historias etiam cum laude composuerit. Quin etiam oratores, Poetas, Philosophosq; complures ex Heliade magno impendio aduocauit: vt eos sibi comites haberet, cumque illis (peritis Barbaris) familiarissime victitaret.

Cyneam Thessalum, virum dicendo grauem ac suauem, vt Demosthenis auditorem plane cognoscas, Pyrrhus Epirotarum Rex magno in honore habuit, & eo oratore ad complures ciuitates vsus est: qui eas adeo in Pyrrhi voluntatem pellexit: vt veram Euripidis sententiam esse ostenderet, qui ait: omnia conficit oratio: quæ etiam hostile ferrum efficere nequiret. Atqui Pyrrhus ipse dicere solebat, plures à Cyneæ oratione vrbes, quam à se armis expugnatas esse.

In Traiano etiam Principe, & vrbis atque orbis res moderante, quantum valuerit Plutarchi autoritas, docet ad eum ab illo scripta epistola. Alexander Seuerus delegit ex Senatu & ex doctis viris præcipuos, excellentes sapientia & virtute, quos ad consilia adhibuit & ad domesticam familiaritatem. Græce eleganter doctus fuit, adeo, vt vitas bonorum principum Græco carmine descripserit. Ex Latinis legit plurimum Ciceronis officia, & libros de Republica. Familiarissimus ei ex omnibus Iurisconsultis Vlpianus fuit, quem &, cum milites in eum impetum facturi essent, texit sua purpura, & milites repressit.

Atque vtinam in colendo Seneca perseuerasset Nero, facile inter Romanos Imperatores fuisset illustris.

EQ. Gratissima omnino memoria deprædicat posteritas Monumenta huiuscemodi Magnatum, qui literatorum consiliis, in statuendis pro regni ac subditorum salute atque incolumitate sententiis ac legibus vsi fuerunt: quæ etiam argumento sunt, illos ipsos quoq; Magnates, literarum minime fuisse rudes, sed insigniter politos.

Imperatorum literatorum exempla.

Certe Augustus Cæsar domi leges emendare, iudicia constituere & regere non potuisset, nisi & ipse multiplici eruditione instructus fuisset, & ad consilia doctissimos viros adhibuisset, Trebatium, Capitonem, Asinium & alios.

PH. Historiæ loquuntur. Euentus probauit. De Tito Vespasiano testantur historiæ, quod cum disertus esset in Latina & Græca lingua, plurima edicta formauerit, & plurimas orationes in senatu, Patris nomine habuerit.

Caroli Magni, quod Alcoino, Anglo præceptore esset vsus, tanta fuit facundia, vt non deesset ei copia & splendor in patrio & Latino sermone. Versus etiam fecit de Rolando sororis filio:

Tu patriam repetis, tristi nos orbe relinquis,
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.

Sed

Sed qui lustra geris octo & binos super annos,
Ereptus terris, iustus ad Astra redis.

Græcos legatos Græce loquentes intellexit, sed non respondit longo sermone Græco. In Collegio Osnaburgensi Græcum Lectorem dato amplo stipendio constituit.

Consilio Alcoini constituit seu reformauit potius, Academiam Parisiensem; scribunt namque, ante illam Caroli Magni restaurationem, disciplinã & studia Parisiis valde fuisse corrupta, & multos ibi fuisse magicæ impietati deditos; quorum non minimam partem Alcoinus haud dubie emendauit. Ticinensem quoq; Academiam à Carolo Magno institutam esse scribitur.

Fridericus II. ingenio tanto fuit, vt præter patrias linguas Germanicam & Italiam didicerit exactissime plurimas alias, Latinam, Græcam Saracenicam, Francicam, & in singulis Philosophiæ partibus non tantum rudimenta prima degustauerit, sed fontes ipsos introspexerit atq; exhauserit. Condidit Academiam Neapoli, & ante constitutas alibi exornauit atq; amplificauit. Auxit etiam ornamenta, iura, immunitates & dignitates ordinis scholastici, latis de his ac sancitis legibus publicis, quæ beneficia docti grata mente agnoscant.

Multa vero ex Græco & Saracenico traduci in latinam linguam curauit, quæ restitutionem veræ ac purioris Philosophiæ adiuuarent, ex Aristotele, Ptolomæo, Galeno, Auicenna & aliis, ita vt vel vnius Friderici Secundi beneficio, Physica, Medica & Mathematica studia in Occidente reuixerint, quæ inde vsq; ab irruptionibus Gotticis & Vandalicis neglecta iacuerant.

Multa sapienter in Imperio constituit, cum de vsibus Feudorum, tum alia, quæ vndecim capitibus distincta ac Codici Iustiniani sunt inserta.

Viros doctos in honore ac precio habuit, deque eorum consiliis atq; sententiis instituit, administrauit, & in controuersiis pronunciauit tempore pacis pleraque.

Gratia etiam insignis debetur Constitutioni Carolinæ, cui accepta ferantur plurima emolumenta, quæ inde ad Rempubl. redierunt, necesse est. Excelluit ingenio & doctrina, & multarum linguarum peritia: consuetudine doctorum delectatus est plurimum. In scholam Pragensem, quam recens fundarat, aliquando ingressus, cum doctos audiuisset disputantes in horas quatuor, idque purpurati moleste ferrent, ac cœnæ tempus adesse dicerent: Mihi, inquit, tempus est minime Nam cœna hæc mea est.

TH. Non minus etiam Lotharius Imp. restitutione dulcissimæ pacis ex longis & asperrimis bellis, & iustitiæ ac legum ex longa rerum perturbatione, de Germania & Italia præclarissime meritus est. Nam & pacem vtrique, quantum in ipso fuit, reddidit, & eandem ceu muniuit præsidio legum, reuocatis in lucem & ad vsum veteribus legibus Romanis. Eo enim tempore, quo Italiam Longobardi & Franci dilacerarunt, paulatim ibi, cum forma *Lotharij constitutiones.*

iudiciorum mutata esset, barbarici mores recepti erant, & Romanæ leges his oppressæ conticuerant. Conseruauit tamen studia veteris illius doctrinæ sicut aliarum artium Græcia Constantinopoli, & extant adhuc commentarij in ius Romanum scripti Constantinopoli similes glossematis & enarrationibus Doctorum Italicorum. Ideo cum Italia à Germanis pacata Ottonum tempore quasi respirasset, & paulatim mores barbaricos emendaret, homines ingeniosi excellentes dexteritate iudiciorum in negotiis, & militari atque eruditi doctrina Constantinopolitana odio & fastidio barbaricarum consuetudinum, cœperunt ius Romanum desiderare. Ita paulatim celebrari hoc studium cœptum est.

Irnerius Iurisconsultus. EQ. Item Henrici Quinti tempore fuit in Italia vir summæ autoritatis Irnerius, qui gubernauit eas partes, quæ tum erant Romani Imperij. Is cum esset eruditus, fortasse Constantinopoli, aut ab iis, qui audierant Constantinopolitanos, sæpe ritus barbaricos in successionibus & aliis negotiis ex iure Romano aut correxit aut moderatus est. Grauiter autem quassauerant Italiam bella Henrici Quarti, quibus, vt fit in bellis ciuilibus, patrimonia multorum translata fuerunt ad alienos. *Iuris Romani restitutio.* Ex ea calamitate nonnihil recreauit eam prudentia & moderatio Irnerij, qui, cum posteritati etiam consulendum putaret, cupiebat autoritate Imperatoria proferri rursus ius Romanum, vt certæ leges & erudite scriptæ extarent, & vitarentur occasiones discordiarum, quæ ex incerto iure nasci consueuerant. Hic Irnerius, cum fides eius & integritas perspecta esset in gubernatione eius, & integritas perspecta auxisset autoritatem, nactus Imperatorem Lotharium Saxonem, minus impeditum bellis ciuilibus, & qui plurima ad tranquillitatem retinendam necessaria constituit, fuit huic hortator, vt præciperet causas diiudicari ex legibus Romanis, & vt curaret Romanæ & Bononiæ easdem publice enarrari, sicut fieret Constantinopoli, & antiquitus Athenis, in Berytho, & instituto Theodosij Bononiæ fuisset vsitatum, & ne deesset doctrinæ copia, produxit libros scriptos. Fertur & ipse Romæ ac Bononiæ docuisse, & primus ex Italis glossemata textibus addidisse.

Consilio ergo Irnerij, autoritate Lotharij reuocata sunt studia doctrinæ legum, & reductus est quasi postliminio vsus earum in forum, à quo annos amplius sexcentos exularunt. *Ius Romanum deductum ex fontibus iuris naturæ.* Necesse est autem eos, qui restituerunt quasi imaginem veteris Imperij, non solum ingenio & prudentia excelluisse, quam vsus rerum acuerat, sed etiam diligentiam mirabilem atque acre & assiduum studium adhibuisse, in legibus conferendis & considerandis fontibus eruditissimatum constitutionum, quas ex lege naturæ deriuatas esse, atque earum structuræ rationes ostendunt demonstrationibus reductæ ad formam & principia, quod fuit res maximi negotij, mutata veteri Reipublicæ forma, perditis antiquis fori consuetudine, amissa proprietate linguæ, studiis squalidis tetraque barbarie

baric deformatis. Certe Italiæ, Galliæ, & Germaniæ plurimum eam profuisse doctrinam res docet.

Sicuti postea Irnerium auditores ipsius Bulgarus, Azo & alij in schola pariter & Reipub. administratione floruerunt: Deniq; capta admiratione doctrinæ huius Italia certatim in eam incumbere cœpit, & prodierunt ex illis scholis plurimi, qui docendo, scribendo, & de iure respondendo, regendis Imperiis, de vita hominum optime sunt meriti. Accursius attigit tempora Friderici Secundi, & Caroli Quarti ætas celebrat Bartholum, Baldum & plurimos alios horum auditores, qui doctrinam quasi per manus traditam docendo propagarunt, & commentando illustrant. *Accursius.* *Bartholus.* *Baldus.*

TH. Est profecto vere diuina res Rerumpub. constitutio, legumque seu emendatio, seu mutatio in melius, quæ nisi regatur diuinitus, nec procedit, nec euenit feliciter, quod cum sapiens antiquitas agnouerit, prudenter cauit mutationes omnes, & sæpe inueteratæ consuetudinis vitia, si non prorsus essent enormia, sapienter tulit ac dissimulauit, sicut næuos corporum, qui sine deformitate multo maiore elui vel expungi nequeunt. Facile est, inquit Pindarus, cuiuis mutare ciuitatis statum, sed commotum turbatumve sedare & in tranquillum restituere, solius Dei opus est. Et apud Thucydidem Alcibiades censet: Τῶν ἀνθρώπων ἀσφαλέστατα τούτους οἰκεῖν, οἳ ἂν τοῖς παροῦσιν ἤθεσι καὶ νόμοις ἢν καὶ χείρω ᾖ ἥκιστα διαφόρως πολιτεύωσι. Idcirco cum euentus ostenderit vel in ipsa fori iudiciorumque emendatione, consilium de restitutione iuris Romani à Deo profectum esse, diuinitus Lotharium adiutum atq; gubernatum fuisse, minime dubitandum est.

Vixit Lotharij ætate etiam Gratianus, qui Pontificum decreta congessit, etsi & ante Gratianum similis liber in hominum manibus fuisse traditur, opera cuiusdam Episcopi Wormaciensis collectus. Intexuit his decretis ex veterum Synodorum canonibus, quæ ad Hierarchiæ Romanæ dignitatem extollendam & amplificandam facere visa sunt, & recentes ac præsenti statui accommodatas constitutiones miscuit, sed seuerissimas sanctioris disciplinæ leges, quibus Ecclesia purior stetit, commutauit in otiosa ac theatrica spectacula ceu ludorum quorundam. Hic Gratiani liber causam præbuit, vt Pontifices deinceps infinita audacia congererent ac cumularent decreta, quibus quæ libet in doctrina cœlesti & ciuilibus legibus Imperatorum mutarunt, & se aduersus vim omnem, vt existimarunt, supernam terrenamque, armarunt. Inde æmula studia exarserunt. *Farrago Iuris Canonici.*

EQ. Deprompta sunt hæc quæ iam dixisti, ex Chronicis Melanthonis, si recte memini. Cæterum haud raro oggranniunt centauri quidam aulici, Principum autoritatem nimia ista, vti existimant, familiaritate non parum diminui mussitantes. Tales fuerunt in aula Sigismundi Imperatoris, qui potissimum ob id indignabantur, quod in distribuendis muneribus & dignitatibus

præferrentur literati. At Imperator illorum procacitatem grauiter retudit inquiens: *Illos merito obseruo, quos natura præ aliis excellere voluit.* Cumq; præstantissimum illum iureconsultum Georgium Fiscellinum Equestris ordinis insignibus donasset, & ille Basileæ in celebri ordinum conuentu animi dubius hæreret, vtrum Equitibus vel iureconsultis sese coniungeret, tandemque ad equites concederet: *Stulte agis,* inquit Cæsar, *quod literis militam præfers. Nam ego mille Equites vno die crearim; doctorem vero vnum mille annis non effecerim.* Tanta in æstimatione prudentissimus hic Imperator literas habuit!

Sigismundi Imp. vox heroica.

Nec silentio hic nobis prætereundus est Matthias Hunniades. Is delectatus est maxime historiarum cognitione, quas ex Græca lingua multas in Latinam transfundi sui vsus causa curauit. Didicit etiam studiose multa de stellarum motibus & effectionibus. Multos viros doctos, præcipue vero Mathematum peritos, & Poetas ad fastigia honorum amplissimorum euexit, ac præ cæteris fauore venerationeq; singulari complexus est Iohannem Regiomontanum, quem tanti fecit, vt crebro eum eruditorum colloquiorum causa & mensæ contubernio adhiberet. Extinctum tradunt.

Carolus V. linguarum peritus.

PH. Sed & Carolus V. Imp. literatis linguarumque peritis admodum fuit familiaris, ex quorum etiam familiari conuersatione variarum linguarum cognitionem sibi comparauit, vsque adeo vt in Hispania cum Hispanis, hispanice: in Italia cum Italicis Principibus nonnunquam Italice: in Gallia Belgica, aut Britannia, gallice: in Germania, germanice: & (cum casus ferret) etiam vbique latine loqueretur: sic vt vnicuique in sua lingua materna loqui Cæsar posset. Ad eamque discendam bella variis ab eo in locis gesta, plurimum illi adiumenti attulerunt: tanta enim erat Cæsar hic celeritate, dexteritateque ingenij præditus, vt cum in bello, & exercitu esset, omnium diuersim nationum, quæ in castris suis versabantur, linguam, mores, vestitum exprimeret.

Itaque cum legionibus Germanicis loquens, vestitum habens plærumque Germanicum, Germanice loquebatur. Cum legionibus veteranorum, quæ Hispanicæ erant (in his enim plurimum Cæsar semper stetit, fiduciæque plurimum habuit) Hispanice: atque eas pacis, bellique tempore, vel in æstiuis, vel in hybernis, vel in agris, & in municipiis, honestissime, liberalissimeque, pecunia ex Hispaniis allata, vbiq; gentium alebat: ad Belgicum equitatum Gallice: ad cohortes, equitatumq; Italicum Italice: ad Neapolitanum grauis armaturæ Equitem mixtim: ad Hungaros, Bohæmos, Dalmatas, Macedones, variis vtebatur sermonibus, ac vnicuique semper genti Germanam catalectum discedens cum donatiuo ostendebat. Et si in Germania belligeraret, vestitu armisque & phaleris Germanicis fere vtebatur, barbamq; quadratam gerebat: si in Italia, hæc Italicum ad morem faciebat, barbamq; acuminatam gerebat: si alibi aliter.

EQ. Illud quoque nullo modo prætereiim, quod Alphonsus victo captoque Antonio Caldora, cum exercitu in Pelignos profectus, cum peruenisset in locum, vnde Sulmo poterat despici, percontatus, an ea, vt ferretur, Ouidij esset patria, & qui aderant affirmassent, vrbem salutauit, gratiasque genio loci egit, in quo tantus olim poeta genitus esset, de cuius laudibus cum non pauca disseruisset, tandem famæ eius magnitudine commotus, Ego, inquit, huic regioni, quæ non parua regni Neapolitani nec contemnenda pars est, libenter cesserim, si temporibus meis datum esset, hunc poetam vt haberent, quem mortuum pluris ipse faciam, quam omnis Aprutij dominatum. *Ouidij patria.*

TH. Transeamus etiam paulisper ad exempla Biblica, quippe quæ identidem quanta in existimatione, obseruantia ac reuerentia fuerint apud Magnates, viri sancte docti, clarissime demonstrant.

Apud Ægyptium regem potentissimum, in summa fuit existimatione Abrahamus, religionis simul & veræ sapientiæ ac bonarum artium peritissimus, qui Ægyptios docuit scientias mathematicas, vt Philo testatur. Eum insecutus est Iosephus, cui administratio totius imperij credita fuit, docuitque Principes veram sapientiam, vt Psalmus 104 testatur: *Misit Deus ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph. Eloquium Domini inflammauit eum: misit rex, & soluit eum: princeps populorum, & dimisit eum. Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ. Vt erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Descendit & Iacob cum patriarchis in Ægyptum: qui literis bonis & liberalibus disciplinis repleuerunt Ægyptum, ac velut domicilium sapientiæ construxerunt: ad quod fuere aditus frequentissimi ex omnibus regionibus, capessendi cultum ingenij gratia. De Mose autem quid verbis opus est? Qui à puero eruditus & excultus omni doctrina Ægyptiorum, quam videlicet à Patriarchis sanctis prius acceperant, in aula Pharaonis res admirandas gessit: scriptaque historia & legibus diuinæ maiestatis, omnibus regibus & populis magister exhibitus est. Ad Assyrium monarcham, siue is Sardanapalus fuit, siue alius, Ionam Prophetam venisse nouimus, & in vrbe regia præconium fecisse maximo cum fructu pœnitentiæ, vt Niniue præbuerit exemplum sempiternum resipiscentiæ. Babylonicis quoq; regibus, & Persis atq; Medis, adfuere Daniel, Esdras, Mardochæus, Nehemias, Zorobabel, & alij viri oppido quam sapientes & pij. Cum Alexandro Macedone pontifex Iudæorum Iaddus egit de veri Dei natura & voluntate. Cum Ptolomæo Philadelpho Eleazar Pontifex & LXX. presbyteri, qui sacros libros interpretati sunt. Longum foret narrare, Solonem admonuisse Crœsum regem potentissimum, Platonem egisse cum Philippo rege Macedonum, cum Dionysio Siculorum rege, & cum aliis. Romani etiam fœdere icto cum Macchabæis, res Iudaicas didicerunt: quibus *Virorum sancte doctorum apud Magnates olim autoritas.*

quibus & Iosephus sacerdos in bello Iudaico forte quadam diuina c[illegible]enit, vt sacram historiam totam eis explicaret. Cum Herode incesto & fl[illegible], cæterum potentissimo rege, bap ista præcursor Domini Ioannes egit. Coram Anna & Caiapha, summis pontificibus, coramq; Pilato præside Romano in Syria, Dei sapientia æterna, Dei verbum, Dei filius homo factus, [illegible] veritatis defendi[illegible]. Atq; huc pertinet oraculum de Paulo ad Ananiam; *Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filiis Israel. Act.*

EQ. Hæc obsoleta sunt, & iamdudum etiam delierunt, potius de iis conferamus sermonem, quorum adhuc dum beneficiis non minima ex parte fruimur; de artibus nimirum humanioribus, ac linguis, de Bibliothecis de Academiis, iisque adeo quæ ad rem spectant literariam.

PH. Melanthon, (de quo magnus ille Theologus, D Morlinus quod ne syllogismum quidem formare, nisi Melanthon nos edocuisset, in Germania possemus, quem tamen quoad religionis negotiis grauissime, & merito quidem coarguit) is inquam (Melanthon) de artibus humanioribus ac linguis, qua ratione cœperint apud alias etiam nationes inclarescere *lib.* 5 *Chron.* ve refert: Grassante Mahomete II. qui obiit anno Christi 1481. Musæ è Græcia pulsæ abierunt in exilium quæsitum nouas sedes in Italia & Gallia, dedocentibus eas multis præstantibus viris, quorum opera, cura, labore, ac [illegible] institutæ ex Græcis fontibus disciplinæ reuixerunt, quæ inde vsque à prima Italiæ sub Gottis facta deuastatione eousq; iacuerant sepultæ profunda barbarie.

Artium humaniorum in diuersas nationes migratio.

Primus Græcorum literarum studia in Italia excitauit Emanuel Chrysoloras socer Francisci Philelphi Tolentinatis, qui à Iohanne Palæologo sub Baiazete primo missus in Europam, vt reges adeundo pereunti Græciæ maturam opem implorarct, perfunctus munere manda[illegible] in Italia [illegible], ac Venetiis primum, deinde Florentiæ Romæque, ac demum Tic[illegible] docuit. Extant Grammatica præcepta ab eo scripta. Interiit in Germania Constantiensis Synodi tempore.

Chrysoloras.

Successere huic proxime Georgius Trapezontius auitam patriam cognomine potius quam suam professus, originem enim paternam e [illegible] celebri vrbe duxit, ipse in Creta genitus, & Theodorus Gaza Th[illegible] honesto natus loco, impetuque Amurathis patria eiectus. Inter [illegible] æmulatio fuit, Sed Trapezontium Gaza acumine ingenij, dexteritate [illegible] & linguæ vtriusque peritia superauit. Aristotelis enim de animalibus & Theophrasti de plantis libros ita Latinos fecit, vt dum ad Græcarum compositionum exemplum horridioris linguæ vocabula ceu emollita prius inter se apte connectitque iungit, & vim Græcarum vocum nouis Latinis accommodate effingit atque exprimit, audaci quidem sed felici admodum translatione facultatem Latinæ linguæ non mediocriter locupletarit.

Trapezontius.

Æmulatio inter Trapezontium & Gazam.

Gazæ amicus & sodalis fuit Iohannes Argyropilus Byzantinus, qui è Cosmo

Argyropilus.

smo Medice Petro filio & Laurentio Nepoti præceptor datus, primum Florentiæ, deinde Romæ, Græcos autores enarrauit.

Iohannes Capnio hunc Romæ Thucydidem interpretantem audiuit, de quo suo cum Argyropilo congressu Capnio solitus est hanc recitare historiã: Cum in auditorium venisset ante Lectionem more Legati cum mediocri comitatu, & assiderent ibi multi nobiles homines senes, Cardinales etiam aliqui, salutat Argyropilum reuerenter, deplorat exilium Græcorum & narrat se cupidum esse doctrinę ipsius. Argyropilus interrogat cuias sit, & an Græcam linguam intelligat. Hic narrat se Germanum esse, & Græcæ linguæ non omnino rudem. Iubet igitur Argyropilus eum legere partem Thucydideæ concionis, & reddere sententiam. Legit Capnio clara voce, & addit interpretationem, cumque & sonus pronunciationis non esset agrestis, & sententia recte & bonis verbis reddita esset, animaduertit Argyropilus non admodum Tyronem esse in lingua Græca, & gemens exclamat: Græcia nostro exilio transuolauit Alpes. Didicerat autem Capnio Græcæ linguæ rudimenta primum in Gallia pręceptore Hermonymo Spartiata Græco, qui secundus à Gregorio Typhernate in ea regione literas Græcas velut à morte resuscitauit. Venerat enim non multo ante Lutetiam Gregorius Typhernas è schola Emanuelis Chrysoloræ & suo consilio ad Rectorem accedens operam Academiæ obtulit in docenda Græca lingua, ac *διδακτρον* decernendum sibi postulauit iuxta decretum, quod extat in iure Pontificio. Rector, etsi miratus est hominis peregrini audaciam, tamen ad consilium retulit. Ibi laudata est voluntas Typhernatis, & decretum stipendium, vt Græce doceret. Ita tunc Græca lingua post multa secula Lutetiam deducta est.

Congressus Capnionis cum Argyropilo.

Gregorius Typhernas.

Post Argyropilum studia Græcæ linguæ in Florentina schola gubernauit Demetrius Chalcondyles, Atticus homo, sed inde pugnaci & sæua ambitione Politiani eiectus, Mediolanum se contulit. Fuere pręter hos & alii exules Gręci in Italia homines docti, vt Marcus Musurus Cretensis, & qui nobilitate natalium ac generis splendore cunctos superauit Iohannes Lascares, è Lascarina Imperatoria stirpe ortus, quo Laurentius Medices Florentinus Legato vsus ad Baiazetem secundum, impetrauit, vt liceret ei tuto abditas Græciæ Bibliothecas perscrutari, & conquirere in omnibus artibus atq; disciplinis, de Ecclesiæ doctrina & historiis scripta volumina, inq; Italiam transferre, de quibus collecta præcipue atq; instructa est Bibliotheca Mediceorum Florentiæ. His initiis renatæ sunt literæ Græcæ in Italia, quæ mox cum auidissime expeterẽtur, & certatim acerrimo studio colerentur, prosperrimo successu late sparsæ, & magnam lucem artibus omnibus & ad repurgationem doctrinæ Ecclesiasticæ sordibus monastici cœni obrutæ momenti plurimum attulerunt. *Hactenus Melanthon.*

Chalcondyles.

Musurus.

Lascares.

Bibliotheca Mediceorũ Florentiæ.

F.Q. Bibliothecæ Florentinæ audio ex allegata Melanthonis historia lite-

haruspices pronunciarunt, templum Apollinis excitasse addita porticu cum Bibliothecis Latinis Græcisque idem auctor testatur *in Octauio, capit. 29.* quas à manubiis Dalmatarum protinus subactorum extructas, & à sororis nomine Octauianas nuncupatas Dio asserit *lib. 49.* Sed & Bibliothecas Romæ incendio absumptas, Domitianum impensissime reparari curasse, idem Suet. prodidit *in Octau. cap. 20.* exemplaribus vndiq; petitis missisq; Alexandriam, qui describerent emēdarentque. Sed Alexandrina illa Bibliotheca postea bello Alexandrino priore, dum diripitur ea ciuitas, non sponte, neque opera consulta, sed à militibus forte auxiliariis incensa simul arsit, *Gell. lib. 16. capit. 17.* Refert præterea Andr. Palladius *de antiq. vrbis Romæ*, Bibliothecas Romę fuisse 37. Sed in his præcipuam tamen Augustam, siue Octauianam, Gordianam & Vlpiam, ab Vlpio Traiano instructam. Luculli quoque Bibliothecam insignem vtriusque linguæ libris refertam, atque omnibus obuiam & patentem fuisse scribit Budæus *de Asse & partibus eius, lib. 2.* Et de aliis quoque Bibliothecis vide Chassanæum in Catalogo gloriæ mundi, *par. 12. consid. 75.*

EQ. Constantinus Magnus Imp. cum superiores Imperatores plurimos libros extinxissent, suis impensis bibliothecas omnes Constantinopoli instaurauit: quas quoque Bibliothecas diligenter post eum accurauit Valens Imper. vt constat ex eius rescripto ad Clearchum eius Vrbis Præfectum: *Antiquarios, inquit, ad bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetustate reparandos, quatuor Græcos, & tres Latinos scribendi peritos, legi iubemus.* Quæ Bibliotheca in tantum sensim excreuit numerum, vt tricena & tria millia librorum contineret. Frāciscus I. apud S. Victorem, neq; non in arce Fontanæ bleo, conquisitis ex media Græcia, atque Arabia infinitis prope nodum libris locupletissimas instruxit Bibliothecas. Matthias Coruinus Hungariæ Rex Budæ bibliothecam similiter longe instructissimam instituit, neque dignam certe, quæ ab impio Christiani nominis hoste, Vrbe capta, dissiparetur.

TH. Principes melioris notæ & litteraturæ, eam in otio Reipubl. suscipere cogitationem solent, vt in publicum vsum bibliothecas libris omnigenis refertas instituant. Fuitque hoc vetustissimus temporibus sapientissimorum Regum & Principum singulare studium ac opus, vt Bibliothecis conderent, tanquam castella quædam & armamentaria sapientiæ; in quibus non solum ex auro argentoue, aut certe ex ære (vt Plinius eleganter & summa cum amœnitate prodidit, *lib. 35. cap. 2.*) dicantur illi, quorum immortales animæ in iisdem locis ibi loquuntur: quinimo etiam quæ non sunt, finguntur, pariuntque desideria non traditi vultus, sicut Homero euenit; quo maius, vt equidem arbitror, nullum est felicitatis specimen, quam semper omnes scire cupere, qualis fuerit aliquis. *Bibliothecarum structores.*

PH. Maxime ergo efferendi sunt viri illi, qui doctissimorum hominum scripta maximis impensis & sumptibus prorsus incredibilibus anxie & solicite vndiq; conquirunt, quo Rempub. iis præsidiis communiant, quæ posteris seculis profutura sint, & vnde omnis vitæ lepor humanitatisq; pendeat. In quibus nemo palmam præripuerit Ptolomæo illi Philadelpho: à quo non tantum ingens librorum numerus ad millia ferme voluminum septingenta vel conquisitus vel confectus fuit, vt Gellius scriptum reliquit, *lib. 6. cap* 17. Sed & Atheniensibus annonæ penuria pressis non prius alimenta concessa, quam sibi Tragœdiarum Sophoclis, Euripidis & Æschyli autographorum potestatem fecissent. Pro quibus tamen, præter vectigalium immunitatem XV talenta iisdem oppigneravit, & eadem postea cum exscriptis exemplaribus illis donavit. Quo Ptolomæi facto nullum generosius putat Melchior Guilandinus *in tractat. de papyro, membro 6.*

Ptolomæi Philadelphi Bibliotheca.

EQ. Regnante hoc Ptolomæo Philadelpho pax in Ægypto fuit. Cumq; antea in Ægypto doctrinarum possessio tantum apud Sacerdotes esset, & lingua & literis Ægyptiis contineretur, huius Regis consilio doctrinæ in Græcam linguam translatæ sunt, & instituta sunt studia Alexandriæ, vbi deinceps communia fuerunt omnibus discere volentibus, & Rex vndique doctos viros accersiuit. Bibliothecam instruxit copiosissimam, & inquisiuit apud multas gentes vetera monumenta. Quare Callimachus librum scripsit de gentium originibus & migrationibus, & veterum vrbium conditoribus & regibus, quo libro amisso multæ veteres historiæ interciderunt.

Quia vero intellexit Ptolomæus, habere Iudæos vetustam Patrum sedem, & viuit legem Iudæorum maxime congruere rationi de vnitate Dei & de honestis moribus, curauit & Iudæorum libros in Græcam linguam transfundi. Quare ad Eleasarum summum Sacerdotem, & vasa quæ olim in Iudæa ablata erant, & alia splendida dona misit, & ad se mitti interpretes petiuit. Missi sunt igitur duo & septuaginta viri, qui Moysen & cæterorum Prophetarum libros, & haud dubie multa alia monumenta in Græcam linguam transtulerunt. Ita libri Prophetici multis gentib. facti sunt notiores, & propagata latius vera de Deo doctrina. Et cognitis monumentis Iudæorum Rex Ptolomæus amauit istam gentem, vt libertatem captiuis Iudæis in Ægypto donauerit.

Huius igitur Regis Ptolomæi Philadelphi labore & munificentia generi humano restituta sunt & late propagata doctrinarum studia. Ac sic adiuuisse notum esse consiliis doctissimorum hominum, Aristæi, Stratonis & Demetrii Phalerensis, qui apud eum exul fuit, pulsus Athenis. Fuerunt apud eum & alii docti viri, Callimachus, Apollonius, Aratus, Bion, Theocritus, Conon & Hipparchus Mathematici.

PH. Studia doctrinarum instituta Philadelphi tempore, maxime floruerunt Alexandriæ regnante Euergete, qui & erga Iudæos beneficus fuit. Fuit

ista-

tempore collegit in Ægypto Iesus filius Syrach, sententias, quæ adhuc extant, quas inquit ab auo suo scriptas, sed à sese auctas, & in Græcum sermonem translatas esse.

TH. Cum digna admodum cognitu sit translationis Bibliorum in Græcum sermonem historia; ego ex Iosepho, *Antiquit. Iudaic. lib. 12. cap. 2.* eam aliquanto altius repetam. Sic autem Iosephus in allegato capite: Demetrius Phalereus (inquit) regiarum Bibliothecarum præfectus dabat operam, vt si fieri posset, omnes totius orbis libros colligeret, coemens quotquot vbicunq; audisset cognitu dignos, aut cupiditati Regis gratos, cuius præcipuum erat in congerendis codicibus studium. hic rogatus aliquando à Rege quam multa millia iam comparasset, ait se iam habere circiter ducenta millia, sed breui habiturum quingenta millia: præterea compertum sibi certis iudiciis multos esse apud Iudæos qui leges eorum scriptas contineant, dignos cognitu & bibliotheca regia: esseque scriptos ipsorum lingua & literis, & exhibituros negotium his, qui velint eos in Græcum sermonem vertere. Videri quidem quandam cum Syrorum lingua & charactere similitudinem, habere tamen multa peculiaria. Nihil igitur vetare, quin & illa ex Hebræo traducta, cum non desint sumptus, in bibliothecam suam referat. Tum rex collaudato Demetrii circa conquirendos libros studio, scribit Iudæorum Pontifici, vt curet hoc negotium ex sententia confici. *Hæc Iosephus.*

Bibliorum in Græcum sermonem translatio.

Interea Aristæus vnus ex intimis regis amicis, cum iam dudum animum haberet rogare Regem, vt Iudæos in suo regno libertati restitueret, ratus adesse iam optimam occasionem supplicandi, regem præuia aliorum quoq; intercessione, desuper adiit, rogauit, edictumque regium de Iudæorum libertate a rege impetrauit. Hæc (allego nunc denuo verba Iosephi) vbi ex sententia regis magnifice sint peracta, iussit Demetrium euulgare decretum de transscribendis Iudæorum codicibus, nihil enim temere fiebat à Regibus, sed omnia diligenter præmeditata, quapropter & suggestionis exemplar & epistolarum in commentarios relatum est, & multitudo missorum donariorum, & quod à quoquo factum est, vt primo aspectu pateat ex ipsis operibus tam autorum quam artificum præstãtia. Suggestionis sane exemplar fuit tale: Regi magno Demetrius. Quia mandasti Rex, vt quod deest tuæ bibliothecæ suppleamus, & libros, qui hactenus nostram inquisitionem effugerunt, perquiramus, nihil mihi ad summam circa hoc negocium diligentiam reliquum faciens, scire te velim inter eos, quos adhuc desideramus, esse Iudæorum legis codices. Hebraicis enim characteribus & vernacula ipsorum lingua scripti cum sint, intelligi à nobis non possunt, sunt etiam negligentius quam par est habiti, eo quod nondum eis Regia prouidentia contigit. necesse est autem, vt & hos habeas diligenter accuratos. Sapientiorem enim & sinceriorem legislationem continent, vtpote diuinitus proditam. Et hæc est

causa, vt Hecatæus Abderita refert, cur nullus vel poeta, vel historicus mentionem eius legis faciat, aut virorũ, qui iuxta eius præscriptum res suas administrauerunt: quod sacrosancta sit, & profano ore tractari non debeat. Itaque si idem tibi videbitur Rex, scribes Iudæorum Pontifici, vt mittat senos ex singulis tribubus seniores, legum earum peritissimos, ex quorum interpretatione apertum ac consonum sensum eorum librorum accipientes, dignum aliquid tuo desiderio colligamus. Ad hanc igitur suggestionem, iussit Rex [illegible], vt ad Eleazarum Iudæorum Pontificem, de hac re scriberent, simulq; per easdem literas certiorem facerent de Iudæis per Ægyptum pristinæ libertati redditis. præterea ad faciendos crateres & phialas ac libatoria, misit auri talenta quinquaginta, & gemmarum copiosam multitudinem: iussitq; custodes Arcarum, in quibus gẽmæ seruabantur, liberam artificibus electionem permittere. mandauit etiam pecuniæ pro sacrificiis & reliquis templi vsibus, centum talenta erogari. Dicam autem & opera & eorum ornatum, vbi primũ exposuero exemplar epistolæ scriptæ ad Eleazarum Pontificem, qui hoc Sacerdotii fastigium hoc modo consecutus est. Onia Pontifice defuncto, filius eius Simon successit, Iustus cognominatus, quod & Deum pie coleret, & ciues summa prosequeretur beneuolẽtia. Quo mortuo superstite vnico filio paruulo, frater eius Eleazarus, de quo nunc est mẽtio, Pontificatũ assumpsit: cui Ptolomæus hoc modo scripsit. Rex Ptolomæus Eleazaro Pontifici salutem. Multis Iudæis in regno meo degentib. quos Persæ, dum rerum potirentur, captiuos eo pertraxerant, pater meus eos in precio habuit, aliorum opera in militia vsus amplis stipendiis conductorum, aliis etiam castellorum custodia per Ægyptum assignata, vt essent terrori indigenis. Ego vero postquã principatũ adeptus sum, cum in cæteros benignitate sum vsus, tum maxime in tuos ciues: quorum supra centum millia in libertatem vindicaui, restitutis de meo preciis eorũ possessorib. ex his per ætatem idoneos allegi in militiam nonnullos quorum fides id mereri videbatur, inter aulicos meos accẽsui, ratus nullum gratius me Deo posse offerre donarium, pro ea prouidentia qua me dignatus est rebus præficere. Ergo vt & his & reliquis per totum orbem Iudæis gratum faciam, visum est mihi legem vestram in Græcã linguam vertere, & ita versam in bibliothecã meam reponere. Bene igitur facies, si idoneorum delectu per tribus habito, ex vnaquaq; sex viros bonos iam seniores ad nos miseris, qui per ætatem legum periti, possint præstare bonos interpretes. Spero enim, si hoc ex sententia successerit, maximam gloriam nos inde acquisituros. Mitto autem qui tecum de hac re agant, Andream præfectum satellitum, & Aristæum, mihi carissimos: per quos etiam primitias donariorum templi & victimarum misimus, talenta argenti centum. Rescribes autem quicquid volueris, facturus nobis rem gratissimam. Hac epistola accepta, Eleazarus rescripsit quam potuit luculentissime. Pontifex Eleazarus Regi Ptolomæo salutem. Si vales cum Regina Ar-

na Arsinoe communibusque liberis, nostræ quoque res se habent optime. Acceptis tuis literis, gauisi sumus plurimum ob egregiam tuam voluntatem: aduocataque concione eas legimus, testes pietatis, qua colis Deum maximum. ostendimus etiam phialas quas misisti aureas viginti, argenteas triginta, & crateras quinque, & mensam dedicandam, centumque illa talenta, quæ in victimas & alios templi vsus attulerunt Andreas & Aristæus, amici tui carissimi, viri boni ac docti, tuaque amicitia dignissimi. quare scito nos tibi gratificaturos, etiam si quid præter ingenium nostrum facere oporteat. prouocati enim beneficiis in ciues nostros collatis non debemus segnes esse ad referendam gratiam. Quamobrem continuo pro te, sororeque tua, & liberis & amicis, hostias obtulimus, & populus vota fecit pro felici rerum tuarum successu, & pro pacato regni tui statu: vtque hæc legis versio, tam felix tibi sit, quam cupis maxime. Delegimus etiam senes per tribus presbyteros, quos ad te cum lege misimus. tuæ autem pietatis erit ac iustitiæ, vt transcripta lege ad nos eam tuto remittas, vna cum eius deportatoribus. bene vale, quæ rescripsit Pontifex. *Hactenus Iosephus.*

Cæterum post prolixam donorum à Ptolomæo rege, templo Hierosolymitano missorum, Mensæ nimirum aureæ, craterarum duarum aurearum, craterarum argentearum, & triginta phialarum, descriptionem, Iosephus porro sic recenset.

Atque hæc sunt (inquit) donaria ab hoc Rege ad Hierosolymitanum templum transmissa. Quibus consecratis Pontifex Eleazarus, & honorifice tractatis qui attulerant, non sine muneribus ad Regem eos remisit. Hi postquam Alexandriam sunt reuersi, Rex cognito eorum simul & septuaginta seniorum aduentu, confestim legatos Andream & Aristæum acciuit: ab eisq; & epistolam Pontificis recepit, & multa præterea sciscitando didicit. Et cum vehementer cuperet congredi cum septuaginta senioribus, qui Hierosolymis ad interpretandam legem venerant, quicunque priuatorum negociorũ causa expetebant eius colloquium, præter morem suum dimitti iussit. hos enim quinto quoque die solebat admittere, sicut legatos semel in mense. tunc vero illis dimissis ab Eleazaro missos expectabat. vt vero senes illi venerunt cum muneribus à Pontifice missis, & cum membranis, quæ legem aureis literis inscriptam continebant, primum de libris eos rogauit. vt vero ex inuolucris depromptos obtulerunt, multum diuque miratus membranæ subtilitatem, & commissuras quæ ita latebant, vt visu discerni non possent, gratias se illis habere dixit qui venerint, & maiores etiam ei qui miserit, sed longe maximas Deo, cuius leges attulerint. cumque seniores eorumque comites vno ore omnia fausta Regi acclamassent, præ nimia lætitia lachrymas non continuit, quæ quidẽ mœroris insignia etiam magnũ gaudium consequi natura voluit, iussisq; libros accipere, quorum hoc erat officium, tum demũ viros

viros salutauit, præfatus æquum fuisse, vt prius de ea re, propter quam acciti fuerant percontatus, deinde illos quoque compellare, diem quo [illegible] vs eorum tam gratum sibi confessus est, vt quoad viueret per singulos [illegible] deuntem eius memoriam colere se velle promitteret. forte enim e[illegible] qua Antigonum nauali prælio vicerat, voluitque vt conuiuæ sibi [illegible] & diuersoria mandauit eis assignari sub ipsa arce pulcherrima. Nicanor [illegible] qui excipiendis hospitibus præerat, Dorotheum eos curare [illegible] parare cuique ad victum pertinentia. Sic enim Rex disposuerat, vt ex ci[illegible]tatibus, quæ in ratione victus aliquid peculiare haberent, venientibus more ipsorum omnia pararentur: vt tractati more consueto suauius viuerent & nulla in hoc nouitate offenderentur. quod honoris his quoque [illegible] est, Dorotheo hac cura commissa, quod is callebat morem quo solerent viuere. quamobrem omnia per se administrauit quæ ad illos accipiendos facerent. Ac primum duos accubitus statuit Rege ita iubente, qui volebat dimidiam eorum partem ad extremam suam discumbere, reliquam vero post ipsum ordine, nihil omittens ad honorem eorum pertinens. postquam autem discubitum est, iussit Dorotheum illis ministrare, sicut solebat hospitibus ad se à Iudæa venientibus. quapropter præconibus & sacrificulis aliisque id genus quorum est à suis precatiunculis auspicari conuiuium, locus hic non [illegible] sed vnum ex conuiuarum numero Sacerdotem Elisæum nomine, precatione mensam consecrare ipse Rex iussit: qui stans in medio precatus est omnia fausta Regi, simulatque subditis: applausumque & acclamatum est ab omnibus libenti ac hilari animo, quo facto fruebantur appositis. cumque Rex [illegible]luisset quantum satis visum est cœpit philosophari, proponens [illegible] quæstionem aliquam de natura subtili disquisitione dignam. illis vero [illegible] ad quidlibet respondentibus, delectatus eorum cõsuetudine per duodecim dies instaurauit conuiuium. Si quis autem cupit cognoscere quæstiones agitatas in eo conuiuio, legat Aristæi librum, quem hoc argumento conscripsit. Quos sermones cum non solum Rex admiratus esset, sed Menedemus etiam philosophus fateretur omnia gubernare prouidentiam, eoque facilius tueri hanc sententiam, finis est huic quæstioni impositus. Rex vero iam [illegible]betem ex eorum aduentu fructum percepisse fassus est, per quos [illegible] quomodo regnum administrare oporteat: iussitque datis prius [illegible] ternis talentis, deduci eos in diuersorium. Quarto deinde die Demetrius assumptis eis transiuit aggerem illum septem stadiorum & pontem [illegible] continenti adiungit, & progressus ad septentrionale littus, assignauit [illegible] domum remotam à strepitu, & contemplationi rerum idoneam [illegible] vt quandoquidem ad opus iam ita instructi sint, vt nihil desiderent amplius, ordiantur interpretationem feliciter. Illi vero non parcentes labori, quam poterant accuratissime interpretabantur, vsque horam nonam [illegible]dentes operi:

peri reliquum deinde temporis curando corpori dabant, præter aliam copiam etiam de Regi paratis cibis partes afferente Dorotheo, ita vt mandatū ei fuerat. mane autem Regiam ingressi, salutato Rege in eundem locum ad institutum negocium se referebant: quod marinis aquis ablutis manib. prius mundati aggrediebantur. Versione autem legis intra septuaginta duos dies absoluta, Demetrius aduocatis omnib. Iudæis in locum vbi versa fuerat, præsentibus etiam interpretibus, perlegit codicem. concio vero & seniorum interpretationē approbauit, & Demetrium ipsum collaudauit, cuius suggestionis occasione maxima bona percepisset: rogauitque, vt etiam optimatibus eorum copia legendi fieret. Deinde & Sacerdos & seniores interpretum & magistratus populi postulauerunt, quandoquidem feliciter absoluta esset hæc interpretatio, vt rata permaneat, nihilque ex ea mutari liceat. quæ sententia, cum omnibus placuisset, iusserunt vt prius, si quis aliquid deprehenderet, vel superesse legi vel deesse, diligentius inspectum & indicatum corrigeret, quando consultum esset, vt res semel approbata rata esset in perpetuum. Quamobrem Rex multum gauisus est, videns hinc quoq; suam voluntatem in publicum cessisse commodum: sed maiorem etiam percepit voluptatem dum sibi lex legeretur, non sine admiratione legislatoris sapientiæ: cœpitq; de ea re conferre cum Demetrio, rogans qui factum sit, vt tam admirādarum legum, nec historicus vllus nec poeta mentionem fecerit. Tum Demetrius respondit, neminem ausum eam attingere, quam constaret diuinam esse, & omni veneratione dignissimam: & punitos esse quosdam à cœlesti numine, qui illam temere attrectare non sint veriti: Theopompum enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus XXX. & per interualla insaniæ precibus Deum placasse, facile coniicientem, quæ morbi causa fuerit, atque etiam in somniis admonitum hæc ideo pati, quod fuisset circa res diuinas curiosior, easq; voluisset proferre profanis hominibus. quare cum à cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodectæ etiam Poetæ, cum in quadam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos eal gisse: & cum erratum agnouisset, exorato Deo redditam aciem. acceptos deinde à Demetrio libros Rex cum adorasset, asseruari iussit diligenter, vt incorrupti manerent: rogauitque interpretes, vt crebro è Iudæa venientes ipsum inuiserent. id enim eis non minus commodum fore, quam honorificum. Nunc enim æquum esse, vt remittantur: Sed si vltro ad eum venerint, consecuturos, quicquid vel ipsorum sapientia dignum sit, vel regia munificentia. Tunc quoque remissi sunt donati ternis vestibus optimis, & binis auri talentis, singulisque vnius talenti calicibus, & toris discubitoriis. Præterea Pontifici per eosdem misit decem lectos cum argentis pedibus cum competenti apparatu, & calicem talentorum triginta: ad hæc decem vestes purpureas, & coronam insignem, & telas byssinas

centum, præterea phialas & trullas & libatoria, & crateras duas Deo dicandas, rogauitque eum per literas, vt si quis ex his viris vellet ad ipsum venire, permitteret, quandoquidem plurimi faceret cum doctis consuetudinem, & dimitias libenter in eiusmodi insumeret. Atque hæc sunt in Iudæorum honorem a Philadelpho exhibita. *Hactenus Iosephus.*

EQ. Fuit certe isthæc Ptolomæi Philadelphi vere regia magnificentia, qualem vel ipse Alexander Magnus nunquam exhibuit, exhibiturus tamen haud dubie fuisset, si quidem tam mature non fuisset coactus subire corporis & animæ διάλυσιν, id est, nisi per mortem fuisset è viuis tam subito abreptus. Tyrocinia tamen interim vere regia eiusce magnificentiæ dum viueret, exhibuit, dum inter cætera maximos sumptus in inquisitionem historiæ animalium impenderet; quinetiam Homeri libros potiores quam quosuis thesauros iudicaret, id quod vel inde apparet. Namque (referente Plinio *lib.7.cap.29.*) inter spolia Darii Persarum regis, vnguentorum scrinio capto, quod erat auro gemmisque & margaritis pretiosum, varios eius vsus amicis demonstrantibus (quando tædebat vnguenti bellatorem & militia sordidum) imo hercule inquit, librorum Homeri custodiæ detur: vt pretiosissimum animi humani opus, quam maxime diuiti opere seruaretur.

Homerus apud Alex. M. in magno pretio.

PH. Sed neque id quod laudabiliter admodum de Octauio Augusto refertur, silentio est prætereundum. Petierat Virgilius postrema voce ab Octauio Augusto, vt poemata sua igni cremarentur. At quam polito, quam graui carmine Romanorum Monarcha sapientissimus & felicissimus eius opera, ab incendio vindicata, immortalitati consecrauit?

Virgilii opera ab Augusto seruata.

Imo sit æternum (ait) tota resonante Camæna
Carmen, & in populo diui sub numine nomen
Laudetur, vigeat, placeat, relegatur, ametur.

Cæterum hoc obiter monuerim, Bibliothecas ex Vitruuii præcepto, ad Orientem spectare debere. Vsus enim matutinum postulat lumen: & in huiusmodi Bibliothecis libri non putrescent. Nam in his quæ ad meridiem & occidentem spectant, à tineis & humore vitiantur, quod venti humidi aduenientes procreant eas & alunt, infundentesque humidos spiritus pallore volumina corrumpunt. *Vitruuius lib.6. Architect. cap.7.*

Bibliotheca versus orientem extruenda.

EQ. Obiter hic quæro, an expediat habere Bibliothecam multitudine & varietate librorum instructam, an vero sufficiat, habere libros paucos.

Paucos an multos habere libros expediat.

Multos habere libros minime expedit, quoniam multorum librorum atque adeo Auctorum, & omnis generis voluminum aliquid habet vagum & insta-

& instabile. Nam, vt Seneca dicit, nusquam est qui vbique est. Et vitam in peregrinatione agentib. hoc euenit, vt multa habeant hospitia, amicitias nullas: nec prodest cibus sumptus, qui statim eiicitur: nec conualescit planta, quæ sæpe transfertur: nihil est ita vtile, quod in transitu prodest: & nihil ita impedit sanitatem, sicut crebra remediorum mutatio: quia non venit ad cicatricem vulnus, in quo plura tentantur remedia, & fastidientis stomachi est multa degustate. Quia vbi varia sunt & diuersa, inquinant & nō alunt. In quam sententiam idem Seneca *in lib. de beneficiis, cap.* III. Plus, inquit, solet prodesse, si pauca præcepta teneas, & illa in promptu habeas, quam si multa didiceris, & illa in promptu non habeas. Vnde etiam Ecclesiast. *cap. vlt.* legitur: *Fastidientis & non proficientis est, omnia circuire: & faciendi plures libros nullus est finis.* Vide etiam Ioan. Fabrum *in proœm. Inst. col.* 2. *Pract. Papien. in proœm. Practica, Matthæum Bosium Epist.* II. *incip. Placentia, char.* 2. *Nauim stultiferam car.* II. *de inutilitate librorum.*

EQ. Imo vero, quia fragilis est hominum memoria, & rerum turbine non sufficiens, & quantum recipit, tantum necesse est, vt amittat, vt ait Seneca. Omnium namq; habere memoriam, diuinitatis potius est, quam humanitatis, *l.* 2. *§. si quod. C. de vet. iure enuclean.* proinde omnino necessaria est librorum copia. Vnde etiam Hieronymus Epist 40. *Vtinam* (inquit) *omnium tractatorum haberem volumina, vt tarditatem ingenii eruditionis diligentia compensarem.* Haurit enim aquā cribro, qui discere vult sine libro, vt vetus versificator ait. Et Cato: *Multa legas facito, perlectis perlege multa.* Et Hier. *Multa in manu recipio, vt à multis multa cognoscā.* Nam vt sapiens dicit: *Vir in multis expertus multa cogitat: qui autē nō est expertus, quid scit?* quasi dicat, nihil. Vnde narrat Augustinus, quod licet Plato egenus esset pecuniæ, tamen tres libros Pythagorici philosophi decem millib. denariorum emerit. Et idem narrat de Aristotele, quod emerit libros Platonis post mortem suam talentis Atticis tribus, quod est, secundum nostrā computationem, sextertia & duo millia. Et narratur de B. Thoma, quod dixerit, se malle habere Chrysostomum super Matthæum, quam ciuitatem Parisiensem. Qua in re Hispani admodum sunt curiosi. Vnde narrat Ioan. quod Hispani volentes habere copiam librorum, inuitarunt eum & dederunt ei vinum rubrum mixtum cum albo, vt inebriatus commodaret eis libros, quod ipse notat *C. de dolo. l. dolum.*

PH. Alia Scholaris, alia Doctoris est ratio. Illi enim sufficiunt nudi textus, & vna vel duę lecturę. At in doctore secus est, quippe cui multos habere libros expedit. Vnde Felinus *in c. omnes leges* I. *distinct. col.* 3. inuehit contra auaros, qui contenti libris impressis non emunt lecturas antiquorum: & dicit, quod nihil sciunt, quia fontem ignorant. & Augustinus de Arimino *in addit. ad Angel. in maleficiis, in ver. fama publica, col.* 5. dicit, quod multi sunt Doctores,

tanquam pictores, qui nolunt emere libros, sed viuunt super additionibus & apostillis aliorum, & nedum errant in quotis & decisionibus legum, sed etiam in libris. Huc facit, quod Barbat. *in c. clerici, col. 6. de iud.* dicit, quod si Doctor non habet libros necessarios ad artem suam, nō gaudet priuilegio Doctoreo, nec debet dici Doctor, *Petr. Leunas. in Tract. de Doct. in 1. parte, q. 13.* Ratio est, quia, vt inquit Ioannes de Neuizanis, in causarum disputationibus aliquis adducet vnam limitationem alicuius moderni, & cum ea claudet tibi os, si illam non videris. Hinc dicit Io. Mirandula, in oratione habita in cætu Romanorum, *car. 5.* quod ab antiquis omnibus hoc obseruatum fuit, vt omne scriptorum genus euoluentes, nullas quas possent commentationes illectas præterirent. Hinc Aristoteles Lector à Platone nuncupatur. Et Ecclesiast. cap. 39. *Sapientiam* (inquit) *omnium antiquorum exquirit sapiens.* qua ratione Cato à Cicerone laudatur *lib. 3. de fin. bon. & mal.* quod in eo fuerit inexhausta legendi auiditas, vsque adeo vt satiari non potuerit.

TH. Extat de librorum multitudine sententia Senecæ, 1. *de Tranquil.* 9. quæ huc haud incommode referri potest. Quo mihi, inquit, innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita sua indices perlegit? Onerat discentem turba, non instruit: multoque satius est, paucis de autoribus tradere, quam errare per multos. Quadraginta millia librorum Alexandriæ arserunt, pulcherrimum regiæ opulentiæ monumentum: alius laudauerit, sicut Liuius, qui elegantiæ regum curæque egregium id opus ait fuisse. Non fuit elegantia illud aut cura, sed studiosa luxuria: imo ne studiosa quidem, quoniam non in studium, sed in spectaculum comparauerant: sunt plerisque ignaris etiam seruilium literarum, libri non studiorum instrumenta, sed cœnationum ornamenta sunt. Paretur itaque librorum quantum sais est, nihil in apparatum. Honestius, inquis, in hos impensas, quam in Corinthia pictasque tabulas effuderim. Vitiosum est vbique quod nimium est. Quid habes, cur minus ignoscas nomen marmore atque ebore captanti, quam opera conquirenti aut ignotorum autorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oscitanti, cui voluminum suorum frontes maxime placent, tituliq́; Apud desidiosissimos ergo videbis, quicquid orationum historiarumque est & tectotenus extructa loculamenta. Iam enim inter balnearia & thermas bibliotheca quoque vt necessarium domus ornamentum expolitur. Ignoscerem plane, si è studiorum nimia cupidine oriretur. Nunc ista exquisita, & cum imaginibus suis descripta sacrorum opera ingeniorum, in speciem & cultum parietum comparantur. Hactenus Seneca.

Libri scholarium priuilegiati. EQ. Liberum ego cuiuis hac in re genium relinquerem & ingenium, præsertim cum studiosorum siue scholarium libri ex singulari Imp. Friderici priuilegio ab onere vectigalium sint liberi, dicitque Horat. Lut. *priuil. 54. & 55.* quod

quod etamsi consuetum esset alicubi à scholaribus vectigal exigere, tamen hanc consuetudinem non esse attendendam, nec subsistere, vt quæ *in authen. Habita.* damnata sit. Cauere vero sibi debent scholares ne alienas res suis, in fraudem vectigalis adiiciant; fraude enim cognita, licita cum illicitis in commissum cadunt, *l.* 11. §. 2. licet de humanitate illicii ç tantum, *Sixt. cap. 6. num.* 112. *& seq.*

PH. Recitabo hic obiter vobis festinam admodum descriptionem & elegans encomium Librorum, quod extat apud Luc. de Penna *in rub. C. de nauicul. seu naucler. pub. lib.* 11. Liber, inquit, est lumen cordis & speculum corporis, virtutum repertorium, vitiorum confusorium, corona prudentum, diadema sapientum, honorificentia doctorum, clarificẽtia rectorum, comes itineris, domesticus fidelis, socius colloquentis, collega præsidentis, vas plenum sapiẽtiæ, via rectæ eloquentiæ, hortus plenus fructibus, pratum fluens floribus, mare sine fluctibus, principium intelligentiæ, fundamentum memoriæ, hostis obliuionis, amicus recordationis. Vocatus properat, iussusque festinat, rogatus respondens, fideliter obediens, contra fortunas lictor, atque verus tui ductor, hortus conclusus & fons signatus, puteus aquæ viuæ; paradisus absq; ruina, ædificans te gnarum, si reperit ignatum, nunquam patitur fastidium, etsi graues eum nimium, arcana reuelans, obscura clarificans. *Hactenus Lucas de Penna.* *Librorum festina descriptio.*

EQ. Aristoteles literas dixit, inter secunda & prospera esse ornamentum, & inter aduersa refugium; quo sensu etiam Plinius *lib. 9. Epist.* scribit, omni studioso ex studiis esse solatium. Mihi sane (inquit Corasius *in Epist. quæst. cap.* 18.) omne vitę solamen; dicam amplius, viuendi desiderium auferret, qui libros, veteres meos amicos mihi adimeret. Quo fit vt omni solatio studiosi, ne dicam docti homines, priuari videantur, quibus in custodia collocatis, studiis interdicitur. Quod pœnæ genus innuunt Tranquilli verba *in Tiberio capit.* 61. Quibusdam, inquit, custodiæ traditis, non modo studendi solatium ademptum, sed etiam sermonis & colloquii vsus. *Ex libris solamen.*

Sed enim vel tandem etiam de ipsis Academiis ac scholis, earumque fundatoribus aliquid differemus, id namque valde est necessarium iuxta atq; honorificum.

PH. Gloriosum quidem est, & valde necessarium, arces bene munitas habere, vnde hostes aduenientes, tanquam è specula possimus animaduertere; & infesta adferentem & inferentem signa arcere, propellere, cædere. At multo gloriosius magisque necessarium est, publicum quendam vrbis locum esse, in quo Duces ac milites alantur, qui impietatis Duces, virtutis & humanæ societatis destructores oppugnare, vincere, imo penitus delere possint. Amplissimum est, forum & curiam splendide extructa habere: at quanto magnificentius, Rempublicam publica æde ornatam esse, è qua innumeri viri docti omnium ordinum progrediantur. Clara est *Argentina* turri sua, quæ *Academiarũ dignitas & magnificentia.*

inter pyramides numerati poſſet,& admirabili horologio: ſed clarior eſt propter celeberrimam ſcholam. Quemadmodum in ipſo homine cor, ita in ciuitate aliqua ſchola cenſeri debet, vnde vis & vita omnis ingeniorum per vniuerſum & diffuſum illud corpus deriuatur. Ipſaq; ſchola vultum ipſum ciuitatis recipit ac facit.

TH. Non ignoratis,(vt cum Magno illo Theologo loquar) *Scholas* religionis & rerum diuinarum cuſtodiam, eſſe arcas & ſcrinia, quibus ſana doctrina reponitur; Quinimo *Linguas*, quæ in ſcholis docentur, eſſe *capſas*, in quibus incluſæ ſunt artes & vniuerſa ſapientia; eſſe *vaginas*, in quibus gladius ſpiritus, verbum Dei, eſt inſertus; eſſe *thecas repoſitorias*, quæ hoc nobile κειμήλιον adſeruant; eſſe *pocula*, quibus ſalubrem verbi diuini potionem exceptam circumferimus: eſſe *cellas promptuarias*, ex quibus Euangelica cibaria depromimus; eſſe *cophinos*, in quibus panes vna cum piſcibus adeoque reliquiarum fragmenta, ne pereant, cuſtodiuntur. Quocirca etiam Templa ſibi ſcholas vel contiguas, vel non procul diſſitas habere cernimus; Vt nimirum ex conſtructione etiam ædificiorum oſtendatur ſumma affinitas & cognatio, quæ ſcholis intercedit cum Eccleſiis: ſiue ὁμόνοιαν atque ἀναλογίαν in docendi munere, vel conſtitutionem miniſterii ex perſonis in ludo literario pietatem veram atque alias virtutes fideliter edoctis ſpectemus. Hinc recte etiam dicitur: Quod concionator in ſuggeſtu templi eſt: id Præceptor ſiue Profeſſor in cathedra ſcholæ.

Nec Eccleſiæ tantum ſeminarium ſunt ſcholæ, ſed etiam Reipublicæ plantarium. Hinc enim Curia virtutem ac prudentiam capit, tribunal iuſtitiam & æquitatem accipit, ciuilis ſocietas omnia & ornamenta ac præſidia ſua deſumit. In ſcholis enim tanquam in Spiritus ſancti officinis, ingenia puerorum tanquam ſua natura rudia, inculta, praua, diſtorta, impia erudiuntur: diſciplinis excoluntur, virtutibus ornantur, veræ pietatis ſuccum ac fructum cum lacte quaſi materno exugunt ac imbibunt. Ita ſancte, honeſte, commode viuere diſcunt, & Eccleſiæ ac Reipublicæ tandem vſui eſſe poſſunt.

Imo Scholæ ſunt *aluearia*, vnde in omnes vitæ communis conditiones, apes mellificium facientes emittuntur. Ex Scholis, tanquam ex equo Troiano, catervatim proſiliunt, & in publicum prodeunt ἀγαθοὶ ἄνδρες, κοινὰ ἀγαθά. In ſcholis omnis alicuius regionis ſpes, tanquam in herbis eſt, omne robur ac præſidium vrbium eſt. Scholæ vbi pie ſunt inſtitutæ ac florent, vere ſunt ſurculi illi, quibus inſigniter ac mire gaudeat tota natio, vt Vates regius docet. Vt ſemel dicam quod volo, ſcholæ ſunt velut

alter

alter in terris *Paradisus*, qui vere est hortus ille *Eden*, hoc est, ἡδονῆς καὶ ἀναπαύσεως, in quo est vera voluptas, cuius comparatione reliqua fere omnia in terris sunt *Nod*, id est, fluctus & inquietudo, vel potius periculosa nimium inquietatio, vt Liuiana vtar emphasi. Quemadmodum ex hortis omnis generis fructus, flores, herbulæ, radices fragrantissimi odoris proueniunt, quæ non solum ad ornatum adhibentur, sed quibus etiam graues fœtores fugantur, & spiritus recreantur: ita in Scholis recte institutis ac constitutis plantulæ sunt consitæ, quæ paulatim succrescunt, temporis successu florent, toti regioni fructum & odorem suauissimum spirant, imo totam societatem hominum. quæ doctorum virorum virtute fulta sustinetur, conseruant. Quid aliud est studiosa iuuentus, nisi tenelli quidam *surculi* & frutices spirituali Paradiso inserti, qui cum adolescunt, & in fructiferas arbores euadunt, in agrum cælestis Paradisi transferuntur, fructum illic immortalem Deo edituri? Quid, quæso, rerum cognitio, quæ in scholis proponitur, nisi fœcunda quædam scientiæ arbor, cuius radices amaræ quidem, fructus vero dulcissimi? *Arbor vitæ* Christus est, à quo Scholæ omnes vitam & virtutem suam depromunt. Is Scholarcha, is summus scholarum patronus & Rector existit, cui totus literatorum grex curæ est ac cordi.

EQ. Felix es in vsurpandis atque accommodandis allegoriis. Cæterum, quum scholam quamlibet siue Academiam, rite ac pie institutam, Paradisum esse dixeris, in quo Christus hortulanus est; proinde vt fontem etiam, quo paradisus hic scholasticus adaquatur ac fœcundatur, commonstres, votum nostrum est.

TH. Fons huius paradisi scholastici est illud doctrinarum omnium pelagus, quod in quatuor se diffundit riuulos, *Philosophiam, Medicinam, Iurisprudentiam, Theologiam*. Hæc quatuor sunt Paradisi scholastici flumina, quibus feracissimus hic hortulus irrigatur: sicut quatuor Paradisi flumina, *Pischon, Gichon, Chiddekel & Euphrates*, sua irrigatione amplissimas regiones fœcundarunt, & variarum prouentu rerum vberes ac fructuosos reddiderunt. Hic *amœnissima Thessaliæ tempe*, limpidissimis fontibus irrigua. Hic *Castalius* ille *Musarum fons*, ex quo omnes illi, qui *Parnassum scholasticum* conscendere, & cum *Apolline* ac *Musis* conuersari volunt, limpidam sapientiæ aquam haurire oportet. Et dulcissima est scholarum appellatio, qua in sancta lingua *Maxorim*, id est, *fontes* ac *diuisores* siue *distributores* nominantur, ex quibus riui alio deriuentur, ita vt obstructis horum, vt sic loquar, distributorum foraminibus, necesse sit riuos vel nullos, vel omnino aliunde impuris aquis fœdatos & turbefactos esse. Ex his *distributoribus omnes artes bonæ*, quas omnium bonorum fontes

Schola atque Academia paradiso comparantur.

fontes Xenophon nominat, in vitam humanam deriuantur. Quid vero fontes aliud, nisi perennes fluxus, vnde ad loca vicina per varios riuos aqua promanat. Ex his *distributoribus*, Ecclesiæ, Reipublicæ, Aulæ, & Oeconomiæ instruuntur, velut scriptum est in libro Iudicum: *Ex Machir descenderunt Directores, & ex Zabulon, qui gubernant calamo scriptorio*, Iud. 5.

EQ. Noli tantopere ebuccinare vmbratiles illas scholarum præeminentias; quippe quas constat sæpenumero esse, nil nisi desidiæ vmbracula, somnolentiæ cubilia, aut etiam compotationum tabernas, nequitiæ lustra, flagitiorum habitacula, discursationum, tumultuationum, dimicationum bacchanalia seu arenas; imo esse malorum lernas, atque inferni prædia, in quibus pueri, iam inde à teneris vnguiculis pro colendo & timendo Deo assuescunt nomine Domini abuti, verbum Dei habere contemptui; pro sinceræ pietatis studiis discunt mentiri, rixari, fallere mutuisque se verbis ignominiosis ac verberibus lacessere, iurare non infrequenter; pro veritatis, candoris & pudoris ingenui documentis specimina edunt hypocriseos, ὀφθαλμοδουλείας ac simulationis, & quæ his etiam nequiora, designant. Quid quod ipse D. Augustinus scholas tanquam vanas reliquit, & tanquam noxias perstringit. Vocat enim scholas superbiæ, nundinas loquacitatis, insanias mendaces, mendacii cathedras, ipsos scholarum lectores verborum venditores.

TH. Ne quid nimis, Domine, Distingue inter vsum scholarum & abusum, inter disciplinam veram ac præposterā, inter scholas pias, & omnis timoris vacuas, inter gentiles & Christianas. Statum igitur & conditionem scholarum cum Augustino, non ipsas Scholas detestare. Ille cum Religionem non inueniret in scholis, scholas deseruit, vt Religionem potius quam artes profiteretur. *Superbiæ* scholæ erant? *Modestiæ* domicilia factæ sunt. Nundinæ loquacitatis? *Tranquillæ, Suadæ* sacraria extiterunt. Insaniæ mendaces? *Bonæ mentis regulæ* euaserunt. Mendacii Cathedræ? *Veritatis quies & magisterium* successit. Verborum venditor ipse lector? *Christiana facundia promus* esse cœpit.

Scholas igitur requirimus ac commendamus, quæ cælestis veritatis sunt oracula; humanæ solertiæ, prudentiæ ac sapientiæ adyta; virtutum officinæ; linguarum, artium, disciplinarum & scientiarum mercatus; industriæ, diligentiæ ac doctrinæ gymnasia; deniq; pietatis, honestatis, humanitatis, tranquillitatis, modestiæ ac laudis curricula.

Huiusmodi scholas qui aperit, iuuat, ornat, amplificat, fouet, sustentat, is demum optime de republica vtraq; meretur; deq; eo exclamari illud tum gaudio & congratulatione vere potest,

Felices animæ, quibus hæc cognoscere primum,
Hancq; domum Musis condere cura fuit!

PH. Sum-

PH. Summa itaque laus tribuenda, summusque honos exhibendus est Regibus & Principibus, qui Academias fundarunt, (vere enim Regium ac Principale munus est, fundare Academias.) Quinimo & illis, qui fundatas conseruarunt & amplificarunt, vel collapsas restaurarunt. Æquum mehercle est, vt nomina ipsorum, ob maxima illa, quæ vniuerso terrarum orbi eo ipso exhibuerunt beneficia, celebrentur. Quinetiam plurimi interest, ad incolumitatem & decus Academiarum, ne fundatores earum liberalissimi debita iustaque laudis & præconii parte fraudentur. Nam vt Cicero in oratione pro Archia inquit: *Virtus nullam aliam mercedem laborum periculorumq; desiderat, præter hanc laudis & gloriæ.* Me itaque Academiarum orbis, earumque vna fundatorum catalogum recensentem attendite.

Academiarum in orbe Christiano fundationes.

Chaldæa prima est artium & literarum officina: quæ inde in Persidem, hinc in Indiam dissiminata est: ex India effusa est in Græciam: ex Græcia propagata est in Italiam: hinc in Galliam & Hispaniam, & tandem in Germaniam est effusa: quarum celebriores Academiæ sunt, quæ sequuntur.

Aberdonensis in Marria Scotiæ regione instituta à Guilielmo Elphinstuno Episcopo Aberdoniensi sub Iacobo III.

Altorfiana in Norico condita à Norinbergensibus & introducta A. C. 1580. 24. Augusti.

Andegauensis in Gallia, condita à Ludouico I. Duce Andegauensi, Rege Siciliæ & Neapolis.

Argentinensis in Alsatia, fundata ab Argentinensibus A. C. 1538. priuilegiis donatur 1567. 1. Maij.

Auenionensis in Gallia, condita à Pontificibus Romanis, Auenione in schismate sedentibus.

Aurelianensis in Gallia condita à Philippo Pulcro Rege Galliæ & Clemente V. Lemouice, Pontifice Romano. A. C. 1312.

Basileensis Rauracorum à Pio II. Pont. Rom. A. C. 1459.

Bononiensis in Romanula Cispadana, condita 9. Maij à Theodosio II. Imp. A. C. 423.

Cadomensis in Normandia, condita ab Henrico V. Rege Angliæ. A. C. 1418.

Cadurcensis in Gallia, à Ioanne XXII. Pont. Rom A. C. 1320.

Cantabrigiensis in Britannia à Sigisberto orientalium Anglorum Rege. A. C. 630.

Coloniensis in Vbiis cœpit cura & opera Senatus: priuilegia suppeditante Vrbano VI. Papa. A. C. 1388.

Complutensis in regno Castellæ instituta à Francisco Ximene Archiepiscopo Tolerano. Per eadem tempora Toletanam erexit Franciscus Aluarus: Hispalensem Magister Rodericus à Sancta Ælia, qui dictionarium Ecclesiasticum composuit: Granatensem Fernandus Talabricensis Hieronymianus, primus eius vrbis Antistes, quam Daualus successor, collegio & redditibus adauxit. A.C.1517.

Conimbricensis in Lusitania, à Ioanne II. Rege Portugalliæ.

Constantinopolitana à Theodosio II. Imp. instituta, 27. Febr. A. C. 425.

Cracouiensis in Polonia, à Casimiro II. Rege Poloniæ confirmata 1400. à Vladislao Iagellano A.C.1364.

Dillingana in Sueuia, fundata ab Othone Truchsessio Walpurchio, Episcopo Augustano & Cardinali. A.C.1575.

Dolana in Burgundia, à Philippo Bono Duce Burgundiæ fundata, 1. Sept. A.C.1426 florere cœpit 1484.

Duacensis in Belgio, fundata à Philippo II. Rege Hispaniæ, A. C. 1564.

Erphurdiana in Turingia, olim à Dagoberto Francorum Rege instituta, à Bonifacio IX. Pontifice Maximo priuilegiis honoratur. A. C. 1391.

Ferrariensis in Romanula Transpadana à Friderico II. Imp. in contumeliam Bononiensium instituta: confirmata à Bonifacio IIX. Papa. Alii ab Alberto Ferrariæ Duce conditam affirmant. A.C.1316.

Florentina in Hetruria, à Cosmo Medice Principe Florentino. A. C. 1448.

Francofurtiana in Marchia condita à Ioachimo I. Electore Brandeburgico 27. April. A.C.1506.

Franckerana ab ordinibus Frisiæ condita. A.C.1581.

Friburgensis in Brisgouia ab Alberto VI. Archiduce Austriæ A. C. 1460.

Giessena condita à Ludouico Hassiæ Landgrauio: introducta 7. Octob. A.C.1607.

Hafniensis in Dania, condita à Christiano III. Rege Daniæ & Noruegiæ A.C.1539.

Heidelbergensis in Comitatu Palatino Rheni condita à Ruperto Ruffo Electore Palatino: confirmata 1387.18.Oct.A.C.1346.

Herbipolensis in Francia Orientali, fundata à Ioanne Episcopo Vurciburgio: instaurata nostra ætate à Iulio Episcopo A.C.1403.

Gryphisvvaldiana in Pomerania condita à Wartislauo IX. Duce Pomeraniæ, A.C.1456. introducta, 1457.18.Oct.

Ienen-

Ienensis siue Salana in Thuringia, condita à Ioanne Friderico, I. Electore Saxoniæ A.C. 1548. introducta 1558. 2. Febr. à Ioanne Friderico II. Ioanne Guilielmo, & Ioanne Friderico III. fratribus germanis, Ducibus Saxoniæ, Landgrauiis Turingiæ, Marchionibus Misniæ.

Ingolstadiana in Bauaria, à Ludouico & Georgio, patre & filio, Ducibus inferioris Bauariæ: quorum ille (1459) egregia ei priuilegia à Pio II. Papa impetrauit: hic collegium nouum, à suo nomine Georgianum dictum, addidit. A.C. 1472.

Iulia Helmstadiana in ducatu Brunsuicensi, condita à Iulio Duce Brunsuicensi & Luneburgensi, introducta A.C. 1576. 15. Octob.

Lindifarnensis in Britannia ab Osualdo Northumbrorum Rege A. C. 640.

Lipsiensis in Misnia condita à Friderico I. Electore Saxoniæ, & introducta 12. Nou. A.C. 1409.

Louaniensis in Brabantia, à Ioanne Duce Brabantiæ. A.C. 926.

Lugdunensis Batauorum, ab ordinibus condita, 1. Febr. Anno Christi 1576.

Lugdunensis in Gallia floruit: condita à Græcis exulibus Anno Christi 830.

Marpurgensis in Hassia, condita à Philippo Hassiæ Landgrauio, 1. Iulii. A.C. 1526.

Moguntina fundata à Diethero Isenburgio, Archiepiscopo Moguntino. A. C. 1482.

Montispessulana in Gallia. A.C. 1196.

Oxoniensis in Anglia, condita ab Alfredo Rege Angliæ, Anno Christi 895.

Papiensis siue Ticinensis Insubrium in Italia, paulo post Parisiensem condita à Carolo Magno Imp. rege Italiæ & Galliæ, instaurata A.C. 1361. à Carolo IV. Imp.

Parisiensis in Gallia à Carolo Magno Imperatore & Rege Galliæ A. C. 791.

Patauina in Italia condita à Friderico III. Imp. Rom. Bononiensi gymnasio illuc translato. Sunt tamen, qui à Carolo Magno conditam esse asseuerant. A.C. 1221.

Perusina in Hetruria florere cœpit A.C. 1290.

Pisana in Hetruria instituta à Laurentio Medice, Principe Florentino, reparatur A. C. 1330.

Pragensis in Bohemia à Carolo IV. Imp. Rom. & Rege Bohemiæ. A. C. 1361.

Regiomontana in Borussia condita ab Alberto primo Marchione

Brandeburgico, primo Duce Borussiæ: introducta 17. August. A.C. 1544.

Rhemensis in Campania, condita à Carolo Guisio Cardinali Lotharingo, & Archiepiscopo Rhemensi. A.C. 1560.

Rostochiensis in ducatu Megapolensi, condita à Ioanne & Alberto primis Ducibus Megapolensibus, & pariter à Senatu Rostochiensi: A. C. 1415. florere cœpit 1419.

Salmanticensis in regno Castellæ. A.C. 1404.

Sanct Andreana in Scotia. A.C. 1411.

Senensis in Hetruria floruit: à Pio II. Pont. Rom. postea mirum in modum aucta & exornata. A.C. 1387.

Tubingensis in ducatu Wirtembergico, condita ab Eberhardo Barbato, primo Duce Wirtembergæ introducta 3. Iul j. A.C. 1477.

Viennensis in Austria à Rudolpho & Alberto III. Austriæ Archiducibus, fratribus Germanis. Quidam tamen conditam esse scribunt 1237. à Friderico II. Imp.

Visontina in Burgundia, instituta ab Antonio Peronotto, S.R.E. Cardinali, & Mechlinensi Archiepiscopo A.C. 1561.

Vratislauienses opera Vladislai Regis Vngariæ & Bohemiæ & simul Episcopi sui, Academiam erigere conati: impediuntur à Cracouiensibus, quorum instinctu Iulius Pp. priuilegia ipsis denegauit. A.C. 1505.

Witebergensis in Saxonia condita à Friderico III. Electore Saxoniæ: introducta 18. Oct. A.C. 1502.

Cæterum cura Principibus summa adhibenda, præsertim in hac postrema mundi senecta, in qua honestas disciplinas & artes liberales ab opulentioribus quoque vt plurimum negligi, quotidie experimur, vt conseruentur Academiæ. Qualis enim barbaries? qualis in moribus confusio, quam tetra non solum Dei & religionis Christianæ, sed & sacrarum legum & omnis honestatis secutura esset obliuio, si extinctis Academiis, insanorum furiosorumque hominum cupiditatibus, & monstrosis monstrosorum opinionibus omnia regerentur.

TH. Scholæ certe & Academiæ non sunt humanorum ingeniorum & humanæ sapientiæ, sed diuinæ & sapientissimæ Maiestatis salutare inuentum: in quibus doctrina cœlestis & artes necessariæ docentur & propagantur, ac vera Dei notitia incorrupte ad posteros transmittitur. In Academiis vero & scholis artes & literæ, nisi ab hominibus literarum & earum rerum expertis & exercitatis doceri & propagari nequeunt. Vt autem hi officium recte præstent, principum liberalitate ac munificentia alantur & conseruentur, necesse est.

EQ. Fran-

EQ. Franciscus I. Rex Galliæ, magno agmine Lutetiæ studiosos confluere deprehendens magna animi cura eo incubuit, qui studiosis honestam pararet recreationem. designatum est itaque ingens pratum prope vrbem ad aquam situm, vbi esset solitaria & iucunda à studiis recreatio, hic se exercebant, hic luctando, ille saltando, hic cursitando, ille pila ludendo, quibus non tam sibi, quam aliis, qui spectatum aderant, oblectamento fuerũt. His concessis strepitus armorum & tesserarum conticuit. Nimirum vt fruges non tam soli ingenio, quam cœli beneficio & temperie lætius proueniunt: ita quoque artes bonæ, eximiaque ingenia, Principum ac Magistratuum benignitate excitantur.

PH. Magnum profecto momentum affert ad Academiarum incrementum, si certæ proponantur atque exhibeantur commoditates, quibus studiosa iuuentus honeste vti frui queat; hæ namq; sui amore studiosam iuuentutem vehementius accendunt, ita vt potissimum eo nomine Academia eiusmodi à pluribus diligatur & seligatur, potiusque, hanc quam aliam frequentare studiosa iuuentus malit Academiam. Id autem fit, cum ad scholæ & artium commoditatem peculiaria quædam & honesta priuilegia insuper accedunt. Honesta ideo dico, ne licentiam dent scelus scelere impune accumulandi, quod priuilegium turpitudinis dicunt: sed vt habeant ansam alacriter sine impedimento studiis inuigilandi. *Priuilegia.*

Etenim magno cum labore omnis studiorum ratio est coniuncta & corporis & animi. Hinc veteribus DEA artium siue sapientiæ *Minerua* dicta est, quod animi meditationes & lucubrationes neruos imminuant, adeoque vires corporis incidant. Plerunque autem affecto corpore animus quoque afficitur & turbatur. Æquum itaque imo necessarium est, vt studiosis honesta sint priuilegia, quibus animus lassus reficiatur, spiritus autem recreati maiore cum ardore ad studia denuo ferantur.

Non autem indulgenda est petulantiæ licentia: quæ tamen Academiis Italis vt conceditur, ita exercetur. Ibi calami in pugiones, & atramentaria in thecas pulueris bombardici abierunt: Disputationes in cruentas cædes, scholæ in propugnacula pro lubitu quiduis audendi, academici autem in homicidas mutati sunt. Irrisui ibi habetur honestas, verecundia & castitas dedecori: adeo vt studiosus vere studiosi vitam honestam nempe & modestam victurus nihilo plus efficiat, quam si seipsum in extrema pericula det præcipitem. Dolendum certe: Sed abrumpo querelas. Illud saltem dicam; fieri non potest vt Academia vlla efflorescat, aut iustam laudis maturitatem assequatur, nisi ab alea & armis, nocentissima vtraque peste radicitus sit repurgata.

TH. Sunt sane commoditates ac priuilegia ad ampliandam studiosorum in Academiis frequentiam insignia incentiua; At requiritur præterea

aliud quoque non minus æque necessarium, iustum nimirum ac debitum Professorum salarium, hoc namque deficiente, omnis docendi ardor remittitur, languescit & frigescit.

Salaria. PH. Apud Ethnicos certe in summo honore ac pretio fuisse literatos, & liberalitate fere immodica à Principibus exceptos, historiæ testantur.

EQ. Alexander Seuerus stipendia constituit non solum docentibus literas & artes, sed etiam discentibus pauperum ingenuorum filiis.

Refert Zonaras IVSTINIANVM Imperat. antiquitus constitutas in quoque Oppido annonas professoribus bonarum artium dandas, de consilio Præfecti sui sustulisse: quod accidit non minimo Reipublicæ detrimento: *Siquidem*, inquit, *frigentibus passim per oppida scholis, rusticitas & barbaries occupauit inhabitantes.* quid mirum? cum *gloria*, teste Salustio, *industria alitur; vbi eam dempseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est.* Hinc recte Cato dixit, *Iuuentuti auferri studium honoris, quoties virtus præmiis viduatur.*

Idcirco CONSTANTINVS Imperator, *mercedes professoribus & salaria reddi iussit, quo facilius liberalibus studiis & memoratis artibus multos instituerent.* Constantinopoli autem bibliothecam ædificasse scribunt, quæ ab aliis sensim aucta libris, tandem numerum centum viginti millium librorum expleuit.

Quin & ATHALARICVS Rex Senatui Romano de stipendiis Professoribus soluendis hoc modo rescripsit: *Nuper*, &c. *cognouimus doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta premia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris deputata summa videatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia, per commodorum augmenta prouocandi.*

TH. Carolus Magnus etiam insignia hac in re Liberalitatis edidit documenta. Et sane fundationes veterum Collegiorum, quæ tunc doctrinatum scholæ erant, ostendunt eum iudicasse ad Principis officium pertinere, curare, vt doctrina Ecclesiæ & aliarum honestarum artium propagetur, & recte doceantur homines. In monasterio Heluetico sancti Galli adhuc extant literæ Caroli Magni, quibus addita est imago faciei & pectoris in toga Romana, vnde apparet speciem fuisse virilem & plenam maiestatis.

PH. Quo magis monendi Principes nostræ tempestatis, ne per captiones & fraudes Coactorum, ordinisve Quæstorii quidquam de stipendiis immi-

imminuatur. Et indignum profectò est, pluris sæpe fieri Morionem, quam doctum & sapientem virum, & vt plurimum viros præstantes & praclaros ab iis negligi, ad quorum tamen alioqui officium potissimum spectat, eos fouere, dignoque honore & præmiis afficere. *Salarii do falcatio iniqua.*

EQVES. Legi hisce diebus, Theodorum Gazam Thessalonicensem (quantus quantus ille vir fuerit, Græcarum literarum Doctoribus ac peritis notum est,) Pontifici Romano, Calixto, ni fallor, Tertio, Aristotelis & Theophrasti libros latine à se redditos, & quidem codicem sumptuosius ornatum exhibuisse: Pontificem vero interrogasse, quanti ornasset librum, & præter eos sumptus nihil rependisse: nec vllam autori pro maximis laboribus, quos in difficilimo opere exhauserat, mercedem esse redditam.

PH. Nihil tam obscurat & delet Regum ac principum gloriam: nihil quod citius memoriam ipsorum nominis extinguat & sepeliat: nihil quod tam eos reddat odiosos & detestandos posteris seculis, si qua fiat illorum mētio: quam si viros doctrina & virtute præditos reiecerint aut neglexerint: Quis Licinium imperatorem non detestetur, propter contemptum odiumque tantum literarum, vt omnes doctos Roma expulerit, per derisionem & barbaram arrogantiam vocans aulicos mures. Quod in illo non mirandum: ita enim ignarus fuit: vt ne nomen quidem scribere sciret: plerunque autem ignorantia est capitalis virtutis hostis. Nec miranda similis Atheæ regis Scytharum barbaries? qui cum Ismeniam, tibicen optimum, in bello cepisset: ac iussisset canere: cæteris admirantibus, ipse iurauit per ventum & acinacem: sibi iucundius esse audire hinnitum equi: indicans tum suam in tibicinis laudem & auditorum delectationem inuidiam: tum animi sui & aurium rusticitatem & barbariem: quorum ille stabulis inclusus erat: hærudente asino, quam suaui musarum voce digniores, non mirum est (vt iam dixi) si hic Rex, in siluis ferarum more natus & educatus, siluestri & fero animo fuerit: & ita doctrinam & virtutem contempserit. *Principum dedecus.*

EQ. Admirandum certe tales extitisse quosdam inter Græcos & Romanos: qui sibi humanitatis laudem assumebant, reliquas nationes pro barbaris habentes. Dionysius Syracusanus abominanda inuidia poetam Philoxenum in lapidicinas damnauit: quod Tragœdiam à tyranno compositam corrigere iussus recusasset: sed perpetua litura induxisset nihil in ea probans.

PH. Adrianus multis fuit ornatus virtutibus, nulli Imperatori vlla doctrina secundus, quas omnes dotes obscurauit inuidia, qua præstantissimos quosque artifices tanta prosequebatur: vt præter suos

libros Romæ legi nullos permitteret: nullumque artificem, pictorem præsertim aut sculptorem, se meliorem haberi vellet: & propterea Fauorinum & Dionysium Melisium in exilium pelleret: quod ipsi præferrentur: & in artibus ingenuis pingendique: & scalpendi peritia principes, existimarentur. Ad hæc imperante Traiano, & sacellum, vel aulam exercitiis musicis extrui curante, cum de cochleæ situ orta esset contentio: & suam ille & ipsius imperatoris & architectorum opinioni sententiam præferret: præfectus operi, vt eius arrogantiam reprimeret, ad eum inquit: nisi peritior esset pictor: quam cochlearum collocator: non valde doctum esse pingendi: iussitque eum, (vt Dio refert) cucurbitas pingere. quod tunc obscure tulit & dissimulauit, quasi non audisset. odium tamen & inuidiam concepit tantam: quod reiecta & derisa fuisset sua opinio, vt cum Traiano defuncto successisset, statim architectum illum necari iusserit, nulla alia de causa: nisi quod ei sua in arte & officio fideliter faciendo non cessisset.

Academias tollere, barbarum est.

TH. Fuerunt isthæc odia aduersus certos quosdam personalia. At vero Academias tollere artiumque scholas prohibere, id vero tyrannicum planeac barbarum est. Sunt enim Academiæ & artes lumina & fontes sapientiæ, à quibus splendor & sapor virtutis in omnes partes Reipublicæ fluunt; suntque insuper Academiæ velut Musarum orbes, & artes sidera in illis fixa: at nisi orbes suum motum, sidera suam lucem habeant, quæ vita rerum, quæ influentia erit? Præterea vt oculi sunt in corpore, ita Academiæ & artes sunt in ciuitate; atque vt oculi omnia membra corporis, ita Academiæ omnes Reipubl. partes illustrant. Quinetiam contra ius naturæ ac rationis est, Academias tollere, natura enim confusionem, ratio ignorantiam fugit, quæ tamen duo sublatis Academiis artiumque scholis sequuntur necessario. Quæ enim cognitio rerum sine arte, quis ordo sine toga, quæ admimistratio ciuitatis sine doctrina & sapientia esse potest? Porro, quid magis licentiam morum, perturbationem rerum, barbaritatem plebis, tyrannidem principis gignit, quam bonarum literarum naufragium & casus? Sic truculenti olim carnifices Athenas (fastum totius Græciæ, sydera & lumen) penitus extinxerunt. Sic Iulianus funestus apostata Christianorum gymnasia sustulit, artiumque professoribus silentium iussit. Sic in Hungaria aliisque eximiis mundi partibus (quas Mahometes vicit) Academiæ, scholæ & artes immanitate oppressæ iacent. Norunt enim crudelitatis monstra, Palladem & tyrannidem, amorem artis & Martis furorem, sapientiæ lumen & ignorantiam, studium virtutis & odium ciuitatis simul cohabitare non posse.

At o-

At omnium maxime tyrannicum est, si sacrorum lectio prohibeatur; quæ quidem lectionum præsertim Biblicarum aperte Mahometismum sapit. Sic enim in Fasciculo temporum sub anno 714. expresse scriptum extat. *Mahometus astuto consilio libros veteris & noui testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, nec disputationem permisit faciendam, ne hac occasione falsitas detegeretur. Quin potius se dixit in armorum potentia missum,* &c. Quod vtiq; vrsorum, leonum, ferarum, latronum & tyrannorum rabiei magis est proprium, quam spirituali legislatori. Et de Diocletiano memorat Eusebius *hist. Ecclesiastica lib. 8. cap. 2.* quod decimonono Imperii sui anno mandatum publicari fecerit, vt omnia Christianorum templa funditus euertantur, librique sacri omnes igni comburi debeant. Idem fere extat de Antiocho Epiphane, *1. Mach. 1.* quippe qui & ipse libros Legis discerpi comburique, omnesque eos qui legi adhærebant obtruncari iussit. Et Ioachimus rex volumen concionum Ieremiæ, cum vix tres aut quatuor in illo pagellas legi audiuisset, cultello scribæ scidit, & in ignem proiecit, donec consumeretur totum illud volumen *Ierem. 36. v. 23.* *Biblica lectionis interdictio tyrannica.*



APHORISMVS XVIII.

PRINCEPS TEMPERANTIÆ FRENO ſeipſum cohibeat, preſſiſque habenis rectum moderationis tramitem vt obſeruet, cautio eſt.

18 TE reuera Imperatorem aſſerimus, quippe qui & imperare ac dominari voluptatibus vales, & tum corona caſtitatis reuinctus, tum purpuram iuſtitiæ indutus incedis. Aliis namque poteſtatibus mors ipſa ſuccedit: huiuſcemodi vero regnum immortalem ſeruat perpetuitatem. Item aliæ hoc in ſeculo ſoluuntur, hæc autem à perpetuo ſupplicio liberatur.

Βασιλέα σε κατ' ἀλήθειαν ὁρίζομαι, ὡς βασιλεύειν καὶ κρατεῖν τῶν ἡδονῶν δυνάμενον. καὶ τὸν στέφανον τῆς σωφροσύνης ἀναδησάμενον, καὶ τὴν πορφύραν τῆς δικαιοσύνης ἀμφιασάμενον. ἡ μὲν γὰρ ἄλλη ἐξουσία, τὸν θάνατον ἔχει διαδοχήν· ἡ δὲ τοιαύτη βασιλεία, τὴν ἀθάνατον σώζει διαμονήν. καὶ ἡ μὲν, ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ λύεται· ἡ δὲ, τῆς αἰωνίου κολάσεως ῥύεται.

18 *EX veritate te Imperatorem nuncupo, vt qui dominari & imperare poßis voluptatibus, temperantia redimitus corona, & iuſtitiæ amictus purpura. Alia enim ſi qua ſit licētia, mortem habet comitem: Tale autem regnum immortali perpetuitate continuatū ſeruatur. Et illa quidem in hoc ſeculo finitur & obliteratur, hæc autem ab æterno exitio eximitur & liberatur.*

DISCVRSVS.

PII. Videtur hic Aphoriſmus, qui Principem Tēperantiæ & Iuſtitiæ commonefacit, deſumptus eſſe ex Platone *in Gorgia.* Hoc mihi, inquit Plato videtur eſſe ſignum, ad quod proſpicientes dirigere vitam debemus, omnia tum

Temperātia publica quam priuata ad hoc referentes, vt Iuſtitia & Tēperantia illi adſit, qui futu-

futurus sit felix: non autem cupiditat b. omnia sunt permittenda; quas explere conari, inexplebile malum est latronisq; more vitam agere. *Hæc Plato.* Cũque de Iustitia supra prolixe à nobis sit dictum; nunc de Temperantia, vt etiã aliquid dicamus, erit operæ pretium. Cæterum quid Temperantiæ nomine comprehendatur, longũ hic foret recensere. Recensentur in Polyanthea Langii partes Temperantiæ viginti quatuor, quas omnes recensere, ne dicam pertractare, admodum foret operosum.

EQ. Plato *in Dialogo de Temperant:* sub ipso temperantiæ nomine, sapientiã & prudentiam, dicit contineri. Temperantiam (inquit) esse duco, decenter agere singula, & quiete per viam incedere, quiete & loqui, ac summatim quiete omnia facere, & vt breuibus complectar, temperantia quietitudo quædam esse videtur. Per temperantiam domus restituta, recte gubernatur, & disposita ciuitas optime regitur, & aliud vnumquodq; cui temperantia ipsa præest: nã errore sublato rectitudineq; ducente in singulis actionibus, necesse est ista viros instructos, temperate, atq; bene agere, bene autem agentes beatos esse. In tertio Dial go de Republica conuenit cum Aristotele, asserens temperantiam circa venerea, epulas & compotationes potissimum versari.

TH. D. Augustinus *de lib. arbitrio*, Temperantiam dicit esse affectionẽ coercentem & cohibentem appetitum ab his quæ turpiter appetuntur. Item, *de morib. Ecclesiæ*, dicit, munus Temperantiæ esse in coercendis sedandisq; cupiditatib. quæ nos à recto & bono auertunt. Quæ quidẽ cupiditates corporeæq; illecebræ plurimum nobis per integrum vitæ nostræ curriculum facessant negotii; id quod ipse etiam Aristoteles quantumuis Ethnicus agnouit. Sic enim *2. Ethic. cap.* 8. inquit, *Quia procliuiores sumus ad voluptates natura, idcirco ad intemperantiam sumus procliuiores.* Cæterum Intemperantiæ istius comes seu soror potius, adeoq; cum Intemperãtia eiusdem tẽperaturæ est Luxuria, quæ non solum (secundũ Philosophos) sumitur pro re venerea, sed et ã pro omni superfluitate, & nimia profusione, ac sumptuosiore cibi, vestitus, & aliarum rerũ cura. De qua Cic. *lib. 1. offi.* Intelligimus, inquit, quam sit turpe diffluere luxuria, delicate ac molliter viuere. *Intemperãtia. Luxuria.*

PH. De Vestitu, haberem quæ prolixe dicerem, sed temporis iniuria id nũc prohibet; itaq; differemus in alium Aphorismum. Ne tamen nihil dixisse videar, habetote interim in genere quod scripsit Iouianus Pontanus in suo opere Ethico, his verbis: In cultu ac vestitu & cætero ornatu corporis hæc ratio habenda est, vt in regibus vestitus atq; ornatus omnis retineat etiam maiestatem, (Augustos enim decent augusta.) In viris pro ætate atque autoritate dignitatem. In iuuenibus nitorem, elegantiamque quæ tamen minime muliebris videatur. In puellis venustatem & comptum. In matronis decus quoddam matronale. Dici autem de genere vestitus, vix potest, quum indies mutentur. Caius Germanici filius augustus nunc in speculatoria caliga, nu o

in habitu Veneris sese populo videndum præbuit. Præsedit certamini in stadio Domitianus Cæsar crepidatus, purpureaque amictus toga Græcanica, capite gestans coronam auream cum effigie Iouis, Iunonis ac Mineruæ, assidente Diali & collegio Flaminalium Sacerdotũ. Quid indecentius, ne dicam detestabilius? Vt autem nihil molle, effœminatumque, sic nihil in ornatu corporis, decet moderantem populos, quod arguere possit ipsum humanæ conditionis oblitum. Splendor generosum præ se fert animum, mollities effœminatum, vsurpare deorum habitum summam tum stultitiam, tum insolentiam indicat. Hactenus Pontanus.

Scortationes & praua libidines.

EQ. Magis astricti essemus, vigore promissionis supra à nobis factæ, vt tractaremus de insano prauarum libidinum pruritu, prauioribus earundem incentiuis, prauissimis denique ac pessimis earundem affectibus; Sed neque hac in re datæ fidei satisfacere nobis licet, mihi præsertim, qui iamiam itineri accinctus sum. Interim tamen, quod iam differtur, non plane auferetur; transferemus itaque in Aphorismos LXV. & LXVIII.

TH. Plurimos equidem concupiscentia carnis à vita bona & salute æterna impedit. Ipse Augustinus adhuc carnalis: Putabam (inquit lib. 6. confess. cap. 11.) me miserum fore nimis, si fœminæ priuarer amplexibus, sine quibus vita non vita, sed pœna mihi videbatur. Et in quæstione de finibus bonorum, Epicuro palmam tribuere volebat, qui summum bonũ hominis in voluptate constituit, *nisi*, inquit, *ego credidissem, post mortem restare animæ vitam, & tractus meritorum; quod Epicurus credere noluit.* Ac vix aliud vitium ita excæcat & alienat à Deo, à sapore & gustu rerum spiritualium, quam carnis. Patet in Salomone, (*1. Reg* 11.) cuius cor infatuatum est amore mulierũ, & sapientiam, quam spiritali desiderio adeptus erat, carnali amore amisit, inquit D. Augustinus, & in patre eius Dauide, qui post commissum adulterium per nouem menses mansit impœnitens & peccatum suum non vidit.

PH. Ipsi gentiles id norant, proinde dicebant, nihil esse magis inimicũ philosophiæ, quã carnis voluptatẽ, & quo est maior, eo inimicior, vt in voluptate libidinis, vbi tota hominis ratio submergitur & absorbetur, sicut nihil sapiêtiæ, imo ne aliud quidẽ cuiuslibet rei cogitari possit. Vnde & eo nomine senectutẽ laudat Cicero, quod id à nobis auferat, quod est in adolescentia vitiosissimum, videlicet voluptatem; quę quãto est maior, tanto minus aliquid mente agitare, ratione aut cogitatione consequi possumus, *lib. de senectute.*

Cæterũ portenta illa libidinum, quarum memoria vna cum ipsis earum authorib. merito delenda, nolo recensere, multoq; minus exemplis declarare, qualia sunt muta illa, Sodomitica & quæ cum masculis nefarie perpetrantur, quorum aliquam etiam facit mentionẽ Plato *li.* 12. *de legib.* his verbis: Secundũ naturã ad procreationẽ Venere homines vtuntur. Abstinendum igitur à maribus iubeo. nam qui istis vtuntur, genus hominum dedita opera interimunt,

in lapi-

in lapidem ſeminantes, vbi radices agere quod ſeritur nunquam poterit. Abſtinendum quoque & ab agro illo fœmineo, vbi ſemen germina nolit producere. *Hactenus Plato.* Sunt inquam iſthæc portenta libidinis. Ad communia venio. Scortum alere plurimos delectat, vt coniugii mala deuitent. Sed iis ipſi dum iugum nolunt trahere, quod paribus iumentis plerunq; imponitur, duriſſimum ſuſtinet imperium, quid dico imperium? imo ſæuiſſimam tyrannidem. Nullus hic eſt finis poſcendi, nullus dandi, & rem & famam ſimul cum primis ingenii dotibus corporiſq; diſperdere coguntur. Excludunt, reuocant, eludunt, vbi victum ſentiunt; & vt Terentianus ait Parmæno: In amore, qui n. q; conſilium habet, neque modum, hæc omnia inſunt mala: Iniuriæ, ſuſpiciones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rurſum. Quid multa viuus videnſque perit.

TH. Videmus etiam hodie multos legibus à matrimonio arceri, re vtique infamia carente, & qua Apoſtoli quoque non grauatim vſi ſunt, impunitate nihilominus conceſſa iis qui concubinis ſe commiſcent, aut maiori dedecore nothos pariunt. Quaſi vero quocunq; damnato concubitu peccent, nihil referat, dummodo matrimonio ſe abſtineant. Proh dedecus! ô pudendam inſaniam!

EQ. Vtut cælibem captent vitam, vix tamen ac ne vix quidem naturam vincunt, quæ cum ſtatis anni diebus petulans ſit & prona in Venerem; nunquam non ſunt ſalaces, hoſtemq; illum inteſtinum (vt Hieronymi verba vſurpem) qui in ventre eſt, & illis partibus quæ ventri ſunt proximę, ſemper ſecum trahunt, qui etiam tum eſt ferocior, vbi delicatius fuerit paſtus. Vnde omnino perſuaſum habeo, heluones quoſdam, qui ſe cœlibatus titulo venditant, deterius hoc prætextu peccare.

TH. Tempero mihi hic, atq; adeo me pudet, infandam quorundam hominum, ſi modo dicendi ſunt homines, libidinem referre, quomodo prę ter omnium animantium morem, & ſpecie ſæpenumero abutantur & ſexu. Nam adulteria & ſtupra lege I lia ob delinquentium multitudinem hodie ſublata, haudquaquam vindicantur. Vt ne dicam, gloriam hinc aliquando etiam partam. Iactat ſe Proculus Cæſar in Epiſtola, centum virgines Sarmaticas bello captas quindecim dierum ſpacio ad vnam vitiaſſe, atque ex his decem vna nocte. Meſſalina Claudii vxor quatuor & viginti paſſa concubitus, proſtitutam ancillam hac laude vicit.

EQ. Sed audite horrendum quorundam deſuper exitum. Satis compertum habeo, inquit Iou. Pontanus *lib.1. de obed. c.10.* Barcellone in Hiſpania, paucis ante annis Beltrandum cognomine Ferteriũ in Venere exp'raſſe. Legi & Gallum Equitem Romanum eodem intemperantiæ ac mortis genere è vita exceſſiſſe. Horum quam facilis fuit, heu deſcenſus auerni! ſed reuocare gradum ſuperaſq; euadere ad auras Nunquam poſſibile eſt. Verum vt dixi de his infra

vberiorem dicendi captabimus occasionem & materiam. Ne tamen siccis omnino, quod aiunt, pedibus, hunc Aphorismum percurramus, igitur, de ipsarum libidinum potissimo incentiuo, quantum id quidem ratio temporis feret, tractabimus; quod quidem incentiuum esse vt plurimum solet Ebrietas. *Ebrietas.* Fit enim plerunque, vt homines temulenti ac ebrii, tunc, quum cibo potuq; ad summum distenti sunt, ad res venereas proruant; quæ quidem ebrietas ipsius vini pessimo abusu, corpora & animas hominum turpiter solet inuadere.

Vinum. TH. Vinum in scriptura allegorice variis significationibus vsurpatur. Bernhardus de abusu vini, quatenus ad carnales affectus alendos atq; promouendos vsurpatur *serm. 9. in Cant.* sic inquit: *Pulchre vino comparatur carnalis affectus. Vt enim vua semel expressa non habet iam quod denuo fundat, sed perpetua ariditate damnatur: sic caro in pressura mortis ab omni sua delectatione prorsus siccatur, nec vltra reuirescit ad libidines. Verum vbera non sic. Hæc enim cum exhausta fuerint, rursum de fonte materni pectoris sumunt, quod propinent sugentibus. Merito proinde meliora carnis sæculine amore asseruntur vbera sponsi, quæ nullo vnquam lactentium numero arescunt, sed semper abundant de visceribus charitatis, vt iterum fluant.*

Temperantia. EQ. Fuit olim ac viguit in republica Temperantiæ virtus; quę tamen à natiuo suo vigore propemodum efflorruit. Audite insignia temperantiæ exempla quam modesta, casta & sobria ab initio inter Christianos fuerint conuiuia testis est Tertullianus *in Apologet. c. 39.* vbi ait: *Comeditur quantum ad famem sedandam, tantum bibitur, quantum satis est pudicis & castis. Oratio auspicatur & claudit cibum, confabulantur inter se se, quasi Dominum præsentem habeant qui audiat. Quumque ventum est ad aquam manualem, & lumina posita sunt, tum prouocatur vnusquisque, vt quantum è sacris nouit, aut de suo ingenio potest, canat & disputet. Inde non egrediuntur ad vagationes aut libidines, vt qui sciant, sibi noctu quoque orandum esse, sed est quasi comederint & biberint disciplinam.* *Conuiuia Christianorum olim qua.* Rectissime igitur D. Augustinus dicit: *Ebriosus si vinum sorbet, ab illo absorbetur; Deo fit abominabilis: ab Angelis despicitur, ab hominibus deridetur, à dæmonibus confunditur, conculcatur ab omnibus. Ebrietas confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam.*

PH. De insigni cibi & potus moderatione apud Persas scribit Xenophon *Temperantia Persarum.* in primo Pædiæ Cyri, circa princ. Αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν, καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστοὺς φαίνεσθαι. αἰσχρὸν δέ ἐστι καὶ τὸ ἰόντα που, φανερὸν γενέσθαι, ἢ τοῦ οὐρῆσαι ἕνεκα, ἢ ἄλλου τινὸς τοιούτου. ταῦτα δὲ οὐκ ἂν ἐδύναντο ποιεῖν, εἰ μὴ καὶ διαίτῃ μετρίᾳ ἐχρῶντο, καὶ τὸ ὑγρὸν ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον ὥστε ἄλλῃ πῃ ἀποχωρεῖν, id est: Etenim hoc etiam tempore turpe est apud Persas, spuere & emungi, ac videri vrina plenos. Turpe idem ducunt, quopiam ire meiendi aut alterius id genus gratia. Hæc certe facere non possent, nisi vterentur moderato victu, & absumerent labore humiditatem, quo alio abscedat. *Hæc Xenophon.*

Hone-

Honestissime itaque fecit Assuerus, quod publicæ maiorum disciplinæ memor, vetauit, alter ne alterum ad ebrietatem potando cogat.

EQ. Tametsi Persæ fuerunt ex veteri instituto victus moderatissimi, tamen honesta illa veterum instituta apud eos plane postea deferbuerunt. Sic namque idem Xenophon in libr 8. κύρυ παιδείας: Legitimum erat (verba hæc ex Græco sic translata sunt,) apud Persas, vt ne quis spueret aut mucum faceret. Manifestum autem est, quod hæc lege sanxerint, non quod parcerent humori corporis, sed quod vellent corpora per labores & sudorem solidiora reddere. Hoc vero tempore non spuere, nec emungi, adhuc perdurat, sed labori nulla datur opera. Antea erat ipsis legitimum semel edere, quo liceret ipsis totum diem ad res gerendas & ad labores insumere. Hoc autem tempore, semel cibum capere, adhuc quidem permanet, sed incipiunt summo mane prandere, & perducunt prandium vsque ad serum vesperum. Erat & illis legitimum, ne vrcei importarentur in symposia: quippe quod iudicarent, quo minus biberent, eo minus corpora & mentes aberrare. Nunc autem adhuc quidem permanet, ne vrcei importentur, sed pro importandis vrceis ipsi exportantur, propterea quod præ ebrietate non possint erecti è symposio exire. Hæc Xenophon.

PH. Herodotus in Terpsichore testatur, Cyrum regem potu fluuii Chiaspe, qui Susi ciuitatem præterfluit, vnice delectatum fuisse, atque aquam eius decoctam in vasis argenteis secum, quocunq; proficisceretur, multis carrucis circumuexisse.

EQ. Diogenes vinum plurimum in conuiuio quodam dono acceptum effudit; quod cum quidam ps indigne ferrent, si (inquit) vinum omne biberem, non tam liquorem quam meipsum quoq; perderem.

PH. Merito igitur Diogenes Cynicus eos irridere solitus est, qui pro bona valetudine rem diuinam facerent, & deinde cibo potuq; contra sanitatem se ingurgitarent: asserens insanum esse, ea à diis precari, quæ in nostra sunt potestate.

EQ. Sophocles vitio vertebat Æschylo, quod ebrius scriberet. Nam etsi bene scribit, inquiebat, nesciens tamen id facit. *Stob. serm.* 18.

PH. Zenonem Citticum summa verecundia colebat in pretioq; habebat rex Antigonus. Accidit igitur, vt aliquando vino supra modum impletus, obuiam Zenoni fieret: quem osculatus est atq; amplexus, vt temulentus, petiitque vt sibi quid iuberet. Et interposito temere sacramento, confirmauit, se præstiturum quicquid postulasset. Tum ille dixit ei: Abi & euome. Graui sapientique reprehensione simul temulentiam eius taxans; simul vero cauens, ne nimia comessatio potatioque ei nocumentum afferret.

TH. Gra-

TIL. Grauis ac prudens est admonitio S. Martini Episcopi Dumiensis in libello ad Mironem Galliciæ Regem. Is igitur inter alia in libello ad Mironem Galliciæ Regem de continentia hæc scripsit: *Ede citra cruditatem. bibe citra ebrietatem. Nec præsentibus delitiis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus tibi ex facili sit: nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. Palatum tuum fames excitet, non sapores. Desideria tua paruo redime, quia hoc tantum curare debes, vt desinant, atque quasi ad exemplar compositus diuinum, à corpore ad spiritum, quantum potes, te festina reducere. Non tantum enim potus, sed & ciborum excessum maxima consequitur noxa pariter atque dedecus.*

Eleganter etiam Augustinus *serm. 231. de vitanda ebrietate.* Corpora, inquit, nostra terrena sunt: Quomodo pluuia nimium grandis & diuturna si fuerit, terra confunditur & in lutum resoluitur, vt nulla in eo cultura fieri possit. Sic & caro nostra, quando abundantiori potu fuerit inebriata; nec spiritalem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere. Et ideo, quomodo omnes homines sufficientem pluuiam in agris suis accipere desiderant, vt & culturam valeant exercere, & de fructuum vbertate gaudere: Ita & in agro corporis hinc tantum debent bibere, quod oportet, ne nimia ebrietate, ipsa corporis terra velut in paludem conuersa, magis vermes & serpentes vitiorum generare, quam fructus bonorum operum possit afferre. Omnes enim ebriosi tales sunt, qualis paludes: videntur serpentes, sanguisugæ, nascuntur ranæ & diuersa genera vermium, quæ magis horrorem possunt generare, quam aliquid, quod ad victum proficiat exhibere: Herbæ quæ in ipsis paludibus vel circa ripas earum nasci solent, nihil vtilitatis habere videntur, in tantum, vt annis singulis incenso concrementur: ita quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.

EQ. At interim tamen non omnis lætitiæ fomes atque incitamentum resecari hominibus debet; ideo namque eidem risus præ ceteris animantibus datus est, vt lætitia, quem risu indicat, perfruatur; quæ quidem lætitia vino atq; ex eodem profluente ebrietate quam maxime cietur atque excitatur.

Ebrietas lætitiam num pariat.

TH. Iocus, quatenus vrbanitas adeoque virtus est, quæ cum honesta voluptate coniuncta est, nulli non hominum aliquando est concessus, cum etiam videamus, de Deo ac religione differentes in templis vti eo, quem tamen neque multum, neque petulantem oportet esse, sed libero homine dignum. Et quis quamuis durus & acer voluptatis contemptor non moueatur, vbi in aliquem facetum & vrbanum hominem inciderit? Cæterum per ebrietatem cieri lætitiam, nullibi extat; *ἀσωτίαν* equidem reperio per ebrietatem suscitari; hæc vero ab omni sano homine debet esse alienissima. Obseruandum igitur super vini potu sapientis illius viri celebre dictum est: Prima, inquit, cratera ad sitim pertinet. Secunda ad hilaritatem. Tertia ad voluptatem. Quarta ad insaniam. *L. Apul. Florid. l. 3.*

PH. Itaq;

PH. Itaque sicut puer se habet ad pædagogum, sic cupiditas se habet ad rationem: quorum ambo si non obedierint præceptis imperantis, cogendi sunt, ne in immensum petulans ipsorum cupiditas luxuriando crescat & augeatur.

EQ. Solem prius è mundo, quam Ebrietatem abolebitis. Interim aliquid à proposito meo itinere suffurabor moræ ac ocii, & vestram de Ebrietate dissertationem attentus audiam, addam etiam interlocutorie de meo aliquid, vbi id visum atque opus fore videbitur. Faciat igitur alteruter vestrum carpendi initium.

TH. Pluribus carpere aliquid, superuacaneum est, vbi idipsum sese carpit, causamq; effectus arguit.

EQ. Dabo vobis carpendi ansam atq; materiam. Effigiem Ebrietatis, Ebrii, imo ipsius Bacchi, omnium Ebriosorum patroni atq; antesignani vobis præfigam; sic namq; fiet, vt obiecta isthæc vestris exposita oculis citius vestros moueant sensus. En igitur primum ipsius Ebrietatis effigiem.

Capitio stulti tectum caput, quod mirabiles stultos faciat, & ex prudentib. stolidissimos. Flauam faciem & pallidam habeat, propter assiduum vsum bibendi, qui colorem omnem naturalem absumit & valetudinarios gignit. Oculi quasi lachrymantur, quod acies eorum penitus nimia vini ingurgitatione corrumpatur. Cantharum vna manu habet, altera maximum vitreum cyathum, quo bibit. Et simul vomit; quod propriū ebriosorum est, Stat nuda sine vlla verecundia, quod ebriosi sint, denotans. Ponticulo stat, fauci inferni incumbenti; quod præmium ebriosorum est. *Ebrietatis effigies.*

Gregorius his quatuor Gulæ filias tribuit, siue Ebrietati ineptam lætitiam, scurrilitatem, multiloquium & hebetudinem mentis circa intelligentiam.

Cæterum Ebrietatem comitatur libido & insania, non raro etiam cædes. Hac de causa Satyri & Bacchæ finguntur esse comites ipsius Bacchi: non aliter atque Lynces, Tigres & Pantheræ. Satyri enim perhibentur esse adeo salaces, vt motus seu pruritus libidinis vulgo Satyrismus dicatur. Et constat Bacchas fuisse mulieres furore correptas. Tygres, Lynces & Pantheræ finguntur comitari Bacchum, propterea quod sunt aut appetentes vini, aut feræ supra modum immanes. Ebrietatis enim comes est feritas & immanitas.

Porro nunc prolem etiam Ebrietatis, nempe Ebrium contemplamini, hunc vero insignis quidam Poeta his depingit notis:

Sordidior quæ res, quæ bellua vilior est, quam
Ebrius? hic Epulas, quas non multo ante vorauit,
Euomit, atq; mero putet tremit ille caditq;
Sæpe caput frangens, oculosue aut crura, loquendo

Balbutit, nec habent vllum verba edita sensum.
Multa facit, multa & dicit, quæ mox vbi nubes
Discussa est, rediitq; iubar, damnantur ab ipso
Autore: vnde rubet factis, infectaq; vellet.

Extat etiam Herculis Strozzæ in Heluonem omnino elegans hæc Inuectiua:

Sæpe bibis, quo sæpe vomas, & sæpe voracem
Distendens miseri corporis ingluuiem.
Quin si forte tenax stomacho cibus hæserit, hunc vel
Dextra, vel in fauces indita penna cies.
Tanquam sis genitus perdenda ad vina, nec vlli
Te Natura aliis finxerit officio.
O dignum laqueo facinus! quodcunq; voratur,
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

Emblema in statuam Bacchi.

Cæterum Bacchum quoque, Ebrietatis patronum intueamini, & tantum non tuemini. Estq; emblema in statuam Bacchi, ab insigni identidem Poeta conscriptum huiusmodi:

Bacche pater quis te mortali lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnossida vidit,
Atq; illo pinxit tempore qualis eram.
Cur iuuenis, teneraq; etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cum superare senem?
Muneribus quandoq; meis si parcere disces,
Iunior, & forti pectore semper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua desunt:
Quos nisi dementes tàlia signa decent?
Hoc doceo nostro quod abusus munere sumit
Cornua, & insanus mollia sistra quatit.
Quid vult ille color membris pene igneus? omen
Absit, an humanis vreris ipse focis?
Cur Semeles de ventre parens, me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere mersit aquis.
Hinc sapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas, qui vis misceri? & qua
Te sanus tutum pondere lege queat?

Qua-

Quadrantem addat aqua, calicem sumpsisse falerni
Qui cupit, hoc sumi pocula more iuuat.
Stes intra geminas: nam qui procedere tendit
Vltra, alacer, sed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium. sunt pendula guttura dulce
Tu fluis, heu facile commoda nulla cadunt.

Sed ne omnem ebrietatis & voluntariæ insaniæ culpam (inquit Grunnius Sophista in fictitio illo Grunnii siue Porcelli testamento,) in vinum reiiciamus solum, inuentum est (ait Plinius) quemadmodum aqua quoque inebriaret, Ægypto è fruge sibi primum potus similes excogitante. Hinc pallor & genæ pendulę, oculorum vlcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa. Et quę sit pœna præsens, furiales somni, & inquies nocturna, præmiumq; summum ebrietatis libido portentosa, ac iucundum nephas. Postero die ex ore halitus fœtidi, ac fere rerum omnium obliuio, morsq; memoriæ. *Allusio ad oenomiam.*

TH. Quid turpius ebrioso, (inquit Innocent. *de vilit. cond. hum.*) cui fætor in ore, tremor in corpore? qui promit stulta, prodit occulta? cui mens alienatur, facies transformatur! Nullum enim secretum, vbi regnat ebrietas. *Ebriosorum fœditas.*

PH. Asoti ex eo dicti græco vocabulo, vel quod perditi sint, vel quod omnia profundant, gulæ studio. *Nolim mihi* (ait Cicero) *fingere asotos qui in mensam vomant: & qui de conuiuiis auferantur, crudiq; postridie se rursus ingurgitent, qui solem (vt aiunt) nec occidentem vnquam viderint, nec orientem, qui consumptis patrimoniis egeant. Nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat viuere.* Hactenus Cicero.

TH. Muscæ & alia nonnulla insecta suctu viuunt, ideoque eis pro lingua est fistula: Ita quosdam videas bibones, qui potu viuant, à cibo abhorreant. *Eras. in simil.* De quibus Augustin. *de temp.* vsq; ad vomitum inquit se ingurgitare non erubescunt, & ad mensuras sine mensura bibunt. Qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine. *Gurgites inexplebiles.*

PH. Stratonicus (is Cytharœdus natione Atheniensis fuit,) non minus festiuis dictis, quam arte Musica celebris, ad quietem iturus, assidue iubebat puerum sibi infundere vinum, Non quod sitiam, inquit, sed ne sitiam.

Martialis idem, & ipse potationibus indulsit, tot exhauriens pocula, quot amicarum nomina literis scriberentur. Id quod hoc indicat Epigramma:

Næuia sex cyathis, Septem Iustina bibatur,
Quinq; Lycas. Lyda quatuor. Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica falerno.

Heraclites pugil parem in bibendo non habebat: alios enim ad ientacu-

 lum

lum inuitabat,alios ad prandium,quoſdam ad cænam; quibus omnibus ſine interſtitio ſufficiebat ſolus. *Rauiſ.*

Et extat Raphaelis Placentini de Lyco quodam vinoſo, hæc facetia:

Candidior cur barba Lyco ſit crine rogatus:
Sæpe fatigor, ait, gutture, non cerebro.

EQ. Herodot.ſcribit,Scythas tanta intemperantia merum bibiſſe, vt quoties aliæ gentes voluerint quempiam ad largius bibendum cohortari, dixerint, ἐπισκύθισον, hoc eſt, age Scytham. Hinc eſt, pergræcari; quod Græci ſe liberius in conuiuiis habuerint. Sicut & hodie apud exteras nationes, Teutonicus vocatur, qui vino plus nimio indulſerit.

TH. Salomon rex oſtenſurus, quomodo ſeſe mutuo perfruendis voluptatum illecebris filii huius ſeculi exſtimulent, ſic ait: *Venite*, inquiunt, *fruamur bonis præſentibus, & vtamur creaturis tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo impleti & vnguentis obliti omnem captemus fruendis voluptatibus occaſionem, antequam prætereat flos temporis. Coronemur Roſis, priuſquam marceſcant. Nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: Nemo veſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ. Vbique relinquamus veſtigia lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.*

Eandem plane pingit Iuuentutem Horat.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati
Sponſi Penelopes, nebulones Alcinoiq;
In cute curanda plus æquo operata iuuentus:
Cui pulchrum fuit, in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum Citharæ ceſſatum ducere curam.

PH. Videmus (inquit Plinius *libr. 14. cap. 22.*) quoſdam protinus anhelos ingentia vaſa corripere, velut ad oſtentationem virium, ac plane infundere, vt ſtatim euomant, ruſuſque hauriant; idque iterum tertiumque, tanquam ad perdenda vina geniti, & tanquam effundi illa non poſſent, niſi per humanum corpus. Adeo vino debemus homines, quod ſoli animalium non ſitientes bibimus, vt magna pars non aliud vitæ præmium intelligat! quæ iuſta eiuſdem Plinii querela eſt.

EQ. Carthaginenſes & Celtiberi & Thraces (inquit Cælius *lib. 28. cap. 6.*) mero penitus vtuntur, tam viri quam mulieres: atq; vino item veſtes perfundunt, præclarum hoc & beatum vitæ genus exiſtimantes. *Fœmina ebria.*

TH. Vini alioquin vſus (inquit Val. Max. *lib. 2. tit. de inſtit. antiq.*) Romanis fœminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur. Quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus, ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit. Quæcunque enim fœmina vini vſum immoderate appetit; & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit.

EQ. Iis

EQ. Iis ſane, quibus fortuna deformem adduxit vxorem, non vſque adeo videtur vitio verti, ſi largius aliquanto vinum hauſerint. Docet id ſuo exemplo Anacharſis, de quo ſic Athenæus *libr 9.* Quidam, inquit, in conuiuio videns vxorem Anacharſidis: Vxorem, inquit, duxiſti ſatis deformem. Cui Anacharſis, prorſus ita mihi videtur: Sed heus puer, infunde mihi largius, vt reddam eam formoſam. Iudicare voluit vir ſapientiſſimus, vinum immoderate potatum adimere homini rectum iudicium. Nimirum

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
Tunc color & cura, rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes æuo rariſſima noſtro
Simplicitas artes excutiente Deo.

TH. Veriſſime Eraſmus *lib.7. Apophr.* Voluptas, inquit, venientes fucatæ ſpecie blandiuntur, abeuntes pœnitentiam ac dolorem relinquunt. Et: *Voluptas ſæpius relinquit cauſas pœnitendi quam recordandi,* inquit vere Cicero. Quin etiam Seneca in Epiſtolis. *Oblectamenta fallacia, & breuia decipiunt, ſicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat.* Et Boetius li.3. Metr.7. *Habet hæc voluptas omnis; Stimulis agit furentes Vbi grata mella fudit, Fugit & nimis tenaci Fert icta corda morſu.* Sed hæc obiter de momẽtanea per ebrietatẽ coempta voluptate. Cæterum, vt ad fœminas regrediamur. Sobrietas (inquit Auguſtinus) in fœminis ad terram deponit aſpectum, ebrietas autem amiſſo pudore inuerecundos erigit vultus. Et: Sobrietas cum ſumma trepidatione & ſilentio irreprehenſibile emittit verbum: ebrietas vero immoderatum facit fœminæ & ſermonem & vultum.

Mulieres (inquit Apoſtolus *in Epiſtol. ad Timoth.*) ſint in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate curantes ſe: non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte precioſa; ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Saluabitur mulier per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate.

EQ. Quibus illum ſtimulis ac doloribus agitari ſolitum credas, & tanquam in neruo torqueri dieſque ac noctes: qui in ſepulchro ſuo hæc verba ſcribi iuſſerit, titulum litis atque obiurgii plenum? *Heus viator miraculum! Hic vir & vxor non litigant. Qui ſimus, non dico. At ipſa dicam. Hic Bebrius ebrius, me Bebriam ebriam nominat. Hic vxor etiam mortua litigas?* *Epitaphium. fœmina ebria.*

PH. Heu malum! Xantippen malim habere tenacem, quam Roſinam bibacem. Sed progrediamur ad alios, eoſque inter cæteros, qui monſtroſæ fuerunt ingluuiei ac bibacitatis. In memorab. Panciroli, *titul. 2. de Porcellanis fol. 221.* Meminimus, Herculis poculum tantæ capacitatis fuiſſe, vt *Monſtroſa bibacitas atque ingluuies.*

se, vt tam in eo nauigare, quã etiam bibere ex eo potuerit. Atque id voracitati & ingluuiei ipsius conueniebat, quem proditum est, Lepreo in voracitatis certamen vocato, integrum deuorasse taurum. Idque pluries eum factitasse legimus: cum & Pindarus referat, Herculem Coroni ædes ingressum, integrum bouem, vt ne reliquum quidem os vllum relinqueret, abliguriuisse.

EQ. Statius Herculeum craterem tantæ fuisse amplitudinis scribit, vt duo eum iuuenes vix portare potuerint. Vnde & vasa magna atque capacia ab Hercule Heraclea fuerunt nuncupata. Herculem enim in potoribus numeratum fuisse maximis Turnebus innuit, *lib.* 8. *Aduersar.cap.*10.

PH. Stesichorus Poeta Lyricus, Centaurorum & Lapitharum conuiuium describens, ait Pholum, Herculis hospitem, impleuisse Herculi craterem trium lagenarum capacem, quem prior ipse obbibisset. Erat autem *lagena* vinarium vas, sed fictile: in quo vinum asseruabatur in conuiuiis deplendum. Quod si crater ille trium lagenarum capax fuit: oportuit eum ita amplum fuisse, vt vrnam, hoc est, quatuor & viginti sextarios caperet, ex supputatione Adr. Iunii *libr.*4. *Animad.cap.*5.

TH. Minuta hæc videri poterunt, si cum iis conferantur, quæ de simili gulone Lityerse, Midæ regis notho Celænis in Phrygia regnante, homine vultu effero & truculento, sed bibone glutoneque supra fidem maximo Sositheus tragicus memoriæ prodidit. Hunc etenim totum vini dolium vno die ebibendo vacuasse, triumque clitellariorum asinorum onus, panes deuorasse scribit his versibus, qui apud Athenæum *lib.*10. ex doctissimi Iunii interpretatione ita leguntur,

At filius Midæ Celænei nothus,
Qua matre, dubium est ipsa nouerit parens,
Tres quantum asellos pregrauet, panes vorat
Breui die, simulque deterget libens
Iustum cadum, decem amphorarum dolium
Redditque iumentis onus portatile.

Amphoræ duæ, vt Georgius Agricola collegit, sextarios duos & septuaginta continent. Qui igitur dolium decem amphorarum epotarit, is trecentos sexaginta sextarios in inexhaustam alui voraginem demerserit, quemadmodum recte concludit Had. Iouius *lib.*4. *Animad.cap.*5.

EQ. Non igitur adeo monstrificum id erit, quod de Germanis prodidit Lud. Cælius Rhodiginus *lib.*10. *lectionum antiq.cap.*20. quorum in bibendo capacitatem omnibus in Gallia miraculo fuisse ait, quod singulis mensis singuli quaternos quartarios vini exsiccarint, sic vt potores nouem, amphoras exinanirẽt binas. Miremur potius Aureliani tempora: quibus celebratum phagonẽ nouimus, qui die vno aprum absumeret integrum, panes centum; veruecem

insu-

insuper ac porcellum: biberet autem, infundibulo ori apposito, plus orca. Miremur etiam Bonosum minutulum Romanum tyrannum, qui tantum bibit, quantum nemo alius, qui quantumlibet bibisset, semper securus fuit ac sobrius; qui quantum hausisset, reddebat vesica ad æquilibrium; nec pectus vnquam aut venter, vel pars aliqua ex humoris ingesti nimietate affecta est. Húc vbi ad laqueum coegisset Probus Imperator, iactatum militari ioco, Amphoram perdere, non hominem: erat enim heluo, & ventrem habebat deformiter tumidum, vt Melanthon tradidit *lib.3. Chron.*.

PH. Parua hæc possent videri, nisi etiam præmia gulonibus constituta legeremus. Nam Mithridates iis qui auidius vorarent ac biberent, præmia proposuit & in vtroq; genere victoriam (si vincere est ab intemperantia vinci) fœdissimam est adeptus. Alexander quoque Magnus talenti præmium proposuisse ei dicitur, q pocula vini ampliora siccaret. In quo certamine quadraginta cum eo, qui præmium tulerat, effusis visceribus, propemodum spectãte rege crepuerunt ac perierunt: vt recte existimatum fuerit, Alexandrum rarissimas suas virtutes & rerum à se gestarum decus ac gloriam vna illa Ebrietatis consuetudine turpissime fœdasse. *Præmia gulosis proposita.*

Sed neq; Tiberius Cæsar iustam reprehensionis notam potest effugere, qui honores strenuis & nobilib. vini potoribus & edonibus (nebulonibus pene dixeram) mandabat: & ex his ignotissimum Quæsturæ candidatum Nobilissimis antepofuit, ob epotam in conuiuio, propinante se, vini amphoram; More etiam hac tempestate nõ prorsus inusitato, quo homines indigni, spretis meliorib. ad honores euehũtur, quos forte euectos satius erat gradu mouere.

Quid? quod Edictione concessit Claudius Imperator veniam emittendi flatum crepitumq; ventris in conuiuio. Edictum sane dignum Imperatore.

TH. Fuerunt olim apud Ethnicos, & adhuc sunt hodie apud Christianos (nefandum!) concertationes eiusmodi in vsu, sed neutrobiq; absque noxa. Vsus loquitur, noxa probat. Cæterum non est dubium, esse in hoc lurconum genere multos lococonistas, qui Athenæo attestante optant, vt in balænas converterentur, dummodo mare mutaretur in pretiosissimum vinum, in quo continue volutandum illis foret: propemodum vti Georgius Charentiæ Comes, qui ob suspicionem affectati regni ab Eduardo Quarto huius nominis Angliæ Rege, fratre suo iussus mori, & genus mortis quod sibi magis placeret, eligere, voluit vino Maluatico suffocari. Coniectus igitur in vas plenum huius vini, illud sorbendo tandem ibi submersus est. Et profecto eiusmodi hominum (si modo homines, non amphoræ, doliave pertusa nominandi sunt) sepulchris inscribendum esset Epitaphium cuiusdam parasiti, repertum Romæ extra portam Capenam, vbi olim sepulturarum monumenta apud veteres Romanos posita erant, quod est eiusmodi: *Heus hic situs est Offelius bubalus, qui dum vixit, aut bibit, aut minxit. Abi praceps.* Aut illud etiam Timocreontis Epitaphium:

Multa

Multa bibens & multa vorans, mala multaque dicens
Ipse viris iaceo Timocreon Rhodius.

EQ. Certaminis huius (inquit D. Basilius) arbiter & moderator est Diabolus, & præmium victoriæ peccatum. Qui enim plus meraci hauserit, is aduersus alios præmia consequitur. Reuera gloria illorum est ignominia. Omnia inconsiderantia plena sunt, omnia confusione. Victi sunt temulenti, & qui vicerunt, sunt itidem temulenti.

PH. Quæ gloria, inquit Seneca, capere multum? quum enim penes te palma fuerit, & superstes toti conuiuio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, & nemo vini tam capax fuerit, vinceris dolio.

Cæterum cum bibacitatis Germanorum aliqualis paulo ante facta fuerit mentio, de eadem si pauca dixerimus, non erit hoc loco alienum. Loquar autem de istorum bibacitate, quæque exinde suppullulent incommoda, non meis, sed alienis verbis, nimirum Vbertini Pusculi & Ioan. Bocatii de Cartaldo, quorum hi sunt de Germanis (itemque Hungaris) sermones.

Hungari factiosi. Hungari, quorum regnum antemurale & Christianitatis clypeus vulgo appellatur, inter se tam factiosi, tam discordes, tam segnes, vt in tanta rerum affluentia ex argento cœnent, ex auro bibant: capita auro onerent, & torquibus & catenulis colla, pectora monilibus & fibulis ornent aureis ac argenteis: pedes item calcaribus ex argento condecorent, toti splendidi. Necdum luxus finis: onerantur & bestiæ ac equi phaleris argenteis & aureis. Nec nobilis censetur, qui non abacum instruit auro argentoque onustum.

Alias autem nationes contemnunt, nec sinunt suppetias (nisi coacti) afferre: quod si tulerint rogati, tum in eos desæuiunt magis, quam in canes, quos alias natura odiunt, plane furibundi & dementes. Ac priusquam se talibus spoliarent diuitiis, potius omnia sua Turco reseruant, breui omnia ablaturo: vt olim Constantinopolitani ciues suo Imperatori auxilium negantes, omnia Turco seruabant spolianda, vt scripsimus.

Germani vinosi. Hungaris finitimi *Germani*, in conuiuiis bellaces & strenui: præsertim cum noctes ac dies bibendo æquauerint, ac omnes cyathos exsiccauerint. Nullas possunt nuptias, nulla conuiuia, nullos celebrare conuentus, nisi ad extremam ebrietatem alter alterum ad pocula inuitet, atque ita repleat, vt (quod dictu etiam pudendum est) coram seruis ac vernaculis rursum potum euomat vinum, sub mensaq; impudice meiat. Et cum semiamens, imo demens potius in stratum collocatur, tum triumphus ingens excitatur, tum risus, tum cachinnus exoritur.

Atque id inter nobiles, qui præesse debent *Republicæ*, eamque tutari atque defendere, præcipue fit: neque censetur bellicosus, nisi fit & ebriosus. Qui enim plurimum potant, iudicatur magis strenui ac bellicosi.

O-

Olim multo alij, quam nostra memoria, nobilium erant conuentus, veluti pugiles, lucta, disco, cursu corpora exercebant, vt fierent bello aptiores: nunc poculis certant alter alterum superare ac deiicere.

O tempora, O mores: his igitur artibus, his studiis vincemus Turcos? Germanis meis, è quibus natus sum, & Hungaris, quibus cum longo tempore versatus, quam familiarissime hæc scribo. Non quod censeam, vitiis alias carere nationes quoque (quisque enim suos patimur manes) sed quod vellem, hos vicinos & finitimos Turcis vnionem quandam inter se inire, quod Hungari suam soli luxui seruientem supellectilem ex auro & argento, cum amplissimis suis diuitiis, in eum conuerterent vsum, vt suos debellarent hostes: & Germania accepta sobrietate, cum Vngaris acies atque exercitus instruerent, concordibus animis amnestia celebrata, si alter alterum irritasset.

Tum Turcus non modo à limitibus nostrarum terrarum arcerent, sed mox è Constantinopolitano deturbaretur imperio, atque in aliquem Asiæ angulum, vnde prodiit, reiiceretur. Sed iis moribus, quibus hodie viuitur, plane dubito, ne breui lares cogamur patrios trepidi relinquere, aut in miseram venire seruitutem.

Sed quid Imperij Principes? quid agunt? Sæpius vocati in comitia & à Friderico Cæsare & Maximiliano, vt generalis in Turcos fieret expeditio, antequam de sessione decernitur, vter alteri prælocandus, quibus subselliis alterum præcedat, annus transit.

Tum fiunt hastiludia, tum adipales cœnæ. Veniunt oratores Rom. Pontificis, Principes adhortantes, vt lapsæ succurrant Christianæ Reipubl. Offert Pontifex cruciatam, offert indulgentias: vbi pecuniæ à misera plebe sunt corrasæ, instant fœneratores, qui paulo ante suos nummos in luxum Principum mutuarunt, & vsuram mutuatæ pecuniæ exposcunt. Soluuntur vestes scortis coemtæ, & sumtus hospitibus abliguriti: tum nulla postea Turcorum memoria. Hactenus Autores supradicti.

TH. Extat etiam elegans Henrici Meibomij Carmen, in quo, quod Ebrietas Germaniæ labes & pernicies sit, grauiter innuit:

Quod tua finitima populantur mœnia gentes,
Qua trepidas voluunt Rhenus & Ister aquas,
Raraque grassantes vel nulla mouentur in hostes
Arma, sed ignauum otia miles agit:
Cassa quod exhaustis flaccent æraria nummis,
Et tibi nil præter syngrapha nuda domi,
Quod pereunt artes, & rauco murmure stridens
Barbaries castas inquinat atra scholas:
Quod pia Religio contemptus plana fatiscat,
Et cupit ex voto viuere quisque suo:

Ebrietas insana facit, Germania, quæ te
Dissimilemque tui degeneremque facit.
O fugias hoc grande nefas: ô sobria viuas:
O statuas vitiis luxuriæque modum.
Et tibi quis populus sumptis se comparet armis?
Quæ populosa tuas natio adæquet opes?
Omnia nunc tristi languent perculsa ruina:
Barbarus & nostris insidet hostis agris.
Tollite, quæso malum hoc proceres: expellite monstrum:
A vobis ciues hydra sit ista procul.
Ille sit infamis, nec honesto nomine dignus
Qui grauat immodico membra animumque mero.
Seculaque antiqui si non reparabimus auri,
Non tamen hæc ætas ærea prorsus erit.

EQ. Laterem lauabitis, si Germanis dissuadere Ebrietatem conabimini. Perspectum id satis habuit olim Carolus V. Imp. sapientissimus. Is itaque admonitus aliquando in castris, vt leges Germanis militibus de vitanda ebrietate ferret, respondit id perinde fore, ac si Hispanis interdiceret ne furarentur.

PH. Facetum est, quod recenset Iouianus Pontanus de quodam Germano. Cum celebrarentur (inquit) à Ferdinando rege, Hippolytæ nurus atque Alphonsi filij nuptiæ, apparatu splendidissimo (erat enim dies decursionis hastatæ, flagrabantq; sub sole cuncta,) cumq; plurimi ludorum essent laudatores, vel pleriq; omnes admiratores potius, in media laudantium frequentia & plausu exclamauit Germanus quidam. O valeant ludi, quibus nemo bibit.

EQ. Cur non, vt Eques olim Augusti Cæsaris iussit sibi afferri potum in theatrum, quod recenset Brus. lib. 6. *Apophth.* Augustus Cæsar (inquit) videns Equitem in spectaculis bibentem, misit qui illi suis verbis diceret. Ego si prandere volo, domum eo. Respondit eques: Tu enim non times, ne perdas locum. Sensit nimirum Augustus indecorum esse, illic in publico bibere, at Eques per iocum sic interpretatus est, Cæsarem sine damno posse discedere è theatro, quod locus ipsi seruetur, equiti non item.

TH. Noli hæc exagitare apud Germanorum turbam, ebriam præsertim, vix enim ac ne vix quidem illorum pugnos effugeres, & pugnos equidem singulos quatuor, quinque vel sex librarum. Itaque ad historias exoticas regrediemur. Cæterum initium ego faciam ab Alexandro Magno, quando is a virtutibus turpiter degenerauit.

Alexandri Magni [illegible]

Alexander Magnus summis alioquin virtutibus, quinetiam rerum successu toti mundo spectabilis, nimia vinositate seipsum perdidit, atq; in ipso ætatis flore vitam eo ipso sibi decurtauit. De eo inter cætera Plutarchus, *Cum vo-*

lupta-

luptatibus,inquit,frena remittens,per Carmaniam nondum penitus deuictam,tanta tamen confidentia septem diebus iter faceret, temulentus cum temulento exercitu, vt vicos per quos iret, floribus coronisque sterni iuberet; Liminibus adium crateras vino repletas, & alia eximia magnitudinis vasa disponi; vehicula deinde constrata, vt plures capere milites possent,in tabernaculorum modum ornari,alia candidis velis,alia veste pretiosa, (siue, vt Plutarchus) *partim purpureis & purpuratis tapetibus, partim arborum semper recentium & virentium inumbrata ramis, quibus Regis etiam vehebantur amici & Duces coronati, potantesque Regem ipsum cum amicis super pulpetum, in edito & conspicuo tabulato erectum quadrato, conuiuiis noctem diebus continuantem, octo equis composito gradu vectum. Currus Regius crateris aureis,eiusdemque materia ingentibus poculis pragrauis. Videres,*inquit Plutarchus,*non cetram, non galeam,non sarissam: sed milites phialis, pateris,calicibus,thericliis,toto itinere,ex grandibus doliis & crateris haurientes: Prabibebant inter se,alij simul inter pergendum,alij recumbentes. Circumsonabāt omnia loca fistulis,tibiis,carminibus,cantilenis, bacchabundis mulieribus. Tam incomposito & incondito itinere, comitabantur pocula, bacchabunda licentia ludus, quasi ipso prasente Baccho & comessationis Duce. Postquam in Regiam Gedrosia venit, relaxauit de integro exercitum intempestiuis conuiuiis. Ferunt temulentum chororum ludos spectasse, amasium eius Bogoam choragum palmam obtinuisse, exornatumq; medio Theatro transisse, & ad latus eius consedisse Macedonas,cum id viderent,plaudentes,vt osculum inferret conclamasse,quoad illum complexus & dissuauiatus sit.*

EQ. De eodem Alexandro Magno hisce, quæ iam dixisti, magis fœda, adeoque Imperatore indigna,extant apud Q. Curtium hoc sensu:Postquam Alexander Magnus Persidem subiugasset, & Persepolim in suam potestatem redegisset, de die in diem conuiuia iniit, quibus etiam fœminas interesse voluit,non quidem quas violare nefas esset: quippe pellices licentius quam decebat,cum armato viuere assuetæ. Ex his vna Thais, & ipsa temulenta, Regi persuadet & cæteris, vt è conuiuio surgerent, omnes mero qui incaluerant, ad incendendam temulenti vrbem, cui armati pepercerant. Regia quæ fuit totius Orientis, vnde tot Gentes ante iura petebant, patria tot Regum, vnicus quondam Græciæ terror,molita decem millium nauium classem,& exercitus quibus Europa inundata est. Tandem eo vsque processit temulentia, vt tantum Regem in flore ætatis, medioq; florentis Fortunæ cursu, è rebus humanis eximeret. *Dolendum est,* inquit Curtius, *illam indolem, & ingentia animi bona, quibus omnes in orbe Reges anteceßit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem,in deditis fidem,in captiuis clementiam, in voluptatibus permissis quoque & vsitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate fœdasse.* *Orientis regia incensa.*

PH. Vsque adeo verum est,quod ait ille: Temulentia (siue Ebrietas) *Libidinem accendit in corde hominis: omnem humanitatem & clementiam excutit,nihilque in animo relinquit, prater stupiditatem,bellunamque feritatem, & immanitatem.* *Ebrietatis ac temulentia effecta.*

TH. Quin ipse Dominus per Oseam cap. 4. *Fornicatio*, inquit, *& vinum auferunt cor.* Duo enim ista mala excæcant homines, vt committant ea, à quibus cordati casti, & sobrij abhorrent. Quod si vero auferunt cor, auferunt simul fidem: si fidem, etiam Christum, qui per fidem habitat in cordibus, *Ephes. 3.* Non possunt ergo scortatores & vinosi homines gloriari de notitia Dei, sapientia & fide. Non enim habitat Sapientia in corpore polluto, *Sap. 1.*

Alexandri M. cædes per temulentiam.

PH. Quam iniquissimas etiam cædes Alexander Magnus ebrius erga amicissimos quosque perpetrauerit cædes, historiæ, eiusdem Q. Curtij inprimis, satis superque loquuntur. Acciditque illi tunc sicut stanti in præcipitio. Quemadmodum enim, hunc vel leuis tractus impellit, ita vino vel infusum vel aspersum paruus quoque dolor incitat ad furorem.

TH. Ebrius (inquit Augustinus) assumit inter pocula, iniusta certamina, & nullis existentibus causis asperam excitat rixam, quia interponendo verba vana, aliorum sana dicta non patitur audire, sed in contumeliam exigitur conuiuarum, & proximorum crimina.

PH. Extant insuper aliorum quoque Monarcharum temulentorum exempla, qui omnes fœdum quoque sortiri sunt temulentiæ exitum. Nihil iam dicam de Balthazare illo Babylonico, qui parentem Nebucadnezarem in trecentas discidit particulas, & vulturibus deuorandum proiecit, ipse vero temulentus tandem etiam obtruncatus fuit. Maximinum Imperatorem Orientis allegabo; de quo eiusdemque tyrannide sic Nicephorus Calixtus: *Vino autem multo*, inquit, *deditus ad summam contumeliam, petulantiam & crudelitatem, quæ ex ebrietate proueniunt, nihil fecit reliqui.*

EQ. Apud Romanos, Nero Imp. adeo perditæ fuit luxuriæ, vt vestem eandem nunquam bis indueret, epulas è medio die ad mediam noctem protraheret, lectis solido auro factis vteretur; & cum laxare vel remittere animum vellet, aureo rete, purpura, coccoque funibus nexis piscaretur. magnus nempe luxus: nec mirandus in eo, qui *diuitiarum* (verba Suetonij) *& pecuniæ fructum non alium putabat, quam profusionem: sordidos ac deparcos esse, quibus ratio impensarum constaret; prælautos, vereque magnanimos, qui abuterentur, ac perderent.* Sed exitum notate. Vt iam fuit exhaustus & egens, ad rapinas & extorsiones animum adiecit, nulli parcens nec hominum, nec Deorum. namq; *Templis compluribus dona detraxit, simulacraque ex auro, vel argento fabricata, conflauit.* Quæ luxus postea in causa fuit, vt hostis à Senatu iudicaretur, & tandem, vt pareat, ab omnibus destitueretur.

Sauffen vnde.

PH. Existimant linguarum periti, Sauffen deriuari ab Hebraica voce Saba, quod significat *inebriauit*, vel à *Sapha*, quod est *consumpsit, perdidit*, vel à *Soph*, quod est *haurire, consumere*. Illi namque qui gulositati student, omnia sua perdere & insumere, q̃ quidquam de gulosis ipsorum delitiis remittere malũt; quantumuis id haud raro non absque valetudinis ipsorum dispendio; qualia

sunt,

tum, quod alij vel media in hyeme vinum refrigerant, alij in æstate diligentissime niues, & glaciem aduectam montibus, vel conseruatam in scrobibus, vt à Macedone Alexandro fieri solitum Athenæus scribit, vino addunt, alij nitrum, alij denique alia huius generis multa, quibus & gulam irritent magis, & luxui se totos penitus dedant.

EQ. Faciant id suo periculo. Illud vero vafrum quorundam, sycophantarum plerunque aut adulatorum, machinamentum est, quod Principes velut ex insidiis adoriuntur: & à bene potis, aut alioquin aliud agentibus, vt non vacet, quale sit, quod petitur, considerare, postulant quod iniquum est. Fecit id filia illa Herodiadis, de qua nota satis est historia. His autem merito negatur, quod promissum est; & repulsi, immerito requirunt fidem à promissore, qui sui officij non meminerunt in postulando.

PH. Recte promissum in hoc promissorum genere negauit Agesilaus. Cum enim quidam Agesilaum, improbe postulando, diceret ei, promisisti; atque idem crebro repeteret quasi iam fas non esset, negare quod petebatur: recte sane, inquit, si quidem iustum est quod petis, promisi; sin minus, dixi, non promisi. Hoc dicto elusit flagitatoris improbitatem. Ille vero cum nondum faceret flagitandi finem, sed subiiceret: Atqui decet Reges præstare, quicquid vel capite annuerint: Nihilo magis, inquit, quam eos, qui Reges adeunt, decet ea petere loquique quæ iusta sunt: spectantes simul & oportunitatem, & quid regibus conueniat decorumque sit. Hoc Agesilai sapiens responsum, si in nonnullis Principum Germaniæ aulis obseruatum fuisset, plerique non tam opulenti facti, nec supellectile aurea & argentea tam regie & magnifice instructi fuissent. *Promissorum ebrietatem per ebrietatem nullitas.*

TH. Inconsultas ebriorum sententias esse nullas, didicit ac se edoceri sustinuit Philippus rex Macedonum vel à paupere muliercula. Cum enim is cognitionem parum sobrius, ac perperam aduersus mulierem quandam tulisset sententiam: illa sentiens, errorem esse vini, non regis, exclamauit: Prouocarem, inquit, ad Philippum, sed sobrium. Excussit regi muliebre conuitium temulentiam, adegitque, vt expergefactus causam eandem animo præsentiori cognosceret. Vbi enim regnat ebrietas, ibi ratio exulat, intellectus obtunditur, consilia deuiant, iudicia subuertuntur, inquit Petrus Rauis. *in quodam serm.*

EQ. Quinetiam per ebrietatem ac temulentiam quoque corporis iactura facilis est; vsque adeo, vt sæpenumero, cum in summa nos versari lætitia existimamus, repentina superueniens calamitas omnem lætitiam in miserabilem luctum & lachrymas conuertat. Nihil iam dicam de Balthasaro Babyloniorum monarcha, qui in ipso apparatu ac conuiuio regio fuit confossus; nihil de Attila, qui in amplexibus nouæ sponsæ expirauit; nihil de Henrico rege Galliæ, qui constituta pace & inito fœdere cum Philippo rege Hispaniarum,

 rum,

rum, eique data in matrimonium filia, in ipsa nuptiarum festiuitate, ex crastulo fractæ lanceæ periculum in cranium eius inopinato ingesto, morte sua inopina summam lætitiam in miserabilem luctum & mœstitiam vertuntur: Duo duntaxat referam commiseratione admodum digna exempla. Celebrabantur aliquando in aula regis Galliæ Caroli VI. cuiusdam nobilis festiuitates nuptiales. Rex animi recreandi gratia (erat enim mente paulisper læsus) & noui spectaculi conuiuis exhibendi studio, cum quinque aliis, ludis nocturnis, in cœnaculum prodiit, vultu in Leonini oris imaginem personato, reliquum vero corpus delibutum, multoque lino depexo, ac in villos confecto ita contexit, vt hispidi ac semiferi portenti speciem spectantibus præberent. In orbem reste data choreas pedibus plaudunt, fescennino carmine modulantes. Tota ex Regia fit concursus ad picatorum spectaculum. Ludouicus Aurelianensis Regis frater, studio clarius visendi, correptam facem propius admouit. Ex qua scintilla forte in Regem incidens, repentinum in omnes illos effusa flamma, conflauit incendium. Rege vix seruato vxoris Biturigis veste caudata fluxaque, qua inuolutus est, antequam ad viuum flamma, iam corpus lambens peruenisset: quatuor misere vstulati perierunt: quintus in propinquam promi cellam ruens, aqua vinoque se perluens, salutem sibi peperit. *Æmilius lib.*10.

Lætitia temulenta, luctu finita.

Idem in Germania anno 1570. accidit, cum comites aliquot Hohenloenses multis comitati nobilibus, Ebethardum consanguineum suum in arce Waldenberga, festo Bacchanaliorum visitãdi studio conuenissent. Hi vt nobilibus matronis & puellis, nocturnum quoddam ludicrum (vt mos iste nimis frequens obtinuit) exhiberent: Faunorum personas, multa stuppa, lineis vestibus, pice resinaque agglutinatis, mentiti; iucundissimo spectaculo conuiuas ad ludum, proiectis in mensam tesseris prouocant. Ex quibus vna fortuito casu in terram delapsa, puer personatus dum repetit, f. nalis incautius adhibiti flammam concipit, & opem implorat astantium. Eberhardus ipse pro sua pietate puero periclitanti opitulaturus, eodem malo corripitur: incenduntur & reliqui. Iocus primo visus est. Mox rem serio agi clamores omnium indicant. Ad labrum vicinum, quod Comes in hunc euentum aqua adimpleri iusserat, certatim accurrunt. At illud modo non exarecrat. Erat qui psycterum aqua plenum afferret, sed in ipso limine præ nimia festinatione offendens collabitur, effusa quæ intus erat aqua. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiscens, auxil j desperatione calamitatem auget. Et vertitur lætitia in miserabilem eiulatum, dum tribus horis tres Comites, in ipso ætatis flore, miseris vstulati modis periere.

PH. Vsque adeo verum est, quod vulgo dicitur:

Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.

Cæterum sæpenumero etiam contingit, vt intercedente huiusmodi malo, omnis

omnis hilaritas contaminetur. Sæpe talia committunt verbis factisvé temulenti, quæ excusari postridie exhalata crapula difficulter queunt, & quorum ipsos non modo pudeat, sed quæ etiam ingentem animo perturbationem concitent, & ignominiam pariant. Sæpe in pessimam partem rapiunt homines, quæ animo non malo à nobis dicuntur aguntur ve, quæq; in se, cum mala non sint, reprehensionem nullam merentur. Claudius Imperator nunquam adeo animi sui secreta protulit, atque olim dum multo vino madidus esset, vbi dixit: sibi fatale esse, vt coniugum flagitia ferret, deinde puniret. Quæ vox terrorem non mediocrem iniecit Agrippinæ. *Sueton.* *Lingua ebriorum lapsui facilis.*

EQ. Milites aliquot Tarentini inter cænandum multa liberius dixerant in Pyrrhum regem. Res ad eum delata est, acciti sunt iuuenes, ac periclitabantur omnes, quum factum nec negari posset, nec defendi. Tum vnus illorum deterioris ingenij: Imo, inquit, Rex, & ista diximus, & longe acerbiora dicturi fueramus, nisi nos lagena defecisset: linguæ petulantiam in temulentiam reiiciens. Itaque mox ira principis in risum versa dimissi sunt.

PH. Cum ad Dionysium regem delatum esset, duos adolescentes inter pocula & in ipsum & in eius tyrannidem dixisse, ambos vocauit ad cœnam; & animaduertit, alterum largius potum multa nugari, alterum vero raro cauteque bibere: potum dimisit, vt qui per temulentiam maledicus esset: alterum interfecit, vt qui studio maleuolus & hostis esset.

TH. Ignaui canes (inquit Plutarch. *in Moral.*) apud mensam audent, in venatu minime: sic ingenerosum est, cum sobrius libere loqui non audeas, inter pocula id facere.

EQ. Prudenter magis ille, aliquot nostrum aliquando conuiuantibus, qui finito conuiuio discessurus, obnixe rogabat, vt ne ipsius nænias ægre ferre, quin potius æqui bonique consulere velimus; cum tamen ille, toto durante conuiuij istius tempore, ne verbulum quidem prolocutus fuerat. Sed hoc obiter.

PH. Ebrietas etiam sæpe capiendarum ab hostibus vrbium causa fuit. De Troia à Græcis capta notus est Virgilij versus: *Ebrietas captarum vrbium causa.*

Inuadunt vrbem somno vinoque sepultam.

De expugnatione oppidi Ænau, quæ facta est Anno 1588. ita Iansonius in Mercurio Gallobelgico *lib.1.pag.6.* Fabianus à Dona (inquit) aliquot turmas equitum peditumq; secum habebat in oppido Ænau: quod peruigilio neglectum ipso die Martini inalbescente, ex improuiso per Guisianos hostem more suo Martinalia celebraturum, & profundis poculis largius se inuitaturum subdentes, adortum, expugnatum & direptum est: Germanis alium dormientibus partim captis, parum trucidatis. Baro à Dona, belli dux, superato saltu muro, qui alias sanctus est, mortem præsentem cum vno aut altero seruo ægre euasit. Sed hac de re fusius agemus infra Aphorismo XX.

EQ. Re-

EQ. Recte igitur Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, deinde cum frigidam bibisset aquam: Dij boni, inquit, quam breuis voluptatis causa quantam deposui felicitatem. Ita nobis cogitandum, postquam ob potatiunculam intempestiuam aut Venerem in longum morbum incurrimus. *Erasmus in Simil.*

TH. Cum omnes homines, cuiuscunque etiam sint conditionis, turpiter polluat Ebrietatis studium, indignissimum tamen omnium est Principes, Magistratus, & qui populo præsunt ea inquinari. Tum quia iudicium ac ratio in illis hebetatur per ingurgitationes, tum quod exemplo suo reliquos à recta viuendi via disturbant & diuertunt. Sed enim videte horum temporum mores. Principes fere & qui vocantur Nobiles, potentes sunt, iuxta Prophetam, ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem, &c.

Principum belluationes exitiosæ.

EQ. Vix vlla respublica diu stetit, quæ ebriosorum consilio gesta est, vix vlla concidit, quam non ebriosi euerterint: vix vlla non floruit, quæ à siccis ac sobriis hominibus administraretur. Hinc Achilles apud Homerum non potuit atrocius conuicium ignauo ac vesano regi dicere, quam vt temulentum eum vocaret: hoc vno probro, quicquid erat grauissimorum flagitiorum, complecti visus. Et Paulus Æmilius *in Annalibus Franciæ* commemorat causam cur nonnulli Reges: suis ministris fuerint regno spoliati, fuisse, quod onere omnium suorum negotiorum in eos deposito, delitiis & voluptatibus sese dederent. Nam populo aut domesticis in ipsos conspirantibus, aut externis bellum inferentibus, ita stupidi & consilij inopes erant, vt facile ad illorum conditiones depaciscerentur: partim vt quid de suis voluptatibus diminuerent, partim ob inscitiam & imperitiam rerum administrandarum, quæ tanta erant, vt ad eas restituendas vnde facerent initium non intelligerent.

TH. In ebriis (inquit Augustinus) non vlla ratio, non vllum vitæ gerendæ consilium, nec vlla artium, nec gestorum aut lectionum memoria, aut industriæ prouidentia est. Et Boetius, vbi est ebrietas, (inquit) ibi dominatur fortuna, vbi fortuna, ibi nulla sapientia, sed insipientia peruagatur, *lib. de s. hol. discipl.*

EQ. Wenceslaus Romanorum Imperator propter suam ignauiam per Electores & Status Imperij anno 1400. die 20. Augusti, legitime depositus est ab Imperio, & omnia rescripta priuilegiaque ipsius cassata, assentiente & confirmante postea Rudolpho, Comite Palatino Rheni, in depositi Wenceslai locum, pro rege Romanorum suffecto. *Mynsing. respons. 19. num. 6.* De hoc Wenceslao fertur, quod fuerit auri contemptor, at vini amator. Cum enim ciuitates Imperij post illius deiectionem nouo Imperatori Ruberto, more maiorum iuramentum præstitissent, Norinbergenses protestati sunt, se viuente Rege suo non iuraturos alteri, nisi ab ipso Wenceslao essent iura-

mento absoluti. Miserunt ergo Oratores suos ad Wenceslaum, qui eius sententiam explorarent, oblatis viginti millibus aureorum, si eos absolueret. Vbi ille contempto auro, mox eos absoluit, iubens, vt vini Rhenani optimi plaustra aliquot sibi mitterent, *referente Burcheldero in sua Chronologia.*

PH. Alexander ab Alex. *lib. 3. cap.* 11. apud Indos constitutum fuisse scribit, vt si qua mulier regem temulentum occidisset, hoc donaretur munere, vt successori nuberet. Sed absit hæc constitutio.

EQ. Corporis incommoda quæ ebriosos consequuntur, longum foret recensere. Dionysius Tyrannus, pinguissimus factus, respiratione interclusa, tandem extinctus est: Alexander Macedo nimio potu impotens est factus suscipiendæ proli: Dionysius Tyrannus lippus, & cæcutiens causa ebrietatis, vtque compendio dicam:

Quid memorare opus est quot morbos, quotque dolores
Dispergat nimius potus per membra, cibusque
Immodicus? scatet hinc tanquam de fonte perenni
Febris & vlcus atrox, scabies, porrigo, podagra,
Articulosque premens, manibusque infesta chiragra.
Hinc lippi stillant oculi, resolutaque Baccho
Membra tremunt, dentesque cadunt, olet halitus oris.
Hinc stomachus languens, atque intestata venit mors.
Sæua quidem plures letho gula tradit acerbo
Quam gladius. quid? quod census cito deperit, & mox
Mergitur in ventrem fundus, domus atque supellex,
Et modo qui fuerat diues, fit pauper egensque.

TH. Quid quod ne ipsi quidem sancti à prauis ebrietatis effectibus sunt immunes. Audite historiam. Recitant historiam Patres de quodam Heremita, qui cum vitam alioqui sanctam instituisset, assiduis tamen vexabatur à Satana tentationibus, vt ex tribus peccatis, quæ illi proponebat, alterutrum admitteret: vel homicidium, vel scortationem, vel ebrietatem. Cumque diu à tentatore turbatus esset, pertæsus istius inquietudinis, elegit quod existimauit leuissimum, nempe semel inebriari. Quod vt fieret sine periculo, sorori suæ mulieri sanctæ communicauit hanc suam voluntatem, à qua cum non posset piis exhortationibus & admonitionibus fratrem diuertere, illi potum vini largiorem indulgere coacta est. Qui paulo post è somno, & temulentia expergiscens, vim sorori (quæ illius lectulo adstabat, obseruans sedulo ne quod in periculum laberetur) intulit. At cum mane crapulam edormiuisset, incestus horrore cruciatus, metu ne scelus palam fieret, sororem obtruncauit, & terra texit. Ita factum est, vt ex ebrietate incestus & parricidium nascerentur. Vidi & ego locum, neque personas nominare volo (vt famæ viuentium non inuram notam) Vidi inquam virum autoritate, & diuitiis commenda-

Heremita ebrietas post cæterum incentiuum.

mendatum: qui in die festo ebrius, nihil tale cogitans cum matre primum pota, deinde cum filia vna nocte concubuit, amicisque conuiuis negotium communicans, adhibita luce inuenit incestum duplex: cuius rei horrore mater mortua est, filia grauida: Incestuosus in insaniam lapsus.

O fœda ebrietas, animi lethum! ô vitiorum
Nutrix ac scelerum! quid non mortalia cogis
Pectora? quid per te non audent? iurgia, lites,
Prælia dira moues, & gaudes sanguine fuso.
Per te occulta patent, animum linguamque resoluis,
Te fugiunt metus atque pudor. Vitate pudendam
Hanc pestem, ô miseri, quæ vos facit esse furentes.

Per vinolentiam (inquit Augustinus) plurimi plurimæque à sancto pioq; proposito excidere, & sui obliti, amissis honoribus, ignobiles remanserunt, & sedibus paternis profugi vitam vt sumpserunt, finierunt.

Tametsi autem vetustum sit hoc ebrietatis vitium, non ob id tamen vacabit pœna diuina. Imo quo vetustius & vsitatius est, eo horribilius est in conspectu Dei, & eo quoq; seuerius à Domino punietur. Esaias certe Propheta, qui propensam Dei indignationem in Israelitarum peccata denunciat, acerbissime inuehitur in ebrietatem ac luxum: nempe ex quibus omne malorum genus suam trahit originem. *Væ vobis, qui consurgitis mane ad ebrietatem faciendam; & ad potandum vsque ad vesperum, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius consideratis. Propterea captiuus ductus est populus meus, &c. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum, absque vllo termino, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosique eius ad eum:* Esa. 5. Et postea subiicit idem Propheta: *Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim & flori decidenti gloriæ eius: qui erant in vertice vallis pinguissimæ errantes à vino. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim: Hi præ vino nescierunt: præ ebrietate errauerunt: Sacerdotes & Prophetæ nescierunt, præ ebrietate absorpti sunt à vino: errauerunt in ebrietate: nesciuerunt videntem: ignorarunt iudicium. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, & sordibus, ita vt non esset vltra locus,* Esa. 8. *Væ tibi terra, cuius principes mane comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est; & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, non ad luxuriam.* Eccl. 10. *Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt. Quia vacantes potibus, & dantes symbola consumentur: & vestitur pannis dormitatio.* Prou. 23.

Ebriosorum detestatio.

Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas: Quicunque his delectatur, non erit sapiens: Prou. 20.

Dicam paucis ex Augustino: Ebrietas (inquit Augustinus *ad sacras virg.*) est flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, subuersio sensus, tempestas linguæ, procella cor-

poris,

poris, naufragium castitatis, amissio temporis, insania voluntaria, ignominiosus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela.

Et: *Quamuis mundana gaudia*, (inquit Augustinus de catech. iud. cap. 17.) *non sint gaudia, tamen qualiacunque sint, & quantumlibet delectent, aufert omnia ista vna febricula, remanet inanis & saucia conscientia, Dominum sensura iudicem, quem noluit habere custodem: & inuentura asperum Dominum, quem dulcem patrem quærere & amare contempsit.*

PH. Hæ tamen commonefactiones frustra fiunt ad ebriosos actu existentes. Inculcandæ igitur sunt postridie. Interim, (vt monet quidam) cistæ fructuorum aut carceri est includendus ebrius tumultuans præsertim, & tantisper ibi detinendus, donec cicuretur.

EQ. Recte ait; commodum itaque ac sine periculo nos, qui vinum hoc die nondum gustauimus, sobrij de Ebrietate commonefactiones prædictas in vicem produximus. Cæterum quædam adhuc in subsequentibus Aphorismis, animaduersionibus cumprimis digna, extant; sed ea ipsa tractabimus, vbi rediero ex itinere, ad proximum nostrum reditum. Interim viuite & valete, annate & perennate, atque inuicem lætemini. Iusta enim causa lætitiæ est, lætum videre amicum, inquit Seneca 2. *de benef.* 22.

FINIS.




L. GOTTSCHER
1974

